

Q. HORATIUS
FLACCUS,

EX RECENSIONE ET CUM NOTIS

ATQUE

EMENDATIONIBUS

RICHARDI BENTLEII.

TOMUS PRIOR.

EDITIO TERTIA.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCLXIX



NOBILISSIMO ET PRAESTANTISSIMO VIRO

ROBERTO HARLEIO,

BARONI DE WIGMORE, COMITI OXONI,
ET COMITI MORTIMERO, MAGNAE BRITANNIAE THESAURARIO,

RICHARDUS BENTLEIUS:

Q. Horatius Flaccus, VIR NOBILISSIME, Lyricorum Latinorum olim summus, hodie solus; cum iam diu apud me non illiberali hospitio acceptus esset, ac tandem domo emigrare velle videretur; interrogatus Quo tenderet & Cuius in patroni aedes se recipere cogitaret; || ille enimvero, Se quantumvis humili genere natum Primoribus civitatis olim placuisse; *majoresque nido pennas extendentem*, praeter Polliones, Messallas, alios, opibus honoribus studiisque praecellentes, etiam CILNIUM MAECENATEM (clarissimum in omne aevum carissimumque Nomen) sic consuetudine sua sibi devinxisse, ut *Convictor* ei & *Sodalis* appellari meruerit: Hae hodie si aut similis aut secundus quispiam demonstrari sibi possit; nihil prius se habiturum, quam ut illic continuo advolet: Se quidem, ut ad domum quondam Palatinam ipsius litoris Caesaris accitum sine eius offensione recessisse, ita nunc ad AUGUSTA Penetralia verecundari accedere: Ceterum *cum magnis vixisse solitum* non posse iam *curata tum bene cute* senioque sibi absterso humiliora sectari; sed, ut his forte temporibus (quamquam o!) Maecenati parem aliquem sperare vix liceat, infra Polliones saltem nolle descendere. Miratus equidem sum tam elegantem tamque paucorum hominum, atque necdum post tot elapsa saecula *quaesitae olim meritis superbiae* immemorem. Vultuque ego iam tum optata pollicente, Quin bono animo es, inquam, teque

[P. IV vol. I
ed. a. 1711]

illi ipsi HARLEIO, quem iamdudum voto fingere atque ambire mihi videris, tradam & commendabo; illud prius & mea & publica voce dixisse ausus, Te omnia quae vel in Maecenate tuo tantopere praedicasti, aut paria apud Hunc Nostrum aut potiora reperturum. Nam ut externa illa primum me- || morem, Genus dico & Imagines; scimus Hunc, pariter atque Illum Tuum, *Equestri* quidem loco ortum, Gente vero in primis splendida ac vetusta; quae & *Atavos* quoque *Reges* primordiis suis attingat; quae a multis retro saeculis saepe domi forisque *magnis legionibus imperitavit*; quae nusquam penitus intermissa per tot aetates claritudine non modo nobilissimas quasque Regionum harum Familias cognatione sibi iunxerit; sed & Galliae quoque, parte sedem solumque mutante, HARLAEOS dederit proceres, tam Sagi illic quam Togae muneribus iam inde semper illustres. Ille quidem Tuus, *intra fortunam suam* & in *Equestri Ordine* substituisse contentus, maiora consequi vel nequirit vel non concupivit: Hunc Nostrum, abnuentem quidem & moras injectantem, cum vota Civium Patriaeque discrimina, tum iudicia REGINAE non saeculi modo sui sed omnium actatum Optima perpulerunt denique, ut Senatus inferioris Princeps iam tertium lectus ad Celsissimum Ordinem vel serus ascenderet; inque titulos VERORUM *Oxonii* quondam *Comitum* & *MORTIMERORUM Baronum de Wigmore*, quos sibi Consanguineos in stemmate recenset, non alienus adscisceretur. Neque vero Sanguinis tantum, sed & Doctrinae causa aequum erat; ut ab Urbe bonis literis Musisque consecrata Ipse omnium literatorum Decus & Tutela cognomen suum duceret. Iam autem quam tu Tuo mirificam sive Caesaris seu Patrum Populive gratiam iure olim gratula- || tus es; cum, ut ex periculoso morbo recens convalescerat, tota cavea & orchestra *laetum theatris ter crepuit sonum*: hunc Suae dicam an Humanae gentis amorem si & Nostro non minorem obtigisse dixero; vel illa dies mihi testis erit, cum in ipsa Regia concilioque Procerum a scelestissimo omnium nec Britannae

nationis sicario cultello percussus est: irrito quidem vulnere, sed haud dubie (nisi praesens Numen avertisset) letali ad praecordia futuro. Illa, inquam, dies, quam carus omnibus viveret, certissima dedit testimonia. Quo enim gemitu, qua hominum trepidatione, cum saucius ad penates suos lectica delatus est, primus ille nuntius accipiebatur? Qui erat civitatis habitus, qui singulorum animi; dum in arto diu salutis mortisque confinio (vix Sospitatore illo RADCLIVIO laetiora promittere auso) vita Illi dubia traheretur? communi tum in uno capite periculo vel ab aemulis & adversariis veras voces eliciente. Qui vero Ipsius interea vultus, quam sui consimilis? & ad recentem ictum interritus, & ad lentam ancipitemque curationem imperturbatus: tamquam vel *non doleret vulnus*, vel saltem ingens doloris pretium solatiumque secum ferret; cum Ipsius pectore feliciter est interceptum, quod (ut credere par est) in sanctissimum REGINAE pectus quandoque destinabatur. Ubi primum vero incolumis ad curas publicas redibat; quo Ille occursu, qua adclamatione, quibus votis ominibusque, locis omnibus exceptus est? Quid notas ea || tempestate Principis voces, quid Senatus totius gratulationes commemorem? in Annales utique ituras, neque sic subito fortuitoque sermone nobis delibandas. Porro autem quas tua aetas in CILNIO naturae doctrinaeve dotes veris olim laudibus in caelum ferebat; sublimem & erectam indolem, ingenium demerendis hominibus natum, vigore ac lenitate mixtissimum animum, maximarum curarum sub altissimae quietis specie capacem, diversissima Reip. munia pari omnia facilitate felicitateque obeuntem, literarum denique cultum promptamque semper in eruditos munificentiam; parce tandem, Horatii, metuere, ne ex illis, aut siqua illis maiora sunt, in HARLEIO quidquam desideres. Quippe & Noster ad summa omnia natura formatus, Patrisque optimi & sapientissimi praeceptis innutritus, iam a teneris ferme unguiculis ea Sui documenta dedit; quibus tum protinus quantus hodie est sperari ac praevideri potuerat. Quis enim vel tui

meique loci, quos illa bonae mentis Soror ad labores quosvis subeundos vel invitos quondam impulit, tam assidue acriterque liberalibus studiis dedit operam, quam Ille sponte in re Paterna tam praeclara & opulenta? Quis eorum, quibus id solum & negotio & victui est, tot quot Ille praeorum annalium volumina, tot leges, ritus, foedera, bella gentium pacesque, versavit manu memoriaque tenuit? Neque vero, quod in Tuo olim laudabas, *utriusque modo linguae sermones* edidit; sed Latinis Ille Graecisque literis Hebraicas

[p. VIII] quoque || iunxit, raro utique in illa fortuna sanctoque instituto: quo & usque eo proventus est, ut difficilia aliquot Sacri Codicis loca ex Iudaicis monumentis egregie illustraverit; quae tamen verecundus Sui aestimator in scriniis premit. Iam autem quid tibi ego Eius indolem consuetudinemque praedicem? Ubi laetior severitas, aut gravitate temperatior comitas? Ubi pectus purius aut humanius; cui nec aerugo malignitasve inolevit, neque contemtor ille animus commune nimis in tam alto fastigio malum? Quis aut prospera fert moderatius; aut, sicubi casu culpave aliena bene consulta male cesserint, adversa generosius? Quid fidem dicam & taciturnitatem; quid orationem suadendi dissuadendive semper potentem? Quid res pene dissociabiles; tam ad subita & acuta casuum velox ingenium, quam ubi in longinquum consulendum est cautum atque providum; tam probis candideque agentibus nudum atque apertum, quam in versutos & veteratores tectissimum & tutum undique? Unum scire licet ad juvanda Principis onera quasi genitum & factum: qui legum jurisque patrii scientissimus idem & servantissimus, cum Principi imperii Vim, tum Civibus Libertatem publicam felici connubio iunctas norit tueri. Quid porro quod tot negotia administrat, otianti pene similis; sub tanta occupationum mole vultu vitaeque tranquillus; & desperanda aliis agens, sine ulla ostentatione agendi. Quid quod remissionum horas & intervalla curarum, non Ille

[p. IX] alca nec hi- || strionibus ceterisque voluptatibus vulgi, sed ele-

gante & erudito otio solet dispungere: teque, Flacce, identidem, nunc *rheda iter faciens*, nunc domi ad subcisiva temporum Sibi comitem evocabit. Postremo autem, quod pene ego primarium existimo, non tu hodie, ut olim Maecenatiam, in sterilem domum concesseris, & querelis *repudiisque quotidianis* turbidam; sed amore casto concordem, pulchraque prole florentissimam: ubi spectare tibi & audire dabitur Iuventutis nostrae Principes, Britanniaeque spem geminam, EDVARDUM HARLEIUM *Baronem de Wigmore*, GEORGIUMQUE HAIUM *Viccomitem de Dupplin*; ingenuarum virtutum ambos, animique & ingenii vel in prima lanugine adultos; Fortunae autem in quam aluntur plusquam capaces; Illum tanto Parente, Hunc Socero dignissimum, qui & nunc tam ingenti Eius imagine minime obscurantur. Neque vero id te retardet, quod in ea (proh dolor) tempora devenimus, ubi scissa dissensionibus odiisque communitate (per eos maxime qui ministros se & adutores Partium venditant) non virtute amplius ac bonis artibus, sed clamoribus utrimque calumniisque certatur. Ut enim olim, licet in Bruti quondam castris Tribunus, Maecenatis Augustique gratiam tenuisti, nullo ea de causa frigore imminutam: ita nec Noster speculabitur, utrisne tu ex Partibus an ex neutris nunc adveneris; Ipse medius omnibusque aequus, & egregio Publico compescens hinc vel inde nimios || factiososque; qui tumultuando adipisci flagitant, quae quiete & modestia iure sibi desperent; quive inita inter paucos potentiae societate ceteris omnibus ad honores aditum intercludunt: pernicioso ambitu (nisi primus Is eat obviam matureque occurrat) vel in ultima gladiatorum aliquando erupturo. Sed haec paullo commotius: & meliora ominabimur. Tu vero, si Domus tibi, si Dominus, si Contubernales iam placent, i propere ac pede fausto, *posteramque istam & recidivam laudem* laetus capesse. Vix dici potest, VIR PRAESTANTISSIME, quam his vocibus accensus gaudioque delibutus Horatius, non gradu, sed cursu ad Te recta contenderit; adeo ut Commendatitias meas seu festi-

natione & studio sive sui fiducia neglexerit accipere. Tu tamen, sat scio, Ipsius quidem praecipue, sed & Mea nonnihil gratia, cuius Notas Emendationesque secum circumfert, in Tuorum cum numero habebis. Neque enim vereor, ne haec qualiacumque sunt Nostra Tibi isto nomine viliora sint, quod a mei Ordinis homine proficiscantur. Ita nunc quidem quorundam importunitas totum gregem apud plerosque in invidiam adduxit: verum alia Tibi mens est, alia morum via: nam & omni vita antea & nunc cum maxime auctoritatem ac fidem verbo veteri facis, *Qui bona fide DEUM colit, amat* & SACERDOTES. Obtinebunt igitur & haec Nostra locum aliquem in Bibliotheca tua amplissima; qua [p. XI] (praeter parabiles illas Typographiae divitias) || magno sumtu studioque collegisti vetustos omnium linguarum Codices MSSStos Mille amplius & octingentos; atque incredibilem insuper Membranarum vim, cum quos Rotulos tum quas Chartas appellamus; quorum illi ad Mille reor & quingentum, haec ad tredecim Millium numerum facile assurgunt. Hic tibi Instrumentorum veterum, partim in Urbe, partim rure in avitis aedibus *Bramtoniae* Castello (quod ab EDVARDI usque I aetate per BRYANUM HARLEIUM Equitem ad seros adhuc nepotes demissum est) thesaurus adservatur: quotidiano quidem is auctu crescens, & iam nunc multo ditior futurus; nisi ad alia damna per Civiles superiore saeculo Tumultus castellis, templis, villis, nemoribusque vestris illata Bibliothecae quoque locupletissimae direptio accessisset. Maecte ea virtute, VIR LITERATISSIME; deque omni Antiquitate, cuius tamquam ex naufragio tabulas conquiris undique & conservas, perge bene mereri. Haec laudabilis Tua luxuries, haec honesta avaritia est: haec Tibi inter tot egregia non in ultimis laudum erit, qua Tu aliorum seu immensa villarum spatia, seu pictarum tabularum miracula, sive pecuniosam senectam, & exaeques & antecellas. Neque vero de Vetustate solum, sed & de praesenti posteraque aetate, sicut mereris optimo, ita porro mereberis: nisi (dictu nefas) desciseas at-

que degeneres ab insitis Familiae virtutibus; quae potentissimae olim MORTIMERANAE domus cum ob sanguinis coniunctionem tum ob viciniam amicitii || implicata, ruinaeque [p. XII] eius propinquitate patrimoniis suis magnam partem excussa, vel in accisis tamen rebus fortunaeque pristinae reliquiis egregios bello Duces & pace Senatores suis quemque temporibus Reip. praestitit. Quis enim, ut antiquiores praeteream Proavo tuo THOMA Senatore sapientior? cuius si sanis olim consilii IACOBUS ille I ut aurem, ita & mentem commodasset, cum novae aulae lenociniis a rectis tutisque abstractus ad prava & ancipitia prolaberetur; non utique miseranda illa & nefanda accidissent, quae CAROLUS filius religiosissimus Princeps postea perpessus est. Ille vero, praesago iam tum futurorum animo, non rebus se civilibus immiscere amplius voluit: sed in agros se suos recipiens honestissimo in otio literataque senectute octogenarius ibi vixit. Interea tamen Avi tu ROBERTI *Militis de Balneis* praeclaris operis laboribusque immo & periculis usa Patria est; quippe qui in conventu Senatorum tum praesens agebat, cum perditissima coniuratorum manus Curiam ipsam comitalem simul omni cum stirpe Regia & utriusque Ordinis flore ac robore tantum non iam flammis involverat. Tum vero Parentem tuum EDVARDUM, fortissimum & integerrimum virum, quis satis digne prosequatur? *de Balneis* itidem *Militem*, sed qui nobiliores *Viccomitis* titulos delatos sibi reiecerat, sua satis & ingenita nobilitate conspicuus. Is cum a CAROLO II *Dunkerkum* praesidio militari tenendam accepisset: || idque agi videret, ut urbs ista tam natura loci quam manu munitissima Gallo venderetur, principio summa vi in Senatu contendebat, & (frustra obnitente aula) in inferiore domo perfecerat, ut Lege lata, quo alienari ne unquam posset, in ditionem Regiam hereditarii iuris redigeretur: neque postea vel terrore vel precibus vel pretio eoque ingenti perduci potuit, ut incepto desisteret urbemve traderet. Praefectura igitur amotus, & successore sibi misso Britanniam reversus, id primum miranti

Regi exposuit, Quae in armamentariis & horreis & cetero apparatu habuerit, vel sola maioris esse quam quanti Ille integram urbem emtori addixerat: tum deinde, non mediocrem numorum summam (decem millia pondo erant signati argenti) clam in subita obsidionis à se reservatam, & in arca illic ferrata relictam: hanc sibi Rex quamprimum advehi iuberet, ne & ista Gallo tam quaestuosae mercaturae fieret accessio. *Heu pietas, heu prisca fides!* quantis exinde *Dunkerkam* prodatam calamitatibus luimus! at Huius si tum monitis obtemperatum fuisset; eam nobis opportunam hostibusque infestam penes nos stantem haberemus, quam excidendam mox fore soloque aequandam pene summa iam votorum & instar triumphi est. Consilium tamen plus mirer, an singularis & in exemplis hodie memorandae abstinentiae? Quam nullo negotio periculo ad se avertere potuit tam grandem pecuniam, eam Is recenti licet contumelia offensior || insperatam & intactam Principi exhibuit. Nihil igitur novum & non Paternum, VIR GENEROSISSIME, vel in summa tua integritate atque innocentia dedisti: nec sane ego innatam Tibi pecuniae contentionem, quantumlibet alioqui raram, in laudibus Tuis ponendam mihi censeo: qua tamen admirabili cum prudentia & sagacitate coniuncta id nuper consecutus es; ut Te unum Fisco Regio praesidere, sibi civitas omnis plenius quam Tibi gratuletur. Te certe Aerarii frena moderante, numquam deerunt vel in his Numariae rei angustiis paratae civium voluntates; quoad omnes lentissimi Belli reliquiae prospere sepeliantur. Ecquando tamen & en unquam is dies illucescet, quo Europae per tot lustra in se collisae, neque proeliis solum sed & pestilentia exhaustae, laetissimus ille PACIS vultus affulgeat; maiori iam viventium parti numquam conspectus? Enimvero in his armis iustissime indutis, tam Principis auspiciis quam fide Sociorum, tam Ducum consiliis quam Militum virtute freti, felicem aliquando rerum exitum spe certa praecipimus. Quid mali tamen Ductoribus hostium non merito imprececur? quibus etiam victis *bellum utile est*; qui in im-

[p. XIV]

peris consenescere cupiunt quantumvis infelicibus; qui toties fusi ac fugati, castrisque & exercitibus atque urbibus exuti, certamen nihilominus trahunt, ut nobis vel vincendo damnosum, ita suis sibi que exitiabile. Sed bene habet, quod ad seram supplicandi confessionem || redacti a Clementissima REGINA pacem tandem expetunt. Quicumque sane Peloponnesiaci vel Punici belli (quae diuturnitate cum hoc nostro fere sola certare possunt) eventus secum expudet; & exortos tum semper utrimque, qui aut prave pertinaces aut foede cauponantes coalescentem subinde pacem discuterent rumperentque, donec alterutrius demum partis vel interneceione vel perpetua servitute sit debellatum: is eandem hodie funestam fatalemque gentibus vecordiam iure extimescat; cum tam multos esse ubique videat, quibus longo usu iam Bellum negotiatio est, & inter omnes pecuniarum vias quaestus uberrimus: his profecto vel acquisitis licet pactionibus quae tandem pax placere poterit? Accingere igitur, VIR SAPIENTISSIME, & in hac ancipiti tempestate quicquid virium in pectore condidisti excute & exprime. In Te omnium ora conversa sunt, in Te arrepta expectatio est. Haec momenta Te unicum Teque totum exposeunt. Hic Tibi utrimque pariter & in diversa laborandum erit; ne qui nulla pace contenti erunt, utilissimam exturbent; neque (ut saepe alias) quorum arma vicerimus, eorum arte astutiaque in conditionibus vincamur. Tu vero utramque partem (neque vanum augurium est) plenissime exequeris; cum is sis, quem neque callidissimus ludificari queat, nec turbulentissimus de recto proposito dimovere. Adeste igitur bono cum omine, optatissimae Iani Calendae; dignus profecto dies, quo Conventibus de re || tanta [p. XVI] indictis auspiciis detur exordium; quo totus ille & insequentes anni feliciter fausteque decurrant; quo, in hac longa armorum serie res dudum desitae & sepultae, sua Populis quies, suus Literis honos, sua denique Commerciis praemia redintegrentur. Iam nunc fallor an clamores ego nauticos & ovantem strepitum audire mihi videor; iam rates navalibus diripiuntur; iam merces variae convolant & regnator omnium Pannus; Tua

[p. XV]

[p. XVI]

VIR MAXIME providentia Tuisque ventis ad Oceani sinus ultimos & grava pretiosis metallis arva convehendae. Ita quidem inique comparatum est; antiqua veneratione prosequimur, praesentia livore deprimimus: aderit tamen tempus, cum omnia omnium instituta pulcherrimum hoc Tuum repertum fulgore suo praestinguet: in quo cum omnia prorsus mirifica sint nihil magis tamen admirari subit quam saluberrimam Παιδαγωγίαν; qua & aere alieno fidem publicam liberasti, idemque (quod homines sua sponte nunquam aggressi essent) ad Commerciorum incrementa Britannicasque opes immensum olim augendas blandissima necessitate convertisti. Quid porro residuum est; nisi ut cum alios omnes iam longe post Te reliqueris, Tecum postea certamen instituas? En stadium, quod timide ingrediaris! En palma, quam difficillime auferas! Effice tamen, si poteris, sive humana virtus id recipit, ut praeterita Tua venturis exsuperes. Inque his, ut ad mea me sacra referam, respice oro rem Literariam; afflictam sane || atrocitate licentiaque temporum, atque aegre admodum ex ingruentis barbariae diluvio caput fessum exserentem. Si quaeris subscribi statuis PATER ACADEMIARUM; si dicto Principis fidem imples, quo LITERATORUM FACTOR publice audivisti; haec Te cura quandoque tangat: haec edera inter olivas tuas circum tempora Tibi serpat. Sic Te Deus Opt. Max. domumque Tuam diu sospites conservet: sic quam hodie habes magnitudinem, illibatam ad sepulchrum sero deferas: sic Tuos Tibi superstites habeas, Filium ac Filias parvulosque duos ex filia Nepotes; quorum alter a matre adhuc dulces rubet, alter dimidiatis iam verbis Te Avum salutare gestit; festivi ambo amabilesque, & expressissima Parentum effigies; quique mira natalium felicitate materno genere STAFFORDOS Angliae, paterno HAIOS Scotiae *Constabularios* complexi, id summi olim fastigii Vocabulum ex utroque sibi regno hereditarium ducunt. Vale, VIR NOBILISSIME, & feliciter rem gere. CANTABRIGIAE e Collegio S. TRINITATIS, MDCCXI sexto Idus Decembres, ipso HORATIO die Natali.

PRAEFATIO

AD

LECTOREM.

Pauca sunt, Lector benevole, de quibus certiosem te ^[p. XIX] fieri velim, priusquam Horatium meo munere, nisi fallor, meliorem nunc cultioremque in manus tibi sumseris. Cum ante aliquot annos provinciae cuidam admotus essem; ubi aliena negotia, curaque molestissimae per caput quotidie salientes, severiora omnia studia de manibus mihi excusserant: constitui mecum, ne Musarum me amorumque veterum oblivio prorsus caperet, amoeniorem quempiam Scriptorem edendum mihi sumere, levioris operae materiaeque, quae animum tranquillum et defaecatum non tam requireret, quam efficeret: quaeque horis subcisivis edolari, et mille interpellationes sine gravi damno pati posset. Ante alios autem placuit HORATIUS; non quod in eo plura, quam in alio fere quovis seu Latino sive Graeco, restituere me et emendare posse confiderem; sed quod is omnium veterum maxime vel merito suo vel genio quodam et placendi sorte in manibus hominum pectoribusque haereret. Formam vero et institutum operis sic mihi definivi terminisque his circumscripsi; ut ea sola attingerem, quae ad sanitatem sinceritatemque Lectionis pertinerent: cetera illa pluraque, quae ad Historiam et Mores antiquos grandem illam Commentariorum silvam et instrumentum spectarent, prorsus praeterirem. Per me quidem eruditus viris, qui in illo stadio decurrerunt, suus honos salvus esto: utilissimam sane operam navarunt; quae, nisi ab illis occupata foret, iam nunc necessario impendenda esset de integro; sine qua aditum tibi patere ad haec Nostra frustra speraveris. Sic enim se res habet: diffusa illa lectio et eruditio, veteris-

que totius Latii et Graeciae notitia, quae in illa studiorum materie totum constituit, in hac Nostra partis duntaxat infimae et initiorum apparatusque locum obtinet. Omnia quippe tibi ista in numerato esse prius oportet, quam de || quovis [p. XX] Scriptore sine dementissimae temeritatis nota censuram agere audeas: est et peracri insuper iudicio opus; est sagacitate et ἀγγινοία; est, ut de Aristarcho olim praedicabant, divinandi quadam peritia et μαντιζή: quae nulla laborandi pertinacia vitaeve longinquitate acquiri possunt, sed naturae solius munere nascendique felicitate contingunt. Inde est, quod, cum in ceteris disciplinis eventus laboribus votisque respondeat; contra in hac Critices palaestra, ex tam multis, qui libris studiisque insenescentes per integram vitam hoc saxum volverunt, exstiterunt oppido pauci, qui speratum sibi apud posteros nomen nancisci valuerunt. Et tamen, ne id forte nescias, longe longeque difficilius est hodie, quam superioribus erat annis, emendationes conscribere. Ita omnia illa, quae ex scriptorum Codicum collatione clare et ultro se ingerebant, praerepta iam sunt et anticipata: neque quidquam fere residuum est, nisi quod ex intima sententiae vi et orationis indole solius ingenii ope sit eruendum. Plura igitur in Horatianis his curis ex coniectura exhibemus, quam ex Codicum subsidio; et, nisi me omnia fallunt, plerumque certiora: nam in variis Lectionibus ipsa saepe auctoritas illudit, et pravae emendaturientium prurigini abblanditur; in coniecturis vero contra omnium Librorum fidem proponendis et timor pudorque aurem vellunt, et sola ratio ac sententiarum lux necessitasque ipsa dominantur. Quid quod, si ex uno alterove Codice discrepantem aliis scripturam expromas, frustra es si unico duobusve testibus adversus centum fidem facere postulas; nisi tot argumentis muniveris, quae vel sola pene sine Codicis testimonio ei rei probandae sufficere possint. Noli itaque Librarios solos venerari; sed per te sapere aude, ut singula ad orationis ductum sermonisque genium exigens ita demum pronunties sententiamque feras. Enimvero haud animi me fallit, tot in Flacco emendationes iniquis oculis plerosque aspecturos, nec nisi vi et ingratiis receptas tam diu lectiones veteresque avias sibi revelli passuros. Quippe [p. XXI] in aliis auctoribus minus sibi tritis pro libitu id fieri || non aegre tulerint; in hoc, quem iam inde a pueritia dies noctes-

que versarunt, quemque intus et in cute se novisse opinati sunt, tot iam menda detegi, tot absurda sensuque cassa redargui, quasi convicium sibi factum interpretabuntur. Horum ego ut praeiudicio et ἀνθολοζή occurrerem; fuse pleraque et prolixè praeter morem meum in adnotationibus deduxi: ut vel indignantes ac reluctantes cum rationum pondere tum exemplorum numero obruerem, inque meam tandem sententiam vel obtorto eos collo traherem. Hoc rogo in memoria habeat eruditior Lector et acutior; siquando forte, cum duobus verbis rem pervinci potuisse putet, ex longo tractu adnotationis fastidium eum ceperit. Non raro tamen etiam data opera brevior contractiorque fui; partim taedio ut fieri solet furim obrepente, partim consulto viribus parcens et quae in promptu mihi erant opes dissimulans: ut ne ubique iudiciis hominum diffidere viderer, utque stolidi et ad depugnandum parati se in laqueos inopinantes induerent, risum iocumque nasutioribus daturi. Qualiacumque vero haec sunt, aestivis tantum mensibus (ita tamen ut uno alteroque biennio fuerint prorsus intermissa) et primo impetu ac calore sine lima curisve secundis descripta, sic madida fere charta (ut nemini hic meorum non compertissimum est) ad typographos deferebantur. Neque enim aut animus aut otium erat calamistris illa inurere; nec tanti emerim ieiunam illam obscurae diligentiae laudem; ac pudebat praeterea nugis calamiq; lusibus pondus velle addere, et ἐπὶ φραζή quod aiunt μύρον: sic tamen, uti spero, ut nec sermonis puritatem, nec ordinis lumen, neque rationum vim et perspicuitatem vel in his αὐτοσχεδίοις desideres. Porro autem, ut scias quibus opibus instructus periculosae huic me operae accinxerim; praeter vetustos illos codices *Lambino, Pulmanno, Cruquio, Torrentio, Bersmanno, Statio*, aliisque versatos olim et excussos, aderant et mihi Membranae veteres minime poenitendae. Vetustissimum sane exemplar annorum facile dccc, cui tamen Epistolarum et Sermonum pars magna deerat, suppeditavit et huc trans- || misit prae- [p. XXI] stantissimus *Graevius ὁ μακαρίτης*; post cuius obitum in Bibliothecam *Serenissimi Electoris Palatini* cum reliqua eius bibliotheca supellectile concessit. Alterum supparis aetatis in *Bibl. Leidensi* contulerat ὁ χριτικώτατος *Nicolaus Heinsius*, ut et *Zulichemianum* annorum dc: quorum varias lectiones descriptas manu *Heinsii*, coniecturis quoque eius identidem interpositis,

disertissimi Viri *Petri Burmanni* comitate nactus sum. *Vossiani*, prioribus illis optimis non inferioris, et *Markiani* qui Epistolas modo habet, lectiones serius paullo in manus venerunt, opera eruditi juvenis *Abrahami Franckii* in Batavia descriptae. Ex Britannicis, quos omnes ipsi oculis usurpavimus, palmam facile aufert Codex Collegii *Reginensis* Oxonii, DCC annorum et ab omni parte integer: post hunc Liber e Bibliotheca *Regiae Societatis* Londini, alter *Petrensis Domus* Cantabrigiae, tertius Collegii *Magdalenensis* Oxonii, quartus Viri ornatissimi *Rogeri Galei*, quintus Reverendi admodum Episcopi *Eliensis*, qui sub initiis Typographiae scriptus est eadem plane manu ac alter e Collegio *Regio* Cantabrigiae, qui falso praeconio *Bembinus* venditatur. Praeter hos et alii plures accesserunt, qui partem tantummodo Horatianorum operum continebant; *Battelianus*, ex Museo Cl. *Joannis Battely* Archidiaconi nuper Cantuariensis, cui Epistolae omnes, et Sermones aliquot libri II^{ti} desunt; alter e Bibliotheca *Regia*, Sermones et Epistolas Artemque complexus, cui plane geminus est ab eodem Librario descriptus in Collegio *Magdalenensi* Oxonii. Eadem fere habent tria exemplaria ex Collegio nostro *S. Trinitatis*; Carmina vero et Epodos *Bodleiani* duo et *Vigorniensis*; Artem autem Poeticam *Vigorniensis* alter et *Digheanus* Oxonii, et *Moreti* liber a *Nic. Heinsio* olim collatus. Porro etiam vidimus, quas e Codice *Colbertino* Lutetiae varias exscripserat lectiones vir celeberrimus *Edvardus Bernardus*, et e *Franckerano* nescio quis; verum uterque pauculas tantum et levio cura. Hos omnes manu exaratos Codices, quos seu ipsi exeussimus, sive amicorum beneficio nunc primum [p. XXIII] literato orbi exhibemus, *No-* || *strorum* subinde vocabulo indicamus, ut et aliis editoribus sollemne est: quod ideo hic monendum erat, ne cavillator aliquis cornicum hic oculos gestiat configere. Neque vero Editiones vetustas omniumque principes negligendas mihi existimavi, *Venetam* anni MCCCCLXXVIII, et *Argentinensem* *Jacobi Locher* poetae laureati anni MCCCXCVIII; quas Nobilissimi Viri *CAROLI Sunderlandiae Comitissae* instructissima bibliotheca mihi suppeditavit; quarumque haec non ex exemplaribus Italis iam dudum editis, sed ex manuscriptis Germanicis expressa est. Accesserunt his ex Bibliotheca *Regiae Societatis*, altera *Veneta* anni MCCCXC, in qua prima ut opinor Scholiastae *Veteres Acron* et *Porphyrius* comparuerunt; et *Acronis* exemplar scriptum, quod olim erat sua aetate ce-

leberrimi viri *Bilibaldi Pirckheimeri*. Ceterum ubicumque vel ex codicibus vetustis vel ex ingenio sic clare verba restitimus, ut omnino in ipsum quem vocant Contextum ea recipi oporteret: ita caute et pudenter rem gessimus, ut ne minimum quidem a probatissimis editionibus deflexum nobis sit, quin receptam simul lectionem in ima pagina posuerimus adeo ut uno lector conspectu tam novam hanc quam superiores editiones non sine magno suo commodo et voluptate contemplari queat. Ut enim stulta eorum superstitio est, qui nihil quicquam in Contextu novari volunt, manifestissimum sit licet certissimumque; ita rursus improbanda est et non ferenda aliorum fiducia, qui clam immutare quicquam et interpolare audent, neque lectorem de ea re vel verbo admonent. Cum*) autem prius ex his duobus Volumen, quo Poetae verba sine commentario exhibentur, diu ante typis excusum esset, quam Adnotationibus manum admoverem; vix aliter in tam ancipiti iudicii alea, cum nondum mihi omnes Codicum copiae praesto essent, evenire potuit, quam ut quasdam lectiones prioribus omnibus probatas in Contextu ferri sinerem, quas postea re accuratius perpensa eiectas esse euperem; contraque novas aliquot introducerem, quarum postea poeniteret. Ita Carmine III Libri primi [v. 18] *Siccis oculis* nimum patienter tuli; cuius loco, si res nunc || integra esset, [p. XXIV] *Rectis oculis* sine dubitatione substituere velim: rursus, Carm. II, 2, 7 *Aget*, Carm. IV, 9, 18 *Ilios*, Carm. IV, 9, 43 *Vultu et per*, Epod. 5, 80 *Porrecta*, Epod. 16, 63 *Secrevit*, Epod. 16, 65 *Aere dehinc quorum*, Serm. I, 1, 105 *Quiddam*, Serm. I, 3, 133 *Vellunt*, Serm. I, 4, 48 *Sermo merus*, Serm. I, 6, 20 *Censorque*, Serm. I, 8, 25 *Utrasque*, Serm. I, 8, 28 *Confusus*, Serm. II, 2, 85 *Anni et*, Serm. II, 2, 95 *Occupat*, Serm. II, 4, 60 *Post vinum*, Serm. II, 6, 23 *Romae*, Serm. II, 6, 32 *Non mentiar*, Epist. I, 5, 11 *Tendere*, Epist. I, 14, 5 *Res*, Epist. I, 16, 67 *Perdidit*, Epist. I, 19, 29 *Sed rebus*, quae nunc innum folium occupant, ad sedes suas revocari cupiam. Tantum autem abest, ut occultandum mihi hoc aut erubescendum esse credam; ut ultro etiam lectori imputem, meque vineta mea caedendo ingenui candidique hominis nomen apud aequos iudices habiturum esse confidam*). Porro autem Orthographiae rationem institui ad Augusti

*) [Haec *Cum* — *confidam* editio a. 1713 posterioresque quod sciam omnes, lectionibus illis repositis, omiserunt]

saeculi normam, quae ex Inscriptionibus, Numis, Vetustioribusque Membranis abunde constat, quamque et alii et praesertim *Nic. Heinsius* in *Virgilio* suo secutus est. Ergo praeter *Volgus*, *Divom*, *Inpius*, *Compesco*, et cetera eiusmodi, Accusativos plurales, ubi Genitivi in *Ium* exeunt, in *Is* hic terminatos habes, *Urbis*, *Auris*, *Omnis*: quae omnia me in antiquioribus Flacci Codicibus reperisse fide optima testari possum. Neque vero, in Poetis praesertim, dissimulari id oportuit; cum, ut ex Gellio et aliunde notum est, iudicium artificiumque scriptoris versuumque suavitas in illis terminationibus plerumque spectetur. *Carminum* vero, non *Odarum*; *Sermonum*, non *Satirarum* libros; atque in his singulos quosque Sermones *Eclogas* inscripsimus; et Membranarum et Grammaticorum veterum auctoritatem secuti. *Eclogarum* sane nomine *Silvas* suas appellavit *Statius*, Praefatione libri III et IV; quin et Flacci Epistolam *Suetonius*, Carmen vero *Ausonius* in praefatione *Griphi*, *Eclogam* nuncuparunt. Nimirum omni brevi Poematio id olim vocabulum indebatur; ut ex his *Plinii* constat Epist. IV, 14. *Unum illud praedicendum videtur, cogitare me has nugas inscribere, HENDECASSYLLABI, qui titulus sola metri lege constringitur. Proinde sive Epigrammata, sive Idyllia, sive Eclogas, sive (ut multi) Poematia, seu quod aliud appellare malueris, licebit voces: ego tantum Hendecasyllabos praesto.* Porro ut *Terentium* ex *Calliopii*, *Virgilium* ex *Asterii* Cos. anno post Christum CCCXCIV, *Valerium Maximum* ex *Helpidii Domnuli*; ita *Flaccum* ex *Mavortii* recensione hodie habemus. Sic enim in antiquioribus Codicibus, *Leidensi* *Reginensi* aliisque, post Epodos literis maiusculis scriptum fertur: VETTIUS AGORIUS BASILIUS MAVORTIUS V. C. ET INL. EXCOM. DOM. EXCONS. ORD. LEGI ET UT POTUI EMENDA VI. CONFERENTE MIHI MAGISTRO FELICE ORATORE URBS ROMAE: hoc est, *Vir Clarissimus et Inlustris, Excomite Domestico, Exconsule Ordinario*. Quis fuerit ille *Magister Felix*, qui eodem hie quo *Donatus* titulo honestatur *Oratoris Urbis Romae*, equidem nescio: at *Mavortius* is ipse est, qui Consul erat sine Collega anno post Christum DXXVII: || unde *Fasti* egregie illustrari possunt, cum aliunde iste *Mavortius* nulla alia re nisi cognomine solo innotescat. Iam vero et illud monendum est, Editiones principes et recentioris aetatis Codices alio ac nunc solemus ordine *Artem Poeticam* collocare,

[p. XXV]

post Carmen nempe Saeculare ante Sermones et Epistolas: vetustiores vero omnes Membranas post Carminum libros *Artem* Epodis praepone. Si quaeris, quisnam ex his ordo recte se habeat, seriemque temporum, quibus singula ab auctore edita sunt, rite conservet, vetustusne ille an medius an hodiernus; nullus profecto omnium. Magno quidem studio et acerrima contentione post *Tanaquilli Fabri* operam *Clarissimi Viri Dacerys Massonusque* in hanc arenam descenderunt; quorum equidem acumen et eruditionem in partibus laudo; in operis vero summa totoque constituendo rem eos infelicitate admodum gessisse censeo. Horum enim rationibus, et Carminibus et Epodis et Sermonibus Epistolisque scribendis uno ac eodem tempore vacavisse Nostrum necesse est; et singula quaeque poematia separatim in vulgus edidisse: quorum utrumque a vero alienum esse mihi pro comperto est. Quippe omnibus, qui eiusmodi Poematia scripserunt, id in more erat, ut non sparsas *Eclogas*, sed integros Libellos semel simulque in lucem ederent. Ita *Catullus* fecit, ut ex *Epigrammate* I constat, *Cui dono lepidum novum LIBELLUM*: ita *Tibullus*, quem vide *Elegia* I libri tertii, v. 7 et 17. ita *Propertius* *Eleg.* I librorum II, III, et IV. ut et *Libri* II *Elegia* X, v. 25. et XIX, v. 39: ita *Virgilius* *Bucolica* dedit, uti patet ex ultimo illo, *Extremum hunc, Aethusa, mihi concede laborem*: ita *Naso* *Amorum* et *Tristium* et *Ponticorum* libros, ipso teste: ita *Statius* *Silvas* suas, ita *Martialis* *Epigrammata*, ut Praefationes eorum fidem faciunt: ita *Persius* *Satiras*; *Phaedrus* et *Avienus* *Fabulas*; *Ausonius*, *Prudentius*, *Sidonius*, *Venantiusque* sua Carmina; quod ex eorum Prologis abunde patet. Quid quaeris? Ipse quoque *Horatius* Libellos suos iunctim editos aperte indicat; primum Carminum librum ex Prologo; secundum tertiumque ex Epilogis; Epodos ex illo XIV, *Inceptos olim promissum carmen Iambos Ad umbilicum adducere*; Sermonum priorem librum ex versu ultimo, *I puer atque meo citus haec subscribe LIBELLO*; posteriorem ex Prologo; priorem vero Epistolarum et ex Prologo et ex Epilogo. Quartum vero Carminum, et Epistolarum secundum longo post cetera intervallo emissos esse, plenissimum est *Suetonii* testimonium; quod qui aut refellere aut eludere conantur, inanem operam insumunt. His iam positis; primum *Horatii* opus statuo *Sermonum* librum primum, quem triennio

perfecit intra annos aetatis XXVI, XXVII, XXVIII; postea *Secundum* triennio itidem, annis XXXI, XXXII, XXXIII; deinde *Epodos* biennio, XXXIV et XXXV; tum *Carminum* librum *primum* triennio XXXVI, XXXVII, XXXVIII; *Secundum* biennio, XL, XLI; *Tertiumque* pariter biennio, XLII, XLIII; inde *Epistolarum primum* biennio, XLVI, | XLVII; tum *Carminum lib. quartum* et *Saeculare* triennio, XLIX, L, LI. Postremo *Artem Poeticam* et *Epistolarum librum alterum*, annis incertis. Intra hos caucellos omnium poemation natales esse ponendos, et ex argumentis singulorum et ex Annalium fide constabit. Inde est, quod in Sermonibus et Epodis et Carminum primo, *Caesar* semper, nunquam *Augustus* dicitur; quippe qui id nomen consecutus est, anno demum Flacci XXXIX; in sequentibus vero passim *Augustus* appellatur. Inde est, quod in Sermonibus et Epodis *Iuvenem* se ubique indicat; et quod sola Satirarum laude inclaruisse se dicit, ut *Bucolicorum* tum *Virgilium* (Serm. I, 10. v. 46.) nulla Lyricorum mentione facta. In ceteris autem singulis procedentis aetatis gradus planissimis signis indicat: idque tibi ex hac serie iam a me demonstrata iucundum erit animadvertere; cum operibus Iuvenilibus multa obscaena et flagitiosa insint; quanto annis provecior erat, tanto eum et poetica virtute et argumentorum dignitate gravitateque meliorem castioremque semper evasisse. Ceterum ubicumque viri doctissimi extra limites hic positos in adsignandis temporibus evagantur, toties illi in errores prolabantur. Facile quidem mihi foret id in singulis ostendere; verum unum modo alterumve hic attingam, cetera tuae industriae relinquens. Libri 1 Carmen 21, *Dianam tenerae dicite Virgines*, perperam *Saeculare* vocant, et ad Horatii annum XLIX referant; ringente Suetonio, qui tres Carminum libros *longo intervallō* eum annum praecessisse testatur. Atqui nihil quicquam hic de *Saecularibus* ludis proditur; sed aut ad Dianae aut Apollinis festum spectat, quorum illud mense Augusto, hoc Iulio singulis annis celebrabatur. Eodem pertinet Catulli carmen XXXV, *Dianae sumus in fide*; quod *Saeculare* etiam a viris doctis pessime inscribitur; cum nihil ibi de *Saeculo* habeatur, isque diu diem obierit ante Ludos Augusti *Saeculares*. Tum et II, 17, *Ad Maecenatem aegrotum*, immani parachronismo ad Horatii annum LV ultra libri quarti tempora ablegant; idque levi et futili argumento, quod eo anno continua insomnia

[p. XXVI]

vexari coeperit Maecenas triennio ante diem fatalem. Quasi vero non plus semel in tam longa vita aegrotaverit, quem Plinius maior VII, 51. [§ 172] *perpetua febre* ab adolescentia laborasse tradidit. Illud vero in Sermone VI libri 2, [v. 55] *Quid, militibus promissa Triquetra Praedia Caesar, an est Italia tellure daturus?* non, ut volunt, ad pugnam Actiacam annumque Flacci XXXV referendum erat, nec ad Philippensem annumve XXIV: quippe de agrorum divisione hic agitur, quae post *Siculam* de Pompeio victoriam et Lepidi deditioem in Campania alibique facta est, anno Flacci XXXI, ut disertis verbis narrat Dio p. 456, 457 [ed. Leunclav. a. 1606], Plutarchus Antonio p. 941 [ed. Francof. a. 1599], Patereulus II, 81; et Appianus p. 1176 [ed. Toll. a. 1670]. Alia omnia pari facilitate refutari possent; sed his fruiere et vale.

VITA
Q. HORATHI FLACCI

AUCTORE

C. SUETONIO TRANQUILLO.

[p. XVIII] Q. Horatius Flaccus Venusinus, patre, ut ipse tradit, libertino et exactionum coactore; ut verò creditum est, salsamentario, cum illi quidam in altercatione exprobrasset, *Quotiens ego vidi patrem tuum brachio se emungentem?* Bello Philippensi excitus à M. Bruto Imperatore, tribunus militum meruit: victisque partibus venia impetrata, scriptum Quaestorium comparavit. At primò Maecenati, deinde Augusto insinuat, non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. Maecenas quantopere eum dilexerit, satis demonstratur illo epigrammate, ubi inquit, *Ni te visceribus meis, Horati, Plus iam diligo, tu tuum sodalem Hinc me videas strigiosorem.* Sed multò magis extremis iudiciis tali ad Augustum elogio, *Horatii Flacci, ut mei, memor esto.* Augustus ei epistolarum officium obtulit, ut hoc ad Maecenatem scripto significat: *Ante ipse scribendis epistolis amicorum sufficiebam; nunc occupatissimus et infirmus, Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc Regiam, et nos in epistolis scribendis iuvabit.* Ac ne recusanti quidem aut succensuit quicquam, aut amicitiam suam ingerere desiit. Exstant epistolae, ex quibus argumenti gratia pauca subicci: *Sume tibi aliquid iuris apud me, tanquam si convictor mihi fueris: recte enim et non temere feceris; quoniam id usus mihi tecum esse volui, si per valetudinem tuam fieri posset.* Et rursus; *Tuè qualem habeo memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire: nam incidit, ut illo coram fieret à me tui mentio. Neque enim, si tu superbus amicitiam nostram spreveristi, ideo nos quoque ἀρδενταίφρατον. Praeterea saepe inter alios iocos putissimum penem et homuncionem lepidissimum appellat; unaque et altera liberalitate locupleta-*

vit. Scripta quidem eius usque adeo probavit, mansuraque perpetuo * ut non modo Saeculare carmen componendum iniunxerit; sed et Vindelicam victoriam Tiberii Drusique privignorum; eumque coegerit propter hoc, tribus Carminum libris ex longo intervallo quartum addere; post Sermones quoque lectos, nullam sui mentionem habitam ita sit questus: *Irasci me tibi scito, quod non in plerisque eiusmodi scriptis tecum potissimum loquaris. An vereris ne apud posteros tibi infame sit, quod videaris familiaris nobis esse?* Expressitque Eclogam, cuius initium est,

*Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes; in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.*

Habitu corporis brevis fuit atque obesus; qualis à se ipse et in Satiris describitur, et ab Augusto hac epistola; *Per tulit ad me Dionysius libellum tuum, quem ego, ut accusem te, quantuluscumque est, boni consulò. Vereri autem mihi videris ne maiores libelli tui sint, quam ipse es: sed si tibi statura deest, * unde est. Itaque licebit in sextariolo scribas, cum circitus voluminis tui sit † ἀπυροδάρτατος, sicut est ventriculi tui.* Vixit plurimum in recessu ruris sui Sabini aut Tiburtini; domusque eius ostenditur circa Tiburni luculum. Venerunt in manus et Elegi sub titulo eius, et Epistola prosa oratione quasi commendantis se Maecenati; sed utraque falsa puto. Nam elegi vulgares, epistola obscura; quo vitio minime tenebatur. Natus est Sexto Idus Decembres, L. Cotta et L. Torquato coss. Decessit Quinto Calendas Decembres, C. Marcio Censorino, et C. Asinio Gallo coss. post VII et quinquagesimum annum; herede Augusto palam nuncupato, cum urgente vi valetudinis non sufficeret ad ob-signandas testamenti tabulas. Humatus et conditus est extremis Esquilii iuxta Maecenatis tumulum.

EPIGRAMMA VETUS,
 OMNIA
 METRA HORATIANA
 CONTINENS.

[vol. II
 p. 458]

- 1 *Filia Solis*
- 2 *Aestuat igne novo,*
- 3 *Et per prata iuvencam*
- 4 *Mentem perdita quaeritat:*
- 5 *Non illam thalami pudor arcet,*
- 6 *Non regalis honos, non magni cura mariti:*
- 7 *Optat in formam bovis*
- 8 *Concertier vultus suos,*
- 9 *Et Proetidas dicit beatus:*
- 10 *Ioque laudat, non quod Isis alta est,*
- 11 *Sed quod iuvencae cornua in fronte elevat.*
- 12 *Siquando miserae copia suppetit;*
- 13 *Brachūs ambit fera colla tauri,*
- 14 *Floresque vernos carnibus inligat,*
- 15 *Oraque iungere quaerit ori.*
- 16 *Audaces animos efficiunt tela Cupidinis,*
- 17 *Illicitisque gaudent.*
- 18 *Corpus includit tabulis efficiens iuvencam;*
- 19 *Et amoris pulibundi malesuadis*
- 20 *Obsequitur votis, et procreat (heu nefus!) Bimembrem:*
- 21 *Cecropides iuvenis quem percūlit fractum manu,*
- 22 *Filo resolvens Cnossiae tristia tecta domus.*

EADEM
 METRA HORATIANA,
 ARCHILOCHI, ALCAEI, ET SAPPHUS
 VERSIBUS EXPRESSA.

[p. 459]

- 1 *Πόντια θυμόν.* Sapp.¹⁾
- 2 *Αχνημένη στυγία.* Arch.²⁾
- 3 *Νῦν δ' ἀβροῶς ἐρόεσσαν.* Alc.³⁾
- 4 *Οἶνον δ' ἐξέπιον κάδοι.* Alc.⁴⁾
- 5 *Φαινόμενον κακὸν οἰκᾶδ' ἄγεσθαι.* Arch.⁵⁾
- 6 *Ἐσπερε πάντα φέρον, ὅσα φαινολις ἐσπέδας' αὐτός.* Sapp.⁶⁾
- 7 *Ἐξ με λάσας ἀγέων.* Alc.⁷⁾
- 8 *Τίς σᾶς παρήειρε φρένας;* Arch.⁸⁾
- 9 *Αἰθρος δὲ πᾶν ἄδηλον ἦδη.* Alc.⁹⁾
- 10 *Χαίροισα νέμω, χαίρω δ' ὁ γάμβρος.* Sapp.¹⁰⁾
- 11 *Τὸδ' ἄρ' ἀλώπηξ κερδαλή σνήντετο.* Arch.¹¹⁾
- 12 *Ἄνδρες γὰρ πόλιος πρόγος ἀρήιος.* Alc.¹²⁾
- 13 *Ποικιλόφρον ἀθάνατ' Ἀφροδίτα.* Sapp.¹³⁾
- 14 *Τὸ μὲν γὰρ ἔνθεν κύμα κυλίνδεται.* Alc.¹⁴⁾
- 15 *Ναὶ φορήμεθα σὺν μελαίνα.* Alc.¹⁵⁾
- 16 *Μηδὲν ἄλλο φντεῖσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω.* Alc.¹⁶⁾
- 17 *Οὐκ ἔτιος ὦ γυναῖκες.* Aristoph.¹⁷⁾
- 18 *Λεῖτε νῦν ἀβροῶ Χάριτες καλλίκομοίτε Μοῖσαι.* Sapp.¹⁸⁾
- 19 *Ἐμὲ δειλαν, ἐμὲ πασῶν κακοτάτων [πεδέχοισαν].* Alc.¹⁹⁾
- 20 *Τοῖος γὰρ φιλότιτος ἔρωσ ἐπὶ καρδίην ἔλυσθεις.* Arch.²⁰⁾
- 21 *Ἄλλὰ μὲ ὁ λυσιμελής, ὦ ταῖρε, δάμναιαι πόθος.* Arch.²¹⁾
- 22 *ὦ ταῖρε δάμναιαι πόθος ἀλλὰ μὲ ὁ λυσιμελής.* Vide
 Notas, pag. 301.

1) [fr. 1, 4 Bergk. 2) fr. 88^a, 2. 3) et 4) Anacr. fr. 17. 5) fr. 96. 6) fr. 95.
 7) fr. 95. 8) fr. 92, 2. 9) fr. 18, 7. 10) fr. 103. 11) fr. 88^a, 5. 12) fr. 23. 13) fr. 1, 1.
 14) fr. 18, 2. 15) fr. 18, 4. 16) fr. 44. 17) vol. II, p. 948, fr. 11 Mein. 18) fr. 99
 19) fr. 59. 20) fr. 101, 1. 21) fr. 85]

LECTORI.

[p. 460] Ne paginae hae prorsus vacarent, exhibuimus tibi ex Cruquio et Pithoeo Epigramma veteris Grammatici in PASIPHAEN, quo omnes versus Horatianos non ineleganter expressit. Porro, quia semel iterumque usu venerat ut ea de re in Notis ageremus, eadem Metra eodemque ordine ex reliquiis trium Scriptorum, quos Noster sequi profitetur, undique collecta dedimus; ut re ipsa videas qua fide ille dixerit, Ep. 1, ult. [19 v. 27]

Quod timui mutare modos et Carminis artem.

Versum vero illum XVII *Illicitisque gaudent*, cui Flacci iste respondet *Lydia dic per omnes*, ex Aristophane pensavimus, cum apud istos hodie non reperiatur. Neque tamen dubium est, quin Alcaicus sit, fide Grammaticorum Latinorum; etsi ex Aristophane potius citaverit Hephaestio p. 29. ideo, ut videtur, quia apud Lyricos Proōdi duntaxat vicem egit, apud illum continenter et iugiter usurpatus est. Illud vero maioris est momenti, quod versu XVIII consulto *νῦν* circumflexum reposuimus,

Λιῦτέ νῦν ἄβ | καὶ Νάριτες καλλιχομοί τε Μοῖσαι,

ut cum Flacci metro congrueret,

Te deos, o | ro, Sybarin cur properes amando.

Quippe apud Sapphonem, (Hephaest. p. 30.) *νιν* breve et Encliticon est; adeo ut pes primus, pariter ac duo sequentes, Choriambus sit;

Λιῦτέ νιν ἄβ | καὶ Νάριτες | καλλιχομοί | τε Μοῖσαι.

Quale Choriambici exemplum adducunt Diomedes p. 510. [p. 509] et Terentianus Maurus p. 2424. Atque inde est, quod litem Horatio intendit Marius Victorinus p. 2614. ob immutatum in versus principio pedem: *Quod metrum*, inquit, *sive errore seu studio poetae*,

secus quam ratio est, processit. Etenim si imitatus esset Alcaicum; ita protulisset, Te deus o, non Te deos o. Tamen, si non studio factum est, habet excusationem, quod legem quam ipse sibi casu aliquo dixerat, usque ad ultimam Asmatis partem observando produxit. Atrocius vero in Nostrum invehitur Attilius Fortunatianus p. 2683, ignorantiam, salebram, errorem, durissimumque pedem increpitans. Confitendum quidem est, non iam amplius Choriambicum esse Versum Flacci; sed in illud metri genus migrare, Πολυσχημάτιστον puta vel Ασυνόρητον. Studio tamen, non errore, id fecisse Nostrum, nulla mihi dubitatio est; et in hoc quoque Alcaicum et Sapphonem magistros sibi ac duces habuisse crediderim, etsi in tam pauculis Fragmentis nullum hodie exemplum extet. Quippe hoc metrum, ex gemino iam colo constans,

Te deos oro Sybarin | cur properes amando,

et suave numerosumque est; priusque eius membrum, quod solum in Nostro redarguunt Grammatici, saepe apud Eupolin et Aristophanem habetur: ut in Parabasi Nubium v. 508. et seq.

Ω θεόμενοι, κατερώ | πρὸς γ' ὑμᾶς ἐλευθέρως.

Τοῖς σοφοῖς, ὧν ὄννεκ' ἐγὼ | ταῦτ' ἐπραγματευσάμην.

et cum diverso colo iunctum apud Euphorionem Chersonesiotam, Hephaest. p. 60.

Ὁ βέβηλος, ὃ τέλειαι | τοῦ νέου Αἰορέσου.

Iam autem Aeolica haec metra esse, et proinde de Sapphone atque Alcaeo petita, vel illud indicio est, quod primus pes dissyllabus utriusque coli (seu Spondeus sit, sive Trochaeus aut Iambus) indiscriminatim ponitur arbitrio Poetae: qui proprius est Aeolici carminis character: ut in illis Aristophanis [Nub. v. 549 Mein.] et Eupolidis [Aristoph. Nub. v. 529 Mein., cf. Hephaest. p. 61 P., Meineke figm. II p. 570, 77],

Ὅς μὲ | γιστον ὄντα Κλέων' | ἔπεισ' | ἐς τὴν γαστέρα.

Ὁ σοῖ | φρων τε χῶ καταπύ | γων ἄ | ριστ' ἠκουσάτων.

Praeterea quoque, cum hoc metrum nihil aliud sit quam Trochaicus Archilocheus secunda sede fractus et inversus; quemadmodum ille quem iam dedimus, si *ωγε* ponis vice *ἐγὼ*, rotundissimus exit Tetrametrus,

Τοῖς σοφοῖς ὧν ὄννεκ' ὡγε ταῦτ' ἐπραγματευσάμην.

vel inde etiam coniecias Aeolicum fuisse metrum. Amabant enim Aeolenses recepta metra sic infringere et variare; sicut Heroicum

versum Alcaeus et Sappho nunc primo pede per Trochaicum, Iambum, aut Pyrrichium; nunc quarto pede per Anapaestum infusebant;

Υψί | δὴ τὸ μέλαθρον ἀέθρηται, ἰκτιόνες ἄνθρακι,¹⁾
 Κέλο | μὰί τινα τῶν χαρίεντα Μέσσηα καλίσσαι.²⁾
 Καίθνασκει, Κοδίρη,³⁾ ἃ | βροῦς Ἴδω | νις· εἰ κε θεῖμεν;⁴⁾
 Κατέπιπτεθε, κόραι, καὶ | καταρήγ' | νοσθε χιτώνας.⁵⁾

Ergo, pace tandem Grammaticorum, neque errore Noster, neque immo-
 dulate, nec sine duce et auctore hoc metrum adhibuit.

(1) Sapph. fr. 91 Bergk. (2) Alc. fr. 46, l. 2) et 3) Sapph. fr. 92)

Q. HORATII FLACCI

C A R M I N U M

LIBER I.

I.

AD MAECENATEM.

Maccenas atavis edite regibus,
 O et praesidium et dulce decus meum:
 Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
 Collegisse iuvat, metaque fervidis

Proemii, ut res ipsa indicat, sive Prologi locum carmen hoc obtinet, ceterisque huius Libri absolutis novissimum accessit. Sed vereor equidem, si certa hic est Librariorum fides, ne non ex Pindari sui praecepto *πρόσωπον ἐπλανυῖς*, non *purpureum qui late splendeat*, sed vilem sordidumque panniculum Noster assuerit. Siquidem omnes iam a literis renatis de impedita hic et salebrosa oratione questi sunt: videamus locum integrum, quem libri scripti editique omnes sic exhibent: „*Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse iuvat; metaque fervidis Evitata rotis, palmaque nobilis Terrarum dominos evehit ad Deos. Hunc, si mobilitum turba Quiritium Certat tergeminis tollere honoribus; Illum, si proprio condidit horreo Quicquid de Libycis verritur areis: Gaudentem patrios findere sarculo Agros, Attalicis conditionibus Numquam dimoveas, ut trabe Cypria Myrsinum pavidus nauta secei mare.*“ Iam quaeritur, *hunc* et *illum* unde pendean-
 deant, et cuinam verbo connectantur. Aut enim haec structura est, *Iuvat hunc, illum*; aut ista est, *Evehit hunc, illum*: aut illa denique, *Dimoveas hunc, illum*: nihil est quartum: et tamen nulla ex his tribus constructio recte procedit. Esto enim; postrema forte prae aliis tibi arriserit: *Numquam*, inquis, *dimoveas hunc* amplissimis honoribus auctum, *illum* totius Africae praedia possidentem, ut mutato vitae instituto *mercatores* esse velint. Ain' vero? Profecto haud stulte sapiunt, si nolunt se tot et tantis periculis sine caussa exponere; neque dubio mari opes quaerere, quas domi iam affatim habent. Quid, quaeso, hic tam mirum? Metuendum credo erat, ne Pompeio quis vel Caesari vel Crasso persuaserit, ut relictis rebus omnibus mercaturam exercerent. Illud quidem, quod mox sequitur, accipio proboque; ubi *rusticum* paterni agri cultorem vel luculentissimis conditionibus negat *dimoveri* posse, ut pristino vitae genere relicto mercator esse incipiat; quippe qui parvo contentus, proculque a negotiis et Neptuno vitam agens, securam suam paupertatem operosis incertisque opibus anteponit. Hoc quidem et verum est, et memoratone dignum: illud aliorum de Imperatoribus et praedivitis, qui nolint fieri mercatores, est ineptum prorsus et inflectum; uti iam pridem Iulius Scaliger Ianusque Rutgersius recte animadverterunt. Sed fortasse iam alteram majoris constructionem, *iuvat hunc*, si honoratus est; *iuvat illum*, si dives. Recte sane: nisi vetaret hoc emen-

5 Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evchere ad Deos:

v. 6. Vulg. *Evchit*.

dati sermonis lex et consuetudo. Cum enim integra sententia, *palmaque nobilis Terrarum dominos evchit ad Deos*, inter verba ista interveniat; numquam ullis machinis efficies, ut *rô invat* per sententiae istius intervallum ad *hunc* usque rite transducatur. Restat tertia, (quae Rutgersii conjectura erat; et itidem Isaacii Pontani, narrante et plaudente magno Gatakeri Advers. Posth. c. XVI.) ut distinctione constituta post *palma nobilis*, *evchit* ad sequentia referatur. *Evchit ad Deos hunc*, si honores consequitur: si divitias, *illum*. Sed et haec constructio, prioribus licet illis aliquanto commodior, non uno nomine displicet. Quam violentum enim et coactum, ut *palma* divellatur ab *evchit*, cum ipsa orationis series artissime ea connectat? Quam icinum porro et aridum omnique Venere spoliatum, *palma nobilis*; nisi reliqua subiunxeris? Illud *evchit* quoque, ut verbi impersonalis hic vice fungatur, quis patienter ferat? Denique unde datum sumis, ut qui magnam vim frumenti in horreis suis occultaverit, continuo ea de causa *ad Deos immortales evchi* dicatur? Haud credideram tam facilem tritamque fuisse ad Superos viam. Indignum vero, si triparcos illos *Unmidios, Fufidios, Staberios, Optimios* et *immundos Nattas* iam Noster propter auri et frumenti acervos inter *Deos* hic collocat, quos in Satiris vix *hominum* loco aut numero censuerat habendos. Numquam, mihi crede, sic Flaccus desipuit. At si illa sic conjungis, ut *palma nobilis ad Deos evchit*; iam recte erit et de more, ut qui Olympia vicerint, Diis comparentur. Noster alibi Carm. IV, 2, 17. „*Sive quos Elea domum reducit Palma caelestes*.“ Cicero pro Flacco c. 13. „*Homo nobilis Atinas pugit Olympionices: hoc est apud Graecos prope maius et gloriosius, quam Romae triumphasse*.“ Vides hos Victores pluris apud Graecos fieri, quam Romae Triumphatores. Iam vero, qui Romae triumphabant, cum Diis comparabantur, ut iterum Noster Epist. I, 17, 33. „*Res gerere et captos ostendere civibus hostes Attingit saluum Iovis et caelestia tentat*.“ Ergo aut maiore aut pari saltem iure Olympionice ad Deos evchendi erant. Quin illi apud Lucianum in Anaeharsi 10 plane *Ἴσοθεοὶ* Diis aequales perhibentur: unusque ex iis Philippus post obitum, alter Euthymus, etiam vivus sentiensque, divinos honores consecutus est; uti narrat Herodotus, Plinius, aliique. Ut proinde nullo modo audiendi sint Rutgersius oetorique: neque *evchit ad Deos* alio referendum, quam ad Palmam Olympicam. Quid igitur fiet? Enimvero correctione locus iuvandus est, priusquam ullam inde sani coloris sententiam extuderis. Eum sic a poeta profectum esse pro certo polliceri ausim: „Sunt quos *curriculo pulverem Olympicum Collegisse* iuvat, *metaque fervidis Evitata rotis, palmaque nobilis Terrarum dominos evchere ad Deos*: Hunc, *si mobilium* — Illum, *si proprio*“, etc. Ubi ordo et sententia est: Diversa, o Maecenas, sunt hominum studia: *sunt*—quos iuvat *palma* Olympica, quae nobilis est vel ad Deos immortales victorem evchere. *Hunc* iuvat, si honores consequitur: *illum*, si divitias: *agricolae* numquam persuaseris, ut mercator fiat; neque rursus *mercatori*, ut rure degat: *est*—qui vitam voluptariam sequitur; *multos* militia iuvat, *quosdam* venatio: *me*, si nomen et famam poetae Lyrici nancisci possum. Hoc totius orationis filum, haec Carminis mens est; de Pindaro, ut videtur, adumbrata, cuius haec exstant apud Sextum Empiricum Pyth. Hypot. p. 18. „*Ἀλλοποδοῦν μὲν τινὰς εἴφασι·Νοσῶν ἔπαιον τιμὰ καὶ στέφανον· τοὺς δ' ἐν πολυχρόσις θαλάμοις βιωτὰ. Τίμηται δὲ καὶ τὸ ἐν ὄλβῳ αἰών· καὶ τοῖς αὐτοῖς διαστεύων*.“ Sunt—quos iuvat *velocium* equorum honores et coronae: hos in *auratis thalamis vita*: Est—qui etiam delectatur, si *celeritate* nave saluus per mare currit. Ubi *τινὰς* dedimus pro *τινῶν*, ob illud *τοὺς*

Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus:
Illum, si proprio condidit horreo
10 Quicquid de Libyeis verritur areis.

quod sequitur; *βιωτὰ* autem pro *βιωτῶν*; *αὐτοῖς διαστεύων* pro *αὐτῶν διαστεύων*. Iam autem ut verba Flacci, cum de sententia satis constet, paullatim explicemus; illud primum observabis, *rô sunt*—quos iunctum et *ἔφ' ἐν* accipiendum esse, perindeque esse ac si *quosdam, aliquos* dixisset: ita Graeci *εἰσὶν οἷς, εἰσὶν οἷς* passim usurpant. Noster Serm. I, 4, v. 24. „*Quod sunt*—quos *genus hoc minime iuvat, ulpote plures Culpari dignos*“ ubi nisi *ἔφ' ἐν* legeris, *digni* utique, non *dignos* dictum oportuit. Arte Poet. 361. „*Ut pictura, poesis*: erit—quae, *si propius stes, Te capiet magis*; et quaedam, *si longius abstes*.“ et hic quoque, nisi *ἔφ' ἐν* adsciscis, *quae* erat dicendum, non *quaedam*. Finge itaque hic esse, Quosdam *curriculo pulverem Olympicum collegisse iuvat*: Hunc, *si mobilium* etc. Illum, *si proprio* etc. et familiarior credo ad aures tuas oratio accedet. Illud deinceps notabis, *invat collegisse, iuvat meta, iuvat palma*, vocabulum unicum *invat* in eadem periodo modo personalis verbi, modo impersonalis potestatem habere: Sic Noster alibi Carm. IV, 1, 21. „*Me nec femina, nec puer iam, nec spes animi credula mutat, Nec certare iuvat mero*“ et Iuvenalis XI, 199. „*Spectent iuvenes, quos clamor et audax Sponsio, quos cultae decet assedis puellae*.“ Atque haec paullo insolentior locutio Librariorum oculis caliginem offudit. Sed praecipue eis fraudi fuit ignorantia constructionis, *nobilis evchere*: quod loquendi genus a Graeco fonte deductum, Horatio et sequentis aevi poetis admodum familiare est. Sic Carm. I, 37, 10. *Impotens sperare*. III, 12, 11. *Celer excipere*. 10. *Catus iaculari*. I, 12, 11. *Blandius ducere*. I, 10, 7. *Callidus condere*. I, 24, 17. *Levis recludere*. I, 37, 26. *Fortis tractare*. IV, 14, 22. *Impiger veccare*. IV, 12, 19. *Largus donare*. 20. *Efficax eluere*. Serm. II, 8, 24. *Ridiculus absorbere*. Ep. I, 17, 47. *Firmus pascere*. Persius I, 118. „*Callidus eccusso populum suspendere naso*.“ Silius Italicus III, 375. et 387. „*Saetabis, et telas Arabum sprevisse superba, Et Pelusiaci filium componere lino. Asper frenâ pati, aut iussis parere magistris*.“ Qualia innumera sunt apud Silium; multa apud et Lucanum Statium. Illud vero apud Nostrum Carm. I, 12, 25. emendationem hanc unice confirmat; quippe ubi idem vocabulum eadem plane iunctura exhibetur: „*Dicam et Alciden, puerosque Ledae, Hunc equis, illum superare pugnis Nobilem*.“ Cui geminum omnino est illud Siliii lib. XI, 73. „*Hic Torquatus avum fronte aequavisse severa Nobilis*“ et Propertii IV, 10, v. 42. „*Nobilis e tectis fundere gaesa rotis*.“ Neque illud Lucani absimile est, III, 697. „*Eximius Phocceus animam servare sub undis Scrutarique fretum*“ aut Persii VI, 6. quod sic corrigendum: „*Mox iuvenes agitare iocos, et pollice honesto Egregius lusisse senes*.“ Itâ duo codices, alter Galeanus, alter Coll. Trinitatis; non ut vulgo *Egregios*. Habes itaque, aut omnia me fallunt, certissimam Flacci emendationem: ubi et sententia miram quantum erigitur, et oratio novo cultu enitescit.

7. *Hunc; si mobilium*] *Mobilium* recte habent codices vetustiores, quatuor Blandinii apud Craquium, duo apud Pulmannum, Bersmanni unus, et ex nostris optimi Leidensis, Graevianus, et pro varia lectione, eadem tamen manu, codex Collegii Reginae; tum etiam vetus Scholiastes. Desinant itaque ex recentioribus libris *nobilium*, ingerere: quum altero abhinc versus praecesserit, *palmaque nobilis*: quae quam inepta atque invenusta foret repetitio, quis non videat? Sane *nobiles* Quirites dici poterant, ob imperii Rom. magnitudinem. Fatemur: sed quamobrem tandem *turba nobilium*? quae duo vocabula sic coniuncta se mutuo tollunt et evertunt. Epitheto illo *nobilium* levitatem et inconstantiam vulgi in honoribus per suffragia sua deferendis notat et perstringit. Sic alibi, Epist. I, 19, 37. „*Non ego ven-*

- Gaudentem patrios findere sarculo
 Agros Attalicis conditionibus
 Numquam dimoveas, ut trabe Cypria
 Myrtoum pavidus nauta seceat mare.
 15 Luctantem Ieariis fluctibus Afriem
 Mercator metuens, otium et oppidi
 Laudat rura sui: mox reficit rates
 Quassas, indocilis pauperiem pati.
 Est qui nec veteris pocula Massici,
 20 Nec partem solido demere de die
 Spernit; nunc viridi membra sub arbuto
 Stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.
 Multos castra iuvant, et lituo tubae
 Permixtus sonitus, bellaque matribus
 25 Detestata. manet sub Iove frigido
 Venator, tenerae coniugis inmemor;
 Seu visa est catulis cervae fidelibus,

tosae plebis suffragia venor." Statius Silv. II, 2. v. 123. „*Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus, Non leges, non castra tenent.*" Seneca Herc. Fur. v. 169. „*Illam populi favor attonitum, Fluctuque magis mobile vulgus Aura tumidum tollit inani.*" Idem diu mendum inedit in omnibus Lucani codicibus, IV, 521. „*sic cunctas sustulit ardor Nobilium mentes iuvenum, etc.*" Tu lege ipsius loci sententiaeque ductu, Mobilium iuvenum: ut Virgil. Georg. III, 165. „*Dum faciles animi iuvenum, dum mobilis aetas.*" Nam quod apud Nostrum est, Carm. IV, 12, 15. *Iuvenum nobilium cliens*, ubi plura afferemus, non eiusmodi est, ut receptae Lucani lectioni patrocinetur; aut ut cohorti Opiterginae iuventutis id epitheton inde donandum sit.

16. *Otium et oppidi Laudat rura sui*] Ingeniosa profecto Valentis Acidalii coniectura est, in Notis ad Volleium Patereulum, II, 110. „*Luctantem Ieariis fluctibus Africum Mercator metuens, otium et oppidi Laudat rura sui: mox reficit rates Quassas, indocilis pauperiem pati.*" Quam sibi tacite adoptavit acutissimus Gronovius Pater Observ. Eccles. c. X, p. 101. ubi sic emendat Paullini carmen: *Repetitque portum, et terrae tuto viae Praevertit intutum maris.* „*Tutum*," inquit, „*viae: ut Horatio, Otium et oppidi Laudat rura sui.*" Ego vero sagacissimis viris libenter accedo: nam, ut ferri forte possit lectio recepta, tamen aptior venustiorque est oppositio, hinc metuens, illinc tuta. *Tuta* autem absolute, ut Ovid. Trist. II, 201. „*Unde precor supplex ut nos in tuta releges.*" Tacitus Annal. I, 2. „*Ac novis ex rebus aucti tuta et praesentia, quam vetera et periculosa mullent.*" Et XV, 29. „*Evix Romanus laudat iuvenem, omissis praecipitibus tuta et salutaria capessentem.*" *Tuta* autem oppidi, ut Virgilius, XI, 882. „*Moentibus in patriis atque inter tuta domorum.*" Recte porro et convenienter iunguntur, otium et tuta; ut Martialis XII, 5. „*Plura legant vacui, quibus otia tuta dedisti.*" et III, 67. „*Tuta luditis otium carina.*" Virgil. Georg. III, 376. „*secura sub alta Otia agunt terra.*" Denique rite et de more *Laudat tuta* aliquis; ut Noster Epist. I, 15, 42. „*Nimirum hic ego sum: nam tuta et parvula laudo:*" praesertim mercator, qui rei parandae causa periculis se obiciens, supremis sibi votis tuta otia pollicetur: ut iterum Noster Serm. I, 1, 30. „*nautaeque per omne Audaces mare qui currunt, hac mente laborem sese ferre, senes ut in otia tuta recedant.*" Equidem *rura oppidi* vel simile quid non usquam legisse memini.

- Seu rupit teretis Marsus aper plagas.
 Me doctarum ederae praemia frontium
 30 Dis miscent superis; me gelidum nemus,
 Nympharumque leves cum Satyris chori
 Secernunt populo: si neque tibias
 Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
 Lesboum refugit tendere barbiton.
 35 Quod si me Lyricis vatibus inseris,
 Sublimi feriam sidera vertice.

II.

AD AUGUSTUM.

- Iam satis terris nivis atque dirae
 Grandinis misit Pater, et rubente
 Dexterâ sacras iaculatus arces
 Terruit Urbem:
 5 Terruit gentis, grave ne rediret
 Saeculum Pyrrhae nova monstra questae:
 Omne cum Proteus pecus egit altos
 Visere montis;
 Piscium et summa genus haesit ulmo,
 10 Nota quae sedes fuerat columbis;
 Et superiecto pavidae natarunt
 Aequare damae.
 Vidimus flavum Tiberim, retortis
 Litore Etrusco violenter undis,
 15 Ire deiectum monumenta Regis,
 Templaque Vestae:
 Ilae dum se nimium querenti
 Iactat ultorem, vagus et sinistra
 Labitur ripa, Iove non probante, u-
 20 xorius annis.

10. *Nota quae sedes fuerat columbis*] Codex Battelianus pro varia lectione *palumbis*, cui astipulantur illa veteris Scholiastae, *Leviter in re tam atroci et piscium et palumborum meminuit*. Nimirum iam olim hic locus obelo notatus est: cum enim arboribus raro aut numquam *columbae* insideant, quo iure *ulmum* hic appellat *notam* columbarum sedem? An reponemus itaque his fideiussoribus *palumbis*? Illud tamen adversatur, quod et Noster alibi, et Virgilius *palumbem* solent dicere, non *palumbum*. Sed et *palumbus* suos auctores habet, Columellam, Plinium, Martialem, Catonem De Re Rust. cap. XC. Iam quidem apud Persium III, 16. post Pithoem sic hodie fertur: „*at cur non potius teneroque columbo Et similis regum pueris.*" Verum ibi et veteres editiones et tres quos consului codices *palumbo* plane exhibent. Excusari poterit recepta Flacci lectio, si dixeris sub *columbarum* nomine etiam *palumbes* comprehendi: sed neque illo pacto vitatur ambiguum et τὸ εἰδιόπλητον.

Audiet civis acuisse ferrum,
Quo graves Persae melius perirent;
Audiet pugnas, vitio parentum

Rara iuventus.

25 Quem vocet Divum populus ruentis
Imperi rebus? prece qua fatigent
Virgines sanctae minus audientem

Carmina Vestam?

Cui dabit partis scelus expiandi

30 Iuppiter? Tandem venias, precamur,
Nube candentis humeros amictus

Augur Apollo:

Sive tu mavis, Erycina ridens,

Quam Iocus circumvolat et Cupido:

35 Sive neglectum genus et nepotes
Respicis auctor,

31. *Nube candentes humeros amictus*] Ita nunc pleraeque editiones. verum principes illae Venetae et Loscheriana *candenti*, neque aliter olim Aeron Scholiastes: *Melius*, inquit, *Nube candenti, quam Candentis humeros*. Idem in codicibus aliquot repererunt Lambinus, Torrentius, alique, qui tam suspensio hic pede leviterque rem transeunt, ut nescias cui magis lectioni faveant. Mihi vero in nullo melioris notae codice *candenti* illud est visum: omnes *candentis* clare exhibent: nisi quod in Graeviano litera S mala manu olim crasa est, ita tamen ut vel hodie manifesto se prodant. Sed rem ipsam videamus. Iam primum qualis sodes hiatus erit, si legeris *candenti*? qualem vel unum alterum nusquam hic invenieris. Illud deinde animadvertes, participiorum horum casus ablativos vix unquam apud nostrum terminari in TI, sed in TE: ut hoc ipso in Carm. *rubente, probante*; et alibi: *fulgente arcu, lamna candente*; etc. Vide quae dicemus ad Carm. I. 25. v. 17. Sed, quod caput est, illud *nube candenti* non tam non appositam est huius loci sententiae, quam prorsus contrarium. Nempe nube hic amictendus erat Apollo, nequis enim mortalium inter ipsos versantem agnosceret. Hoc certum: et sic Homerus, unde hoc Noster mutuatus est, *Iliad. E. v. 186. „ἀλλὰ τις ὄχι ἔστιν ἀθανάτων νεφέην ἰδυμένος ὄψους.“* Sed *Deorum aliquis prope adstitit*, nube humeros amictus: et ibid. v. 344. *„Καὶ τὸν μὲν μετὰ χειρὶν ἑρῶσται Φαῖβος Ἀπόλλων Κνωγὴν νεφέην.“* I. e. *Atque Aeneam quidem manibus sustulit Apollo, nube nigra tectus*: scil. ne a Diomede conspiceretur. Et ex eodem fonte Virgilius *Aen. XII. 416. „Hoc Venus obscuro faciem circumdata nimbo Detulit.“* et I. 411. *„At Venus obscuro gradientis aëre sepsit, Et multo nebulae circum Dea fudit amictu, Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset.“* et ibidem 516. *„Dissimulant et nube cava speculantur amicti.“* Iam autem, quae quaeso convenit, aut quo poetae consilio factum, ut qui oculos fallere et latere conatur, nubis istius *candore* se ipse manifestet? Hoc tam inepte incommodeque, ut nihil supra. Sed quid multis opus? Retinemus ex potioribus membranis *candentis humeros. Candens, nitens, fulgens*, perpetua sunt *humeri* epitheta. Statius *Silv. III. 4. 29. „sed non erat illi Arcus, et ex humeris nullae fulgentibus umbrae.“* et ibidem 87. iterum, *„humerosque manu nudare nitentes.“* Tibullus I. 8. 33. *„Nunc tu candentes humero suppone lacertos.“* Horat. *Carm. I. 13. 9. „Uror, seu tibi candidos Turparunt humeros.“* et II. 5. 18. *„Non Chloris alba sic humero nitens.“* Quod si humeri mortalium recte dicuntur *candere*, multo magis Apollinis,

Hec nimis longo satiate ludo;
Quem iuvat clamor, galeaeque leves,
Acer et Marsi peditis cruentum

30 Voltus in hostem.

Sive mutata iuvenem figura

Ales in terris imitaris, almae

Filius Maiaae, patiens vocari

Caesaris ultor:

v. 39. Vulg. *Mauri*.

qui totus, quantus quantus est, fulget et candet: Virg. VIII. 720. *„Ipse sedens niveo candentis limine Phoebi Dona recognoscit populorum.“*

39. *Acer et Mauri peditis cruentum Voltus in hostem*] Vir sagacissimus Tanaq. Faber, *Emenda*, inquit, *Marsi, Nam Mauri imbelles: olim correctionem probabo*. Et in hanc socieri sui sententiam concedit celeberrimus Dacierius; promissum tamen eius minime absolvit: illud addit anicum, *sic extare in vetustis editionibus*. Magnopere equidem videre vellem tam raras, quas memorat, editiones: plurimas mihi usu venit inspicere; veterimas in manibus iam habeo: nihil tamen quicquam vel legendo vel fando mihi compertum est de ea lectione: ut plane verear, ne ei somnium hoc advolverit per eburneam portam. Nihil tamen secius emendatio ista certissima est, refragantibus licet omnibus libris, et scriptis et editis. Quippe haec militis descriptio est, et *fortis*, et *peditis*, et *cominus stabilique pede cum hoste pugnantis*. Tria haec plane indicantur his verbis, *Acer peditis vultus in hostem cruentum*: quorum ne unum quidem *Mauris* convenire iam tibi ostendam. Principio multum abest, ut hi *fortes* haberentur: utpote Hispanis, et Gallis, nedum Romanis, virtute inferiores. Hirtius de Bello Africano. cap. 6. *„Accidit res incredibilis, ut equites minus triginta Galli Maurorum equitum duo millia loco pellerent, urgerentque in oppidum.“* Livius XXIII. 26. *„Nec Numida Hispano, eques par fuit, nec iaculator Maurus cetrato, velocitate pari, robore animi virumque aliquid praestanti.“* Neque vero *peditis* Mauri ullo in numero erant: *equitatu* solo valebat ea gens; nec *cominus* denique vel iusta acie pugnabant, sed *eminus*, et Parthorum fere more statim refugientes, ubi iacula semel miserant. Valer. Flaccus III. 587. *„Ille velut refugi quem contigit improba Mauri Lancea.“* Hirtius c. 7. *„Subito equites Mauri, neque opinantibus Caesarianis, remiges adorti, multos iaculis convulneraverunt, nonnullos interfecerunt. Latent enim in insidiis cum equis inter convalles, et subito exstant, non ut in campo cominus depugnent.“* Sall. Jug. cap. 97. *„Equites Mauri atque Gaetuli non acie neque ullo more proelii, sed ceteratim uti quosque fors conglobaverat, in nostros incurrunt.“* Tacitus Hist. II. 58. *„Ingens Maurorum numerus per latrocinia et raptus apta bello manus.“* Claudianus de Bello Gildonico. 432. *„Nec vos, barbariem quamvis collegerit omnem, Terrae. An Mauri fremitum rancosque repulsus Umbonum et vestros passuri cominus enses? Non contra clypeis tactos galeisque micantes Ibitis. In solis longo fiducia telis. Ecarmatus erit, cum missile torserit, hostis. Dextra movet iaculum, praetental pallia laeva. Cetera nudus eques. Sonipes ignarus habenae. Virga regit. Non ulla fides, non agminis ordo. Arma oneri, fuga praesidio.“* Qui quidem locus vel unus rem totam conficit: cum et *imbelles* fuisse Mauros testatur, et *ex equo* pugnare solitos, telisque *eminus* missis continuo in *fuga* praesidium quaerere. Et praeterea, cum Horatius haec ita coniunxerit, *„Quem iuvat clamor, galeaeque leves, Acer et Mauri peditis cruentum Voltus in hostem“*, ut plane *peditem galeatum* intelligi oporteat: miles ille *Maurus* omnino sine

45 Serus in caelum redeas, diuque
 Lactus intersis populo Quirini:
 Neve te nostris vitis iniquum
 Ocior aura

galea pugnam inire solet, ut docet te idem ille locus: „Non contra clypeis lectos galeisve micantes Ibitis. in solis longe fiducia telis.“ Silius quoque X, 602. „patulis illa horrida campis Sit metuenda lues; muros haud fregerit unquam Exultare levis nudato corpore Maurus.“ Denique ut condonemus haec omnia, demusque tibi et *pedites* fuisse Mauros, et *fortes*, et *cominus*, et *galeatos* in acie pugnasse; quorum nihil est verum: stultissimus tamen omnium foret Horatius, si virtutis hic militaris exemplum de *Maura* gente petiisset. Quippe acri illo Mauri peditis vultu *Martem iuvare* dicit: eundemque *auctorem* Romulae gentis hic memorat, atque *genus* suum ac *nepotes* diu *neglectos* tandem *respicere*. Quid ergo? an Mars ille tandem suis propitiatus *Mauri* virtute delectetur? At quibus tandem cum hostibus conflictati sunt Mauri, magis quam Romanis? Ergo ille hic *cruentus hostis*, et a Mauro confossus ac trucidatus, erit demum Romanus. Meliora vero, o Noster; atque apage tam indignam et in *nepotes* et in *auctorem* contumeliam. Illene ut ullius magis gentis quam virtute Itala ivetur? Recte itaque repositum est, qui miles Italorum omnium fortissimus semper est habitus. Strabo V. p. 241. „ΜΑΡΣΟΙ καὶ Πήλεγχοι, τὰ ἔθνη ταῦτα μικρὰ μὲν, ἀνδρακώτατα δέ.“ Appianus Bell. Civil. I. p. 639. [c. 46.] de *Marsis* verba faciens: „Ἔστι γὰρ τὸ ἔθνος πολέμικώτατον, καὶ quasi κατ' αὐτοῦ θρίαμβον ἐπὶ τῷδε τῷ παισίματι γενέσθαι μόνον, λεγόμενον πρότερον, Ὅντε κατὰ ΜΑΡΣΩΝ ὄντε ἀπὸ ΜΑΡΣΩΝ γενέσθαι θρίαμβον.“ Proverbii loco fuisse ait, *Neque de Marsis, neque sine Marsis triumphum agi posse*. Virg. Georg. II. v. 167. „Haec genus acre virum Marsos pubemque Sabelam Extulit.“ Horat. Carm. II, 20, 17. „Me Colchus et qui dissimulat metum Marsae cohortis, Dacus.“ Et III, 5, 8. indignatur tamquam de lectissimis militibus, quod „Consenuit socerorum in arvis Sub rege Medo Marsus et Appulus.“

46. *Lactus intersis populo Quirini*] Libri tres apud Lambinum, et ex Cruquianis unus, *Quirino*. Alii omnes omnium, mei certe magno consensu, *Quirini*. Illud mavult vir summus Nic. Heinsius ad Ovidii Fast. IV, 375. et disertissimus Broukhusius ad Propert. IV, 10. Ita nimirum alibi *Gens Romula, Fenena Colcha, Sulpicia horrea* etc. Noster tamen Ep. II, 2. v. 68. „*cubat hic in colle Quirini, hic extremo in Aventino*.“ Sed et hic similiter Heinsius libens scripserit *Quirino*. Verum nulli libri suffragantur; et, quod maius est, ipsae aures repugnant; tinnitque isto *Quirino* et *Aventino*, graviter offenduntur. Ovid. Metam. XIV, 836. „*coniuc nunc esse Quirini: Siste tuos fletus, et si tibi cura videndi Coniugis est, duce me lucum pete, colle Quirino Qui vires*.“ Ubi plerique codices notante Heinsio, *Quirini*. Ipse tamen ex paucioribus *Quirino* edidit; et fortasse, recte: quia *Quirini* iam praecesserat. Idem Fast. IV, 375. „*Qui dicit, Quondam sacra est colle Quirini Hac Fortuna die Publica, verus erit*.“ Sic omnes membranae. Et hic nequicquam Heinsius *Quirino* substituit. Iven. II, 133. „*officium eras Primo sole mihi peragendum in colle Quirini*.“ Ovid. Trist. I, 3. v. 33. et 8, v. 37. „*Dique relinquendi, quos urbs habet alta Quirini. Non ego te placida genitum reor Urbe Quirini*.“ Ubi omnino frustra nobis obtuleris *Quirina*: cum hoc prohibeant Epitheta *illa alta et placida*. Pont. I, 5. v. 73. et Fast. I, 69. „*Dividimur caelo, quaeque est procul Urbe Quirini. Dexter ades, Patribusque tuis, populoque Quirini*.“ Metam. XV, 572. et 756. „*Seu lactum est, patriae lactum populoque Quirini. Cinyphiumque lubam populo adiecit Quirini*.“ Sidorius Ep. IX, 16. „*geminae potili Fronde coronae, Quam mihi indulsit*

Tollat: hic magnos potius triumphos,
 50 Hic ames dici Pater atque Princeps:
 Neu sinas Medos equitare inultos,
 Te duce, Caesar.

III.

Sic te Diva potens Cypri,
 Sic fratres Helenae, lucida sidera,
 Ventorumque regat pater,
 Obstrictis aliis praeter Iapyga;
 5 Navis, quae tibi creditum
 Debes Virgilium, finibus Atticis
 Reddas incolumem, precor,
 Et serves animae dimidium meae.
 Illi robur et aes triplex
 10 Circa pectus erat, qui fragilem truci
 Commisit pelago ratem
 Primus, nec timuit praecipitem Africum
 Decertantem Aquilonibus,
 Nec tristis Hyadas, nec rabiem Noti:
 15 Quo non arbiter Hadriae
 Maior, tollere seu ponere volt freta.
 Quem mortis timuit gradum,
 Qui rectis oculis monstra natantia,

v. 18. Vulg. *Siccis*.

populus Quirini.“ Ita summo consensu omnes ubique codices: ut melius opinor fuerit receptam toties lectionem non temere sollicitare.

18. *Qui siccis oculis monstra natantia*] Egregius vero locus, ut et totum sane carmen non vulgaris est spiritus atque artis: aut tamen omnia me fallunt, aut turpe hic sub pelle decora mendum delitescit. Videamus quid rei sit: „*Illi robur et aes triplex Circa pectus erat, qui fragilem truci Commisit pelago ratem Primus; — Quem mortis timuit gradum, Qui siccis oculis monstra natantia, Qui vidit mare turbidum et Infames scopulos Acrocerania?* Ubi recte Scholiastes *siccis oculis* interpretatur *sine lacrimis*, testem advocans Lucretium, IX, 1044. „*qui sicco lumine campos Viderit Emathios*.“ Cui addas licet Senecam de Tranquill. XV. „*Plerique enim lacrimas fundunt, ut ostendant: et toties siccos oculos habent, quoties spectator defuit*.“ Propert. I, 17, 11. „*An poteris siccis mea fata reonere ocellis?* Ita *siccus genus*, quod idem est, poetae passim: Ovid. Trist. I, 1, 28. „*Carmina nec siccis perlegit ipse genis*.“ Martialis XII, 3, 16. „*Nec nimum siccis perlegit ipse genis*.“ I, 79. „*Siccis ipse genis stentis hortatus amicos*.“ His positus expendamus poetae sententiam. Quanto, inquit, animi *robore* fuit, quem mortis gradum timuit, qui primus fragili se rati committens, monstrosas belluas, turbidos fluctus, scopulos horrendos, res omnium maxime terribiles, *sine lacrimis* videre sustinuit. Egregie sane: ego vero vel meticulousum quemvis, etiam feminam id posse praestare dico, ut *sine lacrimis* ea videat; quippe quae in eiusmodi terrore, prout natura omnes comparati sumus, etsi maxime velit, lacrimari non possit. Prae misericordia quidem, vel amore, desiderio, pudore, ad leve periculum praesens,

vel ingentis praeteriti recordationem, etiam invitis oculis identidem oboriuntur lacrimae: at in magno pavore, praesentique, ut hic, consternatione nullus lacrimis locus est, ne in puella infante quidem. Scimus hoc omnes; quod et vita magistra didicimus, et in nobis ipsis experti sumus. Quid igitur tam magnum aut mirabile, si siccis oculis vir fortis ea viderit; quae vel fluidissima non aliter possunt aspicere? Immo vero, quo horribilior formido est, tanto sicciores sunt oculi, ut rigeant plane et immobiles fiant. Virgilius VII, 446. de Turno: *At iuveni oranti subitus tremor occupat artus*: Derigere oculi: *tot Erianiys sibilat Hydris*. Ergo et Noster ipse, in simili pavore a fluctibus bellisque marinis, non *flentem* Europen, quamvis et sexu et aetate tunc timidam, sed *pallentem* facit, Carm. III, 27, 26. *et sculentem Belluis pontum mediasque fraudes Palluit audax*. Neque vero apud Homerum Virgiliumve, qui Heroas suos *αυθιςαγρες* et ad lacrimandum proelivis inducunt, eoque nomine hodie ab ineptis culpantur, aut Ulixes aut Aeneas in praesentis naufragii terrore flet; sed ingemit et vociferatur. Hos enim natura tum sonos elicit, lacrimas claudit retatque. Quis subito incendio implicatus, quis fluvio profundo hauriendus, quis stricto gladii mucrone petitus, in tali tempore lacrimari unquam visus est? Sentis iam, opinor, absurdum: et *siccus illos oculos minus aequis tu oculis incipis aspicere*. Verum illud praeterea contemplare: Qui haec omnia, inquit, *siccis oculis* vidit, ei *robur* et aēs triplex erat circa pectus, is nullum mortis gradum timere noverat. Atqui *siccus* ad rem aliquam tenere oculos, ubi mortalium plebisque lacrimae excuterentur, non tam *roboris* est, quam duritiae, non tam *audaciae*, quam atrocitatis, non tam *magni animi*, quam ferri et inhumani. Ovid. Heroid. XI, 10. *Ipse necis cuperem nostrae spectator adesset; Auctorisque oculis exigeretur opus: Ut ferus est multoque suis truculentior Euris, Spectasset siccis vulnura nostra genis*. Similia passim apud scriptores invenias: adeo ut parum commode apud Nostrem instituitur oratio. Nimirum alios hic quam *siccus* oculos iam tempus est quaerere, qui mentem interritam fortisque robur pectoris rite ostendant. Atque ecce tibi quos affirmare ausim in Horatii sermone olim comparuisse: *Quem mortis timuit gradum, Qui rectis oculis monstra natantia, Qui vidit mare turbidum*. Non ita magna est a recepta lectione mutatio; ut incredibile sit audaculos librariorum hoc in se facinus admisisse; praesertim cum haec dictio paullo rarior esset, illa vulgo tritissima. Sententia vero iam talis est, ut vel ducentis exscriptoribus fidem omnem et auctoritatem abroget. Seneca Epist. CIV, 24. *Nihil illi videtur grave, nihil asperum, quod virum incurvet*. *Terribiles visu formae letumque labasque?* *Minime quidem, si quis rectis oculis intueri illa possit, et tenebras perrumpere*. Idem De constantia c. 5. *Adversus apparatus* terribilium rectos oculos tenet sapiens; *nihil ex vultu mutat, sive illi dura sive secunda ostentantur*. Suetonius Aug. c. 16. *Unde praebitum Antonio materiam putem exprobrandi, ne rectis quidem oculis eum aspicere potuisse instructam aciem; verum supinum, caelum intuentem, stupidum cubuisse*. Quid iam videtur? Cernis opinor ista, *terribiles visu formas*, et *terribilium apparatus*, ipsa illa monstra scilicet et fluctes et scopulos; utque ea non *siccis*, sed *rectis* oculis vir fortis contueatur. Quippe is demum intrepido et invito est animo, qui neque connivet ad intentatum periculum, neque vultum avertat. *Primi in omnibus proelivis oculi vincuntur*; ut vere ac diserte Tacitus de Mor. Germ. c. 43. Et similiter Plinius Hist. XI, 37. *Virginti gladiatorum paria in Caio principis ludo fuerunt; in iis duo omnino, qui contra comminationem aliquam non conviverent, et ob id invicti*. Inde est, quod *rectis oculis* *ὀρθοῖς ὀμμασιν*, *αὐτοφθαμικῶν*, oculos contra attollere, *ἀσκαρδαμικῶν* *βλέπειν*, omnia de audaci homine atque impavido praedicentur. Iterum Seneca Epist. LXXVI, 33. *Si rectis oculis gladios micantes videt, et si scit sua nihil interesse, utrum anima per os an per iugulum caecat, beatum vocat*. Cicero pro Rabirio Posthumo, cap. ult. *Hic vos aliud nihil*

orat, nisi ut rectis oculis hanc urbem sibi intueri, atque in hoc foro vestigium facere liceat. Ubi frustra haeserunt Interpretes: tu accipe, *fidenter, sine metu aut pudore*. Statius Theb. X, 542. *non ora virum, non pectora fleat Imber atrox, rectosque tenent in moenia vultus, Immemores leti, et tantum sua tela videntes*. Iuvenalis VI, 400. *Cumque paludatis ducibus, praesente marito, Ipsa loqui recta facie siccisque mamillis*. Boët. de Consol. Phil. lib. I. metro IV. *Fortunamque tuens utramque rectus, Invictum potuit tenere vultum*. Sophocles Oed. Tyr. p. 205. Ed. Steph. [1384]. *Τοιάνδ' ἴω χιλίδα ἀνθρώπων ἐμῶν, Ὀρθοῖς ὀμμασιν ἐμῶν*. Theocritus Idyll. V, 35. *Ἀλλ' οὔτι σπειθῶν μέγα δ' ἄχθομαι εἰ τὸ με τοιαύτης Ὀμμασιν τοῖς Ὀρθοῖσι ποιεῖται*. Arriani Epictetus, sine libri III. *Ταῦτά ἐστι μόνον τὰ τοῖς ἐλευθέρους ποιοῦντα, τὰ τοῖς ἀσκαρδαμικῶν, τὰ τὸν τροχῶν ἐκείνην τὴν τεταπεινωμένην, τὰ ἀντιβλέπειν ποιοῦντα Ὀρθοῖς τοῖς Ὀφθαλμοῖς πρὸς τοὺς πλουσίων, πρὸς τοὺς τυχόντων*. Archidamus oratione ad Milites, Xenoph. Hellen. VII. p. 620 [1 § 30]. *Ἀσφοῖς πολιταί, τὴν ἀγάθῳ γενόμενοι, ἀναβλέψωμεν Ὀρθοῖς Ὀμμασιν*. Hierax Stobaei, X extr. *Τοῖς δ' ἴπ' ἐλευθέριας ἐλέγχουσι αὐτοῦ τὸ σκαῖον τοῦ ἔθους, οὐδὲ ἴδεν Ὀρθοῖς τοῖς Ὀφθαλμοῖς ἀνίχεται*. Aristides pro Quatuor viris. Tom. II, p. 299. de Themistocle: *Καὶ μόνος Ὀρθοῖς τοῖς Ὀφθαλμοῖς ἀνίσταμαι ἅπασιν καὶ τοῖς περὶ αὐτὸν πράγμασι, καὶ οὐκ ἀποστραφείς, ὥσπερ οἱ πρὸς τὸν ἥλιον βλέποντες*. Sic Latini tollere oculos contra minas et terrorem. Lucret. I, 67. *Quae caput a caeli regionibus ostendebat, Horribili super aspectu mortalibus instans: Primus Graius homo mortales tollere contra Est oculos ausus, primusque obistere contra*. Ita omnes Lucretii codices tollere; et perperam agunt, qui ex Nonio reponunt *tendere*. Livius VI, 16. *Nec adversus dictatoriam vim aut tribuni plebis aut ipsa plebs attollere oculos aut hiscere audebat*. Seneca Epist. LXXI, 34. *Alius iam in tantum profectus, ut contra fortunam audeat attollere oculos*. Quod ipsum sic extulit Plutarchus *Ἐπεὶ εὐδυνίας*, p. 476. *Τὸ μελετῆρ καὶ δεινὰσαι πρὸς τὴν τύχην ἀνιχνύσαι τοῖς ἄμωσιν ἀνιχνύειν*, i. e. *Posse contra fortunam apertos oculos attollere*. Seneca iterum De Benef. I, 3. *Non audebit adversus multa oculos attollere*. Auctor Octaviae, v. 841. *ne quid simile tentare audeat, Contraque sanctos coniugis vultus meae Attollere oculos*. Hoc Graeci elegantius compositione *αὐτοφθαμικῶν* dicere solent, quod vocabulum Polybio historico in deliciis erat; ut I, 68. *Μὲ σὶον Καρχηδονίους ἈΝΤΟΦΘΑΜΗΣΑΙ ποῖ ἐν πρὸς αὐτοὺς ἐν τοῖς ὄπλοις, ἀλλὰ μὲδὲ τὴν λοιπῶν μηδὲνα ἡδύως*. Vide ipsum II, 24. et III, 14, 64. et IV, 32, 34. et alibi. Porro et iisdem *ἀσκαρδαμικῶν* *βλέπειν*, *inconvenientibus oculis contueri*, *audaciae* et fortitudinis signum. Aristophanes Equit. v. 292. *βλέπων εἰς μ' ἀσκαρδαμικῶν*. sic lege, non *εἰς ἐμ'*, ob̄metri rationem. Lucianus in *Κατάλοιπ* p. 270. [c. 26] de Megapenthe Tyranno: *Ῥάδιον γοῶν* (lege *ῥῶον*) *ἐν τῶν ἥλιον ἢ τοῦτον ἈΣΚΑΡΔΑΜΥΚΤΙ προσέβλεψεν*. Oppianus Cyneget. I, 208. de Equo: *H, πῶς ἄντα δέδοραιν ἈΣΚΑΡΔΑΜΥΚΤΟΙΣΙΝ ὀπωπῆς Αἰχμητοῖσι λόγον πεπερασμένον ὀλίγησι*. Quem locum vir summus Iulius Scaliger in Epinomide adducit, ut ostendat Creticum pedem (qualis hic *ἀσκαρδαμικῶν*) in Hexametro versu nonnumquam tolerari. Frustra: neque enim tam terso poetae tam indigna licentia placere potuit. Sine dubio sic reponendum: *Ἡ πῶς ἄντα δέδοραιν ἈΤΑΡΜΥΚΤΟΙΣΙΝ ὀπωπῆς*. Nimirum *ἐτάρμικῶν* unum idemque est ac *ἀσκαρδαμικῶν*, *inconveniens*; unde Euphorion apud Etymologum et Suidam, *ἈΤΑΡΜΥΚΤΟΝ τὸλεπὸν ὈΜΜΑ*. Etymol. *Ἀτάρμικτων*, *ἀφορον*, *ῥῶσον*, *κρίσις* τὸ μὴ μῶον. Corrigendus inde Hesychius: *Ἀτάρμικτων*, *ἀφορον*, *ῥῶσον*. Scribe vel ex ipsa verborum serie, *Ἀτάρμικτων*. Idem alibi: *Ταρυμῆσσαι*, *φροθῆναι*. Et Etymologus: *Ταρυμῆσσαι*, τὸ φροθῆν, ὡς *Αιχμητων*. Nota hoc ex Lycophrone citari. At apud illum hodie legitur, v. 1177. *Κάγγυσαι ταρυμῆσσαι ἐννύχους βροτοῖς*. Restituendum vero, vel Etymologi auctoritate,

Qui vidit mare turbidum, et
20 Infamis scopulos Acrocerania?
Nequicquam Deus abscedit

v. 19. Vulg. *Turgidum*.

ταρῦσσουσαν; ut et scriptus codex etiam exhibet. Sed ut tandem manum de tabula: satis iam, opinor, et abunde pervicimus, aut scripsisse *rectis oculis* Flaccum, aut saltem ita debuisset: quorum alterum modo si negas; qui Horatius sit, omnino nescis: sin utrumque; vereor ne, qui tu sis, optime sciamus.

19. *Qui vidit mare turgidum*] Editio Veneta 1478 quam omnium primam esse crediderim, habet *turgidum*; at Germanica Loscheri 1498, *turbidum*. Postea tamen prior illa lectio fere cunctas occupavit. Codices quidem, etiam optima nota, alii hanc, alii illam exhibent: et sane utraque sat commode tolerari potest. Prudentius Peri Steph. V, 475. „*Quae turgidum quondam mare Gradiente Christo straverat.*“ Avienus in Arateis 307. „*salumque Fluctibus instabile et glauci vada turgida ponti.*“ Sic Virgil. *Tumidum mare*, *Tumida aequora*, *Maria alta* tumescunt; et Graeci, *ἄλιον οἰδμα*, *οἰδμα θαλάσσης*. Vix tamen dubito, quin *turbidum* ab Horatii manu fuerit: quod fortius epitheton est, et maiorem terrorem incutit. Lucret. V, 998. „*nec turbida ponti Aequora laedebant navis ad sacra virosque.*“ Ovid. Trist. I, 11. 33. „*Cumque sit hibernis agitalum fluctibus aequor, Pectora sunt ipso turbidiora mari.*“ idem Leand. Her. 7. „*Ipsa vides caelum pice nigrius, et freta ventis Turbida, perque cavas vix adeunda rates.*“ Et ibidem 172. „*Cumque mea sunt turbida mente freta.*“ Seneca Here, Oct. 456. „*concessi fretum Cessante vento: turbidum explicui mare.*“ Avienus in Arateis 656. „*Non tum freta turbida pinu Quis petat.*“ Et iterum 850. „*Quantum suspensio linquit vada turbida caelo.*“ Et 1458. „*Turbida certantes converrent aequora Cauri.*“ Et 1761. „*Si fugiant volucres raptim freta turbida Nerei.*“ Ut bene iam memendum sit, ne et in istis quoque Prudentii et Avieni locis, quae supra protulimus, *turbidum* substitui debeat.

20. *Infames scopulos Acrocerania*] Virgilius Aen. III, 506. „*Provehimur pelago vicina Ceraunia iuncta.*“ Ubi Servius lectionem hanc in Flacco confirmat. Ceraunia, inquit, montes Epiri, a crebris fulminibus propter altitudinem nominati. Unde Horatius expressius dixit, *Acrocerania*, propter altitudinem et fulminum iactus. Lactantius ad Statii Theb. I, 133. *Infames Scirone petras*. Nota, inquit, *Infames* dixit, ut est, „*Infames scopulos Acrocerania.*“ Idem repetit ad III, 121, et ad VI, 156. Sed in ultimo Lactantii loco libri antiqui representant *alta Ceraunia*, notante Theod. Marcilio et Georgio Fabricio, in Notis ad hoc Carmen. Unde vir reconditae eruditionis Gulielmus Baxter in nupera sua Horatii editione sic edidit, „*Infames scopulos, alta Ceraunia.*“ Nollem factum; neque enim ulla unius loci suspecti auctoritas est contra duo alia eiusdem Lactantii loca, et eo vetustiorum Servium, et omnes quotquot ubique sunt Horatii libros: neque sane tolerari hic poterit duplex epitheton, *infames, alta*; ut agnoscent, qui poeticae gustum habent. *Ἀκροκέραινα*, ut *Ἀκροκόρυθος*: nimirum montes Ceraunii longissimo tractu protenduntur, quorum summum promontorium Acrocerania nomen habet. Ovid. Remed. Amor. v. 739. „*Mae tibi sint Syrtis, haec Acrocerania vita.*“ Plin. Hist. III, 23. „*Initium Epiri, montes Acrocerania*, et iterum eodem libro quater vel quinques. Lucius Ampelius cap. 6. „*Parnassus, Acrocerania in Epiro.*“ Tum autem, quod idem suspicatur *Acrocerania v. glossenato esse, quia vulgatus* plane aliter res habet. Nam praeter loca iam citata, frustra, opinor, alibi *Acrocerania* quaesiveris; cum *Ceraunia* vulgatissimum sit, cum apud Poetas, tum alios.

Prudens Oceano dissociabilis
Terras, si tamen impiae

v. 22. Vulg. *Dissociabili*.

22. *Nequicquam Deus abscedit Prudens Oceano dissociabili Terras*. Olim hic passive (ut Grammatici loquuntur) accipiebant *dissociabili*; eo sensu ut *Deus recte abscederet terras ab Oceano, quem par erat ab eis dissociari et abscondi*. Quomodo et Ovidius Metam. I, 22. „*Nam caelo terras, et terris abscedit undas.*“ Et Stadius Silv. III, 2. v. 61. „*Quis rude et abscissum miseris animantibus aequor Fecit iter?*“ Posterioribus autem ea melior visa est sententia, ut *Deus providenter terras disceverit, alias scilicet ab aliis, interveniente Oceano*; quale illud Lucretii est, [V, 203.] „*Et mare, quod late terrarum distinet oras.*“ Et Senecae Consolat. ad Marciam. c. 18. *Quid — vinculum terrarum Oceanus, continuationem gentium triplici sinu scindens, et ingenti licentia evaestuans?*“ Tum autem, quod huic consentaneum erat, iam non passive ut illi priores, verum active sumere volunt *dissociabili, qui terras dissociat, ut genitabilis aura, penetrabile frigus* et id genus alia. Atque haec, ut video, interpretatio iam sola passim obtinet, et pro legitima habetur. Esto sane: *dissociabilis* active per analogiam defendi possit; etsi in ea notione iam nusquam alibi extet. at vide quam inficela demum sententia exoriat: *Deus abscedit terras Oceano dissociabili*, hoc est, ut quidam explicant, *Deus abscedit terras Oceano, qui terras abscondit*. Quisquamne sibi persuaserit, putidulum hoc et *ταρῦσσορ* ab Horatio profectum esse? Tu vero scribe, si sapiis, unius literulae adiectione: „*Nequicquam Deus abscedit Prudens Oceano dissociabilis Terras.*“ Hoc est, ut hodie moris est scribere, *dissociabiles*. Frustra, inquit, providentia Dei terras has ab illis consulto abscedit, mari interfuso: siquidem homines mare illud navibus traiciunt, et terras sic a Deo dissociatas commercio inter se miscent. Sane et oratio iam et sententia sunt omni ex parte commodissimae. Ita Stadius Siciliam ab Italia dissociatam esse memorat. Silv. I, 3. v. 32. „*sic dissociata profundo Bruttia Sicaniam circumspicit ora Pelorum.*“ Rutilius Itin. I, 330. „*Eminus Igili silvosa caecumina miror, Quam fraudare nefas laudis honore suae. Gurgite cum modico victricibus obstilit armis, Tamquam longinquo dissociata mari.*“ Florus II, 8. „*Euboam insulam continenti adhaerentem, tenui freto reciprocantibus aquis Euripus abscedit.*“ Valer. Flaccus II, 615. „*Asiamque prementem Effugit abruptis Europa inmanior oris. Has etiam terras consertaque gentibus arva, Sic pelago pulsante reor, Neptunia quondam Cuspis et adversi longus labor abscedit aevi, Ut Siculum Libycumque latus.*“ Et eodem plane, quo Noster, sensu, bene disseptas a natura terras ait Seneca; atque improbe factum ab Argonautis, quod, primi mare transcurrere ausi, commercia vetita exercebant. Medea 335. „*Candida nostri saecula patres Videre procul fraude remota. Sua quisque piger litora tangens Patrioque senex factus in arvo, Parvo dices; nisi quas tulerat Natale solum non norat opes.*“ Bene dissepti foedera mundi *Transit in unum Thessala pinus, Iussitque pati verbera pontum, Partemque metus fieri nostri Mare sepositum. Dedit illa graves Improbata poenas.*“ Satis, opinor, iam dictum est ad commendationem nostram firmandam; superest tamen adhuc, quod aliorum opiniones prorsus refutet. Neque enim prior illa, quae Oceanum ipsum terris abscissum tentarique vetitum esse statuit, consistere potest cum sequentibus, „*si tamen impiae Non tangenda rates transiliunt vada.*“ Quorsum enim *transiliunt*? Nam id quidem satis indicat, non Oceanum modo tentari, sed et regiones externas trans Oceanum peti: quale scilicet commercium prohibere Natura conata est. Neque utralibet sane defendi in eo potest, quod Oceanum dicat *dissociabilem*; quippe vox ea numquam usurpatur, nisi vel de diversis rebus, vel de re una ex

- Non tangenda rates transiliunt vada.
 25 Audax omnia perpeti,
 Gens humana ruit per vetitum nefas.
 Audax Iapeti genus
 Ignem fraude mala gentibus intulit.
 Post ignem aetheria domo
 30 Subductum, macies et nova febrium
 Terris incubuit cohors:
 Semotique prius tarda necessitas
 Leti corripuit gradum.
 Expertus vacuum Daedalus aëra
 35 Pennis non homini datis.
 Perrupit Acheronta Hercules labor.
 Nil mortalibus ardui est.
 Caelum ipsum petimus stultitia, neque
 Per nostrum patimur scelus
 40 Iracunda Iovem ponere fulmina.

IV.

AD SESTIUM.

- Solvitur aeris hiems grata vice veris et Favoni:
 Trahuntque siccas machinae carinas.
 Ac neque iam stabulis gaudet pecus, aut arator igni;
 Nec prata canis albicant pruinis.
 5 Iam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna:
 Iunctaque Nymphis Gratiae decentes

v. 37. Vulg. *Ardum*.

diversa rebus concreta et congregata. Tacitus in Agric. 3. „*Quamquam Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, Principatum et Libertatem.*“ Claudianus in Ruf. II, 238. „*Quid consanguineas acies, quid dividis olim Concordes aquilas? Non dissociabile corpus, Convictumque sumus.*“ Prudentius Psychom. 763. „*Quod sapimus, contingat amor: quod vicimus, uno Conspiret studio. Nil dissociabile firmum est.*“ Haec sola itaque ratione dissociabilis dici poterit Oceanus; si diversas eius partes, aliam ab alia disceindi et divelli et distrahi velis; quod nihil ad mentem Horatii est.

37. *Nil mortalibus arduum est*] *Ardum* meliores codd. Cruquii et aliorum, et sic vetustissimi mei Graevianus, Leidensis, et ex prima manu Regimensis cum aliis; adde Barthii librum optimae notae. Advers. XXXV, 2. Omnino itaque recipienda haec lectio est, adulterina illa exclusa. Noster Epist. II, 1, 31. „*Nil intra est olea, nihil extra est in uoce duri.*“ Atque hanc probat elegantissimus Nic. Heinsius ad Ovidii Heroidas VIII, 104.

5. *Iam Cytherea choros ducit Venus*] Nota illud *Venus* plane otiose positum. Neque enim ipse alibi, nec ullus Poetarum Latinorum *Cytherea Venus* dixit, sed simpliciter *Cytherea*. Carm. III, 12. „*Tibi quales Cythereae puer ales.*“ Virgil. Aen. IV, 128. „*Annuit atque dolis visit Cytherea repertis.*“ Ita omnes ubique, nisi me memoria fallit; neque quisquam ex Graecis *Κυθέρειαν Αφροδίτην*, non ipso Homerus, qui toties inculcat *Φοῖβος Ἀπόλλων*, quod solus et semel imitatus est Virgilius Aen. III, 251.

Alterno terram quatunt pede; dum gravis Cyclopum
 Vulcanus ardens visit officinas.

v. 8. Vulg. *Urit*.

„*Quae Phoebus pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo Praedixit.*“ Defendi itaque poterit noster hoc Virgillii exemplo. Nam de mendo suspicari vetat omnium librorum consensio. Quibus adde Marium Plotium de metris p. 2662. *Logaedicum Archebulium fit duobus dactylis et duobus trochaeis, sive trochaeo et spondaeo. Iam Cytherea choros verius dat.* Ubi ex metro ipso manifestum est legi oportere *Venus dat*: atqui iste versiculus ex nostro expressus est, et receptam lectionem stabilis.

8. *Dum graves Cyclopum Vulcanus ardens urit officinas*] Vir magnus Iulius Caesar Scaliger in Poetices lib. VI, p. 882. conecquere ista non potuit. *Non urit, inquit, caminos: deficerent enim. At non deficiunt. Melius, urget officinas: quippe magistri est operas urgere.* Haec Scaliger; quem nostri Interpretes, etsi quavis data occasione libenter ei obtrectant, intactum hic loci dimittunt: nec interea tamen aut audiunt momentem, aut alia via locum expediunt. Vere profecto et acute Scaliger: quamquam incautius posuit *caminos*. Quidni enim urantur camini? Iuvenalis XIV, 118. „*Incude assidua, semperque ardente camino.*“ Ovid. Fast. IV, 473. „*Antraque Cyclopum positis exusta caminis.*“ Sed aliud plane est urere *officinas*: quippe eo pacto et totam tabernam et omne operis instrumentum una combureret; quod de Vulcano tabernae domino suspicari festivum sane esset. Neque illud Propertii, quod huc adducit Passeratius, Eleg. II, 1, 54. „*Colchis Ioliciacis urit aënae foëis.*“ alio modo par vel simile est. Urantur enim quotidia aëna, salvis tamen officinis. Illud quoque a Scaligero praeteritum miror; quam infecto bina illa iungantur *ardens et urit*. Exclamare prorsus licet, *His tactor vitas*: adeo ut geminatus ille calor iam merum frigus spitare videatur. Omnino itaque mallem cum Scaligero *urget officinas*; cum vel a puero meminerim illa Vulcani apud Virgil. VIII, 439. „*Tollite cuncta, inquit, coeposque auferite labores, Aetnaei Cyclopes, et huc advertite mentem. Arma ardua faciunda viro: nunc viribus usus, Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra: Praecipitate moras.*“ Agnoscis, opinor, magistri verba quam acerrime operas *urgentis*. Sed tamen aliud longe melius subministrant priscae membranae. Leidensis enim octingentam annorum codex verissime exhibet. „*Vulcanus ardens visit officinas.*“ Quo modo et Lambini aliquot, et Colbertinus pro varia lectione, et Bodleianus, ubi *vissit* scriptum est; et qui his omnibus antiquior est Plotius Grammaticus p. 2663. *Logaedicum, inquit, Archilochi Ithyphallicum fit quatuor dactylicis pedibus et tribus trochaeis. Exemplum hoc est: „Alterno terram quatunt pede, dum gravis Cyclopum Vulcanus ardens ussit officinas.*“ Ubi hodie quidem, ut vides, editum est *ussit*; sed sine dubio librorum culpa pro *vissit*: quo vocabulo nihil Horatianae sententiae aptius vel fingi vel optari potest. Noster alibi de Venere, Carm. III, 28. „*Quae Paphon Iunelis visit oloribus.*“ Virgil. Aen. IV, 143. „*Qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluentem Descriit, ac Dohum maternam invisit Apollo.*“ Ovidius in Arte, II, 579. de ipso Vulcano, „*Fingit iter Lemnon, veniunt ad foedus amantes: Implicili laqueis nudus uterque iacent.*“ Apollonius Rhodius III, 40. ὡς ἐντύνσασθε θεῶν λίχος Ἠρατόνοιο, ἀλλ' ὁ μὲν ἐπὶ ΧΑΛΚΕΩΝΑ καὶ ἄμωρος ἦν ΒΕΒΗΚΕΙ Νήσοιο πλαγκτῆς ἐπὶ πόντον, ὃ ἐνὶ πάντι Δαίδαλα χάλκωνεν ὄνην πηρός. ἢ δ' ἔπερ μούνη Ἠερο δάμωθ' ὄνοτον ἐνὰ θρόνον ἄντα θροάων. Ubi habes Venerem, non ut hic ad lunam choreas celebrantem, sed ut frugi matremfamilias, domi manentem, et domestica negotia capessentem, dum Vulcanus maritus suum Iliparae *visit officinam*. Haec scripseram, cum sero animadverti ingeniosissimum Rutgersium ante me maluisse *vissit*, et insuper locum Apollonii huc attulisse.

- Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
 10 Aut flore, terrae quem ferunt solutae.
 Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
 Seu poscat agna, sive malit haedo.
 Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas,
 Regumque turris. ô beate Sesti,
 15 Vitae summa brevis spes nos vetat inchoare longam.
 Iam te premet nox, fabulaeque Manes,
 Et domus exilis Plutonia: quo simul mearis,

12. *Seu poscat agnam sive malit haedum*] Ita scriptum in tribus Lambini. Unus Cruquii et Bersmanni cum meis Zulichemiano et Regine societatis, *Agnam*, et, *haedos*. Quod paulo propius accedit ad veram lectionem, et plurimum et vetustiorum codicum suffragiis inrixam, *Seu poscat agna, sive malit haedo*. Servius ad Virgil. Eclog. III, 77. Cum faciam vitula. *Figurate, faciam vitula, ut faciam ture, faciam agna*. Horat. „*Seu poscat agna, sive malit haedo*.“ Ita legitur etiam apud Marium Victorinum p. 2575. et Plotium 2659. Codex Graevianus in margine: „*Deest*, immolari sibi.“ Rectissime: et profecto si *agnam* et *haedum* legeris, nihilo scilicet subaudiendum erit extrinsecus, *Seu poscit agnam immolari sibi*. Atqui tam bene Latine dicitur, poscit *agna* sibi immolari, quam, poscit *agnam* sibi immolari. Macrobius Saturn. III, 10. „Quando enim diceret Virgilius, *Caecolum regi maectabam in litore taurum*: si sciret *Tauro immolari* huic deo vetitum? aut si comprehendisset, quod Atteius Capito comprehendit, cuius verba ex libro I. de iure Sacrificiorum haec sunt: *Itaque Iovi tauro, verre, ariete immolari non licet*. Labeo vero LX et VIII libro intulit, nisi Neptuno, Apollini et Marti *taurum* non immolari.“ Frustra igitur Grammatici hic quaerunt nodum in scirpo. Illud tamen fortasse pugnabunt, *poscat agnam* hic legi oportere, ut in Epod. XVII, 38. „*Paratus expiare, seu poposceris Centum iuvenos*.“ Verum ibi codex meus Battellianus, bonae notae, clare exhibet, *centum iuvenos*; quae vera scriptura est, tamque huius loci lectionem confirmat, quam ab ea invicem confirmatur.

16. *Iam te premet nox fabulaeque manes*] Dubitare poteris plurimae numero hic accipiatur *fabulae*, an genitivo singulari. Hoc ille maluit, quicumque fuit, qui margini codicis Graeviani hoc Scholion allevit, *Fabulae, genit: singul. pro Fabularum*. et Prudentius, perpetuus Nostri imitator, Contra Symmachum I, 190. „*Et tot templa deum Romae, quot in orbe sepulchra Heroum numerare licet: quos fabula manes Nobilitat, noster populus veneratus adorat*.“ plane hunc locum in animo habuit. Illud tamen secutus videtur Persius, cum dixit V, 152. „*cinis et manes et fabula flos*.“ Utrumlibet elegeris, eodem fore res redit.

17. *Et domus Exilis Plutonia*] Daniel Heinsius, et Barthius, cum Advers. XXX, 13. tum ad Statii Thebaida I, 56. legit: „*Et domus exilii*.“ Nihil umquam vidi dilutius. *Domus exilis*, est egena et inops, sine supellectile et penu: ut alibi Epist. I, 6, 45. „*Exilis domus est, ubi non et multa supersunt, Et dominum fallunt, et prosunt furibus*.“ Sic *tenuis penates* Seneca in Hippolyto v. 209. „*Cur in penates rarius tenues subit Haec delicatas eligens pestis domos?*“ Sic *gracilem larem* Apuleius in Apologia. „*Sed quod vivo gracili lare, quod pauciores servos habeo*.“ Probant hoc et sequentia, *Nec regna vini*. Nihil, inquit, ibi reperies, quo bene sit: neque conviviis, nec amoribus indulgendi facultas erit, aut locus commodus. Neque vero hic quemquam offendere debet geminum Epitheton, *exilis Plutonia*, quod tamen alias rarum est. Sic enim et alibi, eadem plane forma, Epist. II, 1, 157. „*sic horridus ille Deslucit numerus Saturnius*.“ Et Virgil.

- Nec regna vini sortiére talis;
 Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus
 20 Nunc omnis, et mox virgines tepebunt.

V.

AD PYRRHAM.

- Quis multa gracilis te puer in rosa
 Perfusus liquidis arguet odoribus
 Grato, Pyrrha, sub antro?
 Cui flavam religas comam,
 5 Simplex munditiis? heu quoties fidem
 Mutatosque Deos flebit, et aspera
 Nigris aequora ventis
 Emirabitur insolens;

Aen. X, 408. „*extenditur una Horrida per latos acies Volcania campos*.“ Et Seneca Oedip. v. 228. „*Imminens Phoebea laurus tremuit, et movit domum*.“

18. *Nec regna vini sortiére talis*] Codex Reginensis: *Nec regna talis sortiéro vini*. Quae verborum collocatio magis aperte indicat *talis esse τοῖς ἀστειγῶλοις*. Frustra sane sunt, qui damnatam interpretationem *talis vini*, hoc est, *tam generosi*, recoquere nuper et resuscitare voluerunt. Quasi vero vel vilissimi vini copia esset in domo Plutonia. *Magisterium vini, regnum vini* recte dixeris: *regnum vini boni, regnum vini talis*, nequaquam. Usus et sensus repugnant.

19. *Nec tenerum Lycidan*] Codex inter optimos Reginensis cum duobus Torrentii Graeca forma habet *Lycidan*. Recte: Sic alibi Serm. II, 4, 3. „*Pythagoran Anytique reum doctumque Platona*.“ Ita et Virgilius [Ecl. II, 15. IX, 10] *Menalcas*: et alii passim alia.

8. *Emirabitur insolens*] Sic miro consensu Codices; atque ita Donatus, qui ad Terentii Eunuch. V, 8, 8. hunc locum adducit Flacii: et tamen illud emirandum est vel maxime, neminem quemquam eo vocabulo usum esse praeter Nostrum, idque hoc tantum loco. Quid vero tam dignum in se continet *emirari*, ut vox nova plane procudi debuerit? *Emirari*, aiunt Interpretes, est magnopere et valde mirari. Atqui et vox notissima *demirari* eandem omnino vim habet. Terent. Heccyra IV, 1, 14. „*Demiror, quid sit, quamobrem*“ etc. ubi recte Donatus, *Demiror, valde miror*. Certe tanti non erat, ut verbum prorsus novum fingeret Noster, nec tamen quicquam sententiam adiuveret. Facile quidem foret substituere *demirabitur*; sed si id ab Horatii manu esset, minime omnium credibile est, tam usitatum verbum in tot libris potuisse corrumpi, ut alterum, et inauditum et nihilo significantius, ubique eius vicem teneret. Quid, quod neutra quidem ratione confieri res potest: remanet enim in oratione ipsa subabsurdum quid et secum pugnant: *Quoties, inquit, emirabitur insolens!* Atqui si *toties* emirabitur, quomodo, quaeso, *insolens*? Certe non nisi prima vice *insolens* erit, post illam *expertus* et magis magisque *assuetus* futurus. Haeret itaque hoc negotium. Solus codex Reginensis, quantivis sane pretii, suspicionem mendii hic praebuit, qui clare habet *et mirabitur*, punctulo sub Tposito a manu secunda, quo delendam esse literam aliquam notare solent librarii. Nempe corrigere locum voluerunt ad aliorum exemplarium fidem. At cur non potius legamus, levissima quidem mutatione, sententia autem commodissima; „*heu quotiens fidem Mutatosque Deos flebit! et aspera Nigris*

Qui nunc te fruitur credulus aurea,
 10 Qui semper vacuam, semper amabilem
 Sperat, nescius aurae
 Fallacis, miseri, quibus
 Intentata nites, me tabula sacer
 Votiva paries indicat avida
 15 Suspendisse potenti
 Vestimenta maris Deo.

VI.

AD AGRIPPAM.

Scriberis Vario fortis et hostium
 Victor, Maconii carminis alite,
 Qua rem cumque ferox, navibus aut equis,
 Miles te duce gesserit.

v. 3. Vulg. *Quam rem.*

aequora ventis Ut mirabitur insolens? Notum illud Virgilio est: [E. VIII, 41.] „*Ut vidi, ut perii? ut me malus abstulit error?*“ Et Catull. LXVII: „*Ut tibi tum toto pectore sollicitae Sensibus creptis mens occidit?*“ Et loco ut facillime obrepere potuit, quia prima cuiusque versus littera olim minio describi solita est; atque ideo a librariis plerumque omittabatur, ab aliis postea supplenda. Huc adde, quod in vetusta editione Donati Argentinae MDIII. non *emirabitur* invenies, sed *et mutabitur*; in quo vestigia priscae lectionis aliquatenus extant.

3. *Quam rem cumque feroe navibus aut equis Miles te duce gesserit?* Vereor ut recto talo stare possit haec lectio; licet prima fronte sana esse videatur; et cum in plerisque omnibus libris, tum et in Victorino sic hodie extet, p. 2614. Quid enim? An *quacumque* rem gesserit Agrippa, sive mediocrem sive leviculam et nullius momenti, dignum *Maconio carmine* argumentum erit? An *victor* erit hostium, etiamsi *male* rem gesserit? nullus dixeris. Profecto *quacumque rem gesserit* non sunt eius verba, qui laudat Agrippam; sed vituperantis potius, nihilque magni de eo pollicentis. Cicero ad Lentulum Epist. I, 9. „*Huc accessit commemoranda quaedam et divina Caesaris in me fratremque meum liberalitas, qui mihi, quascumque res gereret, tuendus esset: nunc in tanta felicitate tantisque victoriis, etiamsi in nos non is esset qui est, tamen ornandus videretur.*“ Ubi luce ipsa clarius est, *quascumque* res ita opponi *tantis victoriis*, ut parvas maximis, male gestas felicissime gestis. Libenter itaque sequor, quam ex suis libris Muretus lectionem protulit, Var. Leet. IX, 7. „*Qua rem cumque feroe navibus aut equis.*“ *Quacumque*, hoc est, sive *navi* sive *terra*; id enim sibi volunt *navibus aut equis*. Florus II, 2. „*Ostendit nihil interesse virtutis, equis an navibus, terra an mari dimicaretur.*“ Livius XXIII, 40. „*Navalibus sociis armatis, ut terra rem gereret.*“ XXVIII, 23. „*Ut terra marique communi consilio rem gererent.*“ Nepos in Hamilc. I. „*Cum ante eius adventum et mari et terra male res gerebantur.*“ Rem autem gerere, sine epitheto vel adverbio, dicebant. Valerius Max. II, 7, 10. „*Cum apud Contrebiam res gereretur.*“ Plinius XII, 31. „*Res in Arabia gessimus, et Romana arma in magnam partem eius penetravere.*“ Seneca de Constant. 19, 4. „*Fas enim rem geritis, illi parva victoria est.*“ Gualterius Chabotius, Vir eruditus, legit potius *πληθύνειν* qua *res cumque*; quia *ἐνικώς*, ut ait,

5 Nos, Agrippa, neque haec dicere, nec gravem
 Pelidae stomachum cedere nescii,
 Nec cursus duplicis per mare Ulixei,
 Nec saevam Pelopis domum

rem gerere de re privata dicitur, numquam de publica, nisi habeat secum epitheton *prosperae, male*, vel simile quid. Sed in eo fallitur, ut videre est ex locis iam citatis, quibus alia, si opus esset, possem adficere. Ceterum, nisi longius paullo id a libris recederet, non male legere poteris, ut *rem cumque feroe*; i. e. *quandocumque* sive *quandocumque*. Sic enim alibi Noster Carm. IV, 2, 33. eadem omnino qua hic sententia. „*Concines maiore poeta plectro Caesarem, quandoque trahet feroeos Per sacrum clivum, merita decorus Fronde, Sicambros.*“ Quid quod adhuc propius ad vulgatam lectionem accedere est, eodem sensu, „*Quam rem cumque feroe*“: Quidni enim *quacumque* tam commode dicere poteris, ac *quandocumque*? At non extat, inquis. Hodie quidem, tot libris deperditis: qui tamen et ipsi fortasse, nisi corrupti essent, hoc verbum exhiberent. Certe in Senecae Oedipode v. 648. „*Proinde pulsam finibus regem oculos Agite caulem: quodcumque funesto gradu Solum relinquet, vere florifero virens Reparabit herbas: spiritus puros dabit Vitalis aura, veniet et silvis decor.*“ ubi membranae habent *quocumque, quodcumque, quacumque*: vix aliud a Senecae manu proficisci potuit, ac *quacumque*. Quippe sententia est, *quandocumque, quum primum* solum relinquet. Neque aliud ac Thebaicum solum intelligit, quod tum peste ac fame laborabat.

7. *Nec cursus duplicis per mare Ulyssaei* Velus Scholiastes: „*Amphibolan: nam et duplicis Ulixei potest accipi, quod significat callidi; et duplicis cursus per accusativum pluralem, id est, itus ac reditus.*“ Ita iam olim dubitatum est, de sententia huius loci; inde nata ambiguitate, quod veteres accusativum pluralem in is efferebant in iis nominibus, quibus genitivus exiret in ivm. Et proinde veteres quique codices hic habent *duplicis*, recentiores plerique *duplices*. Priscianus tamen p. 562. „*Ulyces pro Οδυσσεύς, quod ostenditur in genitivo Ulyxci. Horatius in I. Carm. Nec cursus duplices per mare Ulyxci.*“ Et sic tres libri scripti, quos consului. Sed pag. 723. ubi eadem repetuntur, nunc extat *duplicis*: cum tamen iidem codices etiam illic habeant *duplices*. Reliquum est igitur, cum in scriptura tam parum auxilii sit, ut sententiam ipsam discentiamus. Sine dubio Noster intelligit Argumentum Odysseae; ut et *Pelidae stomachum Μῆνιν Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος* sive Iliada notat. Recte itaque Odysseam vocaveris, *cursus Ulixei duplicis*: si modo *duplex* virum callidum et versutum significet. Sic enim Auctor Priap. de Odyssea [68, 19.]: „*Altero materia est error fallentis Ulixei.*“ Inde Statio varius dictus est Ulixes, Achill. II, 172. „*qui callida dona, Graiorumque dolos, variumque ignorat Ulixem.*“ Ita aliis dicitur *fallax, pellax, furtis aptus, πολίτροπος, πολιτροπος, Εὐδῶς παντότροπος τε δόλους καὶ μῆδεα πονεῖ.*“ Et sane Graecis *δωλοῦς ἀνὴρ* est, qui aliud loquitur, aliud sentit. Nemo tamen Latinorum, excepto si forte Nostro, eiusmodi hominem *duplicem* vocavit. Nam quod Muretus offert ex Catullo Epig. LXVIII, 51. „*Nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam.*“ aliud plane est, et ad *duplicem sexum* referri debet, quia Venus Amathusia et mas et femina erat; ut recte Vossius ad Catullum, et ante eum Meursius in Cypro sua lib. I, c. 8. Sic Statio Centaurus Hylaeus dicitur *duplex*, quia partim homo, partim equus. Theb. IV, 140. „*Non aliter silvas humeris et utroque refringens Pectore, montano duplex Hylaeus ab antro Praecipitat.*“ Videndum itaque erit, an *cursus duplices* commode interpretari queas. Ubi illud primum quivis videat, in eo falli Scholiastam, quod *cursus duplices Ulixei, itum et reditum* intelligit. Neque enim quicquam in Odyssea est, de ita Ulixei ad Ilium;

Conamur, tenues grandia: dum pudor,
 10 Inbellisque lyrae Musa potens vetat
 Laudes egregii Caesaris et tuas
 Culpa deterere ingeni.

neque in eo alios casus passus est Ulixes, quam quivis alius Ducum. Meliorem forte viam insistunt, qui *cursus duplices*, hunc per mare internum, illum per externum sive Atlanticum interpretantur; quos inter est Isaacus Vossius loco citato, qui huc trahit illa Manilii II, 4. de Ulix: „*Erroremque ducis totidem, quot vicerat, annis Instantem bello, geminata per aequora ponti:*“ Et *geminata aequora* ea ratione exponit, qua hic *duplices cursus*. Sed pace tanti viri dixerim, nihil ex tam mendoso loco colligi poterit. Quid enim est, *errorem instantem bello*? Et quaenam porro *bella* gessit Ulixes per alterum decennium a Troia capta? *Ponto* etiam habent manuscripti omnes, etiam et Vossianus; et qua fide *ponti* ex eo citet, ipse viderit. Si quid in re paene deplorata tentandum esset, equidem sic libens reponerem: „*Erroremque ducis totidem, quot fecerat annis Instantem bello, et geminata pericula ponto.*“ Certe Gemblacensis cum duobus aliis *per agmina*, Vossianus cum tribus aliis *per aequora*; ut utrumque librarium commentum esse iure suspiceris. *Fecerat* autem quatuor habent codices cum editionibus primis: *Errorem*, ait, *totidem annis, quot fecerat* sive scripserat Homerus eum bello instantem. Tibullus II, 3, 42. „*Praeda vago iussit geminare pericula ponto, Bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.*“ Sed ecce in aliam iam coniecturam incidi, quam praestare tibi aasim certam liquidamque. Cum enim veterrimi codices Gemblacensis, Lipsiensis, Venetus uno consensu praeferrant, „*geminata per agmina ponto;*“ in illis utique vestigiis emendatio instituenda est. Repono igitur, *geminataque Pergama ponto*. Eleganter, et argutia vere Maniliana. Sic Claudianus de Bello Get. v. 387. „*Et Trebiam socio geminassent funere Cannae.*“ Quaecumque vera fuerit lectio, hoc interim certissimum habeo, nihil aliud Manilium voluisse, quam Ulixem tot annos in errore, quot in bello consumsisse. Claudianus in Laude Serenae. v. 26. de Ulix: „*belli pelagique labores, Et totidem saevi bellis, quot fluctibus, anni Coningii docuere fidem.*“ Ovid Art. III, 15. „*Est pia Penelope, lustris errante duobus, Et totidem lustris bella gerente viro.*“ Et Amor. II, 1, 31. „*Quique tot errando, quot bello perdidit annos.*“ Iam autem neque haec neque illud Manilii ad *cursus duplices* omnino faciunt; atque adeo paucos fore crediderim, quibus Vossii sententia rem attigisse videntur. Quippe eo sensu potius *cursus per duplex mare*, quam *duplices per mare cursus* dictum oportuit. Utraque igitur interpretatione tum *duplicis Ulixei*, quam *cursus duplices*, paulisper seposita, experiamur, an ex coniectura melius quicquam suppeditari possit. Et ut mihi quidem videtur, non magna mutatione non paullo elegantius aut dixit aut dicere potuit Noster, „*Et cursus reducis per mare Ulixei.*“ Ea sane Odysseae materia est: ut recte alibi Noster de Ulix: Epist. I, 2, 21. „*latumque per aequor Dum sibi, dum sociis reditum parat.*“ Non satisfacit itaque *cursus Ulixei per mare* ad argumentum Odysseae indicandum, nisi addideris *reducis*. Qui enim ex his verbis, nisi aliunde tibi compertum sit, poteris dignoscere, utrumne cursum velit ab Ithaca Troiam, an retrorsum a Troia Ithacam? Si *errorem* quidem cum Ovidio Manilioque dixisset, id utique verbum satis per se rem conficeret; quia tum, cum Troiam peteret Ulixes, minime erravit, sed in reditu dumtaxat. Nunc cum non *errorem*, sed *cursus* posuit; dubium profecto reliquit, reditumne hic voluerit an abitum. Quare pene inducor, ut credam, non aliter scripsisse Horatium, quam *reducis*; et sic sane illi de re eadem. Statius Silv. IV, 2, 4. „*Acinoique dapes mansuro carmine monstrat, Aequore qui multo reducem consumpsit Ulixem.*“ Silv. II, 7, 49. „*Nocturnas alii Phrygum ruinas,*

Quis Martem tunica tectum adamantina
 Digne scripserit? aut pulvere Troico
 15 Nigrum Merionen? aut ope Palladis
 Tydiden superis parem?
 Nos convivia, nos proelia virginum,
 Strictis in iuvenes unguibus aerium,
 Cantamus, vacui, sive quid urimur,
 20 Non praeter solitum leves.

VII.

AD MUNATIUM PLANCUM.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
 Aut Ephesum, bimariseve Corinthi

v. 18. Vulg. *Sectis*.

Et tarde reducis vias Ulixi, Et puppem temerariam Minervae Trita vaticibus orbita sequantur. Silv. II, 1. 118. „*Maenium sive ille senem, Troiaequelabores Diceret, aut casus tarde remeantis Ulixi.*“

11. *Pulvere Troico*] Illustrissimus Nic. Heinsius in ora libri sui: „*Forte Troio.*“ Vide nos ad Carm. III, 3. v. 32.

18. *Proelia virginum Sectis in iuvenes unguibus aerium*] Iterum Nic. Heinsius: „*Sectos Gronovius legit.*“ In libris editis Gronovii non memini reperisse; verum hoc vel colloquio vel per Epistolam cum Heinsio communicari potuit. Caeterum viro longe acutissimo non potuit non displicere lectio vulgata. Quorsum enim *sectis* unguibus? Iam tibi dicent interpretes, festive oppido hoc dictum esse: ut notet virginum repugnantium proelia non vera esse, sed simulata: ideo enim sibi unguis secare, ne ora secent amatoribus. Itane vero? an et ideo addidit, *aerium*, ut tam festivum hoc deprendere-mus? Sane si usque adeo sunt *acres*, iam periculum erit, ne serio et infestis unguibus in oculos involent. Propert. III, 6. 3. „*Cum furibunda mero mensam percellis, et in me Proivcis insana cymbia plena manu. Tu vero nostros audax invade capillos. Et mea formosis unguibus ora nota*“ Ovid. Oenone Par. V, 141. „*Id quoque luctando; rupi tamen ungue capillos; Oraque sunt digitis aspera facta meis.*“ Art. II, 451. „*Ille ego sim, cuius laniet furiosa capillos: Ille ego sim, teneras cui petat ungue genas.*“ Claudianus in Epithal. Palladii et Celerinae v. 134: „*concede marito Tu quoque, nec Seythicas infensis unguibus iras Exercere velis.*“ Iam vides, non *sectis* iocose, sed vere iratis unguibus amatorum ora lacerabant. Neque tamen pari hic felicitate versatus est Gronovius, ac alias plerumque solet. *Sectos iuvenes*, et *acres unguibus in iuvenes*, non sapiunt ad elegantiam Flacci. Quid quod *secundas* potius quam *sectos* oportuit, si ita loqui voluisset. Sed quid multa? Certissima emendatio est, quam et ipse Gronovius, si in vivis esset, continuo amplecteretur, „*Strictis in iuvenes unguibus aerium.*“ Quod cum sic olim compendiose scriberetur, *stetis*, literula *i* supra *t* posita; ut norunt qui scriptos codices versavere; proclive erat, ut stupore librarium degeneraret in *sectis*. Caeterum ordo est, *strictis in iuvenes, non aerium in iuvenes*. Ovid Amor. I, 6, 14. „*Non timeo strictas in mea fata manus.*“ Trist. V, 2, 30. „*Ut laceam strictas in mea fata manus.*“ Statius Theb. III, 535. de aquilis loquens: „*Invasere globum nivei gregis, uncaque pandunt Caedibus ora novis, et strictis unguibus instant.*“

1. *Claram Rhodon, aut Mitylenen*] Imitatus est Martialis IV, 55, 4. „*Argivas generatus inter urbes Thebas carmine cantet aut Mycenae; Aut*

Moenia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insignis, aut Thessala Tempe.
5 Sunt quibus unum opus est intactae Palladis arces
Carmine perpetuo celebrare, et
Undique decerptam fronti praeponere olivam.
Plurimus in Iunonis honorem

v. 5. Vulg. Palladis urbem. 7. Decerptae fronti.

claram Rhodon, aut libidinosae Ledaens Lacedaemonis palaestras." Et iterum X, 68, 1. „Cum tibi non Ephesos, non sit Rhodos, aut Mitylene, Sed domus in vico, Laelia, Patricio."

5. Intactae Palladis urbem] Athenas sic recte dixeris: quis negat? Sed tamen, cum unus Bersmanni habeat *arceem*, non *urbem*; et Lambini aliquot cum optimo meo Reginensi *arces*; longe prior erat mutatio a figurata voce *arces* in tritissimam *urbem*, quam retrorsum ab *urbem* in *arces*. Statius Theb. VII, 184. „cara submovit ab arce Hostiles Tritonis aquas." Et IV, 136. „Illum Palladia sonipes Nemeaeus ab arce Detulit." Ovid. Pont. IV, 1, 31. „Arcis ut Actaeae vel eburna vel aenea custos, Bellica Phidiaca stat dea facta manu." Et Metam. VI, 70. „Cecropia Pallas scopulum Mavortis in arce." Sed adhuc figuratius *arces* dicere solebant, etiam cum de una arce loquebantur. Valerius Flaccus V, 646. „anno ego clara Mycenis Culmina, virgineas praeder si Cecropis arces." Auctor Epigram. [Priap. 56, 4.] „Pallas Cecropias tuetur arces." Virgil. Calice v. 29. „Urit Erichthonias Oriens non ignibus arces." Et Aen. XI, 477. „Nec non ad templum, summasque ad Palladis arces." Et Eclog. II, v. 61. „Pallas, quas condidit arces, Ipsa colat." Statius Theb. V, 100. „Erumpunt tecto, summasque ad Pallados arces." Rectius itaque, ni fallor, *arces* hic legeris, quam *urbem*. Nam in *Urbe* alii etiam Dii erant, in *arce* Pallas praesidebat. Livius XXXI, 30. „Urbis quoque suae (Athenarum) similem deformitatem futuram fuisse, nisi Romani subvenissent: eodem enim scelere urbem colentes Deos, praesidemque arcis Minervam petitam. Sed tamen sicuti altera lectio magis ariserit, per me quidem suum cuique arbitrium sit.

7. Undique decerptae fronti praeponere olivam] Haec, quae iam plerasque editiones occupat, lectionem primus, ut aiunt, invenit Erasmus, in vitis omnibus libris: sic enim in manuscriptis locus exhibetur, „Undique decerptam fronti praeponere olivam." Ac veteres quidem libros tuentur Turnebus et Torrentius cum paucis: pro Erasmo acerrime pugnant Lambinus, Marcilius, Dan. Heinsius, Dacierius aliique. Mihi vero, qui pro operis suscepti ratione certaminis huius expertus esse non possum, nihil sane commemrita videtur prisca lectio, quamobrem tam diu possessio loco cedere cogatur. Sunt, inquit, poetae, qui integra et iusta volumina conscripserunt de laudibus Athenarum; sive, quibus unum opus est de laudibus Athenarum perpetuum Carmen a prima urbis origine ad sua tempora deducere: atque ea ratione, „Undique decerptam fronti praeponere olivam:" hoc est, ex eo argumento undiquaque exhausto coronam sibi poeticam quaerere. Quid, quaeso, hic vides, quod merito culpetur? Quod vel morosissimi iudicis acumen reformidet? Nihil profecto aptius, decentius poni potuit; planeque ex Lucretianis his expressum videtur, quae bis quidem inculcavit magnus ille poeta; adeo in eis sibi placuit: I, 926. et IV, 3. „Acia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo: iuvat integros accedere fontis Atque haurire: iuvatque novos decerpere flores. Insignemque meo capiti petere inde coronam, Unde prius nulli velurunt tempora musae." Vides omnia ad amussim respondere; Hic decerpit flores, unde coronam temporibus nectat: Noster praeponit fronti olivam undique decerptam. Ita Cicero pro Sestio 56:

„Ut omni ex genere orationem aucuper, et omnes undique flosculos carpam ac delibem. Iam vero, quod obiciunt, non ex oliva coronam, sed heraceam vel lauream poetis convenire, id sane levissimum est. Nam pro varietate argumenti varias sibi adseiscunt coronas. Ovidius de Amoribus scripturus Myrteam sibi postulat, quia Myrtus Veneri dicata. Amor. I, 1, 29. „Cingere liorea flaventia tempora myrto, Musa, per undenos emodulanda pedes." I, 15, 37. „Sustineamque coma metuentem frigora myrtum, Atque a sollicito nullus amante legar." Art. II, 733. „Finis adest operi: palam date, grata iuventus; Sertaque odoratae myrtea ferle comae." Qui minus itaque de Athenis et Pallade scribentes coronam sibi sumant olivae, quae et Minervae sacra est, et Athenis nobilissima? Porro autem, qui in Athenarum laudem tam operosa carmina conscripserunt, eos Athenis natos fuisse probabile admodum est. Quae igitur invidia, si ex gentili arbore coronam sibi elegerint? ut decenter sane Hercules, apud Senecam, rem divinum facturum, ipse sibi populeam coronam aptat, Theseo vero oleagineam, utpote Atheniensi: Hercul. Fur. v. 913. „Populea nostras arbor exornat comas: Te ramus oleae fronde gentili legat, Theseu." Neque sane plaris est, quod interrogant, Quis mortalium sic unquam locutus est, Praeponere olivam fronti, pro eo quod est, frontem olea coronare? Atqui imponere coronam, imponere diadema, cum Ciceroni, tum aliis dictum est. Virgil. bis, Georg. I, 304. et Aen. IV, 418. „Puppibus et laeti nautae imposuere coronas." Quin et fronti imponere dixit Propertius IV, 2, 46. „Nec flos ullus hiat pratibus, quin ille decenter Impositus fronti languet ante meae." Quidni itaque tam Latine dixeris, praeponere olivam fronti, quam imponere olivam fronti? Quid distat? quid interest? Cum certe si rem ipsam consideres, nulla corona imponatur fronti, quin eadem et praeponatur. Valerius Flaccus III, 436. „glaucasque comis praetexere frondes Imperat." Tu vero ostende, quid discrepent praetexere glaucas frondes, et praeponere olivam. Quin et praecingere, eadem forma, dixit Seneca Medea v. 70. „Praecingens roseo tempora vinculo." Atque ita loenti sunt et Graeci Lyrici, a quibus Noster in Carminibus totus pendet, παραθέσθαι στίχων τὰς κόμας, quod est verbum de verbo, praeponere coronam capillis. Sappho apud Athenaeum lib. XV, p. 674. [fr. 77. Bk.] „Ὅ δὲ στίχωνος, ὠδῶν, παραθέσθ' ἑταῖς κομαῖσι. Tu vero coronas praepone amabilibus comis." Atque haec tenus de veteri lectione. Videamus porro, quid tum dignum protulerit Erasmus quique eum sequuntur: cur haec reiecta et repudiata, novam illam et commentitiam tam patienter admittamus; „Undique decerptae fronti praeponere olivam." Hoc est, ut ipsi interpretantur, omnibus omnium locorum et terrarum frondibus olivam anteponere. Bene sane: sed illud in primis scire cupio, quorsum pertineat decerptae, siquidem ea, quam volunt, sententia est? Quid sit decerpere olivam, fenum, florem; satis opinor intelligentis omnes. Iam quaero, cur non cuivis arbori, etiam sic stanti et intactae, olivam anteponerent? Quid ad rem, ut prius decerperetur frons quaevis, quam cum oliva compararetur? Nihil profecto invenustius vidi, ne dicam, ineptius. Lucretius loco iam citato, „iuvatque novos decerpere flores." Quamobrem sodes decerpere? nimirum ut ex iis sic decerptis corona fieret; „Insignemque meo capiti petere inde coronam." Similiter in veteri Lectione, „Undique decerptam fronti praeponere olivam." Quid ita decerptam, si interrogas: ratio in promptu est, ut corona inde facta fronti praeponatur; quod nisi decerpta prius fronde fieri non potest. Iam vero in novitia lectione, comminiscantur, si poterunt, ullam causam, vel ineptam saltem et pravam; quid referat in comparatione arborum, utra utri praeferenda sit, ut alterius frons decerpatur. Crediderim equidem, iam nunc eos iudicii sui poenitere; sed et aliud adhuc reliquum est nihilo minus poenitentium. Sic enim narant, eum, qui Athenas laudare instituit, ante omnia cuivis arbori praeponere debere Olivam, utpote a Minerva inventam, et in eius arce Athenis consecratam. Esto: et sane multa de Oliva Attica praedicant cum poe-

tae, tum rhetores et historici: sed in eo iam res vertitur, an ad Horatii sensum hoc faciat: aut cum iis quae praecesserant, non incommode connectatur. Dixerat noster, *Poetas esse nonnullos, quibus unum opus est Athenarum laudes perpetuo carmine prosequi*: adde iam istorum commentum, et dic; *Et Olivam omnibus arboribus anteferre*. Numquam tandem ineptiarum pigebit? An *perpetuum* eiusmodi carminis argumentum erat Olea? Quid? an reliqua Athenarum miracula, quorum ne centesima [quidem] pars erat olea, silentio erant praeteriunda? Vide modo pauca haec Ciceronis verba, pro Flacco cap. 26. „*Adsunt*,“ ait, „*Athenienses*, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae, atque in omnis terras distributae putantur;“ et quae sequuntur. Quantus vel in his pauculis campus aperitur, quem poeta decurrat: quam fecunda laudum materia vix multis libris exhaurienda. Adde veteres historias, adde nobilitates fabulas: haec omnia scilicet intacta transmittenda erant, ut *perpetuo carmine* suam oleam, quasi repetitam crambem, vel ad nauseam usque ponerent. Sine dubio quidem in tali poemate suam partem habuit Minervae olea; et, si id contendere velis, habuerit praecipuam. Sed quid tum postea? Ne hoc quidem posito, sic locutus fuerit noster: Sunt qui integris libris id solum argumenti sibi proponunt, ut Athenas omnibus laudibus in caelum tollant, et olivam cuilibet frondi anteferant: quod perinde esset ac si dixerit quis, Titum Livium CXL. libris Romanorum res gestas laudesque celebrasse, et nutricem Romuli Lupam. Viderint itaque, qui tam putidam orationem tam emunctae naris poetae pergent affingere.

Aliam viam instituit celeberrimus Thomas Gale à *μακαρίτης*, et pro recondita sua doctrina novam lectionem protulit ex historia vetere sibi oblatam; quae est huiusmodi; „*Undique decerptam fonti praeponebat olivam*.“ Fabula nimirum erat, apud Graecos decantata, Cum olim Neptunus et Minerva de Athenarum tutela certarent; placuisse Diis, ut eius esset urbs, qui minus melius mortalibus protulisset: Tunc Neptunum produxisse *fontem* (ut voluit Galeus) Minervam vero *olivam*, atque eam fonti, Diis iudicibus, esse praelatam. Hanc ab Horatio Historiam tangi arbitratus est vir eruditus, eiusque auctores laudat (quod ex ipsius codice comperi) Herodotum, Himerium Sophistam, et Lucium Ampelium. Enimvero multa sunt, quae coniecturam hanc aut minus probabilem faciunt, aut funditus evertunt. Quippe alia plane fabulae huius narratio, apud Romanos praesertim, invaluit, non *fontem* scilicet, sed *equum* prosluisse, cum Neptuno terram percuteret; unde Virgilius Georg. I, 12. „*Atque o, cui primis fomentum Fudit equum magno tellus percussa tridenti, Neptune*.“ Ovidius Metam. VI, 75. „*Stare Deum pelagi, longoque ferire tridente Aspera saxa facit, medioque e vulnere sari Evulsiisse forum*.“ Et parum verisimile sit, nostrum ab amicis suis in narratiuncula hac discodere voluisse. Hoc primum: sed illud maius, quod nemo quisquam a Neptuno *Fontem* creatum narrat, sed *Mare*, sive *fluctum*. Ipse Herodotus, a Galeo testis laudatus, VIII, 55. *Θέμισσας* mare nominat, et similiter Apollodorus III, 14. Himerius quoque apud Photium p. 1134. *Κήρα* fluctum appellat, quo modo et Pausanias in Atticis cap. 24. Staius denique, ubi hoc deorum certamen memorat, Theb. XII, 632. „*Ipse quoque in pugnas vacuatur collis, ubi ingens Līs superum, dubiis donec nova surgeret arbor Rupibus, et longa refugum mare frangeret umbra*.“ satis clare, opinor, indicat, Neptunum *mare* tum creavisse: quamvis Laetantius ibi, prorsus repugnante Poeta, *Equum* ex recepta traditione substituit. „*Collem*,“ inquit, „*Acropolis dicit arcem Thebarum* (immo vero lege, *Athenarum*) *de qua Neptuno et Minervae dicitur fuisse certamen: percussa Neptuno terra Equum dedit indicium belli, Minervae vero Olivam pacis insigne. Magnitudinem arboris ostendit ex umbrae aequalitate qua obscurat*.“ Ubi iterum repono, *umbrae quantitate*. Testis tertius Ampelius, citatus non respondet: nihil enim quicquam de hac re narrat is, qui a Salmasio in lucem editus est: alium autem Ampelium nescio. Iam vero cui persuaderi poterit, vel mare ipsum vel salsos

Aptum dicit equis Argos ditesque Mycenae.
 10 Me neque tam patiens Lacedaemon,
 Nec tam Larissae percussit campus opimae,
 Quam domus Albuncae resonantis,
 Et praeceps Anio, ac Tiburni lucus, et uda
 Mobilibus pomaria rivis.

v. 9. Vulg. *Dicit*. 10. *Nec tam*. 13. *Et Tib*.

Neptuni fluctus *Fontis* nomine notavisse nostrum? Adde, quod quaecumque contra Erasmi coniecturam superius disseruimus, eadem omnia vel iis plura adversus hanc militant. Quorsum enim *decerpta* oliva, ut cum Fonte comparetur? Quorsum *Undique decerpta*; cum secundum hanc sententiam solae Atticae, quae *Mogiae* vocatae sunt, intelligi debuerint? Quorsum denique in *perpetuo carmine*, quo Athenarum laudes undique congestae fuerint, solius olivae mentio? Ut semel dicam; in refingendo hoc loco perdidierant plane operam tot viri eruditi; cum vulgata lectio et recta sinceraque sit, et eorum commentis longe melior, et sola suo auctore digna.

9. *Aptum dicit equis Argos*] *Dicit* bis citatur apud Servium Aen. I, 24. et XI, 246. atque ita habent meliores duo libri Pulmanni, Bersmanni unus, et ex meis Graevianus, Zulich. Batt. Magd. quibus accedit Laurentianus Torrentii in quo est *ducel*. *Dicit* igitur Argos, ut antea, *laudabant* Rhodon. Ceterum non improbat Torrentius, quod in suo codice invenit, *ducel*; cum tamen pessime interpretetur. Equidem, si animus esset lectionem istam defendere, Propertianum illud potius huc allegarem, I, 7, 1. „*Dum tibi Cadmeae ducuntur, Pontice, Thebae. Armaque fraternae tristia militiae*.“ Quippe pari omnino ratione dixeris, *ducel Argos*, ac *ducuntur Thebae*. Sed neque Propertii locus mendo vacat; et nollem elegantissimum Broukhusium contra omnes suos codices (ut fatetur ipse) sic edidisse. Revocanda scilicet vetus lectio est, *d i c u n t u r, Pontice, Thebae*: sollemnem enim id verbum est apud omnes poetas, ut apud nostrum passim: „*Dices laborantes in uno Penelope vitreamque Circeam. Et versis animosus equis Parthum dicere. Terrarumque situs, et flumina dicere, et arces Montibus impositas, et barbara regna*.“ Virgil. [G. III, 6.] „*Cui non dietus Hylas puer, et Latonia Delos?*“ Et alia innumera. Neque porro verisimile est, Thebaida suam ad Cycloiorum poctarum morem a Thebis conditis et ab ipsa Amphionis Lyra deduxisse Ponticum; sed statim ab Oedipodis orsum esse. Nullo tamen pacto tolerari poterit *Ducuntur Thebae*; nisi eam Thebarum *Κήρα* et origines in poemate suo evolvisse dixeris.

13. *Et praeceps Anio et Tiburni lucus*] Leve est, quod dicturus sum (si tamen quicquam in cultissimo poeta leve existimandum est) omnes fere codices habere *Anio* ae, non et. Quod sane venustius est, quam ut in uno versiculo et ter repetatur. Priscianus p. 654. „*Anien et Anio, Horat. Et praeceps Anio ac Tiburti lucus*.“ Verum ibi codex manuscriptus 600 annorum, ac *Tiburni*. Quae vera lectio est; et iam ab aliis satis superque vindicata.

14. *Mobilibus pomaria rivis*] *Pomeria* est in Graeviano, Reginensi, Galei, Batt. in Magdalenensi a manu secunda, in Bodleiano altero a manu prima, et in prisca editione Veneta. Sic etiam in uno Cruquii, qui ad hanc lectionem magis inclinare se profitetur. Sed in Cruquii, ut modestiam et probitatem numquam, ita iudicium et eruditionem saepe desideraveris. Marcilius autem legit, *Nobilibus pomeria rivis*. Perperam utrumque. Omnino recte habet *pomaria*. Quippe ut per totam Italiam *Pomaria* frequentissima erant, teste Varone de R. R. I, 2. „*Non arboribus consita Italia est, ut tota pomarium videatur?*“ ita in Tiburte et Picena regione omnium erant nobilissima. Staius in descriptione villae Tiburtinae, Silv. I, 3, 81. „*Quid*

- 15 Albus ut obscuro deterget nubila caelo
 Saepe Notus, neque parturit imbris
 Perpetuo: sic tu sapiens finire memento
 Tristitiam vitaeque labores
 Molli, Plance, mero; seu te fulgentia signis
 20 Castra tenent, seu densa tenebit
 Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
 Cum fugeret, tamen uda Lyaeo
 Tempora populea fertur vixisse corona,
 Sic tristis adfatus amicos:
 25 Quo nos cumque feret melior fortuna parente,
 Ibimus, o socii comitesque.
 Nil desperandum, Teuero duce, et auspice Teuero:
 Certus enim promisit Apollo

v. 17. Vulg. *Perpetuos*.

bifera Alcinoi laudem pomaria, vosque Qui nunquam vacui venistis in aëra rami? Columella X, 407. „*Et Tarni lacus, et pomosi Tiburis arva.*“ Noster Serm. II, 4, 70. „*Piceis cedunt pomis Tiburtia succo.*“ Symmachus Epist. VII, 18. „*Num ego scire postulo, quid in Tiburtibus pomariis literarum operis exerceas?*“ Et VII, 19, de Tibure: „*Nel si adhuc iuvat aestivos dies in pomariis tuis ducere.*“ Propertius IV, 7, 81. „*Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis.*“ Ut verissime et ingeniose emendavit Broukhusius; cum antea inscite ederetur, „*Ramosis Anio qua pomifer incubat arvis.*“ Quid enim volunt *ramosa arva*? Quid autem *fluvius pomifer*? Certe aliud egit limatissimi iudicii Vir N. Heinsius, cum locum Ovidii sic refinxit, Amor. III, 6, 45, de Aniene: „*Nec te praeletero, qui per cava sacra volutans Tiburis Argei pomifer arva rigas.*“ Iterum enim rogo, qui poterit Anio poma ferre? Nec tamen accedo celeberrimo Broukhusio, qui *spumifer* receptum hic olim lectionem frustra tuctur. Quippe inconcinnum ubique duplex Epitheton; hic autem eo magis, quod eodem fere recidit utrumque, *per cava sacra volutans et spumifer*. Proclive erat restituisse literam A a sequente absorptam: „*Tiburis Argei pomifera arva rigas.*“ Silius lib. IV, 224, de eadem re: „*Quosque sub Herculeis taciturno flumine muris Pomifera arva creant.*“ Nec verearis elisionem vocalis in posteriore parte Pentametri: etsi plerumque id caveat Ovidius. Sic Fast. II, 216. „*Silvaeque montanas occultare apta feras.*“ Et alibi non semel.

17. *Neque parturit imbres Perpetuos*] Servius ad Virgil. Georg. I, 460. „*Claro aquilone: serenifico, quia est et nubilus, sicut fere omnes venti.* Horatius: „*Albus ut obscuro deterget nubila caelo Saepe notus, neque parturit imbres Perpetuos.*“ Sic quidem Servii editiones: an manuscripti ita habeant, dubito. Certe Horatii vetustiores codices, tres Blandinii apud Cruquium, et ex meis optimi, Leidensis, Graevianus, Reginensis, cum duobus aliis clare exhibent *perpetuo*, quae melior lectio est. *Saepe*, inquit, Auster serenum facit, neque *perpetuo* parturit imbres. Ubi vides antitheta, *saepe, perpetuo*: quae in altera lectione dispererunt. Adde quod subabsurdum est illud *perpetuos*. Quid enim tantopere notandum, quod *perpetuos* imbres non parturiret? Imo vero ne ullo quidem modo id fieri aut concipi potest. Nam si ipsi imbres *perpetui* essent; tum Notus crearet imbres, cum non flaret, hoc est, cum ipse omnino non esset. Nisi forte velis Notum quoque perpetuum esse, perinde ac imbres: quo nihil absurdius.

27. *Teuero duce et auspice Teuero*] Invitus equidem hunc versum sollicito, qui tam apte pulchreque a Christianis hominibus παρωδιάζεσθαι

Ambiguam tellure nova Salamina futuram.

30 O fortes, peioraque passi

iam solet, „*Nil desperandum Christo duce, et auspice Christo.*“ Longe tamen se melius habet ea parodia, quam ipsa Horatii verba ut nunc quidem leguntur. Christus enim vere et dux noster et auspex; Teucer hic dux quidem suis erat, auspex an fuerit, dubito. Cur enim auspex? An quia oraculum Apollinis consulit? Cui unquam auditum est talem hominem *Auspice* vocari? An quia ipse vates, et interpres Apollinis? Quis tale de Teucro memoriae prodidit? An ex Romanorum more interpretabimur, *ut duce et auspice Teucro* perinde sit, ac *ductu et auspicio Teuceri*? ut scriptores quidem Latini passim loquuntur, *ductu utque auspiciis Augusti, Tiberii* etc. Sed neque apud ipsos Romanos quemquam inveneris, qui quae *Augusti auspiciis* gesta sunt, ea *Augusto auspice* gesta esse dixerit. Nemo, inquam, ita locutus est, *Auspice Caesare*. *Auspex* enim numquam de Homine usurpatur, nisi de eo qui proprie eo verbo signabatur. Ovidius quidem, ut nunc ibi fertur, Fast. I, 26, de Germanico Caesare: *Si licet et fas est, vates rege vatis habenas*; *Auspice te felix totus ut annus eat.*“ At editiones vetustae, et scripti plerique codices, in quibus unus est doctissimi amici Hadriani Relandi, rectius habent: „*Auspicio felix, totus ut annus eat.*“ Ut infra v. 168. „*Totus ab auspicio ne foret annus iners.*“ Ubicumque autem μεταφορῶς accipitur, non hominem sed Deum alicum notat. Ita Virgilius Aen. III, 20. „*Sacra Dionacae matri, divisque ferebam auspibus tantorum operum.*“ Et IV, 45. „*Diis equidem auspibus reor et Iunone secunda.*“ Noster Epist. I, 3, 13. „*Thebanos aptare modos studeat, auspice Musa.*“ Ovid. Fast. I, 615. „*Auspibusque Deis, tanti cognominis heres Omne suscipiat, quo pater, orbis onus.*“ Prudentius contra Symmachum II, 708. „*Numquid et ille dies Iove contulit auspice tantum Virtutis premium?*“ Avienus in Arateis. v. 1. „*auspice terras Linquo Iove.*“ Neque aliter unquam, nisi valde fallor, scriptores Latini. Lucanus quidem *Brutum* vocat *Auspice*, ubi nuptias describit Catonis et Marciae. II, 370. „*Pignora nulla domus, nulli coire propinqui; Iunguntur taciti, contentique auspice Bruto.*“ Et Seneca Troad. 864. Helenam: *Quicumque hymen funestus, illaetabilis Lamenta, caedes, sanguinem, gemitus habet, Est auspice Helena dignus.*“ Verum ibi proprie accipitur ea vox: cum notissimum sit, *Auspices* more sollemni nuptiis adhiberi solitos. Sane olim turbabant hic codices, ut ex vetere Scholiasta patet: „*auspice,*“ inquit, „*hoc est, fautore vel sponsore. Apollinem dicit, cuius responsa vel promissa sequebatur.*“ Ita etiam plane habet Aeron manu scriptus in Bibliotheca Regiae societatis; ita fere Cruquii Commentator. Atqui ea annotatio cum praesenti lectione conciliari non potest. Inde quoque est, quod duo Lambiniani cum totidem meis praefarent *auspice Teuceri*. Quae quidem lectio, quantumvis inepta, certe illud evincit, eius fabricatores non ad Teucrum, sed Apollinem *τὸ auspice* retulisse. Quid multa? Ipsam, credo, poetae manum repraesentabit, qui refinxerit versum ad hanc speciem: „*Nil desperandum Teuero duce, et auspice Phoebō.*“ Profecto longe meliores animos et certiorē spem suis sociis addidisset Teucer, si his verbis eos compellasset; quam si ad suam unius auctoritatem omnia retulisset: sub gemino enim illo praesidio nihil prorsus *desperandum* erat. Quid quod hanc videntur emendationem flagitare, quae proxime sequuntur: „*Certus enim promisit Apollo.*“ Quo enim pertinet illud *enim*, si in priore versu nihil quicquam de Apolline memoratum est? Quanto aptius haec cum superioribus connectuntur, si necum legeris, *Auspice Phoebō?* ut in illis Statii Silv. III, 5, 74. „*hic auspice condita Phœbo Tecla, Dicarchei portus.*“ Et Silv. II, 2, 38. „*reseretque arcana pudicos Phemonœ fontes, vel quos meus auspice Phoebō Altius immersa turbavit Pollius urna.*“ Neque vero illud te deterreat, quod continuo

Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas:
Cras ingens iterabimus aequor.

VIII.

AD LYDIAM.

- Lydia, dic per omnis
Te Deos oro, Sybarin e r properes amando
Perdere; cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque solis.
5 Cur neque militaris
Inter aequales equitat, Gallica nec lupatis
Temperat ora frenis?
Cur timet flavum Tiberim tangere? cur olivum
Sanguine viperino
10 Cautius vitat? neque iam livida gestat armis
Brachia, saepe disco,
Saepe trans finem iaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinae
Filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae
15 Funera; ne virilis
Cultus in caedem et Lycias proriperet catervas?

v. 6. Vulg. Equitel. 7. Temperet.

repetit, Apollo, „Certus enim promisit Apollo“: Tamquam satis fuisset in priore versu Phoebum nominasse. Sic enim alibi Romuli nomen subiungit, cum eum *περιπροστυζώς* iam nominasset, Carm. IV, 8, 22. *quid foret* Hiac Mavortisque puer, *si taciturnitas Obstaret meritis invida Romuli?* Atque alii ita poetae non raro.

2. *Te Deos oro, Sybarin cur properes*] Pulmanni aliquot codices Bersmannique cum meis Graev. Gal. Regiae Soc. Petrensi; et Marius Victorinus p. 2533, 2614, 2621. habent *Hoc deos oro*. Sed plures tamen libri cum Diomede p. 509. et Fortunatiano p. 2683, 2703. praeferrunt *te*. Utrumque probum est, sed hoc videtur concinnius: sic Serm. I, 7, 33. „*Per magnos, Brute, deos te Oro.*“

6. et 7. *Inter aequales equitel. — Temperet*] Vetustissimae Graevii membranae clare habent *equitel* et *temperet*. Quidni rectius? Sane hoc pacto *παθητικώτερον* fit oratio, si per interrogationem proferatur; quam si Lydiam narrare haec sibi iubeat. Mutata vero sunt a Librariis, quia praecesserant *properes* et *oderit*. Neque sane hic finem fecissent, quin et versu decimo *vitel*, *gestet* supposuissent; nisi obstitisset versus octavus, ubi ex *timet* fieri *timeat* mensurae ratio prohibebat. Quin et fortasse ipsum illud *properes* ex *oderit* natum est: cum tamen *το oderit*, teste Prisciano p. 1059, interrogative hic positum sit; et, ut idem ait p. 1146. tam Indicativi futurum sit, quam Subiunctivi. Poterimus igitur in versu primo legere *properas*; prout nunc extat apud Diomedem p. 509. Victorinum p. 2533. Fortunatianum p. 2683. et 2703.

IX.

AD THALIARCHUM.

- Vides, ut alta stet nive candidum
Soracte, nec iam sustineant onus
Silvae laborantes, geluque
Flumina constiterint acuto.
5 Dissolve frigus, ligna super foco
Large reponens; atque benignius
Deprome quadrimum Sabina,
O Thaliarche, merum diota.
Permitte Divis caetera: qui simul
10 Stravere ventos aequore fervido
Deproeliantis; nec cupressi,
Nec veteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge quaerere; et
Quem fors dierum eumque dabit, lucro
15 Adpone: nec dulcis amores
Sperne puer, neque tu choreas.

1. *Vides, ut alta*] Haec per interrogationem proferuntur in omnibus editionibus: quae tamen elegantius omittitur. Sic in Carm. III, 28, 5. „*Inclinare meridiem Sentis; ac veluti stet volucris dies, Parcis deripere horreo Cessantem Bibuli consulis amphoram.*“ Et sic Graeca Aleaxi, [fr. 34 Bgk.] unde haec ad verbum fere conversa sunt; „*Υει μιν ο Ζεις, εν δ' ορανω μέγας Χειμων, περιρασιν δ' ιδάτων ροαί.*“

7. *Sabina — diota*] Vir Doctissimus Thomas Gale legere maluit *Sabino*. Credo, quasi a Graeco *διώτης*. Neque dissimulandum est, in vetustissimis codicibus Graeviano et Reginensi, in illo praesertim, posteriorem a formatam videri ex *o*. Uteumque hoc fuerit; Graece certe *διώτος* vel *διώτης* diceretur; non *διώτης* nec *διώτη*. Neque enim ulla composita ex *Οις* terminationes eas recipiunt. *Μυρωσώτη* herba sic dicta citatur ex Aegineta: sed mendose pro *μυρωσώτης* vel *μυρός οίτα*. Hesychius tamen noster, *Ἐνώτιαις, ἐνωτίαις, τῆ προσωδία, ὡς φιλόταις, Σοφοκλῆς Αἰχμαλωτίαν*. Qui si locus sincerus esset, nesciremus tamen, utrumque in eadem recto *ἐνωτίης* fuerit an *ἐνώτη*. Sed omnino fallit nos Hesychius, et lippientibus oculis inspexit suos codices, unde ista descripsit. Quippe illi habuerunt *Ἐνώταις*, non *Ἐνωτίαις*. Auctor Etymologici Magni: *Ἐνωταίς, τοῖς ἐνωτίοις, ἀπό τῶν ταῖς τῶν ὄτων ὀταῖς κείσθαι, Σοφοκλῆς*. Vides hunc ex eodem Sophocle laudare *ἐνώταις*, et eadem plane significatione, qua alter suum *ἐνωτίαις*. Neque vero dubitabis, quin *ἐνώταις* rectius sit, tum quod ab *ὄτη* formetur, tum quod ut *φιλόταις* pronuncietur. Glossae Philoxeni: *Diota, ἀμυρότων, οἰνοφόριον*. Sed nec inde quicquam didiceris, generisne sit masculini, an feminini. Quare tutius est, ut in re adeo incerta plurimorum codicum auctoritatem sequamur.

16. *Neque tu choreas*] Displicet viro summo Iulio Scaligero pronomen *tu* hic intrusum. *Versus*, ait, *coëgisse videtur eum, ut pronomen interponeret*. Sane a codicibus Petrensi et Galeano abest *tu*; fortasse, quod et Librariis quoque otiose positum videbatur. Cur igitur iadem Virgilio ignoscunt, qui eodem plane modo locutus est, Aen. V, 156. „*Præcipitemque Daren ardens agit aequore toto, Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.*“ Et Homero, cum *ὄγε* sic usurpat Odys. B. 326. et alibi: „*Ἡτιώας*

Donec virenti canities abest
 Morosa; nunc et campus, et areae,
 Lenesque sub noctem susurri
 20 Composita repetantur hora:
 Nunc et latentis proditor intimo
 Gratus puellae risus ab angulo,
 Pignusque dereptum lacertis,
 Aut digito male pertinaci.

X.

AD MERCURIUM.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
 Qui feros cultus hominum recentum
 Voce formasti catus, et decorae
 More palaestrae:

*iz Πίλον ἔξει ἀνέντοκος ἡμεθάντος, ἢ ὄγεζαὶ Σαίοντες, ἐπίειρε περ
 ἴστα αἰρώς.* Seneca Herc. Fur. 1246. „Per sancta generis sacra, per
 ius nominis Utrumque nostri, sive me altorem vocas, seu tu parentem.

24. *Aut digito male pertinaci*] Inuitas est hunc locum Prudentius, in Praefat. Cathem. 14. „*Exim iurgia turbidos Armarunt animos, et male pertinax Vincendi studium subiavit casibus asperis.*“ Verum illic male *perlinax* est praefraete et obstinate pertinax; apud nostram autem alio sensu ponitur. Neque tamen est *parum pertinax*; ut vulgo exponunt; sed qui simulat se pertinacem esse, et tamen pertinaciam suam expugnari cupit. Eodem sensu Petronius c. 87: *Arrepsi tamen, et male repugnantem gaudiam extorsit.* Et noster alibi Carm. II, 12, 26. „*Et facili saevitia negat, Quae poscente magis gaudat eripi.*“

1. *Mercuri facunde, nepos Atlantis*] Laudant hunc versiculum Priscianus p. 739, Servius ad Aen. I, 521. et IV, 558. Caeterum in omnibus, quas vidi, editionibus male interpungitur: sic enim distinguendus est, „*Mercuri, facunde nepos Atlantis.*“ Quod cum ipsa sensus elegantia doceat, tum et Ovidii locus ex nostro manifeste expressus, Fast. V, 663. „*Clare nepos Atlantis, ades; quem montibus olim Edidit Arcadiis Pleias una Iovi.*“ Ubi obiter mendam occultissimam abolere poteris: quod miror equidem sagacissimum Heinsium non advertisse. Quid enim est Pleias una? An periculum erat, ne duabus matribus genitum esse suspicaremur? Tu vero lege meo periculo; „*Edidit Arcadiis Pleias una Iovi.*“ passim Pleiades apud poetas *oquosae, madidae, imbriferae* appellantur. Sed et ipsae personae *udae* dicuntur; ut Idem Fast. II, 597. „*Dixerat: annuerunt omnes Tiberiades udae.*“ Et Sappho Phaoni: „*Constitit ante oculos Naïus ada meos.*“

4. *Et decorae More palaestrae*] Praeterquam quod omnes libri in hac lectione conspirant, accedit etiam Servius, qui ita locum citat ad Aen. IV, 559, et Laetantius ad Statii Thebaid. VI, 830. Daniel tamen Heinsius pro solita sua *pequeyia* incrustare vult locum sincerum; et mirum quam infeliciose corrigit, „*catus et decorae humore palaestrae.*“ *Mox palaestrae*, est lex et institutum palaestrae: ut recte explicavit vir-immensus lectionis Barthius Advers. XXVIII, 1. Terentianus Maurus in Praefat. 48. „*Mox certaminis et modus, Sudor dum solitus cadit Nulla mole palaestrica.*“ Silius Ital. XVI, 409. „*Quo ruis? aut quinam hic rabidi certaminis est mos? Et nobis et equis letum commune laboras.*“ Laetantius Placidus ad Ovid. Metam. X, Fab. XI. „*Cum Hippomenes morem certaminis non expavesce-ret.*“ Atque haec quidem attulit Barthius, qui laude sua minime fraudan-

5 Te canam, magni Iovis et Deorum
 Nuntium, curvaeque lyrae parentem;
 Callidum, quicquid placuit, iocoso
 Condere furto.

Te, boves olim nisi reddidisses
 10 Per dolum amotas, puerum minaci
 Voce dum terret, viduus pharetra
 Risit Apollo.

Quin et Atridas, duce te, superbos,
 Ilio dives Priamus relicto,
 15 Thessalosque ignis, et iniqua Troiae
 Castra fefellit.

Tu pias lactis animas reponis
 Sedibus, virgaque levem coerces
 Aurea turbam, superis Deorum
 20 Gratus, et imis.

XI.

AD LEUCONOEN.

Tu ne quaesieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi
 Finem Di dederint, Leuconoe; nec Babylonios

dis erat, etsi eadem loca per nos quoque videramus. Adde porro et Lucani illud, quod omnium maxime huc pertinet, IV, 613. „*perfidit membra liquore Hospes, Olympiacae servato more palaestrae.*“ Similiter et Pindarus Olymp. VI, 116. Herculem ait instituisse Olympiacae „*ΤΕΘΜΟΝ αἰγίστων ἐπέλων*, morem *maximam certaminum.*“ et iterum Olymp. XIII, 56. Isthmia *Neptuni morem* appellat, „*Ἐν αὐγυιάσσι Νηηθέως ΤΕΘΜΟΙΣΙ.*“ ut itidem Nem. X, 60. Olympia vocat *morem Herculis*, „*Υστέρων δ' ἔσχε Πίσσας Ἠρακλῆος ΤΕΘΜΟΝ.*“ Illud, credo, Heinsio pruriginem excitavit, quod Iulio Scaligero resonatio illa insuavis visa est, *Decorae, more.* Sed recta sine dubio lectio est, et neque huius aures nec illius acumen metuere debet.

19. *Superis Deorum Gratus et imis*] Hinc aperte mutuatus est Ovidius illa de Mercurio, Fast. V, 665. „*Pacis et armorum superis imisque deorum Arbiter, alato qui pede carpis iter.*“

1. *Tu ne quaesieris*] Variant hic editiones; quarum aliae sic distinguunt, „*Tu ne quaesieris scire (nefas) quem*“ etc. aliae sic, „*Tu ne quaesieris (scire nefas) quem.*“ Et in diversa iudicia abeunt interpretes. Parva quidem res est; quippe utrolibet modo distinxeris, bene se habebit. Recte enim dixeris *Ne quaesieris scire; quem finem dederint*; ut noster Epist. I, 3, 1. „*Iuli Flore, quibus terrarum militet oris Claudius Augusti privignus, scire laboro.*“ Recte itidem dixeris, *Ne quaesieris, quem finem dederint*, ut Ovid. Amor. II, 2. „*Nec tu, linigeram fieri quid possit ad Isin, Quaesieris: nec tu curva theatra time.*“ Illa tamen verior interpunctio videtur, quae ambo ista (*scire nefas*) parentesi concludit. Ovidius Fast. III, 325. „*Quaque trahant superis sedibus arte Iovem,* Scire nefas homini: nobis concessa canentur.“ Lucanus I, 126. „*Quis iustus induit arma, scire nefas.*“ Statius Theb. III, 562. „*Quid crastina volveret aetas, Scire nefas homini.*“ Prudentius Cathem. III, 116. „*Corpora mutua (nosse nefas) Post epulas inoperta vident.*“ Noster Epod. XVI, 13. „*Quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini (Nefas videre) dissipabit insolens.*“

2. *Di dederint*] Codex Zulichemianus, et a prima manu Reginensis,

Tentaris numeros, ut melius, quidquid erit, pati;
 Seu pluris hiemes, seu tribuit Iupiter ultimam,
 5 Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
 Tyrrhenum. sapias, vina liques, et spatio brevi
 Spem longam reseces. dum loquimur, fugerit invida
 Actas: carpe diem, quam minimum credula postero.

XII.

AD AUGUSTUM.

Quem virum aut heroa lyra vel acri
 Tibia sumis celebrare, Chio?
 Quem Deum? cuius recinet iocosa
 Nomen imago,
 5 Aut in umbrosis Heliconis oris
 Aut super Pindo; gelidove in Haemo,
 Unde vocalem temere insecutae
 Orphea silvae,
 Arte materna rapidos morantem
 10 Fluminum labrus celerisque ventos,
 Blandum et auritas fidibus canoris
 Ducere quereus.
 Quid prius dicam solitis Parentis

dederunt. Non male. Nam secundum Astrologos Babylonios, quos Leucophaea consultum ibat, iam fato fixum erat, quot annos victura esset. Nihil tamen mutandum.

2. *Tibia sumes celebrare*] In Leidensi et Graeviano *sumes*. In caeteris et in Reginensi a manu prima, *sumis*. Atque ita libri plerique ab aliis inspecti. Recte. Sic noster alibi Epist. I, 3, 7. „*Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?*“ *Sumis celebrare* habet vim et notationem temporis futuri; idemque valet, ac si dixisset, *celebrabis*.

13. *Quid prius dicam solitis Parentis Laudibus*] Magna hic diversitas est, cum lectionis, tum interpretationis. Plerique codices habent *parentum*; in quibus sunt vetustissimi mei Leidensis, Graevianus, Reginensis: quod si cupiam genuinum esse videatur, tum meo quidem iudicio totus locus sic erit concipiendus, „*Quem prius dicam solitis parentum Laudibus? qui res hominum*“ etc. Vide enim seriem orationis; *quem virum aut heroa, quem Deum, o Musa, celebrabis? Quem prius dicam? Iovem, qui res etc.* Etenim dicere *laudibus*, ut noster alibi Carm. I, 21, 9. „*Vos Tempe totidem tollite laudibus*“ Seneca Troad. 294. „*Ferent; et illum laudibus cuncti canent*“ Virgil. Georg. II, 95. „*et quo te carmine dicam, Rhacica?*“ *Laudibus* autem *parentum*, id est, quas parentes Iovi tribuebant: ut Idem Georg. III, 185. „*Tum magis a quo magis blandis gaudere magistri Laudibus*“ *Solitis* porro *laudibus*, ut noster Carm. IV, 15, 29. „*Virtute sanctos, more patrum, duces, Troiamque et Anchisen et almae Progeniem Feneris canemus*“ Atque haec quidem lectio ab omni parte commoda est; cui unice favent illa Statii Theb. I, 41. „*Quem prius heroum, Chio, dabis? immodicum trae Tydea? laurigeri subitos an vatis hiatus?*“ Alterum autem proponit cum Muretus ex conjectura, tum vetus codex Gemblacensis, quo olim usus est Pulmannus, „*Quid prius dicam? solitis paren-*

Laudibus? qui res hominum ac Deorum,
 15 *Qui mare ac terras, variisque mundum*
Temperat horis.
 Unde nil maius generatur ipso;
 Nec viget quidquam simile, aut secundum:
 Proximos illi tamen occupavit
 20 *Pallas honores,*

v. 15. Vulg. *Et ter.* 20. Honores. Proeliis audax — Liber.

tem *Laudibus, qui res*“ etc. Sed in ea refellenda morari non est operae pretium; adeo dura et impedita structura est. Veniemus igitur ad tertiam, quam suppeditant Vaticanus codex Lambini, vetustissimus Blandinius Cruquii, Bersmanni unus, et noster Zulichemianus, et Lactantius denique ad Theb. I, 48. „*Quid prius dicam solitis Parentis Laudibus? qui res*“ etc. Ea vero et per se satis probabilis est, et imprimis cum sequentibus apte convenit: „*Parentis, Unde nil maius generatur ipso*“ Haec itaque contenti esse possumus. Primam tamen lectionem praetulerim, si conjecturam nostram quem liber aliquis adstrueret. Imo ea vera omnino est, invitae licet omnibus membranis.

14. *Qui res hominum ac Deorum*] In Lambini quibusdam, „*Qui Rex hominum ac Deorum*“ quam lectionem ille non damnat. Neque vero ego: sic enim passim Iuppiter audit apud Poetas *Deum rex, Rex superum, Divum pater atque hominum rex, βασιλεύς, θεῶν ὑπερβίος*, et plura eiusmodi. Nihil tamen minus certissima est illa altera, et loco sententiaeque melius congruit. Virgilius Aen. I, 229. „*O qui res hominumque deumque Aeternis regis imperiis, et fulmine terras*“ Ubi obiter moneo, sic potius a poeta scriptum esse, „*o qui res hominumque deorumque*“ ut Aen. II, 745. „*Quem non incusavi amens hominumque deorumque*“ Auctor ad Liviam v. 61. de Augusto. „*Ille vigil, summa sacer ille locutus in arce, Res hominum ex tuto cernere dignus erat*“ Statius Theb. VI, 48. de Adrasto. „*nunc fata recensens, Resque hominum duras, et inenarrabile pensum*“ Porro in sequente versu, plerique mei codices habent, *qui mare ac terras*; non *et*, atque id secuti sumus.

19. *Proximos illi tamen occupavit Pallas honores*] Arguantur hic interpretes quidam, cur Pallas Iovi proxima dicatur ante maris dominum Neptunum, ante ipsam Tonantis matronam; neque tamen ex ea difficultate expedire se possunt. Quamobrem secare potius hunc nodum, quam solvere, voluerunt Viri Doctissimi Claudius Puteanus, Daniel Heinsius, Ianus Rutgersius, et Dacierius: quippe contra omnes libros sic legendum esse contendunt, „*Proximos illi tamen occupabit Pallas honores*“ *Occupabit*, scilicet in hoc hymno. Nempe mentem poetae non omnino perceperunt Viri aliqui acutissimi; etsi rectam viam iam olim monstraverat vetus Scholiastes. „*Unde nil maius generatur ipso*“ ubi *unde* non, ut plerumque, valet *qua ratione*, sed *a quo*: *a quo Iove*, sive, *a quo parente* (si eam mavis lectionem, *solitis parentis laudibus*) *nil ipso maius generatur*. Nam verbum *unde*, non ad Rem tantummodo, sed etiam ad Personam saepe refertur. Sic Virg. Aen. V, 123. „*Scyllaque Cloanthus Caerulea, genus unde tibi, Romane Cluenti*“ Hoc est, *a quo Cloantho*. Ita V, 568. „*Alter Alys, genus unde Atyi ducere Latini*“ *a quo Atye*. Sic saepe Virgilius: et noster Serm. I, 6, 12. „*Contra Levinum, Valeri genus, unde superbus Tarquinus regno pulsus fugit*“ *a quo Valerio*. Ita Serm. II, 3, 33. „*Siquid Stertinius veri crepat, unde ego mira Descripsi docilis praecepta haec*“ *a quo Stertino*. Iam autem, nisi fallor, clarescere incipit sententia poetae. *A quo Iove* nihil ipso maius, imo ne simile quidem vel secundum, genera-

Procliis audax, neque te silebo,
Liber, et saevis inimica virgo
Beluis; nec te, metuende certa
Phoebe sagitta.

tur: tamen inter omnes eius liberos maximos honores consecuta est Minerva. Vides, opinor, frustra hic laborasse interpretes: neque enim cum Iunone vel patre suo Neptuno comparatur hic Pallas; sed cum sobole Iovis tantum, fratibus sororibusque suis. Et proinde nemo in sequentibus memoratur, praeter Iovis genitos: *Bacchum, Dianam, Apollinem, Herculem, Pollucem, et Castorem*: quorum omnium sine controversia honoratissima erat Minerva. Reliquum est, ut quo consilio hoc inter Iovis laudes poeta posuerit, quod neminem se matrem generaverit, breviter indicemus. Atque id quidem gemina de causa factum est. Ipse enim ortus Saturno, maior suo parente erat, regnoque eum expulit; nemo tamen ex ipso natus est, qui parem ei vicem referret: unde *Maaximi, Invidi*, similiumque nominum titulis cumulatus est. Ovid. *Metam.* XV, 855. ubi Iulio Caesari Augustum praepōnit: „*Sic magni cedit titulus Agamemnonis Atrous: Aegea sic Theseus, sic Peleus vincit Achilles: Denique, ut exemplis ipsos aequantibus utar, Sic et Saturnus minor est Iove.*“ Sed praeterea, erat in fatiis, ut, si Iuppiter cum Thetide, cuius amore flagrabat, concubisset, nasceretur tandem ipso Iove maior, quique de caelo eum et mundi imperio deiceret, ut ipse olim Saturnum. Saepo hoc Iovi minatur Prometheus apud Aeschylum: [907] „*Ἢ αἶψ' ἔτι Ζεὺς, κατὰ τὸ ἀσπίδος φρονῶν, Ἔστιν ταπεινός, οἷον ἐξαργυρεῖται Γένου γαυρῶν, ὃς αὐτὸν ἐξ τρυφάνιδος Θρόνου ἰ' αἰσίων ἐξβαλεῖ, περὶ δ' ἄρ' Ἄρκον τὸν ἴδη παντελὸς κραθήσεται, ἢ ἐκπειρῶν ἡρῶν θνητῶν θρόνων.*“ Quod cum Iovi innotuisset, Thetidem Peleo nuptum dedit. Ovid. *Metam.* XI, 221. „*Namque senex Thetidi Proteus, Dea, dixerat, undae, Concipere mater eris iuveni, qui fortibus actis Aetia patris vincet, maiorque vocabitur illo. Ergo, ne quicquam mundus Iove maius haberet, Quamvis haud lepidos sub pectore senserat ignes, Iuppiter aequoreae Thetidis convulsa vitat: Inque sua Aeaciden succedere vota nepolem lassit, et amplexus in virginis ire marinae.*“ Iam plane constat, nisi omnino fallor, de consilio poetae; ut nihil quidem a Iove generatum fuerit ipso maius, vel prorsus simile ei aut secundum: occupaverit tamen Pallas proximos illi honores praecetera Iovis sobole.

21. *Procliis audax neque te silebo Liber*] Iam inde a veteris Scholiastae Aeronis temporibus nemo est, qui non hoc modo versum interpuerit, tanquam si *Liber procliis audax* ab Horatio diceretur. Quod supine aileo et oseitanter factum iure indignari debemus. Quamquam enim fatendum est, ad ultimos Indos victorem Bacchum cum Satyrorum suorum Maenadumque thyaso penetrasse: unde eo nomine *audax* vocatur Valerio Flacco V, 498. „*quotque ante seculi Inde nec audacem Bacchum nec Persea reges.*“ et in Gigantomachia sub leonis imagine Rhoecum lacerasse: tamen non ab uno alterove facinore, sed a perpetuo Bacchi more et caractere dandum hic fuisset epitheton. Atqui a poetis Bacchus tanquam omnium Deorum mollissimus et meticulosissimus, fere semper traducitur. Vide modo Aristophanis *Batrachos*: ubi miros ludos de ignavia eius et timiditate facit poetarum facitissimus. Quid multa? Ad Palladem id referendum est, non ad Liberum; et vitiosa distinctio corrigenda ad hunc modum: „*Proximos illi tamen occupavit Pallas honores, Procliis audax. Neque te silebo, Liber.*“ Quod quam aptissime Palladi conveniat, caecus plane sit oportet, qui non videat. Siquidem eam passim his titulis ornant poetas; *Bellica, bellatrix, bellipotens, belligera* etc.: et itidem Graeci. Virgilius *Aen.* XI, 483. „*Armipotens belli praeses Tritonia Virgo.*“ Statius *Silv.* IV, 5, 23. *Regina bellorum Virago.*“ Putidum esset plura congerere: sed et illud

25 Dicam et Alciden; puerosque Ledaes,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem: quorum simul alba nautis
Stella refulsit,

Defluit saxis agitated humor;

30 Concidunt venti, fugiuntque nubes;
Et minax (sic Di voluere) ponto
Unda recumbit.

Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superhos
35 Tarquini fasces, dubito, an Catonis
Nobile letum.

v. 31. Vulg. *Quod sic* vol.

vide quanto venustius sententiam inchoet *neque*; „*Neque te silebo, Liber*“: quam si, ut vulgo hic fit, in mediam orationem intrudatur, *Procliis audax neque te*. Illud fortasse obiiciet quis, si *procliis audax* a Baccho separatur, tum nihil quicquam de Baccho hic dici. Fatemur: atqui et paullo post nihil prorsus de Alcide praedicatur; nudum tantummodo nomen ponitur.

31. *Et minax (quod sic voluere)*] Turbant hic mirum in modum codices. Plerique omnes Vetustiores, *quia sic*: recentiores quidam, *Quod sic*: duo Gemblacenses Pulmanni, et Lambini unus, *Nam sic*: Editio Veneta 1478, *Quod si*: Loscheri 1498, *Quod sic dii*: Cod. Reginensis a manu secunda, *Quae sic*: Petrensis, *Quia voluere*: Laurentianus Torrentii, *dii sic vol.* Editi aliquot, *sic dii vol.* Tamen illud *dii* ex glossa irrepisse videtur, ut in editione Loscheri; et sane Codex Reginensis *dii* habet inter versus, loco explicationis, non lectionis. Sic et Aeron, „*voluere dii vel pueri Ledaes.*“ Latet hic fortasse ulcus. Interea, dum melius quiddam proferatur, illud recipiamus, quod et Nicolao Heinsio placuit, *sic di voluere*. Ovidius *Ibide* 209. „*Natus es infelix (sic di voluere) nec ulla Comoda nascenti stella levise fuit.*“ Idem *Metam.* IV, 660. „*Crescit in immensum (sic di stultis et omne.*“ *Metam.* XIII, 597. de diis loquens. „*Occidit a magno (sic vos voluistis) Achille.*“ Virgil. *Aen.* V, 50. „*Semper honoratum (sic di voluistis) habebō.*“

35. *An Catonis Nobile letum*] Tacent hic Interpretes: mihi vero mirari plane subit, quo consilio noster, post Romulum, Numam, et Tarquinium Priscum, continuo ingerat *Catonem*, qui tot saeculis post illos natus est; rursumque ad veteres illos revertatur, Regulum, Scauros, Paullum, ceterosque. Profecto non sat commode divisa sunt temporibus tibi, Flacce, haec. In aliis illis memorandis fastorum fere seriem secutus es: *Catonem*, qui paucos ante annos in vivis erat, alienissimo loco et tempore inter caecos illos intrudis. Hoc primum, quod merito reprehendas: sed et alterum est, in quo desideres poetae prudentiam. Cum enim, quod res ipsa loquitur, ideo carmen hoc scriperit, ut ab Augusto et eius domo gratiam iniret: quo, quae, iudicio atrocissimum Caesarianorum hostem *Catonem* tanto hic elogio ornatum voluit? Mirum sane in uno eodemque carmine et Iulium Caesarem ad caelum usque tolli, et *Catonis letum* tantopere nobilitari. Cur enim leto acubuit hic, nisi quod illo principe, vitam sibi putavit morte acerbiorē? Quid? non Caesar ipse *Anticatones* duos scripsit, in quibus famam et existimationem *Catonis* acerrimis probris laceravit? Non Brutus, percussor Caesaris, et Augusti hostis, *Catonis gener* erat? Non ipse Augustus adversus *Catonem* calamam strinxit, libro cui titulum indidit *Rescripta Bruto de Catone*? Vide Suetonium Aug. c. LXXXV. Illud quoque Macrobii expende, *Saturn.* II, 4. „*Fenit,*“ inquit, „*sorte Augustus in*

Regulum et Scauros, animaeque magnae
 Prodigum, Poeno superante, Paullum
 Gratus insigni referam Camena,
 40 Fabriciumque.
 Hunc, et incontis Curium capillis
 Utilem bello tulit, et Camillum
 Saeva paupertas, et avitus apto
 Cum lare fundus.

v. 38. Vulg. *Prodigum Paulum, sup. Poeno.*

domum, in qua Cato habitaverat; dein Strabone (is Seius est Setani pater) in adulationem Caesaris male existimante de pervicacia Catonis, etc. Vides hic, quid auribus Augusti tum dare solerent Aulici. Is quidem ibi composito vultu satis honorifice de Catone, „*Quisquis,*“ ait, „*praesentem statum civitatis commutari non volet, et civis et vir bonus est.*“ Nimirum iam vetus imperandi et sibi hoc dicto cavet, et Strabonem leniter repulit. At si Strabo ipse vel hoc vel simile quid Catonis honori ultro dedisset, vix credo tacitam offensionem frigusque Principis effugisset. Certe qui Catonis letum inter praecipua Romanae gentis decora celebrat, eo ipso se Augusti dominatum inique ferre veteremque rempublicam reposecere profitetur. Credat tunc, qui volet, hoc ab Horatio profectum: mihi quidem Librariorum hoc facinus esse verisimilius videtur, qui Catonis mortem declamatoribus adeo decantant vel obtorto collo huc traxerint, ciceto alio nomine, quod nunc investigandum est. Vide vero, annon hunc in modum totus hic locus constitui possit: „*Romulum post hos prius, an quietum Pompili regnum memorem, an superbos Tarquini faseos, dubito, anne Curti Nobile letum.*“ Marcum Curtium intellige, qui revera nobilissimum sibi letum pro patria conscivit: cum armatus et equo insidens in profundam voraginem, quae medio foro Romae repente nata est, insulisset. Inde laeui Curtio nomen inditum; et, ut narrat Val. Maximus [V, 6, 2, *quamvis magna postea decora in foro Romano fulserunt, principatum tamen gloriae obtinuit Curtius.* Proinde eum Virgilius, uti plane hic noster, principes in gente Romana viros memorare voluit, inter primos Curtium nominat; in Calice v. 360. „*Hic Fabii, Deciique, hic est et Horatia virtus: Hic et fama vetus nunquam moritura Camilli: Curtius et mediis quem quondam sedibus Urbis Devotum bellis consumpsit gurgitis haustus.*“ Hac certe ratione recte procedet oratio: cum inter illos priores, et qui mox sequuntur, mediocritate sit Curtius. Recte etiam anne. Sic Virgil. Georg. I, 25. „*urbis invisere, Caesar — An deus immensi venias maris Anne novum tardis sidus te mensibus addas.*“ Idem Georg. II, 158. „*An mare, quod supra, memorem, quodque adluit infra, Anne lacus tantos?*“ Ausonius Profess. VIII, 1, ubi horum Flacci versuum parodiam facit: „*Romulum post hos prius, an Corinthi, Anne Sperchei, pariterque nati Aethiæ musas memorem Menesthei, Grammaticorum?*“

38. *Prodigum Paullum superante Poeno*] Codex optimaë notae Reginensis clare et sine ulla litura habet, „*Prodigum, Poeno superante, Paulum*“ Quam compositionem, ut suaviorem et *ποικιλωτέραν* secuti sumus. Virgil. Aen. II, 311. „*iam Deiphobi dedit ampla ruinam, Volcano superante, domus.*“ Priscianus quidem p. 1123. sic laudat hunc locum, „*Regulum, et Scauros, animaeque magnae Prodigum Paullum.*“ Sed ex quatuor Prisciani codicibus, quos data opera consului, tres non agnoscent *ro Paulum*: quod indicio est, non aliter olim hic lectum esse, quam nunc exhibet liber Reginensis. Laetantius tamen ad Thebaid. III, 603. et VIII, 406, citat *Prodigum Paullum.*

43. *Saeva paupertas et avitus apto Cum lare fundus*] Ita omnes,

45 Crescit, occulto velut arbor aevo,
 Fama Marcelli: micat inter omnis
 Iulium sidus, velut inter ignes
 Luna minores.
 Gentis humanae pater atque custos,
 50 Orte Saturno, tibi cura magni
 Caesaris fatis data: tu secundo
 Caesare regnes.

quot vidi, codices: neque quicquam mutò. Sic tamen mallet, si per libros liceret: „*Sancta paupertas, et avitus arto Cum lare fundus.*“ *Sancta*, ut Silius Italicus *casta*, quod idem fere valet, ubi de veteri Senatu loquitur, lib. I, 609. „*Concilium vocat augustum, castaque beatos Paupertate Patres.*“ Sane quicquid hic mussitent interpretes, nemini placere potest illud *saeva*. Ceterum de *arto lare* vide nos ad Epist. I, 7. v. 58. Claudian. in Rufin. I, 203. „*Et casa pugnaes Curios angusta legebat.*“ Noster Carm. I, 38, 7. sensu eodem: „*neque te ministrum Dedeceat myrtus, neque me sub arta Vile bibentem.*“

45. *Crescit occulto velut arbor aevo*] Nic. Heinsius in ora libri sui: *Forte, Arvo*. Ingeniose. Sic enim Ovidius in Nuce v. 87. „*Felix, secreto quae nata est arbor in arvo, Et soli domino ferre tributa potest.*“ Lucret. I, 314. „*Stillicidi casus lapidem cavat: uncus atrati Ferreus occulte deerescit vomer in arvis.*“ Propertius I, 2, 11. „*Adspice, quot submittat humus formosa colores, Et veniant hederæ sponte sua melius: Surgat et in solis formosius arbutus antris.*“ Ubi illud, si vigilas, animadvertisti, *Formosa* et *Formosius* indecora repetitione cultissimum poetam dehonestare. Poterat dixisse metaphora elegant: „*Surgat et in solis animosior arbutus antris.*“ Placet enim hic adiectivum magis, quam adverbium. Vel propius ad receptam lectionem hoc modo: „*Surgat et in solis frondosior arbutus antris.*“ Illud enim in Arbuto notatur, quod pauca fronde est. Virgilius Ecl. VII, 46. „*Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra:*“ ubi Servius, *Genus arboris frondibus raris*. Ceterum ad hanc Flacci emendationem inprimis facit Homericum illud, Iliad. P, 53. „*Οἶον δὲ ἐπέξει ἔργος ἀνὴρ ἐπιδηλὴς ἐκείης Χώρας ἐν οἰοπύλῳ, ὅθ' ἔλθῃ ἀναβιβραχὴν ὄψω, Καλὸν, ἰκλεθάων:*“ ubi *χώρα οἰοπύλω* est *solo et occulto arvo*. Scholiastes, *Οἰοπύλω, ἐπίμω καὶ μονίμω*. Apposite Eustathius: *Πασι τὰ ἐν ἐρημίᾳ καὶ μονάζοντι φρεὶ μάλιστα θάλλειν* *Arunt arbores in loco deserto ac solo plurimum crescere*. Huc itaque res redit: Si *crescit occulto arvo* adsciscis, perinde erit ac *Celeriter, cito crescit*: Sin *occulto aevo*, idem erit ac *Lente tardeque*. Et *celeritatem* quidem in hac metaphora quaesivit Homerus Iliad. 2, 57. de Achille: „*ὁ δ' ἀνέδραμεν ἐπεί ἴσος, Τὸν μὲν ἐγὼ θρήνησα φέρων ὡς γονῶ ἀλώης.*“ et Quintus Smyrnaeus de eodem, VII, 645. „*ὁ δ' ἄρ' ὠκα θιῶν ἐρικυδέϊ βουλή Ἔργος ὅπως ἐπιδηλὴς αἴξετο.*“ Iam autem si eum plerisque interpretum Marcellum hic intelligis Octaviae filium, qui iam tum, cum haec scriberet noster, florente adulescentia erat; omnino consequens erit, ut *arvo* hic substituas. Atqui repugnat locus ipse seriesque orationis, quae Marcellum veterem quinque consulum hic accipi flagitat; cuius seri nepotes cum in familiam Iuliam adsciti fuerint, dat hic Augusto, ut eius famam superstitem indies florere dicat, et *usque postera laude recentem crescere*. Nihil igitur mutandum, et rectissime habet *aevo*. Quint. Curtius VII, 33. „*Quid? tu ignoras arbores magnas diu crescere, una hora extirpari?*“ Prudentius Hamartigenia v. 177. „*Qui velut aeterna latitans sub nocte, retrorsum Fecerit, et tecto semper regravavit aevo.*“ Corrigendus quoque forte Lucretii locus, quem modo adduximus. Sic enim citat Servius ad illud Georg. I, 46

Ille seu Parthos Latio imminentis
 Egerit iusto domitos triumpho,
 55 Sive subiectos orientis orae
 Seras et Indos;
 Te minor latum reget aequus orbem:
 Tu gravi curru quatuor Olympum;
 Tu parum castis inimica mittes
 60 Fulmina lucis.

XIII.

AD LYDIAM.

Cum tu, Lydia, Telephi
 Cervicem roseam, lactea Telephi

v. 2. Vulg. *Cereia Telephi.*

„et sulco altritus splendescere vomeri“ Lucretius: *Oculo decrevit vomer in arva.* Ita Servius: sed sine dubio corruptus. Qui enim magis in oculo arva decrevit vomer, quam in obvio et exercitato? Imo si occultum est arvom; tum et inaratum, neque vomerem terere potest. Vide, an scripserit Lucretius: „Stillicidi casus lapidem cavat: uncus aratri Ferreus occulto decrevit vomer in arva.“ Ovidius Amor. I, 15, 31. „Ergo cum silices, cum dens patientis aratri Depereant aevo: carmina morte carent.“ Idem tamen Art. I, 474. „Interit assidua vomer aduncus humo.“

54. *Egerit iusto domitos triumpho*] Celeberrimus Tho. Gale, *Lege*, inquit, *domitus* vel *domitor*. Sed nihil mutandum. Noster Carm. III, 8, 22. „Serrit Hispanae vetus hostis orae Cantaber sera domitus catena.“

55. *Sive subiectos orientis orae Seras et Indos*] Omnes fere editiones maculavit invenustam illud *oris*, quo fit ut idem sibilus per quinque voces continetur; odiosa aurium offensione: cum tamen omnes ubique scripti codices et editio Veneta 1478 habeant *orae*. Revocatur igitur in sedem suam. Sic noster alibi, *Ora septentrionis*, Carm. I, 26, 4. *quis sub Arcto Rex gelidae metuatur orae.*

57. *Latum reget aequus orbem*] Torrentii tres, Pulmanni unus, Lambini aliquot, et ex nostris Battelianus, Böhl. Magdalenensis a prima manu, Colbertinus pro varia lectione, *laetum*: quod Torrentio et Dacierio magis placet. Utrumque sane tolerari potest. *Laetum* enim dixerit orbem, ut Virgilius de eodem Augusto; Georg. IV, 560. „Caesar dum magnus ad altum Fulminat Euphraten bello, victorque volentis Per populos dat iura, viamque adfectat Olympo.“ Rectius tamen *latum reget*, ut vetustiores quique libri. Noster Carm. II, 2, 9. „Latius regnes avidum domando Spiritum, quam si Libyam remotis Gadibus iungas, et uterque Poenus Serviat uni.“ Virgil. Aen. IV, 199. „Templa Iovi centum, latis iunonia regnis.“ Et I, 25. „Hinc populum late regem belloque superbum.“ Seneca Troad. 879. „Cui regna campi lata Thessalici iacent.“ Ovid. Metam. IX, 794. „Postera lux radiis latum patefecerat orbem.“

2. *Cereia Telephi Laudas brachia*] Omnes, opinor, quotquot hodie extant, membranae in ea lectione consentiunt, firmatque Servius ad Virgil. Eclog. II, 53. „Addam cerea pruna aut cerei coloris, aut mollia. Horatius, cerea Telephi laudas brachia.“ Iure tamen displicuit Iulio Scaligero: cuius verba haec sunt: „Cum dicit roseam cervicem, cerea brachia colorem quoque indicare suspicabimur; sicut apud poetam cerea pruna: profecto plus

Laudas brachia, vac, meum
 Fervens difficili bile tumet iecur.
 5 Tunc nec mens mihi, nec color
 Certa sede manet: humor et in genas
 Furtim labitur, arguens
 Quam lentis penitus macerer ignibus.
 Uror, seu tibi candidos
 10 Turparunt humeros immodicae mero

v. 6. Vulg. *Manent.*

sapiat lactea. Interpretes quidem in omnes partes se versant, et illud *cereia*, quasi revera cereum esset, in quoscumque volunt sensus flectunt finguntque, ut auctorem suum vel defendere vel excusare videantur: sed late rem plane lavant. Quid enim? an *cereia* de colore interpretabuntur? at foeda res est color flavus in brachiis, qualia sunt ictericorum, Ovid. Pont. I, 10, 28. cum morbo laborabat. „Parvus in axiles succus mihi pervenit artus, Membraque sunt cera pallidiora nova.“ an *cereia* sunt pulchra, tamquam quae in cereis imaginibus videmus, ut Virgilius *cervicem marmoream* Georg. IV, 523. „Tum quoque marmorea caput a cervice revulsam.“ et *manum* Martialis VIII, 56, 14. „Adstabat domini mensis pulcherrimus ille Marmorea fundens nigra Falerna manu.“ Atqui illic *marmorea* est candida, et eolorem notat, non figuram: ita noster Carm. I, 19, 6. „Urit me Glyceriae nitor Splendentis Pario marmore purius.“ Lucretius II, 764. „Cur ea, quae nigro fuerint paullo ante colore, Marmoreo fieri possunt candore repente.“ An igitur *cereia* brachia sunt lenta et mollia, ut noster Epod. XV, 6. „Lentis adhaerens brachiis?“ Sed et hoc nihilo magis sanum est; quamvis enim cera mollis est et tactui cedit; vestigium tamen impressum servat, ut solet hydropticorum caro, qua nulla turpior imago est. Quod si aut horum ullo aut alio quovis sensu recte dici possent *cereia brachia*; imprudenter tamen, ut vere Scaliger observavit, post *roseam* cervicem *cereia* brachia nominaverit noster, ne forte lector utrumque epitheton de colore suspicetur dictum, et pro formoso luridum Telephum imaginetur. Quid igitur fiet? Bene sit vetustissimo grammatico Flavio Capro, qui solus rem impeditam solvit, et Horatium omni culpa liberat. Is narrat pag. 2242. ut inter se differant *lactans, lactens, laetens*. „Lactans,“ inquit, „qui decipit. Lactens, *laete abundans, velut lactens ficus* (sic enim ibi legendum: non ut editum est, *lactens, et, lacteus ficus*. Ovid. Fast. II, 263. „At tibi dum lactens haerebit in arbore ficus“) *Lucilius: 'Lactentia coagula cum melle bibi'*. Lactea, candida sunt, ut lactea laudas brachia dicit Horatius.“ Haec opportunissime sane Caper: ubi scribe laudas pro laudat; nam sine dubio ad hunc ipsum Horatii locum respexit: neque de mendo hic ulla suspicio est: cum eo sine haec adduxerit, ut probet *lactea* esse candida. Quid autem dubitemus, tam bono auctore, genuinam lectionem agnoscere? „Cum tu, Lydia, Telephi Cervicem roseam, lactea Telephi laudas brachia.“ qua nihil aptius, pulchrius optari potuit. Utrobique a colore laudat; Cervicem roseam, ut Virgilius de Venere Aen. I, 406. „Dicit, et averteus rosea cervice refusit.“ Brachia autem lactea, ut iterum Virgilius de Aescanio Aen. X, 137. „fusos cervix cui lactea crines Accipit.“ Et de Gallis VIII, 660. „tum lactea colla Auro innectuntur.“ Nemesianus IX, 80. „Purpureas laudando genas et lactea colla.“ Candor autem est brachiorum perpetua laus. Ovid. Amor. III, 7, 7. „Illa tamen nostro subiecit eburnea collo Brachia, Sithonia candidiora nive.“

5. *Tunc nec mens mihi nec color Certa sede manent*] Libri aliquot Lambini et Pulmanni, *manet*; et sic editio Veneta 1478. Rectissime. Neque

- Rixae; sive puer furens
 Inpressit memorem dente labris notam.
 Non, si me satis audias,
 Speres perpetuum, dulcia barbata
 15 Laedentem oscula, quae Venus
 Quinta parte sui nectaris inuit.
 Felices ter et amplius,
 Quos irrupta tenet copula; nec malis
 Divulsus querimoniis
 20 Suprema citius solvet amor die.

XIV.

- O navis, referent in mare te novi
 Fluctus? ô quid agis? fortiter occupa
 Portum. nonne vides, ut
 Nudum remigio latus,
 5 Et malus celeri saucius Africo,
 Antennaeque gemant: ac sine funibus
 Vix durare carinae
 Possint imperiosius

alterum admittit linguae Latinae consuetudo. Terent. Eunuch. IV, 5, 3. „neque pes, neque mens satis suum officium facit.“ Ubi duo singularia coniunguntur, cum utriusvis numeri verbo congruunt, seu singularis sive pluralis. Ubi vero, ut hic fit, disiunguntur; et usus et ratio postulat, ut verbum etiam sit singulare. Mutatum est ab cruditis: qui tamen nesciebant brevem syllabam in versus caesura potestatem longae habere posse. Carm. II, 13, 16. „Caeca timet aliunde fata.“

16. *Quinta parte sui nectaris inuit*] Vir Clarissimus Iacobus Talbot, qui paucis abhinc annis luculentam Horatii editionem Cantabrigiae procuravit, non male de nostro meritum esse autumat, (quem tamen non nominat) qui loco *quinta* substituit, „Quanta parte sui nectaris inuit!“ Is autem est Ramirez de Prado in Pentecontarcho suo c. 59. Ita sane Persius Sat. V, 21. „tibi nunc, hortante Camena, Executienda damus praecordia, quantaque nostrae Pars tua sit, Cornute, animae.“ Tu vero, quid *quinta* hic sibi velit, vide, si libet, apud interpretes, nobis semel est constitutum, nullam his rebus turpiculis lucem affundere.

19. *Nec malis Divulsus querimoniis*] Ego vero sine codicum auctoritate tam commodam lectionem non moveo. Tamen, aut fallor, aut elegantior exiret sententia, sic leviter immutata: „Felices ter et amplius, Quos irrupta tenet copula, nec malis Divulsos querimoniis Suprema citius solvet amor die.“ Ita Noster alibi, Carm. III, 9, 18. „Quid si prisca redit Venus, Diductosque iugo cogit aeneo.“ et II, 17, 15. „Me nec Chimerae spiritus igneae Divellet umquam.“ et I, 36, 19. „nec Damalis novo Divelletur adultero.“ Ubi omnia, ut vides, ad amatores, non ad ipsum amorem referuntur.

7. *Vix durare carinae Possint*] „Animadvertendum est,“ ait Iulius Scaliger, „quibus legibus de una modo navi dixit carinas in numero plurali.“ Vere et recte hoc Scaliger. Neque enim ullus veterum ita locutus est; quippe singulae naves non nisi singulas carinas habent. Quid hic autem nostri interpretes, qui libenter Scaligerum ut Horatiomastigem insectari solent? Rem callide dissimulant, inustam hanc Flacco notam silentio

tegentes; interea tamen pergunt in unica navi carinas nobis ingerere. Nos, ut tam turpe dedecus a cultissimo poeta amoliamur, paullo fusius explicabimus totum locum. „O navis, referent in mare te novi Fluctus?“ Sic scribe per interrogationis notam; et sic Veneta editio 1478: ceterae, opinor, omnes male omittunt. „o quid agis? fortiter occupa Portum: nonne vides ut Nudum remigio latus?“ Strenue, inquit, in intimum portum te reconde, ne fluctus ventusque te retrorsum in altum pellant; quod, nisi caves, eveniet: cum latera tua nuda sint remigio, quo solo poteris vento obsistere. *Nudum* autem *remigio* dicit, vel quod tempestatibus conflictata navis remos iam fregerat, ut Virgilius A. I, 104. „Franguntur remi, tum prora avertit:“ et noster Epod. X, 6. „Niger rudentes Euris inverso mari Praculosque remos differat:“ vel quod introeuntes in portum nautae remos subducere, atque intra navem reponere solent. Sequitur: „nonne vides, ut Nudum remigio latus, Et malus celeri saucius Africo Antennaeque gemant? et sine funibus Vix durare carinae Possint imperiosius Aequor?“ Sic quidem editiones, gemant; et, possint: adeo ut sententia sic procedat: *Nonne vides, ut latus et malus et antennae gemant?* Quid iam videtur? *Satin' placet illud, vides, ut gemant?* oculisne percipi poterit gemitus? credideram, auribus potius sentiri. Sed illud omnino advertendum, bis apud Servium, ubi locum hunc adducit, Aen. I, 211. et VIII, 577. non *possint* legi, sed *possunt*. Atque ita clare hic exhibent codex optimus Regi-nensis, et Zulichemianus: quibus adde Editionem Loscheri 1498. Neque vero dubium est, quin in aliorum aliquot sic extiterit: sed saepe deprehendi, sollenne esse interpretibus nostris, ut reticeant varias lectiones, quas ipsi non approbant. Iam autem, si tot auctoribus freti reducemus illud *possunt*; sequitur, ut eadem opera etiam *gemunt* legamus. Quid multa? codex Pe-trensis *D* ferè annorum sine ulla litura utrumque retinet, et *gemunt* et *possunt*. Sic itaque totus locus constituendus erit, et distinguendus. „nonne vides, ut Nudum remigio latus? Et malus celeri saucius Africo Antennaeque gemunt, et sine funibus Vix durare carinae Possunt imperiosius Aequor?“ Quibus in verbis illud primum indicandum est, quod et Scaligerum et Enarratores nostros fefellit, non de una modo navi carinas, sed de pluribus hic accipi. Tanta, inquit, coorta est tempestas, o navis, ut malus tuus antennaeque gemant; et ceterae naves, quae in eodem portu sunt, vix possint stationem tenere, nisi anchoris iactis. Verum haec per partes explicanda veniunt. *Carinas* totas naves denotare tralatitium est, *Funibus* autem anchorae significantur, quod tot interpretes fugisse quis satis mirari poterit? Lucanus II, 621. „Ut tremulo starent contentae fune carinae.“ Idem V, 514. „Litora curva legit, primisque invenit in undis, Rupibus exesis haerentem fune carinam.“ Virgil. Aen. IV, 575. „Solvite vela cili. Deus aethere missus ab alto Festinare fugam, tortosque incidere funis Ecco iterum stimulat.“ Nihil quicquam vulgatius est: neque illud omittendum, vel ipsum illud *Funibus* satis nos admonere, non de uno, sed pluribus navigiis verba hic fieri. Nemo enim de nave unica *funes* dixit, verum *funem*. Iam autem illud saevissimae tempestatibus indicium erat, cum in ipso portu, ut hic, nisi in anchoris stare naves non possent: plerumque enim aliter solebat. Virgilius Aen. I, 172. ubi tranquillam quandam tutumque portum describit, „hic fessas non vincula navis Ulla tenent, unco non adligat anchora morsu.“ Et Homerus Odys. I, 136. „Ἐν δὲ λιμὴν εὐνομος, ἢ οὐ χωρὶ πύργατος ἔστιν, οὐδ' ἐνὲς βάλειν, οὔτε πρυμνίσι ἀνάψαι.“ et N. 100. „Ἐπιπέδον δὲ ἕνιν δεσμοῖο μένονσι Νῆες ἑσσιμένοι, ὅταν ὄρουσιν μίχρον ἕκονται.“ Proinde vide, inquit, O navis, ne in mare te referant fluctus: cum enim in ipso portu tempestas sit, quales tandem in aperto pelago te manent procellae? Illud dumtaxat reliquum est, ut *durare aequor* satis quidem insolentem phrasin pro *perferre, sustinere*, similibus, si fieri potest, exemplis adstruamus. Eo enim adigebat optimum Torrentium, ut ineptissimam

Aequor? non tibi sunt integra lintea;
 10 Non Di, quos iterum pressa voces malo.
 Quamvis Pontica pinus,
 Silvae filia nobilis,
 Lactes et genus et nomen inutile:
 Nil pietis timidus navita puppibus

potius distinctionem admitteret, quam ut ipse hanc locutionem durare vellet. Atqui his citat hoc Servius, ut probet *durare esse sustinere*, ut Virgil. VIII, 577. „*patiar quemvis durare laborem*,” cui adde Statium Silv. V, 2, 53. „*Felix, qui viridi fidens optata iuventa Durabis quaecumque vias, vallumque tenebis*,” et Valerium Flaccum VII, 338. „*Occidis? heu primo potes hoc durare sub aevo?*”

10. *Non Di quos iterum pressa voces malo*] Ita omnes, opinor, libri: certe quos ipse vidi; eredo, etiam et ceteri. Aliud tamen maluit praestantissimus N. Heinsius; *pressa* scilicet: quod et nobis in mentem diu ante venerat, quam eius codicem vidimus. Ita sane noster Carm. II, 16, 2. „*Otium divos rogat in patienti Pressus Aegaeo*,” ubi perperam in nonnullis membranis, ut hic, *pressus*. Catullus XXV, 13. „*velut minuta magno Deprensa navis in mari, vesaniente vento*,” Lucretius VI, 428. „*Et quaecumque in eo tam sunt deprensa tumultu Navigia, in summum veniunt vocata periculum*,” Virgilius in Civi, v. 60. „*Dulichias, vevasse rates, et gurgite in alto Deprensos nautas canibus lacerasse morinis*,” Et Georg. IV, 421. „*Deprensus olim statio fidelissima nautis*,” Et Aen. V, 52. „*Argolicove mari deprensus, et urbe Mycenae*,” Ovid. Metam. XI, 663. „*Nubilis Aegaeo deprendit in aequore navim Auster*,” Idem, Dido Aeneae, 66. „*Finge age te rapido (nullum sit in omni pondus) Turbine deprendi: quid tibi mentis erit?*” Statius Theb. I, 370. „*Ac velut hiberno deprensus navita ponto*,” Seneca de Vita beata c. 14. „*Sicut deprehensi mari Syrtico, modo in sicco relinquuntur, modo torrente unda fluctuantur*,” Atque his, eredo, auctoritatibus induetus Vir Illustris substituere voluit *pressa*. Nihil tamen hic temere mutandum censeo. Sane si *salo*, vel *vato* hic haberent codices; equidem accederem, ut *pressa* non incommode legeretur: ita tamen ut tum quoque non minus apte legatur *pressa*: nunc cum omnes ubique libri praeferrant *malo*, receptam lectionem retineo, cui omnino melius congruit *pressa* quam *pressa*. Minucius Felix p. 258. [c. 28] „*Et si quis infirmior, malo pressus et victus, Christianum se negasset*,” Ovidius Amor. II, 11, 6. „*O utinam, remo nequis freta longa moveret, Argo funestas pressa bibisset aquas*,” Idem Fast. IV, 300. „*Sedit limoso pressa carina vado*,” et Metamorph. XI, 557. „*Mergit in ima ratem, cum qua pars magna virorum Gurgite pressa gravi*,” Auctor Octaviae 347. „*Ruit in pelagus, rursusque salo Pressa resurgit*,” Digest. lib. XIV, tit. 2, leg. 6. „*Navis adversa tempestate depressa, ictu fulminis deustis armamentis et arbore et antenna, Hipponem delata est*,” Ubi tamen vix dubites, quin *depressa* corrigendum sit; ut res ipsa flagitat: Lege tamen VII ibidem sine dubio *depressa* bene habet: „*Cum depressa navis aut deiecta esset, quod quisque ex ea suum servasset, sibi servare respondit, tanquam ex incendio*,” Nulla itaque dubitatio est, quin sana sit lectio omnium librorum, „*Non di, quos iterum pressa voces malo*,” Ubi *pressa* valet mersa: et sane *di* isti (Dioseuros intelligit) etiam mersas et obrutas naves eripiebant periculo: ut noster Carm. IV, 8, 31. „*Clarum Tyndaridae sidus ab infimis Quassas eripiunt aequoribus rates*,” Theocritus in *Ἰσοζώοις* vers. 17. „*Ἄλλ' ἔμπης ἡμεῖς τε καὶ ἐκ βύθου ἔλασε νῆας Αἰθίοισιν ναύραστον ὀλομένους θανάστου.*”

14. *Nil pietis timidus navita puppibus Fidit*] Galei codex bonae notae, *Timidus*: quod Scaligero placuerat. „*Imo*,” inquit ille, „*fidēbat Brutus*,

15 Fidit, tu, nisi ventis
 Debes ludibrium, cave.
 Nuper sollicitum quae mihi taedium,
 Nunc desiderium, curaque non levis,
 Interfusa nitentis
 20 Vites aequora Cycladas.

XV.

NEREI VATICINIUM DE EXCIDIO TROIAE.

Pastor cum traheret per freta navibus
 Idaeis Helenen perfidus hospitam;
 Ingrato celeris obruit otio
 Ventos, ut caneret fera
 5 Nereus fata. Mala ducis avi domum,
 Quam multo repetet Graecia milite,
 Coniurata tuas rumpere nuptias,
 Et regnum Priami vetus.
 Eheu, quantus equis, quantus adest viris
 10 Sudor! quanta moves funera Dardanae
 Genti! iam galeam Pallas et aegida
 Currasque et rabiem parat.
 Nequicquam Veneris praesidio ferox
 Pectus caesariem, grataque feminis
 15 Inbelli cithara carmina divides:
 Nequicquam thalamo gravis
 Hastas et calami spicula Cnossii

neque timidus erat: quare timidus, non timidus; et fidat, non fidit. Recte quidem omnino, si de Bruto vel per somnium hic cogitasset noster. Sed Scaligerum, ut plerosque alios, decepit Quintilianus et Scholiastae veteres, qui perpetuum in hoc carmine allegoriam esse voluit, *et navim pro republica, tempestates pro bellis civilibus, portum pro pace atque concordia dici*. Atqui inane hoc commentum esse recte vidit Vir acutus Tan. Faber, et ante eum elegantissimus Muretus.

9. *Eheu quantus equis quantus adest viris Sudor*] Eleganter hinc mutuatus est Statius illa Theb. III, 210. „*Quantus equis, quantusque viris in pulvere crasso Sudor, io quantum crudelo rubebitis amnes*,” Ut et illa v. 17. „*Calami spicula Cnossii*” pulchre imitatus est Prudentius Cathem. V, 52. „*Illic fidit inculis, ille volentia Praerfigit calami spicula Cnossii*,” Et illa denique

15. *Inbelli cithara carmina divides*] expressisse videtur Seneca; sed hodie locus corruptus est; Here. Oct. 1080. „*Sed cum linqueret inferos Orpheus carmina fundens; Et vinci lapis improbus Et vatem potuit sequi*,” Quippe in versu secundo vicem dactyli vel Cretici occupat Spondaeus, qui nisi in clausula, quae hic non est, locum habere nequit. Atque ideo acutissimus Fred. Gronovius pro *fundens* reponit *funditans*. Vide, annon nos aliquanto melius, „*Orpheus carmina dividens*,” Sane, cum pro *fundens* substituimus *dividens*, nulla fit mutatio nisi primae modo literae: nam *in* et *ivi* in manuscriptis vix poteris inter se dignoscere.

- Vitabis, strepitumque, et celerem sequi
 Aiacem: tamen, heu serus, adulteros
 20 Crinis pulvere collines.
 Non Laërtiaden, exitium tuae
 Gentis, non Pylimum Nestora respicis?
 Urgent inpavidi te Salaminius
 Teucerque, et Sthenelus scieus
 25 Pugnae; sive opus est imperitare equis,
 Non auriga piger. Merionen quoque
 Nosces, ecce fuit te reperire atrox
 Tydides melior patre:

21. *Non Laertiaden exitium tuae Gentis*] Tres Blandinii apud Cruquium, totidemque Lambini, *gentis*: quodque amplius est, praestantissimi mei codices Graevianus et Reginensis clare, „*Non Laërtiaden, excidium tuae Gentis.*“ *Eccidium* etiam in suo invenit Fabricius. Sane quolibet ex his lectionibus proba est, sive velis *Excitium gentis*, sive *Excitium genti*; seu *Eccidium genti*, sive *Eccidium gentis*. Poeta vetus apud Ciceronem de Divin. I. 21. de Paride loquens, „*Eum esse exitium Troiae, pestem Pergamo.*“ Velleius Patere, II, 30. „*Romanis certam victoriam, partibus suis eccidium, sibi turpissimam mortem, pessimo auctoravit facinore.*“ Plautus Bacch. IV, 9, 20. „*Eccidium, exitium, eccebra fiet hic equus hodie auro senis.*“ et paulo post 131: „*Scivi ego iam dudum fore me exitium Pergamo.*“ Manilius lib. I, 506. „*Quot post excidium Troiae sunt erula regna?*“ Virgil. Eclog. III, 101. „*Item amor exitium est pecori pecorisque magistro.*“ Et Aen. II, 190. „*Tum magnam exitium (quod dī prius omen in ipsum Convertant) Priami imperio Phrygiibusque futurum.*“ Arridet tamen praeter aliis ea, quae et plures membranas et editiones credo omnes occupavit, *exitium gentis*: praecesserat enim *genti* versu undecimo. Cicero de Arusp. Respons. c. 4. „*Scipio natus mihi videtur ad interitum exitiumque Carthaginis.*“ Seneca Consolat. ad Marciam c. 17. „*Dionysius ille tyrannus, libertatis, iustitiae, legum exitium.*“ Ovidius Metam. XIII, 500. „*Exitum Troiae nostrique orbator Achilles.*“ Sulpicia in Satira 57. „*Romulidarum igitur longa et gravis exitium par.*“ Seneca Hercule fur. 358. „*Quidnam iste, nostri generis exitium ac lues?*“ Et Trond. 893. „*Quos Helena suadet, pestis, exitium, lues Utriusque populi.*“

24. *Teucerque et Sthenelus*] Vetustissimi quique libri, *Teucer et Sthenelus*, et sic editiones priscae, Veneta et Lasceri. Alii codices, *Teucer te Sthenelus*; quod amplexae sunt post Lambinum editiones pleraeque. Unus modo ex meis isque omnium recentissimus, *Teucerque et Sth.*, nisi quod in Reginensi ex spatii magnitudine inter *Teucer et et*, suspicio est quae esse erasum. Atqui Torrentius affirmat se in omnibus suis invenisse *Teucerque et et*. Sed nullus dubito, quin Typographi culpa sit, atque ibi *Teucer et et* sit reponendum. Uteumque fuerit, ea probabilis sane videtur lectio, „*Urgent inpavidi te Salaminius Teucerque et Sthenelus.*“ Quippe si dixisset, *Te Sthenelus*, non utique plurali numero protulisset, *Urgent inpavidi*. Amat enim noster etiam post plures nominativos Verbum singulare ponere: ut Carm. IV, 14, 41. quod apprime huc convenit: „*Te Cantaber non ante domabilis Medusque et Indus, te profugus Scythes* Miratur.“ Vid eos ad Carm. I, 24 vers. 8. Recte igitur *Teucerque et Sthenelus*; ut uterque simul cum urgere intelligantur; atque ideo in plurali offeratur verbum *Urgent*. Id quoque observavi in codicibus scriptis, ubi duplex, ut hic, coniunctio est, alteram plerumque a Librariis omitti, si modo versus mensura id fieri patitur. Si cui tamen *Te Sthenelus* magis arrideat: equidem non valde repugnabo.

- Quem tu, cervus uti vallis in altera
 30 Visum parte lupum graminis immemor,
 Sublimi fugies mollis anhelitu,
 Non hoc pollicitus tuae.
 Iracunda diem proferet Ilio
 Matronisque Phrygum classis Achillei.
 35 Post certas hiemes uret Achaicus
 Ignis Iliacas domos.

XVI.

PALINODIA.

- O matre pulchra filia pulchrior,
 Quem criminosis cumque voles modum
 Pones iambis; sive flamma,
 Sive mari libet Hadriano.
 5 Non Dindymene, non adytis quatit
 Mentem sacerdotum incola Pythius,
 Non Liber aequae, non acuta
 Si geminant Corybantes aera.
 Tristes ut irae: quas neque Noricus
 10 Deterret ensis, nec mare naufragum,
 Nec saevus ignis, nec tremendo
 Iuppiter ipse ruens tumultu.

v. 8. Vulg. *Sic gemit.*

5. *Non Dindymene*] Vide modo totum locum: „*Non Dindymene, non adytis quatit Mentem sacerdotum incola Pythius, Non Liber aequae, non acuta Sic geminant Corybantes aera, Tristes ut irae.*“ Ubi nulla alia esse possit constructio, praeterquam haec: *Corybantes non sic geminant acuta aera, ut tristes irae geminant acuta aera*. Quocumque te veritas, nihil melius ex his verbis efficiet. Quod cum ineptum sit plane et ἀνακόλουθον, cogitandum est opinor de emendatione. Crediderunt boni Librarii, necessario reponendum esse in versu quarto *sic*; ut sit cui respondeat *ro ut*. Atqui aliud potius curare debuerant; cum in versu tertio hoc satis provisum sit, ut *aequae ad ut* referatur. Vix dubites, quin ita scripserit Flaccus, „*Non Liber aequae, non acuta Si geminant Corybantes aera.*“ Sententia est; Non Cybele, non Phoebus, non Bacchus, non Corybantes si acuta aera geminant, aequae quatiant mentem, ut tristes irae eam quatiant. Simile plane loquendi genus est Carm. II, 17, 14. „*Me nec Chimaerae spiritus igneae, Nec si resurgat centimanus Gygis, Dicillet unquam.*“ Et Carm. III, 21, 21. „*Te Liber, et si laeta adorit Venus, Segnesque nodum solvere Gratiae, Fivaeque producent lucernas.*“ Eodem res redibit, si legeris, *Si geminant*, aut, *Si ingeminent*. Ceterum quid sit *geminare aera* disces ex Lucretio II, 635. „*Cum pueri circum puerum purnice chorea Armati in numerum pulsarent aeribus aera.*“ Et Ovidio Metam. III, 532. „*aerane tantum Aere repulsa valent, et adaneco tibia cornu?*“ Et Fast. IV, 184. „*Aeraque tinnitus aere repulsa dabunt.*“ Et ex Statio, Theb. VIII, 221. „*gemina aera sonant, Idaeaque terga, Et moderata sonum vario spiramine bucus.*“

- Fertur Prometheus addere principi
 Lino coactus particulam undique
 15 Desectam, et insani leonis
 Vim stomacho adposuisse nostro.
 Irae Thyesten exitio gravi
 Stravere; et altis urbibus ultimae
 Stetere causae, cur perirent
 20 Funditus, inprimeretque muris
 Hostile aratrum exercitus insolens.
 Conpescere mentem, me quoque pectoris
 Tentavit in dulci iuventa
 Fervor, et in celeris iambos
 25 Misit furentem: nunc ego mihi
 Mutare quaero tristia; dum mihi
 Fias recantatis amica
 Opprobriis, animumque reddas.

XVII.

AD TYNDARIDEM.

- Velox amoenum saepe Lueretilem
 Mutat Lycaeo Faunus, et igneam
 Defendit aestatem capellis
 Usque meis, pluviosque ventos.
 5 Impune totum per nemus arbutos
 v. 5. Vulg. *Tutum*.

13. *Addere principi Lino coactus*] Offendit Iulium Scaligerum illud *coactus: „neque enim,”* ait, „*Prometheus coactus fuit, aut coactus fecit.*“ Hoc unde comportum Scaligero esse poterit, equidem nescio: cum nullus opinor nunc extet praeter nostrum, qui hanc fabulam tangat. Quamquam fatendum sane est, non valde veri simile esse, eiusmodi fabulam a quoquam excogitam, qua Prometheus coactus hoc fecerit. Ipse enim consulto hominem formasse dicitur, non alterius iussu et imperio. Siquis igitur a Scaligeri partibus steterit, facili mutatione sic huic loco mederi poterit, „*Fertur Prometheus addere principi Lino coactam particulam undique; Desectam et insani leonis Vim stomacho adposuisse nostro.*“ Recte enim *undique coactam*, hoc est, collectam, congestam. Virgil. Aen. VIII, 7. „*undique cogunt Auxilia, et latos vastant cultoribus agros.*“ Idem Aen. VII, 582. „*Undique collecti coeunt, Martemque fatigant.*“ Noster in Arte Poet. v. 3. „*Undique collatis membris.*“ Virgil. Aen. II, 763. „*huc undique Troia gaza congeritur.*“ Recte quoque *fertur addere*, pro addidisse: etiam cum sequatur *adposuisse*. Noster Carn. III, 20, 11. „*Arbiter pugnae posuisse nudo Sub pede palmam Fertur, et leni recreare vento Sparsum odoratis humerum capillis.*“ Propertius III, 14, 19. „*Inter quos Helene nudis capere arma papillis Fertur, nec fratres erubuisse deos.*“

5. *Impune tutum per nemus*] Enimvero indignandum est tot magnis interpretibus haec placere potuisse. Certe *impune tutum* consistere una nequeunt. Quid enim tantopere mirandum, si per *tutum* nemus *impune* vagantur pecora? mirarer magis, si in nemore feris infesto *impune* errarent.

- Quaerunt latentis et thyma deviae
 Olentis uxores mariti:
 Nec viridis metuunt colubras,
 Nec Martialis haeduleae lupos;
 10 Uteumque dulci, Tyndari, fistula
 Valles, et Usticae cubantia
 Levia personere saxa.
 Di me tuentur: Dis pietas mea
 Et musa cordi est. hic tibi Copia
 v. 9. Vulg. *Hoedilia*. 14. *Hinc* tibi.

Aperte itaque *tutum*, quod tantum abest ut augeat sententiam, ut plane deminuat destruatque. Recte codices quidam Lambino inspecti, *totum*: ut et nos ex coniectura prius reposueramus, quam apud Lambinum id vidimus. Per *totum*, inquit, nemus, per densissima quaeque silvarum loca, ubi ferarum latibula sunt, *impune* pervagantur. Persius Sat. V, 32. „*Cum blandi comites, totaque impune Suburra Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo.*“ Virgil. Georg. II, 308. „*Et totum invalvit flammis nemus.*“ et Aen. VI, 259. „*procul o procul este profani, Conclamat vates, totoque ab-sistite loco.*“ Nemesianus IX, 66. „*lectumque subire Fimnis, et caveam totis praepone silvis.*“

8. *Nec virides metuunt colubras*] Viderint, qui reclamantibus fere omnibus ubique codicibus, *colubras* hic nobis obtrudunt. *Colubras* legebat et Laetantius ad Statii Theb. V, 549. Vide Nonium, ubi exempla profert ex Lucilio, Turpilio, et Varrone. Noster Serm. I, 8, 42. „*Utque lupi barbam variae cum dente colubrae.*“ Iuvenal. V, 103. „*Fos anguilla manet, longae cognata colubrae.*“ Arnobius lib. IV c. 22. „*Mercurius ore facundus, et gestator affabilium colubrarum.*“

9. *Nec Martiales haedilia lupos*] Vetustissimi nostri Leidensis, Graevianus, Regimensis, *Haediliae*. Atque ita in suis invenerunt Lambinus et Cruquius, qui tamen *haeduliae* haedorum septa perperam interpretantur. Tu vero scribe, quod minimum ab libris recedit, „*Nec Martiales haeduleae lupos.*“ Ut ab equo equuleus, ab hinc hinnuleus, ita ab haedo haeduleus. Et potuit quidem hic dixisse, *haeduloi lupos*; sed maluit genus femininum, ut paulo ante *colubras* et *uxores* olentis mariti. Quidni autem *haeduleae*; cum Varro dixerit *hinnas* et *equulas* apud Nonium Marcellum? Certe qui *haedilia* hic defendunt, praeterquam quod in versu flagitium insigne admittunt, verbum insuper veteribus, credo, Romanis inauditum fingunt. Quippe agni et haedi non seorsim, sed una cum matribus plerumque stabulabantur. Proinde, ut agnorum oviumque stabulum nemo *agnile* dixit, sed *ovile*: ita caprarum haedorumque septum non *haedile* vocabatur, sed *caprile*. Glossarium quidem vetus; *Ἐπιφοσάδου, haedilia*; et *Ἐοσιώνες* (lege *Ἐπιφωσώνες*) *haedilia*: sed apud Rei Rusticae scriptores vel Graecos vel Latinos frustra opinor, ea verba quaesiveris. Imo vero, quia et oves et caprae plerumque uno septo claudabantur, etiam stabula caprarum *ovilia* vocitabant veteres. Tibullus II, 1, 57. „*Illic datus, a pleno memorabile munus ovili, Dux pecoris hircus: duxerat hircus oves.*“ Ovid. Metam. XIII, 827. „*Sunt fetura minor tepidis in ovilibus agni: Sunt quoque par aetas alius in ovilibus haedi.*“

14. *Hinc tibi Copia Manabit*] Legendum puto, etiam inquit manuscriptis, *Hic tibi copia*: ut mox sequitur, *Hic in reducta valle*. Quod et erudito Ducierio et ante eum Doctissimo Fabricio placuisse video. Sane sic habet editio Loscheri 1498. *Hinc et hic* frequentissime confunduntur in scriptis codicibus. Quod si *hinc* legeris, interpretandum quidem licet

- 15 Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.
Hic in reducta valle caniculae
Vitabis aestus, et fide Teia
Dices laborantis in uno
- 20 Penelopen vitreamque Circeen.
Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra: nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia: nec metues protervum
- 25 Suspecta Cyrum; nec male dispari
Incontinentis iniiciat manus,
Et scindat haerentem coronam
Crimibus, inmeritamque vestem.

XVIII.

AD VARUM.

- Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem
Circa mite solum Tiburis, et moenia Catili.
Siccis omnia nam dura Deus proposuit: neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
- 5 Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepat?
Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
Ac ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata: monet Sithoniis non levis Euius;
- 10 Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum

v. 7. Vulgo. *At ne.*

ob pietatem meam: atqui eo pacto dicendum potius foret *Hinc mihi copia, quam hinc tibi.* Neque enim amicam suam Tyndarin vel uxoris conditione habere voluit, vel heredem sibi instituere. Ceterum illud, quod mox sequitur, *ruris honorum*, ut eleganter dictum iure laudant interpretes: poterant etiam et exemplis illustrare: nam imitatus est clare Statius Silv. IV, 5, 1. „*Parvi beatus ruris honoribus.*“ et occultius in Theb. X, 788. „*hi sertis, hi veris honore soluto Accumulant.*“ et Silius Italicus III, 487. *Nullum ver usquam, nullique aestatis honores.*“

19. *Fide Teia Dices laborantes in uno*] Codices nostri, Galei, Zulich. et a secunda manu Reginensis, *disces:* ut alibi noster Carm. IV, 11, 34. ad Phyllida. „*condisce modos, amanda Voce quos reddas.*“ et II, 19, 3. „*Bacchum in remotis carmina rupibus Vidi docentem (credite poster) Nymphasque discentes.*“ Sed nihil mutandum: nam quid est *discere fide Teia?* Nimirum Tyndaris fidibus et voce canare sciebat, ut Lyde, Carm. III, 28, 11. „*Tu curva recines lyra Latonam, et celeris spicula Cynthiae.*“

7. *At ne quis modici*] Graevianus noster cum Leidensi, Batteliano, Petrensi, et Galei *ac.* Et sic, opinor, aliorum aliquot; sed haec, ut putant, levia male praetereunt. Sane sic editio Loscheri 1498. Omnino elegantius est, et Horatianum. Sic Epist. I, 19, v. 26. „*Ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,*“ ut ibi omnes fere codices: tamen et illic quoque *at* editiones

- Discernunt avidi. non ego te, candide Bassareu,
Invitum quatiā; nec variis obsita frondibus
Sub divum rapiam. saeva tene cum Berecyntio
Cornu tympana, quae subsequitur caecus amor sui,
15 Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem,
Araenique fides prodiga, perlucidior vitro.

XIX.

DE GLYCERA.

- Mater saeva Cupidinum,
Thebanaeque iubet me Semeles puer,
Et lasciva Licentia,
Finitis animum reddere amoribus.
- 5 Urit me Glycerac nitor
Splendentis Pario marmore purius;
Urit grata protervitas,
Et voltus nimium lubricus aspici.
In me tota ruens Venus
- 10 Cyprum deseruit; nec patitur Scythas,

occupavit. Epist. I, 1, v. 13. „*Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuler.*“ Epist. II, 1, v. 208. „*Ac ne forte putes me quae facere ipse recusem.*“ Ovid. Remed. Am. 465. „*Ac ne forte putes nova me tibi condere iura.*“ Sic ibi editio prima et duo scripti, ut fatetur praestantissimus Heinsius. Vulgo *et.* Ipse nullo praecedente codice reposuit *at.* Non dubito, quin, si haec nostra vidisset, mutasset factum.

3. *Et lasciva licentia*] Recte. Sic Sallustius Iugurth. 39. „*Militibus, quos soluto imperio licentia atque lascivia corruerat.*“ Quintilianus Instit. IX, 4. „*Quorundam in oratione simili pene licentia lascivientium.*“ Scribe tamen hic non *lasciva licentia*, sed *Licentia*; nam Deam intelligit, ut in superioribus Venerem et Bacchum posuit. Cicero de Legibus II, 17. „*Vexati nostri Lares familiares: in eorum sedibus exaedificatum templum Licentiae: pulsus a delubris is, qui illa servarat.*“ Sed hoc Cicero *ἑτροχῶς*: nam Clodius *Liberati*, non *Licentiae*, id consecraverat. Claudianus de Nuptiis Honorii v. 77. ubi Veneris aulam et comitatum describit; „*nec cetera Numina desunt: Hic habitat nullo constricta Licentia nodo.*“ Poteris etiam non minus eleganter reponere, „*Et lasciva Libentia.*“ *Libentia* enim vel ipsa Venus est, vel Dea quaequam in Veneris comitatu. Plautus Asinaria, II, 2, [2]. „*Ut ego vos lubentiores faciam quam Lubentia est.*“ et Sticho, II, 1, [3]. „*Itaque onustum pectus porto lactitia lubentiaque.*“ Gellius XV, 2. „*Nam cui Libentiae Gratiaeque omnes conviviorum incognitae sunt.*“ Quae ex Gellio sublecta iisdem verbis habentur apud Macrobius Saturn. II, 8. Varro de Lingua Latina lib. VI [47]. „*A libendo, libido, libidinosus, sic alia ut Libentina.*“ Sic quidem editi, at Vossii codex scriptus: *libidinosus, ac Venus Libentia, et Libitina, sic alia.* Porro in versu praecedente plures libri *inbent*, Leidensis, Reginensis, Reg. Societatis, Petrensis et alii: sed rectius Graevianus et Batt. *iubet*. Amat enim noster in eiusmodi constructione singularem numerum, ut alibi pluribus docebo. Vide ad Carm. I, 24. vers. 8.

6. *Splendentis Pario marmore purius*] Manifeste hoc imitatus est Seneca Hippolyto 795. „*Vexent hanc faciem frigora parcius; Haec solem facies rarius appetat;* Lucebit Pario marmore clarius.

Et versis animosum equis
 Parthum dicere, nec quae nihil attinent.
 Hic vivum mihi cespitem, hic
 Verbenas, pueri, ponite, turaque
 15 Bini cum patera meri:
 Mactata veniet lenior hostia.

XX.

AD MAECENATEM.

Vile potabis modicis Sabinum
 Cantharis, Graeca quod ego ipse testa
 Conditum levi; datus in theatro
 Cum tibi plausus,
 5 Clare Maecenas eques, ut paterni
 Fluminis ripae, simul et iocosa
 Redderet laudes tibi Vaticani
 Montis imago.
 Caccubum, et praeco domitam Caleno
 10 Tu bibes uvam: mea nec Falernae
 Temperant vites, neque Formiani
 Poecula colles.

XXI.

IN DIANAM ET APOLLINEM.

Dianam tenerae dicite virgines:
 Intonsum, pueri, dicite Cynthium,
 Latonamque supremo
 Dilectam penitus Iovi.
 5 Vos laetam fluvii, et nemorum comam,
 v. 5. Vulg. *Care*. 5. *Coma*.

5. *Care Maecenas eques*] Recte quidem pro amicitiae et familiaritatis iure *Care Maecenas* dicere potuit noster, ut alibi *Dilecte Maecenas*. Sed quid tum de *Equite* fiet? Neque enim *care eques* tolerabile quidem est; et multo minus *eques* sic nudum et Epitheto destitutum. Sine dubio legendum cum codice Regiae Societatis, „Clare *Maecenas, eques*.“ ut alibi Carm. III, 16, 20. „*Maecenas, equitum decus*.“ et Propertius III, 9 [v. 1.] „*Maecenas, eques Etrusco de sanguine Regum*.“ Martialis VI, 58, [10]. „*Sospite me, sospes Latias revelheris ad urbes, Et referes pili praemia clarus eques*.“ Plinius Epist. II, 13. „*Pater ei in equestri gradu clarus, clarior vitricus*.“

5. *Vos laetam fluvii, et nemorum comam*] Quatuor Blandinii longe optimi apud Cruquium, et noster Graevianus *comam*. Quae melior lectio est et sequentibus aptius respondet. Vos, inquit, puellae, Dianam cantate, et nemora Algidi, aut Erymanthi, aut Cragi: vos invicem, pueri, Apollinem, et Tempe, et Delon. Quod si legeris *coma*, tum sola Diana ab illis, ab his vero praeter Apollinem Tempe et Delos canentur. Quomodo ergo iubet *totidem* tollere laudibus? Recte vero nemorum *comam* celebrare imperat: ut alibi Carm. III, 28, 10. „*Nos cantabimus invicem Neptunum, et viridis*

Quaecumque aut gelido prominet Algido
 Nigris aut Erymanthi
 Silvis, aut viridis Cragi:
 Vos Tempe totidem tollite laudibus,
 10 Natalemque, mares, Delon Apollinis,
 Insignemque pharetra
 Fraternaque humerum lyra.
 Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
 Pestemque a populo et principe Caesare in
 15 Persas atque Britannos
 Vestra motus aget prece.

XXII.

AD ARISTIUM FUSCUM.

Integer vitae, scelerisque purus
 Non eget Mauris iaculis, neque arcu,
 Nec venenatis gravida sagittis,
 Fusce, pharetra;

Nereidum comas.“ Porro aliud agunt Enarratores, cum sequentia sic construunt: Laudate *humerum* Apollinis, *insignem pharetra*. Meliora sane illos vel Porphyrio Scholiastes docere potuisset. Respondent, inquam, haec superioribus, *vos dicite Dianam laetam fluvii; vos Apollinem insignem humerum pharetra*. *Insignis humerum* Hellenismus notissimus est, nostro quoque familiaris: [Carm. III, 10, 18] „*Nec Mauris animum mitior anguibus*.“ et alibi.

13. *Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem*] In praecedentibus et Dianae et Apollinis laudes una celebrantur: iam vero Apollinem solum ait bellum, famem, et pestilentiam a Romanis amoliturum. Quid ergo opus erat supervacuis precibus Dianam sollicitare? Quamobrem, ne nihil omnino hic agat Diana, vide an legendum sit, „*Haec bellum lacrimosum, hic miseram famem*.“ Bellum autem lacrimosum intellige *Civile*: ut Carm. III, 8, 19. „*Medus infestis sibi luctuosus Dissidet armis*.“ *Discordiam* vero abigit propitia Diana, ut memorat Callimachus, Hymno in Dianam v. 133. *Οὐδὲ διαφορασί, τρώγει γένος, ἦτε καὶ εἴπερ Ὀϊκὸς ἐστρωτὰς εἰσίναιτο*.“

2. *Non eget Mauris iaculis*] Ita prisci quique codices, *Mauris*, ut iamdudum monuerunt Interpretes: mei certe vetustiores Leid. Graev. Zulich. Batt. et a prima manu Reginensis. Adde Editionem Loscheri 1498. et Lactantium Instit. V. 18. ubi non aliter citatur hic locus. Quare expugnanda tandem est eorum pertinacia, qui alterum illud *Mauri* etiam in recentissimis aliquot editionibus obtrudunt. Quippe et noster alibi, „*Maura unda, Mauris anguibus*.“ ut ab aliis observatum. Trebellius Claudio c. 14. „*Purpura Maura*.“ Vopiscus Aureliano c. 12. „*Stragula Maura*.“ Ovid. Fast. VI, 244. „*Attoniti Mauras pertimere manus*.“ Iuvenalis X, 148. „*hic est quem non capit Africa Mauro Percussa Oceano*.“ et XII, 4. „*Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura*.“ Statius Silv. I, 3 [v. 35]. „*Auratasne trabes, an Mauros undique postes?*“ Idem Theb. IX, 189. „*Sic ubi Maura diu populatum rura leonem*.“ Martialis XIV, 90. „*Non sum crispa quidem, nec silvae filia Maura*.“ Avienus in Descript. Orb. [111]. „*sic caelum vertice fuleit Maura Abila, et dorso consurgit Iberica Calpe*.“ Silius Italic. III [v. 339]. „*iuga Pyrenes venatibus acer Metiri, iaculove extendere proelia Mauro*.“

- 5 Sive per Syrtis iter aestuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.
Namque me silva lupus in Sabina,
10 Dum meam canto Lalagen, et ultra
Terminum curis vagor expeditus,
Fugit inermem:
Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit aesculetis;
15 Nec Iubae tellus generat, leonum
Arida nutrix.

7. *Fabulosus Lambit Hydaspes*] Nic. Heinsius ad oram libri sui: „*Sabulosus legit Grotius Petrus*.“ Nolle sane hoc ei exiisse; quippe quod et sententiae et versui repugnat. *Sabulosus* enim primam syllabam brevem habet; et de *solo, terra*, dicitur, non de *fluvio*. *Fabulosus Hydaspes* (ut Carm. III, 4, 9. *Fabulosae palumbes*) hoc est, de quo multa in Poetarum fabulis narratur. Curtius III, 1. „*Marsyas annis fabulosus Graecorum carminibus inclutus*.“ Plinius Hist. Nat. V, 1. „*Montem Africae vel fabulosissimum Atlantem*.“ Quintil. Declam. X [c. 8]. „*Filium tuum, mulier infelix, non impositae inferis clusere terrae, non spissa perpetuae noctis caligo compescuit, non fabulosa vatibus palus, multumque celebrati curvato igne torrentes*.“ Seneca Epist. 45. „*Nec me Charybdis et Scylla, et fabulosum istud fretum detertere potuissent*.“

11. *Curis vagor expeditis*] Variant hic et scripti et editi, dum alii *expeditis*, alii *expeditus* praefereunt. Utrambilibet lectionem tuto sequi poterit: posterior tamen et verior videtur et elegantior. Sic *expedire se molestia, metu, crimine, aerumnis, laqueo etc.* passim occurrunt. *Expeditus* igitur *curis*, ut illud Senecae Oedip. v. 13. „*Curis solutus, exul, intrepidus, vagans*.“ et Symmachi Epist. VII, 32. „*Iamdudum curis publicis absolutus, relegere iter debuisti*.“ et Terentii Phorm. V, 4, 4. „*Hic simul argentum reperit, cura sese expedit*.“ Mutatam suspicor ab eruditulo quodam, qui paullo ante legerat in Carm. VIII v. 12. „*Saepe trans finem taculo nobilis expedito*“: et proinde, ut ibi *trans finem expedito*, itidem et hic voluit *ultra terminum expeditis*: nesciens scilicet, *vagor ultra terminum*, verum hic constructionem esse.

14. *Daunia in latis alit aesculetis*] Sic omnes, credo, editi iam ab annis plus centum: nullae tamen, quod sciam, membranae sic repraesentant: verum antiquiores *Daunias latis*; ut praeter aliorum Codicum Nostri Leid, Zolich, Graev, et a manu prima Reginensis; nam litera S nunc erasa est: caeteri autem *Daunia latis* sine praepositione. Par etiam varietas est in editionibus priscais; Veneta anno 1478. *Daunia latis*: Loseheri 1498. *Daunias latis*: ut plane credibile sit lectionem illam, quae hodie obtinet, *Daunia in latis*, in nullis omnino manuscriptis nunc reperiri. Quid igitur fiet? *Daunias, Dauniatos*, Graeca enuntiatione, crude, ut alia omnia, defendit Nicolaus Heinsius ad Ovid. Sappho Phaon. v. 164. „*Daunias*“, inquit, „*more Graeco, ut Cephesias ora, Phasias terra, Hadrias unda, Actias Orithya*; quibus adli possent, Lemnias, Seyrias, Gnozzias, Myneias, et alia innumera. Sed illa Graeca sunt, et Graecum inflexionem libenter accipiunt: quae tamen in Latino *Daunia* invitius, ni fallor, admittetur. Illud igitur magis ad rem, quod, ut ibidem affirmat Vir summus, *Appias via* pro *Appia* non uno loco occurrit apud Ovidium. Quidni itaque *Daunias regio, ut Appias via*? Sed operae pretium est, ut loca integra huc

coram adducantur. Artis Amatoriae I, 79. „*Et fora conveniant (quis credere possit) amori, Flammaque in arguto saepe reperta foro. Subdita qua Veneris facte de marmore templo Appias expressis aera pulsat aquis. Illo saepe loco capitur consultus Amori: Quique aliis cavet, non cavet ipse sibi. Hunc Venus e templis, quae sunt confinia, ridet: Qui modo patronus, nunc cupit esse cliens*.“ Art. Amat. III, 449. „*Redde meum, clamant spoliatae saepe puellae: Redde meum, toto saepe boante foro. Has, Venus, e templis multo radiantibus auro Lenta vides lites, Appia-desque tuae*.“ Remed. Amor. 659. „*Turpe vir et mulier, iuncti modo, protinus hostes: Non illas lites Appias ipsa probat*.“ Iam autem in loco secundo *Appiadas* interpretatur *meretriculas, quae extra urbem via Appia habitabant*: in ceteris *Appias*, ut opinatur, est ipsa via Appia. Profecto alibi occupatus erat vir, siquis alius, emunctae naris, cum haec effudit, Nihil enim hic de *Via Appia*, nec de *meretriculis*: in urbe media res agitur, proxime ipsum Forum; quod satis superque indicant tot vocabula, *forum, consultus, confinia, patronus*; ut legenti continuo patebit. Paucis rem explicabimus. Appius Claudius Caecus in censura sua *aquam*, quae ab ipso *Appia* vocata est, ad urbem duxit: ea, praeter alios in aliis Urbis locis, unum exitum sive Salientem habuit prope Forum, iuxta aedem Veneris; quae *Venus inde Appias* cognominata est: *Appiades* autem sunt Nymphae vel Deae, quarum statucae circa istum Salientem ornamenti gratia ponebantur, et ex ore, mammae, digitis, vel capillitio aquas emittebant. Atque id quidem cum haec ipsa Ovidii loca satis demonstrant, tum imprimis Plinius, lib. XXXVI, 24. „*Agrippa*“, inquit, „*in aedilitate sua, adiecta Virgine aqua, ceteris corrivatis atque emendatis, lacus septingentos fecit; praeterea salientes centum quinque; castella centum triginta, complura etiam cultu magnifica: operibus iis signa trecenta aerea aut marmorea imposuit, columnas ex marmore quadringentas*.“ Equidem haec certissima esse iudico: proinde si *Venus* vel *Nympha* ad *Appiae* Salientem collocata *Appias* dicitur, non idcirco et terra *Daunias* vocari poterit; non magis profecto quam *Italiam* vel *Siciliam*. Quippe, quod caput rei est, et praecipue advertendum, *Daunia* est nomen substantivum, ut loquuntur Grammatici, aequè ut *Italia* vel *Sicilia*. Festus Pompeius: „*Daunia, Apulia appellatur a Davno Illyricae gentis claro Virò, qui eam propter domesticam seditionem excedens patria occupavit*.“ Polybius III, 88. „*Εἰς πρώτην ἐπέβαλε τὴν ΔΑΥΝΙΑΝ*.“ et IX, 7. „*ποισαμένως τὴν πόρειαν διὰ τῆς ΔΑΥΝΙΑΣ καὶ τῆς Βοετίας*.“ Stephanus Byzantius: *τὸ ἔθνος Δάυνιος, καὶ ΔΑΥΝΙΑ τὸ θηλοζόν*. Huc accedit, quod et ipsum *Daunias* substantive hic ponitur, *militaris Daunias*: quod adhuc durius est, quam si pro Epitheto haberetur. Tolerabilis enim foret *Daunias hasta*, vel *Daunias Nympha* vel eiusmodi aliud quid, quam *militaris Daunias*. Tamen et illud refugerunt, cum noster in Carm. II, 1, 34. — „*quod mare Dauniae Non decoloravere caedes*“ et IV, 6, 27. „*Dauniae defende decus camenae*.“ tum et Virgilius Aen. VIII, 146. „*Genis eadem quae te crudeli Daunia bello Insequitur*.“ Et XII, 785. „*Procurrit, fratrique ensein dea Daunia reddit*.“ Quae cum ita sint, non ausim sane vetustissimis licet codicibus fidem habere; neque tam *κακόζηλον* Horatium credere, ut nulla ne versus quidem necessitate cogente *Daunias* diceret, cum in promptu esset, quod nunc editiones occupat, *Daunia in latis*. Recte enim et de more praepositio hic ponitur, ut paullo ante, „*Namque me silva lupus in Sabina*.“ Et Virgil. Georg. III, 224. „*Pascitur in magna silva formosa iuvenca*.“ Illud tamen difficile dictu est, unde nisi ab ipsa Horatii manu provenire poterit *Daunias* in priscais membranis. Neque enim quiequam obscuri est in hodierna lectione: neque librariis proclivis erat lapsus a facili et usitato ad inauditum vocabulum. Unde illud evenit, ut in recentioribus Scriptis, litera S erasa, *τὸ Daunias* rursus ad *Daunia* etiam metri damno revocaretur. Si hariolari hic liceret, suspicarer olim, pro *Daunia in*, librariorum errore *Dauniam* scriptum

Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura;
Quod latus mundi nebulae malusque

20 Iuppiter arguet:

Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata;
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

XXIII.

AD CHLOEN.

Vitas hinnuleo me similis, Chloë,
Quaerenti pavidam montibus aviis
Matrem, non sine vano
Aurarum et silvae metu.

fuisse: unde correctores, ut et versui et casui nominativo consulere, substituisse *Dannias*. Vel exortus est fortasse sciolus aliquis, qui in illis, „*Quale portentum neque militaris Dauniam latis alit esculetis*,“ *portentum* casu nominativo caperet, et ideo *militaris*, hoc est, militares *Dannias* accusativum faceret. Utrumque se res habuerit; me sane non invito, utramlibet lectionem sive *Dannias*, sive *Daunia* in pro arbitrio sequetur lector eruditus.

18. *Arbor aestiva recreatur aura*] Marius Victorinus p. 2603, bis hunc versiculum laudat ad hanc speciem, „*Arbor aestiva recreatur umbra*.“ Sed nihil est, quod a codicibus recedamus. Sane in zona glaciale, quae hic describitur, satis superque erat *umbrae*: neque proinde aestivam umbram desiderabat, sed *auram*, quae maxime arbores frugesque recreat. Noster Carm. Saeculari v. 32 „*Nutriant fetus et aquae salubres Et Iovis aurae*.“ Catullus Epig. LXII [v. 39]. „*Ut flos in seplis secretus pascitur hortis, Quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber*.“ Idem in Nuptiis Pel. et Thet. [LXIV v. 282.] „*Aura parit flores nitidi secunda Favoni*.“ Ovid. Fast. V, 209. „*Est mihi secundus dotalibus hortus in agris: Aura fovet: liquidae fonte rigatur aquae*.“ Valerius Flaccus VI, 711. „*Qualem siquis aquis et fertilis ubere terrae Educet, ac ventis oleam felicibus implet: Nec labor assiduus, nec spes sua fallit alentem*.“ Idem VI, 340. „*Dixit, et Edonis nutritum missile ventis Concitat*.“ ubi ô *hâve* Nic. Heinsius. „*Nutritum*,“ inquit, „*missile ventis, ut apud Homerum ἀνεμώσθητο χόρου, impulsus ventis*.“ Perperam quidem: ut ex superioribus satis apparet, et adhuc magis ex Seneca Nat. Quaest. V, 18. „*Dedit deus ventos, ad custodiendam caeli terrarumque temperiem, ad evocandas suppressendasque aquas, ad alendos satiorum atque arborum fructus, quos ad maturitatem cum aliis causis adducit ipsa iactatio, attrahens cibum in summa, et, ne torpeant, movens*.“

4. *Aurarum et silvae metu*] ubi *silvae* tribus syllabis posuit; ut iterum Epod. XIII, 2. „*nunc mare, nunc silvae Threicio Aquilone sonant*.“ Quod equidem non possum non demirari; cum adeo in promptu esset, quod pari elegantia nullaque vi mensurae adhibita dicere potuit, „*Aurarum et nemoris metu*,“ et, „*Nunc mare, nunc nemora*.“ plane ut Virgilius Georg. I, 335. „*Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt*.“ Neque tamen vel dubitandum quidem est de lectionis sinceritate; cum eam omnes ubique codices confirmant, et Priscianus tribus in locis, pag. 546, 740, 1039, ubi eo ipso fine locum hunc adducit, ut *Silvae* trisyllabum esse doceat. Similem sane Dialysin in aliis verbis admiserunt non Catullus

5 Nam, seu mobilibus vepribus inhorrui
Ad ventum foliis, seu virides rubum
Dimovere lacertae,
Et corde et genibus tremit.

v. 5. Vulg. *Veris*. 6. *Adventus*.

solum, qui paullo durior est, sed tersissimi Poetarum Tibullus et Ovidius: ille Eleg. I, 7 [v. 2], et alibi, „*Stamina non ulli dissolvienda deo*.“ hic in Epist. Medae Iasoni [XII.4]. „*Debuerant fusos evoluisse meos*.“ et passim. Verum alia ratio horum est, alia, ni fallor, *silvae*. *Solvo* enim et *volvo*, si consonantem in vocalem dissolveris, primam brevem habebunt; ut ex supinis et participiis constat, *Solutus, volutus*: *Silva* autem, etiam per diaeresin in tres syllabas dissoluta, primam tamen longam retinebit: siquidem certum est, a Graeco ἰλα, vel per digamma Aeolicum ἰλα, Latinum *Silva* profluxisse. Nam ἰλα quidem apud Graecos syllabam primam semper productam habet. Ita *Milvus* aut *milius*, sive disyllabon, sive trisyllabon facias, utroque modo primam longam servat. Sed eo tantum haec notamus, ut aenam eruditorum iudicia: non ut poetam culpae insimulemus, qui sine dubio ex usu sermonis et eruditorum consuetudine scire melius faciliusque haec potuit, quam quisvis hodie mortalium ex incertis Analogiae rationibus tanto post intervallo hariolari.

5. *Nam, seu mobilibus veris inhorrui Adventus foliis*] Ita libri quidem nostri magna constantia: ut et plerique aliorum. Solus Muretus ex codicibus suis protulit, „*Nam seu mobilibus vitis inhorrui* Ad ventum *foliis*.“ Quod ad priorem lectionem attinet, multis ea nominibus cordato lectori displicere debet. Neque enim poterit *veris adventus inhorrescere foliis*, cum eo tempore nondum nata sint folia: ver enim ipsum frondes educit. Neque adventu *veris hinnulei matres quaerunt*; cum ante ver adultum cervae non pariant. Neque tunc temporis *Lacertae rubos dimovent*, cum ex latebris suis, in quas hieme se condunt, tam mature non prodeant. Neque porro, si haec omnia sustuleris, Latine dici potest, *Adventus veris inhorrui foliis*: cum retro potius oratio instituenda sit, ut *folio inhorrescant adventu veris*. Iam autem in Mureti lectione illud certe *vitis* consistere non potest: quippe in *montibus aviis* nullae omnino sunt vites, quae hinnuleos terrent. Alterum vero illud *ad ventum* optime se habet: et nulla pene mutatione totus locus sic legendus est, „*Nam seu mobilibus vepribus inhorrui* Ad ventum *foliis; seu virides rubum Dimovere lacertae*.“ Nihil profecto haec coniectura certius est; suoque ipsa lumine aequae se probat, ac si ex eorum scriptis codicibus proferretur. Nam principio, aptissime *vepribus cum rubo* coniungitur. Plinius XII, 42. „*Gignitur* (cinnaomi frutex) *in planis quidem, sed in densissimis vepribus rubisque, difficilis collecta*. Seneca Hippolyto, 1102. „*acutis asperi vepres rubis, Omnisque truncus corporis partem tulit*.“ Columella VII, 6, de pecore caprino; „*Nam nec rubos aversatur, nec vepribus offenditur*.“ Deinde et ipsa per se *vepribus horret*, et recte *vento inhorrescere* sive intremiscere dicitur. Virgilius Georg. III, 315. „*Horrentisque rubos, et amantis ardua dumos*.“ Georg. I, 151. „*segnisque horret in arvis Carduus*.“ Aen. XI, 579. „*Hic natam in dumis interque horrentia iustra*.“ Georg. III, 198. „*tum segetes altae campi que natantes Lenibus horrescunt flabris, summaeque sonorem dant silvae*.“ Recte postremo *ad ventum*, tritissimo loquendi genere. Virgil. Aen. IV, 513. „*Falcibus et messae ad lunam quaeruntur ahenis Pubentes herbae*.“ Celsus lib. I, cap. 2, et 3. „*Ad ignem ungi atque sudare*.“ Ovidius Pont. I, 3 [v. 9]. „*Et iam deficiens, sic ad tua verba revixi; Ut solet infuso vena redire mero*.“ Lucretius VI, 1169. „*ad ventum et frigora semper, In fluvios partim gelidos, ardentia*

Atqui non ego te, tigris ut aspera
 10 Gactulusve leo, frangere persequor.
 Tandem desine matrem
 Tempestiva sequi viro.

XXIV.

AD VIRGILIUM.

Quis desiderio sit pudor aut modus
 Tam cari capitis? praecipe lugubris
 Cantus, Melpomene, cui liquidam pater
 Vocem cum cithara dedit.

morbo Membra dabant. Porro ex Anacreonte hunc locum expressum esse recte observant interpretes; sed in digerendis eius versibus fefellit eos metri ratio; non enim quattuor sunt, sed duo tantum, et sic disponendi: „*Ατε νεβρόν νιοθλήια γαλαθιρόν, ὄσα' ἐν ἕλῃ Κερόεσσας ἀπολειφθεῖς ἐπὶ μητρὸς ἐπιούσῃ.*“ Galliambi sunt, quales frequentes erant apud Anacreontem, teste Hephaestione, qui hoc exemplum producit, „*Ἦαρά δ' ἔντε Πυθόμενδρον κατέδον' ἴρωτα φεύγων.*“ Sic enim legendum ex scripto codicē, non *πυθόμεν δέ*, ut vulgo. Atque haec vel his similia cum ad incomparabilem virum Ioannem Georgium Graevium *τὸν μακαρίτην, animam qualem neque candidiorem terra tulit*, ante biennium scripseram; his verbis mihi responsum dedit IV. Non. Decemb. MDCCII. paulo ante obitum. „*Cum nuperius tuas litteras, in quibus aliquot emendationes Horatianas mecum communicaras, recitasset Petro Burmanno homini elegantissimo, mihi tibi applaudebat. Post aliquot dies rediit ad me secum ferens Horatium, cui non pauca adscripserat Nicolaus Heinsius, et Statium. In utriusque libri margine vir ille doctissimus notaverat, in Od. XXIII. lib. I. Salmasium pro veris correxisse vepriis, quod ex Menagio didicerit. Hoc tu quidem ignorasti, ut tibi laus inventi pulcherrimi debeat: gaudebis tamen credo idem viro magno in mentem incidisse, quod tuae inciderat.*“ Haec quidem ad me vir celeberrimus: Ego vero, cum postea doctissimi Burmanni beneficio exemplar Heinsiani Horatii nactus essem, in libri margine hoc adnotatum repperi: „*vepriis, Salmasius, teste Menagio:*“ hanc autem, quaecumque est, emendationis praecceptae laudem viro maximo libenter concedo; quam habeat secum, servetque sepulcro.

2. *Praecipe lugubres Cantus Melpomene*] Recentiores quidem libri ex meis *Lugubres*; vetusti vero Leidensis, Graevianus, Reginensis cum plerisque Craquii *Lugubris*: quod tamen eodem redit; cum sollemne sit eisdem codicibus accusativos plurales per *is* scribere. Hinc tamen Danieli Heinsio arrepta est occasio coniecturam minime se dignam proferendi. Vult enim genitivo casu haec concipi, *Melpomene lugubris cantus*, dea scilicet cantus lugubris. Doleat profecto hominem et ingenii et eruditionis gloria alias florentem adeo turpiter se in Horatio dedisse. Cuius enim aures non istud refugient, *Melpomene cantus*? Quis unquam vel fando audivit, *Venus amorum, Apollo musicae, Minerva artium, deus vel dea* subintellecto? Adde, quod et sententiam quoque subvertit, dum huiusmodi constructionem facit, *Praecipe, quis modus sit Desiderio*: in quo paria paene ei peccavit Muretus, qui post Scholiastam veterem sic verba ordinat, *Praecipe cantus, quis sive quibus desiderio pudor sit et modus*. Intempestiva sane haec videntur, et cum sequentibus pugnant. Nam continuo luctum orditur noster, *praeccepti istius nimis immemor*, „*Ergo Quintilium perpetuus sopor Urget?*“ Quid, quod odiosum est luctui modum ponere; ut quidem sentit Statius

5 Ergo Quintilium perpetuus sopor
 Urguet? cui Pudor, et Iustitiae soror
 Incorrupta Fides, nudaque Veritas
 Quando ullum inveniet parem?
 Multis ille bonis flebilis occidit;
 10 Nulli flebilior quam tibi, Virgili.
 Tu frustra pius, heu non ita creditum,
 Poscis Quintilium Deos.
 Quod si Threicio blandius Orpheo
 Auditam moderere arboribus fidem;
 15 Non vanae redeat sanguis imagini,
 Quam virga semel horrida,
 Non lenis precibus fata recludere,
 Nigro compulerit Mercurius gregi.
 Durum: sed levius fit patientia,
 20 Quicquid corrigere est nefas.

v. 8. Vulg. *Inveniet.*

Silv. II. 6 [v. 1]. „*Saeve nimis, lacrimis quisquis discrimina ponis, Lugendique modos.*“ Idem Silv. V. 5. [v. 59]. „*O nimum felix, nimum crudelis, et ex-pers Imperii, Fortuna, tui, qui dicere legem Fletibus, aut fines audet censere dolendi.*“ Seneca tamen in Consolat. ad Helviam c. 1. „*Cui nihil,*“ inquit, „*negares, huic hoc utique te non esse negaturam (sicet omnis moeror contumax sit) spero, ut desiderio tuo velis a me modum statui.*“ Verum, utcumque hoc sit, recte se habet vulgata lectio, per interrogationem.

5. *Quando ullum inveniet parem*] Silent hic interpretes; adeo ut crediderit quis, eos *inveniet* in omnibus suis codicibus invenisse. Vide hominum securam negligentiam. Equidem in plus decem, quos penes me habeo aut habui, hisce oculis legi *inveniet*; illud alterum ne in uno quidem. Et sic plane habent editiones principes, Veneta et Loscheri. Mutatum vero ab iis est, qui triplicem nominativum *Pudor, Fides, Veritas* cum plurali numero libentius iungi existimarunt. In quo eos fefellit prorsus et latuit Horatiani sermonis genius: quem, quia aliquoties in progressu operis necesse erit observare, semel hic, ut opera illa defungar, lectori exhibebo. Carm. I. 2. 38. „*Quem iuvat clamor, galeaeque leves, Acer et vultus.*“ I. 3. 3. „*Sic te diva potens Cypri, Sic fratres Helenae, lucida sidera, Ven-torumque regat pater.*“ v. 10. „*illi robur, et aes triplex Circa pectus erat.*“ I. 4. 16. „*Iam te premet nox, fabulaeque manes, Et domus exilis Plutonia.*“ I. 6. 10. „*dum pudor Imbellisque lyrae Musa potens vetat.*“ I. 34. 12. „*Quo bruta tellus, et vaga flumina, Quo Styx, et invis horrida Tarnari Sedes, Atlanteusque finis* Concutitur.“ I. 35. 21. „*Te Spes et albo rara Fides colit Felata panno.*“ v. 26. „*At vulgus infidum, et meretric retro Peritura cedit.*“ II. 13. 38. „*Quin et Prometheus, et Pelopis parens Dulci laborem decipitur sono.*“ III. 3. 10. „*Hac arte Pollux, et vagus Hercules Enisus, arces attingit igneas.*“ III. 6. 16. „*Iam bis Moneses, et Pacori manus Non auspicatos contudit impetus.*“ v. 14. „*Delevit urbem Dacus et Aethiops.*“ III. 11. 22. „*Quin et Ixion Tityosque vultu Risit invito. Dum favet nox et Venus.*“ III. 16. 32. „*Purae rivus aquae, silvaque iugerum Paucorum, et segetis certa fides meae Fallit sorte beator.*“ IV. 5. 18. „*Nutrit rura Ceres almaque Faustitas. Mos et lex maculosum edomuit nefas.*“ IV. 8. 27. „*Virtus et favor et lingua potentium Fatum divitibus consecrat insulis.*“ Sed abunde, credo, iam

XXV.

AD LYDIAM.

Parcius iunctas quantiunt fenestras
Ictibus crebris iuvenes protervi,
Nec tibi somnos adimunt: amatque
Ianua limen,

5 Quae prius multum facilis movebat
Cardines. audis minus et minus iam,

exemplorum est: et similia porro in ceteris Flacci operibus notabit diligens lector: videbitque vix unquam aliter extare apud nostrum, nisi forte cum locus est mendosus.

1. *Parcius iunctas quantiunt fenestras ictibus crebris*] Codices aliquot mei et aliorum, *vinetas*; sed recepta lectio recte habet; ut Iuvenalis IX, 105. „*claudite fenestras, Vela tegant rimas, iunge ostia, tollito lumen.*“ Mox pro *ictibus* veterum mei Leid. Graev. Regin. et Cruquiani praeter unum omnes *iactibus*. Quod probare videtur Nic. Heinsius ad Ovid. Metam. IX, 35. „*Nisi*“ addit, „*tactibus mavis, ut apud Claudianum l. in Europ. v. 93. de Laide iam vetula: jam turba proca, noctisque recedit Ambitus, et raro pulsatur ianua tactu.*“ Sed vereor, ut cuiquam haec persuaserit vir praestantissimus. Equidem siquid hic mutatum vellem, *vectibus crebris* potius legerim, quam aut *tactibus* aut *iactibus*. Vectibus enim utebantur amatores ad expugnandas amicarum ianuas et fenestras, ut noster Carm. III, 26, 7. „*hic, hic ponite lucida Funalia, et vectes, et arcus Oppositis foribus minaces.*“ Eleganter autem *crebris* vectibus: ut Virgilius Aen. II, 492. „*labat ariete crebro ianua, et emoti procumbant cardine postes.*“ Et aibi *crebra tela, crebris bipennibus*. Sed omnino retinenda est recepta lectio *ictibus*: cui astipulantur aliorum codices non pauci, et ex meis Petrensis, Magdalenensis, Battelianus, Galei; adde editionem Loscheri 1498. *Crebris ictibus*, ut plane Lucretius IV, 932. „*Tundior, atque eius crebro pulsariet ictu.*“ et ibid. 1277. „*Nam leviter quamvis quod crebro tunditur ictu.*“ Virgil. Aen. XII, 713. „*tum crebros ensibus ictus Congeminant.*“ Et ibid. V, 459. „*sic densis ictibus heros Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.*“

5. *Quae prius multum facilis movebat Cardines*] *Facilis*, ut extat in vetustissimis Cruquii, et Reginensi nostro cum aliquot aliis, ambiguum facit, utrumne *facilis ianua*, an *faciles cardines* sit construendum. Et utrumvis sane optimorum auctorum exemplis tueri poteris. Iuvenalis IV, 63. „*Ut cessit, facili patuerunt cardine valvae.*“ Serenus Sammonicus, frequens nostri imitator, [489] „*Aut medio ventris prodest adspargere terram, Quam signaverunt vestigia pressa rotarum, Proderit et pulvis facili sub cardine pande forem.*“ Tibullus Eleg. I, 2 [7]. „*ianua difficilis domini, te verberet imber.*“ quod huc adducit Torrentius: verum hic potius *difficilis domini* coniungenda sunt, quam *ianua difficilis*. Seneca Troadibus 406. „*limen et obsidens Custos non facili Cerberus ostio.*“ Idem de ira, III, 37. „*Nunc ille, qui intra iacet, felix fortunatusque est; et beati hominis iudicat ac potentis indicium, difficilem ianuam: nescit durissimum esse ostium carceris.*“ Atque huc potius inclino, ut *facilis ianua* apud Nostrum sit verior constructio: quamquam maiori interpretum parti alterum magis placuit. Convenit enim, ut *facilitas* et benignitas de agente potius quam de patiente dicatur; de *ianua quae movebat*, quam de *cardinibus qui movebantur*. Illud autem memineris, *multum facilis* hic accipere, non mul-

Me tuo longam pereunte noctem,
Lydia, dormis?

Invicem moechos anus arrogantis
10 Flebis in solo levis angiportu,
Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento.

v. 7. Vulg. *Longas noctes.*

tum movebat: ut Serm. I, 3, 57. „*Multum demissus homo.*“ II, 3, 147. „*Multum celer atque fidelis.*“ II, 5, 92. „*Multum similis metuenti.*“ Epist. I, 10, 3. „*Multum dissimiles,*“ et denique II, 2, 62. „*Poscentes vario multum diversa palato.*“

7. *Me tuo longas pereunte noctes, Lydia, dormis*] Amator exclusus conqueritur, se eius amore et desiderio pereunte, Lydiam altum dormire. Cur autem *longas noctes*? Satis erat de una illa nocte queri, qua tum excubabat. Certe spem fovebat, se ea ipsa nocte intromissum iri; nequicquam alioqui fores pulsaturus. Quid itaque dubitas, vel invida codicibus, *longam noctem* reponere? Sic Ovidius Epistola Paridis [315], „*Sola iaces viduo tam longa nocte cubiti.*“ Idem Amor. II, 19 [v. 22]. „*Et sine me ante tuos proiectum in limine postes Longa pruinosa frigora nocte pati.*“ Statius Silv. V, 4 [v. 14]. „*At nunc, heus, aliquis longa sub nocte puellae Brachia nexa tenens, ultra te, somne, repellit.*“ Incertus auctor in Epigrammate, Priap. 47, 5. „*Et ipse longa nocte dormiet solus.*“ Noster Epist. I, 1, 20. „*Ut nox longa, quibus mentitur amica, videtur.*“ Meleager in Anthol. lib. VII [ep. 20.] „*ΝΥΞ ΜΑΚΡΗ, καὶ χεῖμα, μέγαν δ' εἰσι πλειάδα δόξει, Κεχρῶ ἀπὸ προθύροισι νύκσομαι ἰόμενος.*“ Ita recte *νύκσομαι* vel *νύκσομαι*, nam utroque modo scribi solet, *ambulo, versor ante fores*: et perperam substituebat magnus Scaliger *νύκσομαι*; neque melius Theodorus Marcellius, *νύκσομαι*.

11. *Thracio bacchante magis sub interlunia vento*] Dixerat iam ante, *Tu invicem amatoribus destituta, et libidine furens, per vicos et angiportus captabis moechos*: nunc addit, *Borea sub interlunia magis bacchante*, quae summus Criticus Iulius Scaliger ipso *Borea frigidiora* esse dicit. Et sane difficile est luculentam aliquam sententiam ex iis extundere. Quid enim? An in solis interluniis conditiones quaerebant meretrices? An tetra et tempestuosa nox, qua nemo extra domum prodibat, opportunior ei quiescui erat, quam serena et sideribus illustris, cum aequae fere ac interdiu plateae frequentabantur? Sed esto: concedamus haec bene se habere: at quid demum cum illo *magis* facies? Nulla quidem hic comparatio est, neque quicquam apparet quo *magis* referri commode possit. Ut Scaligeri igitur censuram Noster effugiat, vide an aptius haec constitui possint unius litterulae mutatione; (nam *bacchate* vetusti codices exhibent, lineola super a ducta.) „*Flebis in solo levis angiportu, Thracio bacchata magis sub interlunia vento.*“ Libidine, inquit, percita, per angiportus quaeres adulteros, *bacchata* magis, quam *Boreas* sub interlunia *bacchatur*. Recte enim *bacchata*, ut Virgilius in Cadice v. 112. „*Venit Nycteleum fugiens Cadmeis Agave, Quae gelidis bacchata iugis requievit in antro.*“ Claudianus I. in Rufinum [v. 82], de Megaera: „*Haec Agamemnonis inter bacchata penates Aeternis lusit iugulis.*“ Recte quoque *magis vento*: ut noster Serm. II, 8, 17. „*Hic herus; Albanum, Maecenas, sive Falernum Te magis appositis delectat.*“ et, I, 3, 142. „*Privatusque magis vivam te rege beatus.*“ Iam vero usitatissimum et apud poetas, ut mulieres amoris aestu incensae, qualem noster hic Lydiam memorat, *bacchari* et *Baccharum* more agitari ferrique dicantur. Ita Pholoe apud nostrum Carm. III, 15, 10. „*filia roctius Expugnat iuvenum domos, Pulso Thyas uti concita tympano.*“ Pasiphae apud Ovid. Art. Armat. I, 312. „*In nemus et saltus thalamo ve-*

Cum tibi flagrans amor, et libido,
Quae solet matres furiare equorum,
15 Saeviet circa iecur ulcerosum;
Non sine quaestu,

gina relicto Fertur, ut Aonio concita Baccha deo.“ Mulier ζῆλότυπος ibid. II, 380. „In ferrum flammisque ruit,positoque decore Fertur, ut Aonii cornibus icta dei.“ Procris ibidem III, 708. „Nec mora, per medias passis furibunda capillis Evolat, ut thyrsu concita Baccha, vias.“ Ariadne, in Epistola [v. 48]: „Aut ego diffusis erravi sola capillis, Qualis ab Ogygio concita Baccha Deo.“ Byblis, Metamorph. IX, 640. „Uique tuo motae, proles Semeleia, thyrsu Ismaria celebrant repetita triennia Bacchae: Byblida non aliter latus ululasse per agros.“ Phaedra in Epistola [v. 47]: „Nunc seror, ut Bacchi furiis Eleleides actae: Quaeque sub Idaeo tympana colle movent.“ Cynthia Propertii III, [S, 14]. „Seu sequitur medias, Maenas ut icta, vias.“ Tarpēia apud eundem IV, 4 [v. 72]. „Illa ruit, qualis celere prope Thermodonta Strymonis abscessos fertur aperta sinus.“ Scylla apud Virgilium in Ciri. v. 163. „Quae simul ac venis hausit silentibus ignem, Et validum penitus concepit in ossa furorem, Saeva velut gelidis Ciconium Bistonis in oris, Infelix tota virgo bacchatur in urbe.“ Ubi obiter notandum, perperam eos facere, qui versum tertium sic interpolant: „Saeva velut gelidis Edoniam Bistonis oris.“ Neque feliciter corrigit ὁ πᾶν N. Heinsius ad Ovid. Trist. IV, 1. v. 42. „Saeva velut Ciconium gelidis Edonis in oris.“ Quia Bistonis scilicet, ut hi opinantur, syllabam mediam ubique habet brevem. Atqui aliud ex Stephano didicimus, qui Bistonis per O magnum quoque dici testatur. „Τὸ θηλυκόν,“ inquit, „Βιστωνίς. ἐκίεταται δὲ καὶ λέγεται Βιστωνίς διὰ τοῦ ω.“ Sed et hic quoque turbat postremus Stephani editor Berkelius, vir doctissimus, qui Epitomatori dicam scribit ob hoc ipsum, negatque ullum exemplum adduci posse, ubi media in Bistonis producat. Enimvero iam unum ex Ciri citavimus; cuius si dubia cuiquam fides esse videatur; ecce alterum ex Apollonio Rhodio, quo sponsorem et fideiussores alium non quaesiveris meliorem: lib. I. v. 34. „Ὀρσπία μὲν δὲ τοῖον ἰὼν ἱεραγωγὸν αἰθλων Αἰσονίδης, Χειρῶνος ἐρημοσύνησι πειθήσας, Ἄξιατο, Πιερίη ΒΙΣΤΩΝΙΑΙ κοινανίοντα. Sed ut ad Flaccum revertamur; id etiam poetis solitum est, ut furore actus non Bacchis solum, ut supra, sed cuivis alii rei comparent, quae concitato motu rapitur. Ita Tibullus amore flagrans se assimilat Turbini, Eleg. I, 5 [v. 3]. „Namque agor, ut per plana citus sola verberare turben, Quem celer assueti versat ab arte puer.“ quod ex Amata Virgilii expressisse videtur, Aen. VII, 376. „Tum vero infelix, ingentibus excita monstris, Immensam sine more furit lymphata per urbem: Ceu quondam torto volitans sub verberare turbo,“ et quae sequuntur. Noster autem, non illi quidem lusorio, sed ventorum Turbini comparat quandam prae avaritia insanientem. Serm. I, 4. v. 30. „quin per mala praeceps Fertur, uti pulvis collectus turbine, ne quid Summa deperdat metuens, aut amplius ut rem.“ Eleganter itaque et Lydiam, furiatam illam libidine et per angiportus cursitantem, eidem Turbini comparat, atque bacchari eam per plateas magis Thracio Borea sub interlunia bacchante. Nam et venti ipsi bacchari dicuntur, ut Virgilio in Ciri v. 479. „Afer ut hiberno bacchatur in aequore turbo,“ et omnium maxime Thracius Boreas, ut Ovid. Trist. I, 2 [v. 29]. „Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto,“ quippe ventorum omnium violentissimus; ut Nemesian. Cyreg. 270. „Haud secus effusus Nerei per caerulea ventis, Cum se Threicius Boreas superextulit antro, Stridentique sono vastas exterruit undas, Omnia turbato cesserunt flumina ponto: Ipse super fluctus spumanti murrure fervens, Conspicuum pelago caput eminent: omnis euntem Nereidum mirata suo stupet aequore turba,“ et praecipue sub inter-

Laeta quod pubes edera virente
Gaudeat, pulla magis atque myrto;

v. 17. Vulg. *Firenti*.

lunia cum maxime debacchari solet; „*Interluniorum enim dies tempestatibus plenos, et navigantibus quam maxime metuendos, non solum peritiae ratio, sed etiam vulgi usus intelligit,*“ ut Vegetius narrat De Re Mil. lib. V. c. 10. Atque haec quidem a nobis dicta sint, magis ut lectoris iudicium exerceamus, quam ut hoc ab Horatio profectum esse praestare velimus. Siquidem pace Scaligeri, sic satis commode explicari potest lectio vulgata: Ut olim amatores tui, Lydia, etiam longis et hibernis noctibus fores tuas frustra pulsabant, neque intromittebantur: ita tu vicissim, cum mox anus fueris, prae eorum foribus nequicquam excubabis, flebisque te excludi tenebrosa et procellosa nocte, sub *interluniorum* tempus, cum *Boreas* magis quam alias *debacchatur*.

17. *Laeta quod pubes edera virenti Firenti* in plerisque meis reperiri: nec de suis quicquam proferunt interpretes. Sed apud Mariam Victorinam p. 2604. legitur *virente*, et sic quidem vetustus meus Graevianus clare et sine litura. Verrius Flaccus apud Charisium p. 101. „*Eorum,*“ inquit, „*nominum, quae NS finiuntur casu nominativo, ablativus in E dirigitur est.*“ Is est Verrius, qui ab Augusto nepotibus eius Praeceptor electus. transit in Palatium cum tota Schola, et sestertia centena in annum accipit, ut narrat Suetonius de Illust. Gram. cap. 17. ut verisimile sit Verriam. ex consuetudine clarorum Scriptorum Virgilii. Varii, Horatii, aliorumque qui amicitia Augusti floruerunt, id regulae loco posuisse. Certe ubique fere noster ad eam speciem ablativos dirigit: quos, quia aliquoties in hac re peccatum est, ut et meae et lectoris operae paream, omnes hic recensbo: *abeunte, accedente, aedificante, agente, altercante, arente, bacchante, bellante, candente, continente, crepante, culpante, corrente, dante, defendente, deficiente, dicente, ducente, eludente, fallente, florente, fugiente, fulgente, imminente, iubente, mentiente, metuente, nascente, notante, obscurante, parente, pellente, perouente, poscente, praebente, praesente, praetereunte, probante, proficiente, quadrante, rapiente, redeunte, referente, rubente, saliente, sapiente, serpente, sonante, spectante, stante, surgente, temperante, tenente, vehemente, volente, urente.* Vide, quam ampla ablativorum silva est in *te* desinentium; atque hi interdum quidem in fine versus, plerumque autem in medio collocantur, ubi nullus errori locus est; in omnibus tamen omnes ubique libri consentiunt. Iam autem ter quaterve tantum, vel summum quinquies, in diversum abeunt codices; de quibus locis quid sentiendum sit, iam credo iudicare poteris. Quis enim dubitet in hoc, de quo agitur, loco fide Victorini et Graeviani reponere, „*Laeta quod pubes edera virente,*“ cum viderit apud nostrum hoc genus ablativos sexaginta ferme terminari in *te*? Frustra quoque sunt, qui Carm. I, 2, 31. substituere volunt, „*Nube candenti humeros amictus,*“ quod ibi refutavi. Illud quoque Carm. II, 16, 1. „*Otium divos rogat in patenti Praensis Aegaeo,*“ corrigatur *palente*, Batteliano nostro auctore. Tum et illud Epod. V, 11. „*Ut haec trementi questus ore constitit,*“ cur non potius ad ceterorum exemplum *tremente*, quod mensurae lex aequae recipit, ac alterum? et sic Ovidius Trist. III, 11 [v. 54]. „*Exhibuit querulos ore tremente sonos,*“ et Pont. III, 1 [v. 154]. „*Haec quoque vix poteris ore tremente loqui,*“ et in *Ibide*: [v. 112.] „*Exiguamque petas ore tremente cibum.*“ Porro etiam, quod Serm. I, 2, 30. occurrit, „*Contra alius nullam nisi olenti in fornice stantem,*“ levi manu mutatum aliorum formam sequetur, *olente in fornice*: ut et illud Serm. I, 7, 28. „*Tum Praenestinus salso multumque fluenti Expressa arbusto regerit convicia,*“ ubi Daniel Heinsius in scriptis quosdam codicibus *multoque, fluente* reperisse memorat: quod si *fluenti* legas, dubium tamen est

Aridas frondis hiemis sodali

20 Dedicet Euro.

v. 20. Vulg. *Hebro*.

ablativusne sit an dativus. Unicus dumtaxat locus est, qui in turbam cogi negat, Carm. II, 19, 5. „*Euos recenti mens trepidat metu.*“ respuit enim metri ratio, ut *recente* reponatur. Verum hoc Nomen est, non Participium: et proinde alia huius, alia ceterorum ratio haberi debet.

19. *Aridas frondis hiemis sodali Dedicet Hebro*] Vera huius loci interpretatio et lectio de superioribus pendet, „*Lasta quod pubes hedera virente Gaudeat, pulla magis atque myrto.*“ Quippe haec sententia est, uti recte vidit magnus Salmasius ad Solinum [p. 674a], Iuvenes magis gaudere arboribus *αειφύλλοις* semper virentibus, quales hedera atque myrtus: arida autem et caduca folia nihili aestimare. Ut enim *virens hedera* sic itidem *pulla myrtus* perpetuo hic epitheto dicitur. Quippe bicolor est myrtus; alba, et nigra sive pulla, quia ex viridi nigrescit. Sic Dioscorides et Graeci alii, *Μυρσίνη μέλαινα* et *λευκή*. Ovid. in Arte Amat. III, 690. „*Silva nemus non alta facit: tegit arbutus herbam: Ros maris, et lauri,* nigraque myrtus olent.“ Frustra igitur laborant, qui comparisonem hic esse volunt inter virentem myrtum, et nigram. Eadem enim et virens est et nigra: neque nigra myrtus minus iuventuti in deliciis est, quam alba. Infeliciter quoque, ut hic solet, Daniel Heinsius corrigit, „*Gaudeat pulla magis: atque myrti Aridas frondis hiemis sodali Dedicet.*“ Imo vero aridae frondes plane opponuntur frondibus hederæ ac myrti, scilicet quæ non arescunt hieme, sed perpetuo virent. Atque his sic explicatis, iam facilis via panditur, quæ ad illum *hiemis sodalem* nos perducit. Nam sine dubio eum hic noster intelligit, qui *frondes arborum φυλλοβόλων aridas* et caducas facit. Quorsum igitur *Hebro*? Anne Hebrus quiequam in causa est, ut folia exarescant et decidant? Nihil minus. Quamobrem porro Hebrus *sodalis hiemis* est? Eleganter quidem Claudianus Danubium et Rhenum *Martis et Boreæ sodales* vocat, de Bello Getico v. 339. „*Amba habiles remis, ambo glacialia secti Terga rotis, ambo Boreæ Martisque sodales.*“ Ita recte tres codices apud Nic. Heinsium, *Martis*; quem miror equidem *Marti*, quod in aliis invenit, alteri lectioni prætulisse: quod vel hic ipse Flacci locus, si eius meminisset, prohibere potuit, ut et alter Carm. III, 18, 6. „*Larga nec desunt Veneris sodali Vina crateræ.*“ Eleganter, inquam, Claudianus: parique aut meliore iure Hebrum dixeris *Boreæ et Martis sodalem*: siquidem ut Hebrus Thraciæ fluvius est, ita Boream Threicium et Threicium Martem passim apud Poetas legas. Vereor tamen ut similiter *Hiemis sodalis* dici possit: nisi si forte perpetuus ibi hiemes, Hebrumque æterna nivis compepe vinctum esse auctacter fluxeris. Sed utcumque hoc habeat; quæ quæso convenit, ut Iuventus Romæ degens Hebro, qui longe longeque abest, folia dedicet? Dedicare est dare, et proinde qui absentis Deo quid dedicat, dono id ei mittit, ut Earinus Statii capillum suum Aesculapio Pergamum. An ergo et Iuvenes dedicatas illas frondes Thraciam usque detulerunt? Nugæ. Omnino talis hiemi quaerendus est sodalis, qui et folia decidere faciat, et Romæ quoque præsens sit. Is vero iam præsto erit; si pro *Ebro*, ut in vetustis libris sine aspiratione plerumque legitur, *Euro* reponas, „*Aridas frondis hiemis sodali Dedicet Euro.*“ Ut enim veris comites sunt Zephyri, Carm. IV, 12, 1. „*Iam veris comites, quam mare temperant, Impellunt animæ lintea Thraciæ:*“ et Orionis comes est Notus Carm. I, 28, 21. „*Me quoque deveri rapidus comes Orionis Illyricis Notus obruit undis:*“ et Aestatis comites Etesiae, Lucret. V, 740. „*Inde loci sequitur calor aridus, et comes una Pulverulenta Ceres, et Etesia flabra Aquilonum:*“ ita Euris recte *Hiemis sodalis* dici poterit; nam hieme cum maxime flat: ut Virgilius Georg. II, 339. „*ver illud erat, ver magnus*

XXVI.

DE AELIO LAMIA.

Musis amicus, tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis; quis sub Arcto
Rex gelidæ metuatur orae,
5 Quid Tiridaten terreat unice
Securus. ô quæ fontibus integris
Gaudes, apricos necete flores,
Necte meo Lamiae coronam,
Pimplei dulcis: nil sine te mei

v. 9. Vulg. *Pimplea*.

agebat Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri:“ vel Aquilo, qui Poetis idem fere ac Euris est: Virgil. Aen. III [v. 285]. „*Et glacialis hiems Aquilonibus asperat undas.*“ Martialis I, 50 [v. 19]. „*At cum December canus et bruma impotens Aquilone rauco mugiet.*“ Iam autem quid aliud, quæso, *arescere frondes* et decidere facit, nisi venti hiemales? Ovid. Epist. Oenones [v. 110]: „*Tu levior foliis, tum cum sine pondere succi Mobilibus ventis arida facta volant:*“ atque Euris sive Aquilo præsertim, ut Virgil. Georg. II, 404. „*Frigidus et silvis Aquilo decussit honorem.*“ Severus poeta Christianus [v. 86]: „*Quam multis foliis silva cadentibus Nudatur, gelidis tacta Aquilonibus.*“ Cum itaque Euris et hiemis sit comes, et frondes arboribus decutiat, et Romæ quoque et ubivis gentium præsens sit, ut convenienter ei dedicari quid possit; nihil obistere video, quo minus fidenter *Euro* corrigamus. Atque in hac sententia erat vir ingeniosus Ianus Rutgersius: cui postea accessit Tan. Faber: et sic sane locus a Scaligero citatur Poetic. p. 340. Quam equidem laudem integram et illibatam servari iis velim; etsi in mentem mihi iam olim emendatio venerat, priusquam apud illos eam vidissem. Neque vero me absterret celeberrimi Dacieri cunctatio, qui ideo a socii sui sententia decessit, quia ventis dedicari quicquam non commemorat. Quid? oblitusne est Virgiliani illius, Aen. III, 120. „*Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.*“ et Epod. X, 23. „*Libidinosus immolabitur caper, Et agna Tempestatibus.*“ Certe si immolatum est ventis, cur non utique et dedicatum? Quid, quod Ara Athenis Boreæ; et Delphis, Ventis dedicata est? Quid, quod Seneca narrat Nat. Quaest. V, 17. „*Divum Augustum Templum Circo vento, cum in Gallia moraretur, et vocisse et fecisse?*“ Adde, quod noster iocose hic posuit *dedicare*; nihilque aliud notat, ac donare, mandare, tradere: ut Carmine proxime sequente, „*Musis amicus, tristitiam et metus Tradam protervis in mare Creticum Portare ventis.*“ et ut Lesbia Catulli [36, 6] vovit se „*Selectissima pessimi poetae Scripta tardipedi Deo daturam Infelicibus ustulanda lignis.*“ Myrtum igitur atque hedera[m] a iuvenibus appoti dicit, caduca vero folia præteriri atque Euro mandari, „*Ut neglecta volent rapidis ludibria ventis.*“

3. *Quis sub Arcto Rex gelidæ metuatur orae*] Codex Regiæ Societatis, et a manu prima Græcivannus qui sub. In hoc postea adscriptum est S; et inter lineas explicatum *Quibus*. Rectissime, Securus, inquit, quis sive quibus Rex gelidæ orae sub Arcto metuatur. Falluntur interpretes, cum hæc aliter accipiunt. Lucan. V, 55. „*fidumque per arma Deiotarum, et gelidæ dominum Rhascuporin orae.*“ Valerius Flaccus V, 317. „*nec fama fefellit Soligenam Acelen media regnare sub Arcto.*“

9. *Pimplea dulcis*] Omnes, opinor, qui nunc extant, codices aut *pimplea*, aut *piplea*: nam utroque modo scribitur tam apud Latinos, quam Græ-

10 Possunt honores. hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio sacrare plectro
Teque tuasque decet sorores.

v. 10. Vulg. *Prosunt*.

cos. Doctissimus Nic. Heinsius in margine libri sui: „*Lego Pimplaui: sic vobis Scholiastes videtur agnoscere.*“ Frequens id genus menda est in codicibus scriptis. Sic Ovid. *Metam.* I, 504. „*Nympha, precor, Peneae, mane:*“ ubi unus et alter ex optimis recte *Penei*. Sic ibidem *Dodona, Cadmea, Ledeae, pro Dodoni, Cadmei, Ledei*. Iterum Heinsius ad istum locum Ovidii, „*Nec dubito*“, inquit, „*apud Horatium Pimplaei dulcis pro Pimplaea reponi debere.*“ Rectissime hoc, ut fere omnia, vir insignis: in eo duntaxat leviter erratum est, quod diphthongum pro simplice vocali posuit: Graece enim *Πιμπλῆϊς* est, non *Πιμπλαῖς*. Enimvero hic *Musam* compellat Horatius, ut res ipsa praedicat: atqui *Pimplea locus* est; seu oppidum sit, seu mons, sive fons, sive omnia: *musa* vero inde denominata *Pimpleis*. Callimachus *Hymno* in *Delum* v. 7. „*Ως Μοῦσαι τὸν αἰθδόν, ὃ μὴ ΠΙΜΠΛΑΙΕΙΑΝ αἶσιον, Ἐγδοσαν, τὼς Φοῖβος, ἕως Ἀήλοιο λάθηται.*“ ubi Scholiastes: „*Πιμπλαῖαν, ὄρος Ἠράκλεις, ἵερὸν Μουσῶν.*“ Lycophron. v. 275. „*Αἰθρηθροῖν θ' ἑταῖρθε ΠΙΜΠΛΑΙΑΣ σκοπῆν.*“ ubi Tzetzes (sive is Isaacus est, sive, ut Ludolfus noster Kusterus, excellenti vir ingenio atque doctrina, primus reprehendit, Iohannes Isaaci frater) „*Ἠμεῖς ποδὶς καὶ Κόρινθ καὶ ὄρος Μακεδονίας.*“ Strabo lib. 10 [p. 410. 471] et 7 [p. 330]. „*Ἐχει ἡ πόλις τὸ Ἄϊον κόμην πλείσιον ΠΙΜΠΛΑΙΑΝ, ἐνθα Ὀρχαεὺς διέτριβε.*“ Statius *Silv.* I, 4 [v. 26]. *licet enthea valis Excludat Pimplea sitim, nec conscia detur Pirene.*“ ibidem II, 2 [v. 37]. „*Non mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes, Et superet Pimplea sitim.*“ Inde, inquam, derivata *Pimpleus, Pimpleis, Pimpleias*, ut Catullus *Epig.* 106. „*Pimpleum scandere montem.*“ et *Martialis XII, 11* [v. 3]. „*Cuius Pimpleo tyra clarior erit ab antro?*“ Cave tamen credas, ut *mons Pimpleus*, et *antreum Pimpleum*, ita *Musa* quoque *Pimplea* bene Latine dici: quippe idem habet Catullus [61, 1]. „*Collis o Heliconii Cultor:*“ Musae tamen non *Heliconiae*, sed *Heliconides* vel *Heliconiades* nominantur. Orpheus apud Tzetzem loco iam dicto, „*Νῦν δ' ἄγε μοι κόρη ΠΙΜΠΛΑΙΑΣ ἔρρεν μοῦσα.*“ *Martialis XI, 4* [v. 1]. „*Non urbana mea tantum Pimpleide gaudent Otia.*“ Varro lib. VI. de *Ling. Lat.* p. 69 [VII, 20]. „*Ita ab terrestribus locis cognominatae Musae Libethrides, Pipleides, Pimpliades, Thespiades, Heliconiades.*“ Festus Pompeius: „*Pimpleides Musae a fonte Macedoniae dictae propter liquoris eius unicam subtilitatem.*“ Porphyrio Schol. ad hunc Flacci locum: „*Pimpleides musae dicuntur a Pimplea fonte Macedoniae.*“ unde colligas hunc certe *Pimplei dulcis* olim legisse. Imo et fons vel mons ipse *Pimpleis* interdum dicitur: Apollonius Rhodius I, 26. „*Οἰάγρω σκοπίης ΠΙΜΠΛΗΛΙΟΣ ἄγχι κείσθαι.*“ ubi Scholiastes, *Πιμπλῆϊς, χωρίον κατὰ Πιπρίων.* Ansonius *Epist.* XIV [v. 9]. „*Siriguam laetis recolis Pimpleida musis.*“ Et Etymologici auctor, v. *Μῦσαντος*, alieunde laudat, *Πιμπληλῆδος ἄρχης.* Turbat quidem Hesychius, qui habet *Πιπλῆϊα, αἰ μοῦσαι*: sed tam corrupti codicis, cum solus est, nulla habenda est ratio.

10. *Nil sine te mei Prosunt honores*] *Prosunt* in plerisque libris extat; et ferri quidem potest: verum cum Lambini aliquot, Bersmanni unus, et Zulichemianus noster *Possunt* exhibeant, non possumus non hanc lectionem alteri praeferre. Sic Virgilius *Aen.* IX, 446. „*Fortunati amba, siquid mea carmina possunt.*“ Idem *Ecolg.* III [v. 28]. „*Fix ergo inter nos, quid possit uterque, vicissim Experiamur.*“ Noster *Carm.* III, 4, 58. „*Sed quid Thyphoeus et validus Mimas Contra sonantem Palladis aegida Possent ruentes?*“ Et *Epist.* I, 2, 17. „*Bursum quid virtus, et quid sapientia possit.*“ Sed in *Arte* quidem *Poetica* v. 410. nunc legis, „*ego nec studium sine*

XXVII.

AD SODALES.

Natis in usum laetitiae scyphis
Pugnare, Thracum est. tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
5 Vino et lucernis Medus acinaeas
Immense quantum discrepat. inpium
Lenite clamorem, sodales.
Et cubito remanete presso.
Vultis severi me quoque sumere
10 Partem Falerni? dicat Opuntiae
Frater Megillae, quo beatus
Vulnere, qua pereat sagitta.
Cessat voluntas? non alia bibam
Mercede, quae te cumque domat Venus,

divite vena, Nec rude quid prosit, video, ingenium.“ Atqui et illic quoque codices nonnulli *possit* habent; omnino rectius; et sic locum citat Iohannes Saresberiensis *Metalog.* I, S. ut etiam codex eius manu scriptus clare habet.

3. *Verecundumque Bacchum Sanguineis prohibete rixis*] Equidem non sollicito hanc lectionem, in qua omnes codices consentiunt; et explicio, *Defendite* Bacchum a rixis, qui, nisi per nos steterit, verecundus erit. Ita Cicero dixit [de imp. Pomp. 7, 19]. *Rempub. a periculo prohibere*; et Caesar [b. c. I, 23]; *Captivos a conviciis militum prohibere*. Noster *Epist.* I, 1, 31. „*Nodosa corpus nolis prohibere cheragra?*“, hoc est, *defendere, protegere*. Veruntamen, cum levissima mutatione res aliter confieri possit; prope adducor ut credam sollemne sibi facinus Librarios hic admisisse. *m* enim postrema litera *toti morem* absorpsisse mihi videtur praepositionem *in*, quae continuo sequebatur. Hoc infinitis in locis accidisse, praesertim ubi versus mensura non prohibet, sciunt qui antiquos codices versavere. Sic Virgil. *Aen.* V, 3. „*Moenia respiciens, quae iam infelicis Elissae Conlucent flammis.*“ Membranae aliquot, quas inspexit Pierius, iam *felicis* habent; plane contra sententiam. Quo exemplo fieri potest, ut omnes iam Horatii codices hic error possederit, cum ab ipsius manu sic scriptum fuerit: „*tollite barbarum Morem, inverecondumque Bacchum Sanguineis prohibete rixis.*“ Bacchus enim natura sua inverecondus est, et ideo *insanus, manóμενος, μανώδης, ἄγχιος, θεράσος*, etc. passim audit apud poetas. Prohibete igitur, iam sensu usitato, prohibete, inquit, Bacchum a rixis eruentis, ad quas sponte sua facilis et proclivis est. Noster *Epod.* XI, 13. de Baccho: „*Simul calentis inverecondus deus Fervidiore mero arcana promovat loco.*“ Seneca *Epist.* 83 [§ 19]. „*Omne vitium ebrietas et incendit et delegit: obstantem malis convitiis verecundiam removet.*“ Profecto, nisi valde fallor, et simplicitas et Bacchi naturae convenientius videtur, ut potius dixerit noster, *Prohibete Bacchum, ne in rixas incurrat, quam Prohibete rixas, ne in Bacchum incurrant.*

13. *Cessat voluntas*] Mirum vero vetustissimos quoque Codices Lambini, Torrentii, et ex nostris optimis Leidensem, Graevianum, Reginsenem, non *voluntas*, sed *voluptas* habere. Sed altera lectio sincerior est. Statius *Theb.* IV, 690. „*adiuvat ipse Phoebus ad hoc summo (cesset ni vestra*

- 15 Non erubescendis adurit
 Ignibus, ingenuoque semper
 Amore peccas. quicquid habes, age,
 Deponc tutis auribus. ah miser,
 Quanta laboras in Charybdi!
 20 Digne puer meliore flamma.
 Quae saga, quis te solvere Thessalis
 Magus venenis, quis poterit Deus?
 Vix inligatum te triforni
 Pegasus expedit Chimaera.

XXVIII.

- Te maris et terrae, numeroque carentis arenae
 Mensorem cohibent, Archyta,
 Pulveris exigui prope litus parva Matinum
 Munera: nec quiequam tibi prodest,
 5 Aerias tentasse domos animoque rotundum
 Percurrisse polum, morituro.

voluntas) *Limite*.“ Valer. Flaccus IV, 471. „*Quin age, mitte preces; namque est tibi nostra voluntas*.“

15. *Non erubescendis adurit Ignibus, ingenuoque semper Amore peccas*] Non videntur percepisse haec interpretes. *Ingenuo amore peccare*, hoc est, ingenuae mulieris, non ancillae. Qui enim cum ancillis rem habebant, tamquam humiles et sordidae libidinis homines, male vulgo audiebant, et *Ancillariorum* vocabantur: unde noster Carm. II, 4. solatur Xanthiam quendam exemplis Achillei, et Agamemnonis, *Ne sit ancillae sibi amor pudori*. Atque huc, et non alio pertinent illa, *non erubescendis ignibus*; hoc est, non ancillae, qui erubescendi essent. Seneca Controvers. XXI, [§ 8] contra servum, qui domini filiam uxorem duxerat, „*Habeamus generum, si possumus, parem: sin minus, non erubescendum*“, id est, non servum. Idem Controv. IX, [§ 6] eodem sensu. „*Non insanissimum dispendiorum malum, non erubescendos amores, neque lacuriantem habitum, neque nepotatus obliis filio*.“

19. *Quanta laboras in Charybdi*] Deest praepositio in omnibus meis, credo etiam et aliorum. Unde codices aliquot *laborabas* habent, ut Leid. Zulich. et pro varia lectione Battelianus, et editio Veneta 1478. Atque hanc scripturam a magni nominis viris vulgatae anteponi video: quorum equidem sententiae non possum accedere. Quorsum enim *laborabas* tamquam de amore praeterito? Cum iam tum laboraret, cum hoc interrogaretur; ut locus ipse clare indicat. Quid, quod ne Latinum quidem videtur, *laborabas charybdi*? *Laborare morbo, frigore, inopia* etc. passim invenias: atque ea opinor de causa praepositionem omiserunt Librarii; quod crederent idem loquendi genus hic locum habere: et deinde exorti sunt correctores, qui ut laboranti versus succurrerent, pro *laboras, laborabas* reposuerunt. In quo sane fugit eos ratio et dictionis proprietates. Neque enim dixeris, *laborare itinere, silva, negotio, mari, syrti*; sed *in itinere, in silva* etc. neque *laborare puella, sed in puella*; ut noster Carm. I, 17, 19. „*Dices laborantes in uno Penelopen vitreamque Circeam*.“

3. *Pulveris exigui prope litus parva Matinum Munera*] Nic. Hein-sius, in libri margine, „*Forte, Funera*.“ Nollem equidem hoc tanto viro ex-cidisse: dissimulare tamen illud et suppressere religio mihi erat.

- Occidit et Pelopis genitor conviva Deorum,
 Tithonusque remotus in auras,
 Et Iovis arcanis Minos admissus: habentque
 10 Tartara Panthoiden, iterum Orco
 Demissum; quamvis elypeo Troiana refixo
 Tempora testatus, nihil ultra
 Nervos atque cutem morti concesserat atrae;
 Iudice te, non sordidus auctor
 15 Naturae verique, sed omnis una manet nox,
 Et calcanda semel via leti.
 Dant alios Furiae torvo spectacula Marti:
 Exitio est avidum mare nautis:
 Mixta senum ac iuvenum densentur funera: nullum
 20 Saeva caput Proserpina fugit.

v. 18. Vulg. *Avidis*.

5. *Tithonusque remotus in auras*] Male cepit hunc locum eruditissimus Dacierius: pro *in auras attenuatus, evavidus*: cum tamen recte eum Torrentius explicavisset. *Remotus in auras* hoc est, in aetherias auras aventus ab Aurora. Passim hoc Poetae decantant; unum dumtaxat Statii locum afferam, qui huic nostro germanus, Silv. I, 2, [v. 41] „*Nec si Dardania pastor temerarius Ida Sedisses, haec dona forent: nec si alma per auras Te potius pressa veheret Tithonia biga*.“ Sententia itaque huius loci haec est: Mortuus est Tantalus, etsi conviva deorum fuerit; Tithonus, etsi aetheris incolae; Minos, etsi *Atos ðeçpatîs*, sive consiliarius Iovis. Tolle iam hoc, et dic eum Dacierio, (etsi) *in auras solutus*; et sententiam pro-sus corruperis. Certe, ut Minois et Tantalus, sic et Tithoni dignitas quaedam et eminentia exprimenda erat, quo talem et tantum hominem mortuum tamen esse mirabundus fateretur. Caeterum viderit Noster, quos auctores sequatur: Cum et hic et Carm. II, 16, 30. Tithonum in mortuis numeret. Certe nondum obierat, cum Virgilius sua Georgica conscriberet: quippe iam tum, et antea, surgebat „*Tithoni croceum linquens Aurora cubile*.“ Quin et posteriores Poetae, tum cum Noster ipse in domo Plutonia esset, Tithonum adhuc in uxoris gremio cubantem viderunt.

18. *Exitio est avidis mare nautis*] Ita editi plerique; sed multo maior meliorque pars codicum scriptorum, mei certe omnes, *avidum*: quibus accedunt editiones priscae Veneta et Loscheri, et Scholiastae veteres. Utraque sane lectio bene habet, si versiculum hunc ab oratione reliqua abscis-sum, ipsum per se consideres. Quippe *avidi* sunt mercatores; et, dum lu-cro inhiant, *exitium* saepe sibi quaerunt. Propert. III, 5, [v. 37] „*Fortuna in-sidias pontum substravit avaris*.“ Nemesianus Cyneq. v. 102. „*Nec praed-as avidus secleris gurgite ponti*.“ Atque *avidum* quoque mare est, quasi *exitium* iis machinetur: Noster Carm. III, 29, 61. „*Ne Cypriae Tyriaeque merces Addant avaro divitias mari*.“ Lucret. I, 1030. „*Efficit, ut largis avidum mare fluminis undis Integrent annos*.“ Boëtius de Cons. Phil. II, 8. „*Ut fluctus avidum mare Certo fine coarceat*.“ Quid ergo? nihilne est, unde, utra lectio sit verior, diiudicari poterit? Nimirum ex orationis serie et ex Apti et Decori ratione colligas, potius *Avidum* ab Horatii manu esse, quam *avidis*. Sive enim Nauta hic loquitur, quae multorum sententia est, profecto ut male sibi dicat seque *avidum* vocet, non est probabile: sive, ut alii volunt, Archytae iam oratio est; ne id quidem convenit, ut nautae male dicat, a quo humationis officium mox erat rogaturus.

19. *Mixta senum ac iuvenum densentur funera*] *Densentur* vetustio-

Me quoque devexi rapidus comes Orionis
 Illyricis Nötus obruit undis.
 At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
 Ossibus et capiti inhumato
 25 Particulam dare, sic, quodcumque minabitur Euris
 Fluctibus Hesperis, Venusinae
 Plectantur silvae, te sospite; multaue merces,
 Unde potest, tibi defluat aequo
 Ab Iove, Neptunoque sacri custode Tarenti.
 30 Neglegis immeritis nocituram
 Postmodo te natis fraudem committere? fors et
 Debita iura vicesque superbae
 Te maneant ipsum; precibus non linquar inultis;
 Teque piaecula nulla resolvent.
 35 Quamquam festinas, non est mora longa; licebit
 Iniecto ter pulvere curras.

XXIX.

AD ICCIUM.

Ieci, beatis nunc Arabum invides
 Gazis; et acrem militiam paras
 Non ante devictis Sabaeae
 Regibus; horribilisque Medo

v. 4. Vulg. *Horribilique*.

res quique codices, et in his nostri Leid. Graev. Reginensis, cum editione Veneta 1478. Tamen adhuc in plerisque editis *densantur* invenieris. Quae haec tandem pertinacia est? Virgilius Aen. X, 432. „*Extremi addensent acies*.“ XII, 264. „*Fos unanimi densate catervas*.“ XI, 650. „*Et nunc lenta manet spargens hastilia densat*.“ Vide Nic. Heinsium ad Ovid. Metam. XIV, 369. et Fast. III, 820. et ad Valer. Flacc. III, 207. et Gifanium in Indice Lucret. V. *Densare* Porro in versu 21. „*Me quoque devexi*.“ elegantissimus N. Heinsius in ora libri sui, „*Forte*, Te quoque“; adeo ut a versu demum 23 Archytas loqui incipiat.

32. *Fors et debita iura vicesque superbae Te maneant ipsum*] *Fors* et legendum cum veteribus libris, non *forsan*. De quo vide Nic. Heinsium ad Valer. Flacc. I, 478. Mox, *vices superbae* in plerisque codicibus, et Servio ad Aen. II, 433. Doctissimus tamen Passeratius ex coniectura maluit, „*Vicesque*, superbe, *Te maneant ipsum*.“ non incommode sane: sic enim saepius Seneca; ut Herc. Fur. v. 89. „*I nunc, superbe, caelitum sedes pete*.“ Hippol. 703. „*Iterum, superbe, genibus advoalor tuis*.“ Medea, 1007. „*I nunc, superbe, virginum thalamos pete*.“ Auctor Octaviae 643. „*Quos nunc pudor luctusque perpetuus manet Et te, nefande, meque qui talem tuli*.“ Et Regiae quidem societatis codex *superbe* cum o inter lineas, ut notetur casus esse vocativi. Profecto utraque proba lectio est et *superbae*, et *superbe*. Perperam tamen idem Passeratius substituebat, „*precibus non linquor inultis*“, pro *inultis*. Valer. Flaccus IV, 14. „*Dabit impia poenas Virgo, nec Aetiae gemitus patiemur inultos*.“ Ovid. Metam. IV, 426. „*Nil poterit luna, nisi inultos flere dolores?*“

4. *Horribilique Medo Neetis catenas*] Non contendo, quin recte Medus

5 Neetis catenas, quae tibi virginum,
 Sponso necato, barbara serviet?
 Puer quis ex aula capillis
 Ad cyathum statuatur unctis,
 Doctus sagittas tendere Sericas
 10 Areu paterno? quis neget arduis
 Pronos relabi posse rivos
 Montibus, et Tiberim reverti;
 Cum tu coemptos undique nobilis
 Libros Panaetii, Socraticam et domum
 15 Mutare loriceis Hiberis,
 Pollicitus meliora, tendis?

XXX.

AD VENEREM.

O Venus regina Cnidi Paphique,
 Sperne dilectam Cypron, et vocantis
 Ture te multo Glycerac decoram
 Transfer in aedem.

horribilis dicatur; ut Catullo[11,11] *horribiles Britanni*; neque receptam lectionem de possessione deicio. Non celabo te tamen, quod in mentem mihi incidit; ut legatur forte, „*horribilisque Medo Neetis catenas*.“ hoc est, ut nunc dierum scribitur, *horribiles catenas*, ut alibi Serm. I, 3, 119. „*Nec scutica dignum, horribili sectere flagello*.“ Noster Carm. II, 13, 15. „*Miles sagittas et celerem fugam Parthi; catenas Parthus et Italum Robur perhorrescit*.“ Eodem redit, ut notum est, seu Parthum sive Medum dixeris: eadem quippe gens intelligitur. Iam ergo, si *Parthus perhorrescit catenas Italas*, recte utique legeris, *Neetis catenas Horribiles Medo*: sed vicissim, si *miles Romanus perhorrescit sagittas Parthi*, recte quoque habebit recepta lectio, *horribili Medo*. Vide tamen, annon loco huic et sententiae aptius sit *Horribiles*: quippe iam nunc catenas neetit Iccius, tamquam certus victoriae: nec proinde Medus *horribilis* ei videbatur. Convenit igitur, ut Parthi potius expeditionem Iccii *horreant*, quam ut Iccius Parthos. Sic alibi Noster Carm. I, 35, 31. „*et iuvenum recens Examen Eois timendum Partibus Oceanoque rubro*.“ et Serm. II, 5, 62. „*Tempore quo iuvenis Parthis horrendus*.“ et Epist. II, 1, 256. „*Et formidatam Parthis, te principe, Romam*.“

13. *Cum tu coemptos undique nobiles Libros Panaetii*] Editi opinor omnes repraesentant *nobiles*. Plures tamen ex meis codices, Reginensis, Batt. Magdal. Galei, Mori, Petrensis, *Nobilis*. Neque dubites, quin et bona pars librorum, quos Interpretes inspexerunt, sic habuerit; quamvis id ipsi silentio tegant. Optimus tamen Bersmannus testatus est, ex tribus suis codicibus duos habere *nobilis*. Ambiguum igitur ex vetere scribendi ratione fit, *Nobilis* ne *libros* voluerit Noster, an *nobilis Panaetii*. Ego vero ne dubitare quidem possum, quin *nobilis* ad Panaetium attineat, ne *libros* duplici epitheto accumulemus. Qui in Poëtis triti sunt, hoc statim intelligunt. *Nobilis* autem *Panaetii*: ut alibi Noster Epod. XIII, 11. „*Nobilis ut grandis cecinit Centaurus alumno*.“ et Epist. I, 19, 39. „*Non ego nobilium scriptorum auditor et ullor*.“ *Scriptorum* enim ibi a *Scriptor*, non a *Scriptum*. Ita Cicero [de Inv. II, 2, 7]: „*Magnus et nobilis Rhetor Isocrates*“ et [de Or. II, 37, 155, cf. 157.] *Tres illius aetatis nobilissimi et clarissimi Philosophi*. Gellius VII, 5.

- 5 Fervidus tecum puer, et solutis
 Gratiae zonis, properentque Nymphae,
 Et parum comis sine te Iuventas,
 Mercuriusque.

XXXI.

AD APOLLINEM.

- Quid dedicatum poseit Apollinem
 Vates? quid orat, de patera novum
 Fundens liquorem? non opimae
 Sardiniae segetes feracis;
 5 Non aestuosae grata Calabriae
 Armenta; non aurum, aut ebur Indicum;
 Non rura, quae Liris quieta
 Mordet aqua taciturnus amnis.
 Premant Calenam falce, quibus dedit
 10 Fortuna, vitem; dives ut aureis
 Mercator exsicceat culullis
 Vina Syra reparata merce,
 v. 9. Vulg. *Calena*. 10. *Dives et aur.*

„*Tragoedias poetarum nobilium scilicet atque asseverate acitavit.*“ Sueton. De illust. Gramm. c. 10. „*Alteius Praeceptoratus, nobilis Grammaticus Latinus.*“ Sed et cum propriis Nominibus copulant Cicero aliique: „*Nobilis Sylla, Honoratus et nobilis Thucydides, Nobilis et clarus Demetrius.*“ Recte tamen alias dicere poteris *Nobiles libros*: ut Noster in Arte 258, *Nobilibus Ennii trimetris*: et Martialis VII, 46. „*Nam me diligit illo, proximumque Turni nobilibus putat libellis.*“ Sententia igitur, utramque lectionem sequeris, eodem recidit: in illa tamen constructio est mollior et venustior.

9. *Premant Calena falce, quibus dedit Fortuna, vitem*] *Lego*, non littera, sed lineola dumtaxat addita, „*Premant Calenam falce, quibus dedit Fortuna, vitem.*“ Sic enim et compositio suavior est, et Epitheton digniori vocabulo tribuitur. Virgil. Georg. I, 157. „*et ruris opaci Falce premebras umbras.*“ Noster Epod. 2, 13. „*Inutilisque falce ramos amputans.*“ Ubi videtur *ro falce* nullo Epitheto comitatum. Alibi tamen noster Carm. I, 20, 9. „*Caecubum, et praelo domitum Caleno Tu bibes uvam.*“ Atque hinc, credo, Librariis ansa data est ad hunc locum corrumpendum. Sed profecto non parva in his duobus differentia est: *Falce enim Calena*, quae alio quovis facile transferri potest, quaevis alia vitis, etiam Veientana, tonderi posset: *praelo vero Caleno*, quod inter immobilia magis numeretur, non alia poterit premi ura, nisi quae Calibus nata sit.

10. *Dives et aureis Mercator exsicceat culullis Vina Syra reparata merce*] Vetustissimi duo ex nostris, Leidensis, et ex prima manu Graevianus, „*dives ut aureis.*“ Et sic quoque Scholiastes vetus Porphyrio, quod argutam sane sententiam efficeret, si *reparata* cum vulgo interpretum pro *commutata* acciperemus: Alii Calibus vineta colant, nempe ut pretiosa vina habeant Mercatores, quae mercibus Syriacis permutata ex aureis culullis ebibant. Satirice: tamquam non possessorum mensis vina Calena nascerentur, sed divitum mercatorum, qui à dominis ea emerent. Sed nescio, an quisquam sic unquam locutus sit: *reparata pro empti vel commutata?* Poteris *vina*

- Dis carus ipsis: quippe ter et quater
 Anno revisens aequor Atlanticum
 15 Inpune, me pascant olivae,
 Me cichorea, levesque malvae.
 Frui paratis et valido mihi,
 Latoc, dones; ac, precor, integra
 Cum mente nec turpem senectam
 Degere, nec cithara carentem.

XXXII.

AD LYRAM.

- Poseimus, si quid vacui sub antro
 Lusimus tecum, quod et hunc in annum
 Vivat et pluris, age die Latinum,
 Barbite, carmen:

v. 15. Vulg. *Pascunt*. 15. *Et prec.* 1. *Sub umbra.*

Syra reparata merce interpretari *vina condita sive medicata* Syriaca nardo. Nam olim divites et luxuriosos, quales hic mercatores describit, vinis unguenta miscuisse et una ebibisse notissimum est. Nardus autem ideo *Merr Syra*, quia ex India per Syriam adveheretur; unde noster Carm. II, 11, 16. „*Assyriam nardum*“ vocat: et Tibullus IV, 7, [III extr.] „*Iamdudum Syrio madefactus tempora nardo.*“ et alii pariter Latini Graecique. Quare placet recepta lectio, *dives et aureis.*

15. *Me pascant olivae*] Tanaquillus Faber singulari vir ingenio, „*Lego*“, inquit, „*me pascant, quod sequentia facile probent.*“ Nihil verius dici potuit; et sic clarè exhibet codex Regiae Societatis. „*Premant alii Calenam vitem, me pascant Olivae.*“ Ovidius, Amor. I, 15, [v. 35] „*Vilia miretur vulgus: mihi flavus Apollo Pocula Castalie plena ministret aquae.*“ Tibullus Eleg. I, 1, [v. 1] „*Divitias alius fulvo sibi congerat auro, Et teneat culti iugera magna soli: Me mea paupertas vitae traducat inerti.*“ Martialis XII, 48, [v. 15] „*Convivas alios coenarum, quare magister, Quos capiant mensae regna superba tuae. Me meus ad subitas invitet amicus ofellas.*“ Prudentius Cathem, III, 61. „*Sint fera gentibus indomitis Prandia de nece quadrupedum: Nos olaris coma, nos siliqua Faeta legumine multimodo Paverit innocuis epulis.*“ et similia passim.

18. *Et precor integra*] Nostri libri *at*: unde legendum cum codicibus Cruquii, editione Veneta 1478. et Scholiasta Acrone *ac*. Alioqui nihil erit, quo referatur illud „*et valido mihi.*“ Porro cave interpungas *post mente*: quippe constructio est, *cum mente integra degere, senectam*. Cicero de Senectute c. 20. „*Sed vivendi finis est optimus, cum, integra mente celerisque sensibus, opus ipsa suum, eadem quae coagmentavit, natura dissolvit.*“

1. *Poseimur, si quid vacui*] *Poseimur* codices nostri Leidensis, Petrensensis, et à prima manu Graevianus et Reg. Soc. In Graeviano manu et atramento eisdem s. opponitur supra *r.* Et sic veteres Scholiastae cum Ed. Veneta 1478. *poseimur*. Atque huic lectioni patrocinatur elegantissimi vir ingenii Broukhusius ad Propert. IV, 1, [v. 76]. Certe, quin bene Latine sic dicatur, *Poseimur*, hoc est, *poseimur carmina*, ne dubitandum quidem est. Ovid. Fast. IV, 721. „*Nox abiit, oriturque aurora. Palilia poseor. Non poseor frustra, si favet alma Pales.*“ hoc est, *poseor dicere Palilia*. Idem Metam. V, 333. „*Poseimur Aonides. Sed forsitan otia non sint: Nec*

- 5 Lesbio primum modulate civi;
 Qui ferox bello, tamen inter arma,
 Sive iactatam religarat udo
 Litore navem,

nostris praebere vacet tibi cantibus aurem. i. e. nos Musae poseimur canere. Idem Metam. IV, 274. „Poscitur Alcathoë, postquam siluere sorores“: scilicet ut narret fabulam, Metam. II, 144. „non est mora libera nobis: Poscitur: effulget tenebris Aurora fugatis.“ haec Phoebus ad filium Phaëthontem. Hannibal apud Silium Italicum lib. II, [v. 14] „Poscimur, o socii: Fabiusque e puppe catenas Oriental, dominique vocat nos ira senatus.“ Propertius IV, 1, [v. 76] ex emendatione N. Heinsii: „Aversis Charisiam cantas: aversus Apollo Poscitur invita verba pigenda lyra.“ Ego vero, ut hanc quidem lectionem non aspernor; ita alteram *poscimur*, quae plurium membranarum testimonio nititur, anteferre ei non dubito. „Poscimus (si quid vacui sub antro Lusimus tecum) quod et hunc in annum Vivat et pluris, age die Latinum, Barbite, Carmen.“ Rogamus, inquit; oramus te, Barbite, si quid unquam de te bene meriti sumus, dicas carmen Latinum, quod et in hunc et in plures annos vivat. Et nota ordinem, qui omnes Interpretes fefellit. Die, ait, carmen, quod diu vivat. ut Carm. III, 11, 7. ad Mercurium, „Die modos, Lyde quibus obstinatas Applicet aures.“ Iam autem *poscimur* germanam esse lectionem vel ex vocabulo si colligas, quae in obtestationibus sollemnis est: Virgilius Aen. IV, 317. „Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quiequam Dulce meum, miserere domus labentis, et istam, Oro, si quis adhuc precibus locus, erue mentem.“ Idem Aen. VI, 529. „dii talia Graiis Instaurate, pio si poenas ore reposco.“ Suetonius in Tib. cap. XXI. [extr.] „Deos obsecro, ut te nobis conservent, et valere nunc et semper patiantur, si non populam Romanum perosi sunt.“ Noster Carm. Saec. 37. „Supplices audi pueros, Apollo, Roma si vestrum est opus.“ Carm. III, 18, 5. „Aenis incedas aboaeque parvis Aequus alumnis: Si tener pleno cadit haecus annus.“ Sern. II, 6, 6. „nihil amplius oro, Maia uate, nisi ut propria haec mihi munera faxis: Si neque maiorem feci ratione mala veni.“ Recto autem *poscimur*, cum Barbiton alloquitur; ut Martialis lambam rogat, Epig. I, 96. „Si non molestum est, teque non piget, Scazon, Nostro, rogamus, pauca verba Materuo Dicis in aurem, sic ut audiat solus.“ et Pindarus Musam obsecratur, Nem. III, [v. 1] „ὦ πότνια μουσα, ἠάρετο Ἀυρίλα, Αἰσσομαι, Ἴζο Λογίδα ῥάσον Ἀβύρων.“

1. Siquid vacui sub umbra Lusimus tecum] Umbra habent omnes fere codices; et sic hodie legitur apud Diomedem p. 521. et Servium ad Virg. Ecl. I, [v. 10] Quam equidem lectionem minime damno: sic enim Noster Epist. II, 2, 78. „Scriptorum chorus omnis amat nemus, et fugit urbes Rite cliens Bacchi, somno gaudentis et umbra.“ Tibullus III, [1] v. 15. „Per vos auctores huius mihi carminis oro, Castalamque umbram Pieriosque lacus.“ Statius Silv. V, 3, [v. 5] „Te sine Corycia quiequid modo Phoebus in umbra, Quiequid ab Ismariis monstrabat collibus Euan, Deditici.“ Martialis IX, 84, [v. 3] „Haec ego Pieria ludebam tutus in umbra.“ Iuvenal. Sat. VII, [8]. „Nam si Pieria quadrans tibi nullus in umbra Ostendatur.“ Verumtamen cum Galei codex, optimae quidem notae, quique solus, ubi ceteri omnes mendosi sunt, sex septem Horatii loca praecleara restituit, diversam hic exhibeat lectionem, „Poscimus, siquid vacui sub antro“: non possumus non ambabus ulnis eam amplecti, ut veram et germanam Horatii manum. Longe enim veri est similis, ut hanc potius in illam, figuratiorem nimirum et ποιητικώτερον in faciliorem, quam vice versa, illam in hanc, mutaverint Librarii. Ita Noster Carm. II, 1, 39. „Mecum Dionaeo sub antro Quae modo levioere plectro.“ et iterum III, 25, 4. „Quo me, Bacche, rapis tui Plenum? quae nemora, aut quos agor in specus, Velo: mente

- Liberum et Musas Veneremque et illi
 10 Semper haerentem puerum canebat,
 Et Lyeum nigris oculis nigroque
 Crine decorum.
 O decus Phoebi, et dapibus supremi
 Grata testudo Iovis, ô laborum
 15 Dulce lenimen, mihi cumque salve
 Rite vocanti,

XXXIII.

AD ALBIUM TIBULLUM.

- Albi, ne doleas plus nimio memor
 Inmitis Glyceræ, neu miserabilis
 Decantes elegos, cur tibi iniur
 Laesa praeniteat fide;
 5 Insignem tenui fronte Lycorida
 Cyri torret amor: Cyrus in asperam

nova? quibus Antris, egregii Caesaris audiar etc. et III, 4, 40. ubi Camenas alloquitur, „Vos Caesarem altum, militia simul Fessas cohortes reddidit oppidis, Finire quaerentem labores Pierio recreatis antro.“ Propertius III, 1, [v. 5] „Callimachi manes, et Cai Sacra Philetar, Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro.“ Virgil. Georg. IV, 507, de Orpheo: „Septem illum totos perhibent e.e. ordine mensis Rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam Flevisse, et gelidis haec evolvisse sub antris.“ Martialis, XII, 11, [v. 3] „Cuius Pimpleo lyra clarior exit ab antro? Quem plus Pierio de grege Phoebus amat?“ Statius Silv. I, 2, [v. 253] Callimachusque senex, Umbroque Propertius antro.“ Idem Silv. IV, 5, [v. 60] ad Septimium Severum poetam: „sed memor interim Nostri, verecundo latentem Barbiton ingemina sub antro.“ ubi nota et *Barbiton* et *antrum* poni, plane ut apud Nostrum. Idem Silv. IV, 6, [v. 31] „namque haec, quoties chelyn exiit ille, Desidia est; hic Aoniis amor avocet antris.“ et ibid. V, 3, [v. 291] „sic sacra Nymæ ritusque colendos Mitis Aricino dictabat Nympba sub antro.“ Auctor Cypae [v. 9], „Est et Maenatio quae garrat dulce sub antro, Rustica pastoris fistula in ore sonans.“ ubi *fistula* sub antro, ut hic *barbiton*. Iuvenal. VII, 59. „neque enim cantare sub antro Pierio, thyrsuvve potest contingere maesta Paupertas.“ Rutilius in Itinerario 267. „Haec quoque Pieris spiracula comparat antris Carmine Messallae nobilitatus ager.“ Claudianus Praefat. in III Cons. Honorii [v. 15], „Ma quoque Pieris tentatum caeptius antris Audet magna suo mittere Roma deo.“ Idem de Nuptiis Honorii, 236. „sic mitis in antro Mnemosyne docili tradit praecepta Thaliae.“ Idem Praefat. ad II de Raptu Proserpinae [v. 51], „Antraque Musarum longo torpentia somno Execulis.“ Avienus in Arateis [v. 623], de Lyra; „hanc, ubi rursus Conventus superi complevit pulcher Apollo, Orphea Pangaeo docuit gestare sub antro.“ Sidonius Carm. XXIII, 181. „Nec si me Odrysis canens in antro, Princeps instituisse ille vatum.“

15. Mihi cumque salve Rite vocanti] Scio quid Interpretes de *cumque* illo sic nude posito dixerint, quorum ego mentem et industriam laudo. Nōque tamen quisquam, quod sciam, vel ex omni, qua patet, Latinitate simile exemplum proferre potuit: neque quiequam de tam singulari loco habent Grammatici veteres. Quamobrem tempus erat, cum impetum cepi corrigendi

- Declinat Pholoen: sed prius Appulis
Iungentur capreae lupis,
Quam turpi Pholoe peccet adultero.
10 Sic visum Veneri; cui placet in pares
Formas atque animos sub iuga aënea
Saevo mittere cum ioco.
Ipsam me melior cum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale
15 Libertina, fretis acrior Hadriae
Curvantis Calabros sinus.

XXXIV.

- Parcus Deorum cultor et infrequens,
Insanientis dum sapientiae
Consultus erro; nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
5 Cogor relectos, namque Diespiter,
v. 5. Vulg. *Relictos*.

ad hunc modum: „o laborum Dulce lenimen, mihi, cuique, salve, Rite vocanti.“ hoc est, salve mihi vel cuicumque alii rite vocanti. Iudicet lector ingeniosus; ego enim coniecturam hanc in medium protulisse contentus, tueri et praestare eam non tenebor.

14. *Myrtale Libertina*] quidam codices *Mirtale*, alii *Mirtala*, Loscheri Editio 1498. *Myrtale*: Sed melius vetustiores omnes *Myrtale*. Martialis V, 4. [v.1] „Foetere multo Myrtale solet vino.“ Recte autem *Libertina*: nam frequens hoc *Libertinarum* cognomen occurrit in Inscriptionibus antiquis. Gruter. 99, 5. DOMITIA. L. L. MYRTALE. 581, 6. FLAVIAE MYRTALAE. 740, 10. SATIAE MYRTALES. 711, 6. VALERIA MYRTALE. 983, 7. VERATIA. O. L. MOETALE (corrige, *Myrtale*). 749, 4. FEMINIA MYRTALAE. 882, 8. NUMUSCULEIAE MYRTALES. 1046, 2. DORYPHORVS ET MYRTALE PARENTES. Reines. XIV, 75. GELLIAE MYRTALES. XII, 60. MYRTALE SABINAE ET POMPONIAE FESTAE VXORIBVS. Marm. Felsin. pag. 447. MARCIA MYRTALE.

5. *Iterare cursus Cogor relectos*] N. Heinsius in libri sui margine. „Lege relectos. Dixi ad *Metamorph.* VIII, 173.“ Quo quidem loco praeclearam hanc emendationem profert, firmatque ex Valerio Flacco, qui *relegere campum, relegere viam* dixit, et alius *relegere vestigia*. Equidem, quod sanete asseverare possum, ipse quoque in eandem correctionem multo prius incideram, quam ab Heinsio eam didici. Neque tamen ulla ex parte obsto, quin solidam hanc sibi laudem habeat vir magnus, Poëtarum Latino-rum unicus sospitator. Certe numquam mihi placuit *cursus relectos*; etsi praeter omnes Horatii codices, apud Eutychem quoque Grammaticum p. 2182 nunc ita legatur. *Iterare relicta maria, vestigia, vias, spatia*, recte quidem dixeris: *cursus* autem cum non ipsa *via* sit, sed per *viam* decursio; non dixeris *cursus relectos*, sed *intermissos*; non *desertos*, sed *desitos*. Itaque hac lectione semel repudiata, nullo statim negotio perveni ad illam alteram, quam tot in aliis auctoribus exempla memoriae suggerebant. Statius Achil. I, 23. „Plenaque materni referens praesagia somni Culpatum relegebat iter.“ Silius Italicus II. [v. 20] „Dum detur, relegant pontum, neu se addere clausis Festinent.“ Claudianus de bello Getico, 529. „Ut

mea converso relegam *vestigia cursu*.“ Ovid. *Metam.* VIII, 172. „*Utque ope virginea nullis iterata priorum Ianua difficilis filo est inventa relecto*.“ ubi plures codices *perperam*, ut hic, *relecto*. Caeterum miror ingeniosissimum Heinsium in priore versu *superata* magis probare quam *iterata*. Huic enim lectioni favet hic ipse Flacci locus, *iterare cursus relectos*. Quid quod *multis priorum superata* erat *ianua*, tum cum ad Minotaurum intromittebantur: sed *iterare* et reverti inde, hic labor erat, hoc opus, ut Ovidius in *Ibide* v. 373. „*Ut qui lecta novi formam celantia monstri Intrarunt caecae non redeunda domus*.“ Seneca *Agamem.* 574. „*Hanc alia retro spatia relegentem ferit, Et fracta frangit*.“ ubi nota *retro*, ut in *Nostro retrorsum*. Sed ante omnes alios Symmacho in deliciis erat hoc verbum, ut *Epist.* III, 62. „*Ut cum iter in patriam relegere coeperimus*.“ IV, 57. „*Relegite viam dissimulati hactenus moris*.“ VII, 4. „*Quibus impletis, iter ad nostros relegemus*.“ VII, 24. „*Erit optio tua, intendere iter, an relegere debeamus*.“ VII, 32. „*Relegere iter, et in conspectum vestrum tandem redire meditamus*.“ VII, 40. „*Iam dudum curis publicis absolutus, relegere iter debuisti*.“ VIII, 25. „*Relegere ad vos iter avidissime studeo*.“ IX, 71. „*Quamvis relegere iter illico parem*.“ Seneca *Epist.* 102. [§ 20] „*Quanto satius est, ire aperta via et recta, quam tibi ipsi flexus disponere, quos cum magna molestia debeas relegere*.“ Valerius Flaccus IV, 54. „*Hacc fatus, relegitque vias, et vallibus exit*.“ Idem VIII, 121. „*Egressi relegunt campos, et fluminis ora Summa petunt*.“ Sed dices fortasse; *Relegere campos, vias, iter, spatia, aequora* satis superque exemplorum habent: verum *relegere cursus*, quod in Flacco reponere vis, nondum video. Atqui iam videbis, idque ex magno Flacci imitatore Prudentio in *Apotheosi* v. 1003. „*Sursum versus agit seriem, scandente nepotis Corpore, perque atavos cursum relegente velustos*.“ Et ex Paulino quoque in *Natali* XI, v. 602. *Diximus, ut fugiens non fugerit; utque redactis Passibus emensos sua per vestigia cursus Incassum totiens volente relegerit orso*.“ *Iterare autem relectos* idem est ac *relegendo iterare*: quod genus loquendi poetis frequentissimum est, ut *Virgil.* V, 500. „*Tum validis flexos incurvant viribus arcus*.“ neque hic opus est pluribus exemplis. At paene omiseram insignem Virgilii locum, qui maxime huc facit *Aen.* III, 690. „*Talia monstrabat, relegens errata retrorsum Littora Achaemenides*.“ ubi *retrorsum* una habes, pariter ac apud *Nostrum*. Atque hac occasione admonitus, digressionis credo veniam a lectore impetrabo, si alteri Virgilii loco, plus mille annos deposito et deplorato, manum medicam admovero. Is extat *Aen.* IV, 256. „*Hic primum paribus nitens Cyllenius alis Constilit: hinc toto praiceps se corpore ad undas Misit; avi similis, quae circum litora, circum Piscosos scopulos humilis volat aequora iuxta. Haud aliter terras inter caelumque volabat; Litus arenosum Libyae ventosque secabat Materno veniens ab avo Cyllenia proles*.“ ubi quam multa merito vituperanda sint, vides. *Volat* et *mox volabat*. Deinde in continuatis versibus ingratus auribus *ὑποτοξεύων, volabat, secabat*: ad quod evitandum vetustissimi aliquot codices apud Pierium mutato ordine sic versus collocant, „*Haud aliter terras inter caelumque volabat Materno veniens ab avo Cyllenia proles, Litus arenosum et Libyae ventosque secabat*.“ Sed nihil omnino proficiunt, aut locum adiuvant; adhuc enim relinquunt vitium omnium deterrimum, *secabat litus ventosque*. Quid enim est *litus secare*, nisi *littus arare* et *effodere*? Quid autem hoc ad Mercurium volentem? Nullus dubito, quin sic scripserit princeps poetarum: „*Haud aliter, terras inter caelumque, legebat Litus arenosum Libyae, ventosque secabat Materno veniens ab avo Cyllenia proles*.“ Nihil opus est, ut pluribus hanc emendationem stabiliam aut illustrem: adeo ipsa per se suo lumine clara et manifesta est. *Litus legebat*, ut supra, *relegens errata retrorsum litora*. et iterum *Aen.* III, 292. „*Litora quoque Epiri legimus, portuque subimus*.“ et *Georg.* II, 44. „*ades, et prini lege litoris oram*.“

Igni corusco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantis
Egit equos volucremque currum:

6. *Igni corusco nubila dividens*] Totus locus sic se habet: „namque Diespiter Igni corusco nubila dividens, Plerumque per purum tonantes Egit equos volucremque currum“. Quae ob verba sagacissimus Tanaquillus Faber Epist. 52. lib. 2. ridiculae ac iuvenilis temeritatis Nostrum ineusat, quod *plerumque* sine nube tonare dicat, quasi alternis quibusque diebus id fieret; cum vel secundum vulgus aut Historicos ex opinione vulgi loquentes rarissime, ex Physicorum autem sententia numquam id eveniat. Aliam autem viam instituit dignissimus eius gener Dacierius; quippe non serio, sed urbane ironiceque hic Nostrum loqui; ideoque data opera rem in maius augere, quo Stoicos Providentiae patronos acerbius derideat. Ego vero neque moveo haec nec exagito, sed suis salva auctoribus relinquo: illud saltem monuisse liceat, ex prava et perversa, quae vulgo obtinet, huius loci distinctione commenta haec nata esse, qua sublata in fumum aut fumo siquid levius continuo evanescunt. Sic enim interpungo, „namque Diespiter, Igni corusco nubila dividens Plerumque, per purum tonantes Egit equos volucremque currum.“ hoc est, Ego, qui antehac Epicureus eram, nunc egor fateri Deos esse; quia id quod alias ope nubium naturalibus ex causis fieri solebat, nuper caelo sereno tonuisse certum est. Quod quidem olim ceu validissimum adversus Atheos argumentum omnibus in ore erat. Nihil ergo hic temere aut iuveniliter, nihil ironice aut contumeliose dictum est: ad vulgi quidem gustum et patriae religionis indolem aptari hoc et accommodari non inficior. Sic et Virgilius, ipse interea Epicureus, non minus ac Noster, Georg. I, 486. „Non alias caelo ceciderunt plura sereno Fulgura.“ Ovid. Fast. III, 370. „Ter tonuit sine nube deus, tria fulgura misit: Credite dicenti: mira sed acta loquor.“ Varro Lege Maenia, apud Nonium in *Plagae* [p. 369, 10 M.] et *Rinari* [p. 382, 10 M.] „Nos admirantes, quod sereno lumine Tonuisset, oculis caeli rimari plagas.“ Sic haec constituae; nam versus Iambici sunt; quod editores non odoratos esse miror. Atque hanc emendationem cum ante aliquot annos cum erudito viro Iacobo Talbot communicaveram, ille nuperam suam Flacci editionem ea auctam esse voluit, mihiq; candide acceptam retulit. Postea tamen, indicio venerandi et praestantissimi viri Johannis Mori, Norwicensis Praesulis, intellexi a Thoma Bangio, cuius ne nomen quidem antea audiveram, distinctionem hanc prius animadversam fuisse et occupatam. Is enim Observationum Philologicarum Vol. II, p. 1435. „Quando,“ inquit, „Horatius canit, Plerumque per purum tonantes egit equos — ipsi experientiae plane contradicunt, quae testatur tonitru rariis puro serenove aere audiri. Id quod Lucretius observavit lib. 6. [v. 245]. Nam caelo nulla sereno Nec leviter densis mittuntur nubibus umquam. Et postea [v. 398], Denique cur numquam caelo iacit undique puro Iuppiter in terras fulmen? Et quia prodigii instar habebant Ethnici, ut et hoc loco Horatius, quando aere sereno tonitruavit; quomodo quaeso plerumque et saepius id fieri affirmare ausit Horatius? Huic dubio, unico commate voci plerumque apposito, facile obviam iveris, hoc pacto: Namque Diespiter, Igni corusco nubila dividens Plerumque, per purum tonantes etc. Hac enim ratione Horatium cum Lucretio de facili conciliaveris, eumque facula distinctionis commode illustraveris.“ Atque haec quidem feliciter Bangius: absque quibus esset, siquis est, qui existimet nos propria Minerva hoc eruere non potuisse, is quidem per nos licet existimet, ut volet. Ego vero praeter eam, quam ille profert, ab experientia ductam, etiam alias rationes habui, cur distinctionem vulgatam refugerem. Ea enim posita, plane deliraret Noster, et verba secum pugnancia loqueretur. Quid enim aliud est „Igni corusco nubila dividens“, quam *ex nubibus fulmen emittens?*

Quo bruta tellus et vaga flumina,
10 Quo Styx, et invisi horrida Taenari
Sedes, Atlanteusque finis
Concutitur. valet ima summis
Mutare, et insigne attenuat Deus,
Obscura promens: hinc apicem rapax
v. 13. Vulg. *Insignem*.

Vide igitur, qualis hinc sententia proveniat: *Iuppiter ex nubibus fulminans puro et innubilo caelo tonuit*. Quid? an eodem tempore et ex nubibus et sine nube? Necessae est enim uno eodemque tempore haec fieri fatearis, si a recepta distinctione steteris. Tum et illud ne Latine quidem dictum foret, „Plerumque per purum tonantes Egit equos volucremque currum.“ Quomodo sodes *plerumque egit*? hoc est, ut explicant, *saepe egit*. Atqui aliud est *saepe*, aliud *plerumque*. *Saepe* enim fit aliquid, etiam praeter naturam et consuetudinem: nihil *plerumque* fit, nisi quod natura et consuetudine ita fieri solet. *Saepe* homo senex hilarescit et lubente animo est; at *plerumque* morosus est et difficilis: *saepe* aestate pluvia et grandis est; at *plerumque* sudum caelum et serena tempestas: *saepe* sub morte Iulii Caesaris per purum tonantes equos egit Iuppiter; at *plerumque* igni corusco nubila dividit. Quod *plerumque* fit, idem et *saepe* fit; at non vicissim omne quod *saepe* fit, *plerumque* fit. *Saepe* est quod Graecis *πολλάκις*; at *plerumque* est *ἐπι τὸ πλείστον*, *ὡς ἐπι τὸ πᾶν*. Nihil haec observatione verius; quam tamen pauci animadverterunt. Nemo igitur sanae mentis, nedum Noster, dicere potuit, *Plerumque per purum egit*. Ut enim *saepe* id fecerit Iuppiter; at certe *plerumque* non facere solet. Verum illud fortasse quibusdam insolens videbitur, adverbium *plerumque* in clausula poni: atqui et alibi ita Noster Epist. II, 2, 84. „statua luciturnus exit Plerumque, et risu populum qualit.“ et Lucretius V, 1131. „Invidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant Plerumque, et quae sunt aliis magis edita cumque.“ Nam quod vir eruditus inauditum quid hic protulit, ut *plerumque egit*, idem significare possit, ac *interdum egit*, idque ex Nostro in Arte v. 95 probare conatus est, „Interdum tamen et vocem Comoedia tollit, Iratusque Chremes tumido delitigat ore; Et Tragicus plerumque dolet sermone pedestri“: id sane nihil aliud est, quam errorem veterem novo accumulare. *Interdum*, inquit, vocem tollit Comoedia: et *interdum* Tragoedia vocem submittit, annon hoc voluit Horatius? Recte quidem: at vide quaeso, ut Noster verba variaverit. *Interdum*, inquit, Comoedia cothurno incedit: et Tragoedia *plerumque dolet* verbis socco convenientibus: tum scilicet, cum *lamentatur* Tragoedia, sermone pedestri loquitur; neque *interdum* si modo *dolet*, sic loquitur, sed *plerumque* et ut plurimum: in aliis autem affectibus ampullas suas et verba sesquipedalia profundit.

13. *Et insignem attenuat Deus Obscura promens*] Acute annotavit Dacierius, necessitate metri coactum Nostrum *obscura* posuisse, cum deberet dicere *Obscurum* hominem, ut responderet *εἰς insignem*. Atqui huius culpa immunit est Noster, solisque ea Librariis impingenda est. Equidem nullus dubito, quin ad hunc modum scripserit, „valet ima summis Mutare, et insigne attenuat Deus, Obscura promens.“ Ubi omnia vides eiusdem formae, *ima, summa, insigne, obscura*. Atque huic emendationi favet codex Reginensis, qui pro varia lectione habet, *insigne attenuat decus*: nec moramur, quod Hesiodus in loco simili [Erg. 5], ad quem forte respexit Horatius, *ἀοιζήλον insignem hominem* posuerit: „Ῥεῖα μὲν γὰρ βριῖται, Ῥεῖα δὲ βριῖ-ἀόντα χαλπέται, Ῥεῖα δ' ἀοιζήλον μινίθει, καὶ ἀήλον αἴξει, Ῥεῖα δὲ τ' ἰθύνει σολίων, καὶ ἀγήνορα κάρφει Ζεὺς ἐπιβριμέτης.“ Uterque enim

- 15 Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet.

XXXV.

AD FORTU|NAM.

- O Diva, gratum quae regis Antium,
Praesens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos:
5 Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus; te dominam aequoris,
Quicumque Bithyna laeessit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus asper, te profugi Scythae,
10 Urbesque, gentesque, et Latium ferox,
Regumque matres barbarorum, et
Purpurei metuunt tyranni:
Iniurioso ne pede proruas
Stantem columnam; neu populus frequens

servavit propositum suum; Hesiodus omnia illa, *hominibus*, Noster *rebus* accommodavit; ut alii ex Latinis; Seneca Thyeste, 598. „Ima *permutat levis hora* summis.“ Ausonius Epigr. CXLIII. De Fortuna, „*Et summa in imum vertit, et versa erigit.*“ Seneca Nat. Quaest. III, praefat. [§. 9] „*Nunc cum maxime Deus alia exaltat, alia submittit.*“ Unde obiter emendandus est alter Senecae locus, frustra viris magnis tentatus, De Beneficiis VI, 38. [§. 3] „*Agricolam annonae caritas erigit: eloquentiae exoptat pretium litium numerus.*“ lego, *exaltat pretium.*

14. *Neu populus frequens Ad arma cessantes, ad arma*] Scio quid sit *populus frequens*, et sic alibi locutum esse Nostrum memini, Carm. II, 17, 25. „*cum populus frequens Lactum Theatris ter crepuit sonum.*“ et Ciceronem pro Sextio c. 59. „*Equidem existimo nullum tempus esse frequentioris populi, quam illud gladiatorium.*“; et alios passim. Vide tamen, annon melius aptiusque huic loco conveniat, „*neu populus fremens Ad arma cessantes ad arma Concitet.*“ Id enim fere sollemne verbum est in describenda seditione, et bello. Livius I, 17. „*Fremere deinde plebs, multiplicatam servitutem, centum pro uno dominos factos.*“ Idem XXIV, 26. [extr.] „*itaque fremere multitudo, et comitia poscere.*“ Valerius Max. VI, 2, 3. „*Totius fori frementis ora clausurunt.*“ Servius ad Virgil. Aen. I, 60. „*Circum claustra fremunt. Quidam hoc loco fremunt, id est, imperia recusant, intelligunt: ut a Coss. (lego, Cassio: is est Cassius Hemina Annalium scriptor) Anna- lium secundo: Ne quis regnum occuparet, si plebs nostra fremere imperia coepisset, i. e. recusare.*“ Statius Theb. III, 594. „*Irrupere Argos, maestique ad limina regis Bella animis, bella ore fremunt.*“ Virgil. Aen. XI, 453. „*Arma manu trepidi poscunt: fremit arma iuventus.*“ idem VII, 460. „*Arma amens fremit, arma loro lectisque requirit.*“ iterum Statius Theb. VI, [611]. „*Arcades arma fremunt, armis defendere regem Contendunt.*“ Accius in Epigono apud Nonium v. *vulgus* [p. 230, 24 M.]; „*Nonne Argivos fremere bellum, et velle vi vulgum videt?*“ Tum autem illud *cessantes* quid sibi velit, satis videor intelligere: aut enim morantes,

- 15 Ad arma cessantis, ad arma
Concitet, imperiumque frangat.
Te semper anteit saeva Necessitas,
Clavos trabalis et cuneos manu
Gestans aëna; nec severus
20 Uncus abest, liquidumque plumbum.
Te Spes, et albo rara Fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat,

tardantes notat, aut quietos, pacatos, otio deditos. Neque vero utramlibet interpretationem asperror: nescio tamen, an potius scripserit Noster *cur- santes*. *Ad arma cursare*, ut in prosa oratione dicere solent, *ad arma discurrere*. Livius XXIV, 31. „*Haec cum recitata essent, cum tanto cla- more ad arma discursum est, ut etc.*“ Idem XXV, 37. „*Inde verso re- pente ad iram lectu, discurrere ad arma.*“ Idque verbum apprime con- venit cum *fremens* et *concitet*; ut idem libro XXXIV, 37. „*Haec inter se primo in circulis serentes fremere; deinde ad arma subito discurrerunt.*“ Et Seneca de Ira III, 2. [§. 3] „*Tota multitudo paucissimis verbis concita- ta, ipsum concitatore antecessit: ad arma protinus ignesque discursum est.*“ Quamobrem consideres, lector ingeniose, an totus locus sic constituen- dus sit; „*neu populus fremens Ad arma cursantes ad arma Concitet, im- periumque frangat.*“ Sed profecto, sive vulgatam lectionem sequeris, sive nostram coniecturam; totus interea locus reprehensionis obnoxius est. Qui enim illi sunt, quos *populus*, vel *frequens*, vel *fremens*, ad arma concitet vel *cessantes*, vel *cursantes*? An aliqui erant, quos *populus* concitaret, praeter ipsum *populum*? An proceres vult, et aulæ ministros? Intelligo: sed in ipsi auctoris verbis nihil video, quod eo nos ducat. Quare aut al- tius latet mendum, aut per me quidem alii Horatium hic exeusent, qui velint aut possint.

17. *Te semper anteit saeva necessitas*] Editio Veneta 1478 *serva*, Lo- scheri autem 1498 *saeva*: et ex eo tempore pro diverso Interpretum iudicio nunc haec, nunc illa vox libros occupavit. Membranae quoque in diversa abeunt; Cruquii aliquot omnium veterimae cum Acrone et Porphyrione *serva* habent: ex nostris omnes melioris notae, Leid. Regin. Graev. Zulich. Batt. Petr. Gale, et a prima manu Reg. Soc. *Saeva*: duabus tantum ex re- centioribus ab altera lectione stantibus. Sane facilis erat Librariis erratio in vocibus tam inter se similibus: unde et supra Carm. I, 16, 11. „*nec mare naufragum, Nec saevus ignis,*“ in Reginensi a prima manu erat *Servus ignis*. Utra igitur lectio sequenda? Profecto, nisi codices turbavissent, nihil melius quam *saeva necessitas* desiderarem: sic enim eadem *dura, dira, acerba, δεινὴ, κρατερή, στυγία* etc. dicitur: optimeque id epitheton cum sequentibus quadrat, ubi clavi et cunei et uncus in athena eius manu gestantur. Tamen et illud *serva* argutule positum videatur; quippe licet omnium rerum *domina* et *regina* sit necessitas, ipsa tamen sibi *serva* est; nihil enim libere aut voluntarie agit. Nec tamen ideo hanc lectionem probaverim: imo vero, si *serva* legeris, ipsa orationis structura postulat, ut, non sibi, sed Fortunae servam eam constituas. Qui autem convenit, ut Ne- cessitas, quae nulli parat, *serva* sit Fortunae? Huo adde, quod *servae an- teite* dominas non solebant. Erant quidem servi et clientes pauperculi, qui quod ante dominos ambularent, *populumque* submoverent de via, Anteam- bulones dicti sunt: Ancillae vero, nisi fallor, a tergo pone sequebantur, ne- que Antambulatrice erant, sed Pedisequae.

22. *Nec comitem abnegat*] Difficilis quidem hic locus est, multosque non parum torsit. *Spes*, inquit, et bona *Fides fortunam colit, et comita- tur: at vulgus, et meretrices et fucati amici eam derelinquunt.* Contra

Utumque mutata potentis
 Vestē domos inimica linquis.
 25 At vulgus infidum, et meretrix retro
 Periura cedit: diffugiunt cadis
 Cum faece siccatis amici,
 Ferre iugum pariter dolosi.
 Servēs iturum Caesarem in ultimos

autem dicunt alii, infideles amicos Fortunae comites esse: veram autem Fidem minime Fortunam sequi. Ovidius, Pont. II, 3. [v. 10] de amicitia et fide fucata. „Turpe quidem dictu, sed (si modo vera satemur) Vulgus amicitias utilitate probat. Cura quid expediat prius est quam quid sit honestum: Et cum Fortuna statque caditque Fides.“ at mox ibidem [v. 56] de fido amico, „Scilicet indignum, iuvenis rarissime, ducis Te fieri comitem stantis in orbe Deae.“ et Pont. I, 9. [v. 16] „Adiuit ille mihi, cum pars me magna reliquit, Maxime; Fortunae nec fuit ille comes.“ et iterum Pont. IV, 10. [v. 74] „Quemque refers, imitare viram: vetat ille profecto Tranquilli comitem temporis esse Fidem.“ Iuvenalis Sat. X, 73. „sed quid Turba Remi? sequitur fortunam semper, et odit Damnatos.“ Quid igitur fiet? aut quo tandem pacto tam diversa haec inter se conciliari poterunt? Sane cum Ovidius et Iuvenalis Fortunam nominant, Secundam tantum intelligunt ex recepto loquendi more: et proinde recte dicunt, abeunte Fortuna, manere tamen fidos amicos; neque fortunae comites esse. Noster autem aliam plane imaginem concepit et repraesentavit; sub Fortunae enim nomine, eandem et prosperam et adversam, mutata tantum veste, intelligit: unde consequens erat, ut etiam mutatae fortunae Spem, Fidem, et amicos certos adhuc comites et cultores esse diceret: meretricies autem et parasitos retrocedere et diffugere. Et bene quidem hoc Horatio cecisset, nisi addidisset verbum, quod, ut mihi quidem videtur, totam hanc scenam deturpat et prorsus corrumpit; „nec comitem obnegat. Utumque mutatae potentis Vestē domos inimica linquis.“ Quippe, si Fortuna linquit domos afflictas, unaque comitantur abeuntem Spes et Fides: tum profecto omnes omnino diffugiunt, tam fidi amici, quam infideles: quo nihil absurdius fingi potest. Certe, si quid video, vel hoc vel non dissimili verbo dictum oportuit, „Utumque mutatae potentis Vestē domos inimica linquis.“ hoc est, concutis, affligis. Spes, inquit, et Fides semper te colunt, Fortuna; neque te deserunt, sed etiam in afflictā domo, cum vestem mutaveris, tecum manent: vulgus autem infidum statim diffugiunt. Seneca Epist. IX [§ 9]. „Florentes amicorum turba circumsedet: circa eversos ingens solitudo est: et inde amici fugiunt, unde probantur.“ Ut semel dicam; nisi Fortunam, etiam cum adversa sit, in eadem tamen qua prius domo manere finxerit Noster; nullum hic exitum video, neque quomodo sententia procedere possit, intelligo. Nisi quis fortasse satiricē haec dicta accipiat, Spem Fidemque, ut nunc res hominum se habeant, Fortunam semper comitari: ut supra questus est Ovidius, „Tranquilli comitem temporis esse Fidem. Et cum Fortuna statque caditque fides.“ Verum eo pacto non at vulgus infidum legendum fuerit, sed Tum vulgus, vel Et vulgus, vel aliud quid simile.

29. Servēs iturum Caesarem in ultimos Orbis Britannos] Haec enim Fortunae vim et potentiam memoravit; nunc precationem orditur, ut servare velit Caesarem et Exercitum. Sed quid illud est, Ultimos orbis Britannos? Satis profecto erat ultimos Britannos dixisse, et longe elegantius esset: ut ipse alibi Carm. II, 20, 18. „Ducus, et ultimi Noscent Geloni.“ Epist. I, 6, 6. „Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos?“ Epist. I, 1, 45. „Impiger extremos curris mercator ad Indos.“ Sic Carm. I, 36, 4. „Qui nunc Hesperia sospes ab ultima.“ et II, 18, 4. „Premant columnas

30 Orbis Britannos, et iuvenum recens
 Examen Eois timendum
 Partibus Oceanoque rubro.
 Eheu, cicatricum et sceleris pudet,
 Fratrumque. quid nos dura refugimus

v. 30. Forte, Ultimos, Oro, Britannos.

ultima recisas Africa.“ Virgil. Georg. I, 30. „tibi serviat ultima Thule.“ Aen. XII, 334. „gemit ultima pulsu Thraea pedum.“ VIII, 689. „et ultima secum Baetra vehit.“ Catullus, Epig. XXX. [v. 3] „quod Comata Gallia Habeat ueluti, et ultima Britannia.“ Idem, XI. [v. 2] „Sive in extremos penetret Indos, Gallicum Rhenum, horribiles et ultimosque Britannos.“ Claudian. in Ruf. II. [v. 148] „quicquid ligat ultima Tethys, Extremos ultra volitat gens siqua Britannos.“ Vides, opinor, tot exemplis, elegantius omitti illud orbis, neque eo sublato quicquam ad sententiam deesse. Quid, quod si additum quicquam voluisset Noster, ultimos credo hominum Britannos, non ultimos orbis appellasset, ut Virgil. Aen. IX [VIII], 727. „Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis.“ a quo Plinius Hist. XIX, 2. „Ultimique hominum existimati Morini.“ Sane ultimos Orbis, vel quod perinde est, ultimos terrae mihi plane semibarbarum videtur; neque huiusmodi loquendi genus, nisi fallor, apud ullum bonum auctorem inveniri. Unus modo et alter locus occurrit, qui prope huc accedere videatur, qualis ille veteris Tragicæ apud Ciceronem de Nat. Deorum I, 42. „Omitto.“ inquit, „Eleusiam, sanctam illam et augustam, Ubi initiantur gentes orarum ultimae.“ Ultimae gentes orarum, ut ultimos Britannos orbis. Verum ibi ultimae genitivus singularis esse poterit, ut structura sit, gentes (orac) ultimae orarum: vel, quod verius puto, corrigendus locus est ad hunc modum, „Ubi initiantur gentes orarum ultimae.“ Etenimque haec sint, veterum illorum Tragicorum obsoletior est oratio, quam ut inde Horatio contra aevi sui morem patrocinium petas. Alter, quem dixi, locus apud Lucanum extat libro VII, 541, et prima quidem fronte germanus huic nostro videtur, extremi Iberi orbis, ut ultimos Britannos orbis. „vivant Galataeque, Syrique, Cappadoces, Gallique, extremique orbis Iberi, Armenii, Cilices.“ propius autem contuenti plane alia huius loci ratio, quam nostri, apparet: quippe extremi hic genitivus est singularis, Iberi orbis extremi; ut Virgil. Georg. II, 123. „Aut quos Oceano propior gerit India lucos, Extremi sinus orbis.“ Ovid. Fast. I, 717. „Horreat Aeneadas et primus et ultimus orbis.“ Trist. I, 1. [v. 127] „nobis habitabitur orbis Ultimus, a terra terra remota mea.“ Epistola Hypermetrae [XIV, 112]: „regnoque domoque Pellimur: eiectos ultimus orbis habet.“ Statius Silv. V, 1. [v. 90] „quantum ultimus orbis Cesserit, et restus circumflua gurgite Thule.“ Recte itaque dixeris, ultimi orbis Iberos, ultimos autem minime. Huc etiam accedit quo minus ultimos orbis Britannos Horatium dixisse credam, quod non tam ultimam orbis Britanniam, quam plane alium orbem et a suo diversum appellare soleant poëtae: ut auctor Epigrammatis ad Claudium Caesarem, „Libera non hostem, non passa Britannia regem, Aeternum nostro quae procul orbe facet.“ Claudian. de Consul. M. Theod. v. 50. „Hispana tibi Germania Tethys Paruit, et nostro diducta Britannia mundo.“ Virgilius Ecloga I. [v. 66] „Et penitus toto divisos orbe Britannos.“ Ergo cum illud ultimos orbis minime recto loco consistere videatur; neque nos iuvent Codices MSti; eequid est, quod ex coniectura commode substitui poterit? Equidem, quia iam tandem Fortunam precari Noster incipit, plane inducor, ut precandi verbum hinc excidisse credam, et locum sic reponendum esse; „Servēs iturum Caesarem in ultimos, Oro, Britannos.“ Quid facilius procliviusve, quam ut oro ab ineptis Librariis in orbis mutaretur? Servēs, oro; ut

- 35 Aetas? quid intactum nefasti
Liquimus? unde manum iuventus
Metu Deorum continuū? quibus
Pepercit aris? o utinam nova
Incude defingas retusum in
40 Massagetis Arabasque ferrum.

v. 39. Vulg. *Difffingas*.

Noster alibi Serm. II, 4, 5. „*sed des veniam bonus, oro.*“ Ovid. Trist. I, 4, [v. 43] „*Invigiles, igitur nostris pro casibus, oro.*“ atque alii passim. Porro eodem, quo hic, mendo laborat locus Sili Italici lib. III, [v. 126] ubi uxor Hannibalis pro viro suo precatur. „*Sed tu, bellorum genitor, miserere, nefasque Averte, et serua caput inviolabile Teuoris.*“ Quis, quaeso, est iste *bellorum genitor*? Mars, opinor: sed ex qua uxore, vel amica, bella genuit? Nugae merae: Tu vero lege meo periculo. „*Sed tu, Belo, oro, genitor, miserere.*“ Nimirum Hannibal originem stirpis duxit a *Belo*: unde idem Silius lib. VIII, [v. 31] „*Hannibal a nostro nomen memorabile Belo.*“ et lib. IV [II, 650] sic Hannibalem Bostar alloquitur. „*Maxime Helide, patris qui a moenibus arces Servitium dextra.*“ Virgilius Aen. I, 626. „*genitor tum Belus apimam Fastabat Cyprum et victor dilione tenebat.*“

36. *Unde manus iuventus* *Manus* habet Editio prima Veneta 1478, unde, credo, in plerasque editiones ea lectio profluxit. Sed Lascorus 1498, recte edidit *manum*, ut omnes ubique fere scripti; etsi hic taceant Lambinus et Torrentius. Certe ita nostri Graevianus, Reginsensis, Battelianus, Regiacque societatis cum aliis. Et rectius *manum*, quam ut invenustum homoeotelenon fiat, *manus iuventus*.

38. *O utinam nova Incude difffingas retusum* *Difffingas* habent Editiones fere omnes, tam veteres, quam recentiores; et scripti etiam plerique. Verum ea vox minime huic loco convenit. Cum enim *difffingere* contrarium sit *ingere*, uti constat ex Carm. III, 29, 47, nihil ab hac sententia alienius concipi potest. *Nova* enim *incude* finguntur res et fabricantur; non difffinguntur et corrumpuntur. Quare melior videtur lectio, quae in duobus Cruquii libris extat *defffingas*; quibus accedit optimus noster Reginsensis, ubi *defi gas* est, et per modum manus erasa Leidensis quoque noster, *defffingas*. *f* geminato. Sane id saepe observavi, in compositis, quae a *def* vel *des* incipiunt, plerosque codices manuscriptos *difff* et *diss* exhibere: ut Epist. I, 7, 6. „*Designatorem decorat victoribus atris.*“ codices nostri Leid. Graev. Regin. cum aliis *Dissignatorem*; et sic alibi non raro: quod et in hac loco contigisse credo. Scribimus igitur *defffingas*; sed iam de sequente verbo *retusum* difficilior quaestio est. *Retusum*, aiunt Scholiastae, civili bello *hebetatum*: recte, et sic Virgil. Georg. II, 301. „*neu ferro laede retuso Semina.*“ Lucan. VI, 161. „*confringite tela Pictoris incensu, iugulique retundere ferrum.*“ Ovid. Amor. II, 9 [v. 13] „*Quid iuvat in nudis hamata retundere tela Ossibus?*“ Silius Ital. XVI, [v. 105] „*Iam campi vallesque madent, hebetataque tela.*“ Auctor Octaviae v. 525. „*condidit tandem suos iam fessus enses victor, hebetatos feris Falmeribus, et continuū imperium metu.*“ Sed illud huic interpretationi videtur ob stare, quod *retus* gladii potius cotibus acuntur, quam incudibus renovantur: ut Lucan. VII, 139. „*Nec gladiis habuere fidem, nisi cotibus asper Exarsit mucro: tunc omnis lancea saxo Erigitur.*“ Casterum pro *retusum*, quod in meis omnibus extat, codex Cruquii *recusum*, atque id cupide arripuerunt Lambinus, Marcellius, alique, et *difffingas recusum* poetica phrasi dictum voluit, pro *difffingas reculendo*. Verum ut hoc, quod tamen hic durum est, concedatur; quis tamen in eodem versiculo ferre possit *incude recusum*?

XXXVI.

- Et ture et fidibus iuvat
Placare, et vituli sanguine debito
Custodes Numidae Deos:
Qui nunc Hesperia sospes ab ultima,
5 Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen dividit oscula,
Quam dulci Lamiae; memor
Aetae non alio rege puertiae,
Mutataeque simul togae.
10 Cressa ne careat pulchra dies nota:

Ne in oratione quidem soluta duo haec vocabula iuncta repereris, ubi minus tamen aurium iudicio tribuitur, quam in versu. Mihi vero alia in mentem incidit coniectura; quam sane veram existimo, „*o utinam nova Incude defffingas recoctum in Massagetis Arabasque ferrum.*“ Et sane sic videtur olim legisse vetus Scholiastes. Narrat quippe Cruquius, se in Scriptis adnotationibus offensus, *confusum et commassatum*: quod mendose hodie in Aetone legitur *confusum et quassatum*. Atqui *commassatum* plane explicat *recoctum*, non *retusum* neque *recusum*. Persius Sat. V, 10. „*Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino, Folle premis ventos.*“ Martialis XI, 53, [v. 10] „*Altera non deerunt tenui versata favilla, Et Velabrensi massa recocta foco.*“ de Casco Velabrensi loquitur, de quo vide Epig. XIII, 29. Virgilius Aen. VII, 636. „*Fomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri Cessit amor: recoquant patrios fornacibus ensis.*“ Lucanus VII, 145. „*Non aliter Phlegra rubidos tollente Gigantas, Martius incauit Siculis incedibus ensis: Et rubuit flammis iterum Neptunia cuspis: Spiculaque extenso Paean Pythone recoxit.*“ Lucius Florus III, 20. „*E ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt.*“ Prudentius *Heqi Syeg.* V, 70. „*Excisa fabrili manu, Cavis recocta et folibus.*“ Idem *Psychomachia* v. 600. „*auri Sordida frustra rudis, nec adhuc fornace recoctam Materiam.*“ Silius Italicus IV, sub initio [v. 12]; „*Pila novant, ac detersa rubigine saevus Induitur ferro splendor: niveumque repostas Instaurant galeae con decus: hastula iuvatur Amento: renovantque nova fornace bipennes.*“ ubi quid quaeso est *renovant nova*? quam ineptum et *ταυτολόγος*, praesertim cum paulo ante dixerat, *pila novant*. Codex vetustus Coloniensis habet *revocant*: quod nihilo melius. Lege sine dubio, „*recoquantque nova fornace bipennes*“: ut Virgilius loco iam dicto, *recoquant fornacibus*, et Prudentius, *fornace recoctam*. Optat igitur Horatius, ut ferrum, quod civili errore pollutum et commaculatum erat, iam in massam redactum, repurgatum, et recoctum, nova incude formaretur in tela contra Arabas et Massagetas.

10. *Cressa ne careat pulchra Dies nota.* Vexatissimus hic locus est, et eruditorum hominum disputationibus nobilis. Evasmus et pauci alii *Thressa* corrigit ex Plinio, qui lib. VII, 40. *morem memorat Thraciae gentis, quae calcidos colore distinctos pro experimento, cuiusque diei in urnam condit, album diei felici, infelici nigrum assignans, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de quoque pronunciat.* Quae omnia Phylarchus apud Zenobium Proverb. VI, 13. *Scythia* tribuit: ex quo Plinius sua hausisse videtur, notante elegantissimo Harduino. Eadem etiam ex Phylarcho profert Suidas in *Αεζή γμύρα*. Veteres vero Scholiastae, Porphyrio et Aetio, plane similia narrant, non de Thracibus aut Scythiis, sed *Cretensibus*; unde et *Cressam notam* eodem modo explicant, quo prio-

- Neu promptae modus amphorae,
 Neu morem in Salium sit requies pedum:
 Neu multi Damalis meri
 Bassum Threicia vincat amystide:
 15 Neu desint epulis rosae,
 Neu vivax apium, neu breve lilium.
 Omnes in Damalin putris
 Deponent oculos: nec Damalis novo
 Divelletur adultero,
 20 Lascivis ederis ambitiosior.

res illi *Thressam*. Verum haec quidem interpretatio nequaquam satisfacit: cum enim vel Cretenses vel Thraeces, nam utroslibet dixeris perinde est, dies singulos, prout bene vel male processissent, vel nigro calculo vel albo notaverint; profecto sive *Thressa nota* sive *Cressa* non magis album et felicem calculum hic indicaret, quam nigrum ac infaustum: quippe et niger calculus *Thressa* certe nota est, neque ac albus. *Thressa* itaque nota, nisi sic pleno dixeris *candida Thracum nota*, nullo modo diem bonum et pulchrum, qualem hic celebrat Horatius, notare poterit. Proinde aliud quid, et si fieri potest, melius indagandum est. Atque illud in primis se offert, quod eruditissimus Harduinus proposuit, cum ad locum Plinii iam citatum, tum in praecelaro opere de Nummis Populorum et Urbium, voce ΚΥΣΣΗ: ubi *Cressam notam pro vini Cretici nota* accipit, ut alibi Noster Carm. II, 3, 8. et Serm. I, 10, 24. „*nota Falerni*,” et similiter Cicero in Bruto c. 83. *Cretico autem vino diem pulchram* hic celebrari, ut Carm. III, 21, 6. *diem bonum* antiqua testa, et III, 28, 1. *diem festum* recondito Caecubo. Porro vinum Creticum in maximo pretio habitum fuisse Clementem Paedag. II, [p. 156] *aliosque permultos docuisse*. Hae recidunt, quaecumque pro firmanda sua sententia diversis in locis protulit vir ingeniosus. Utinam vero nominasset permultos illos, qui Creticum vinum tam magnopere praedicant. Clemens certe Alexandrinus uno verbulo hoc laudat, ὁ εὐδαίμων καὶ εὐπρόσθετος Αἰαχίος, καὶ Κοῆς τῆς γλεξέως, Creticum quoddam vinum dulce appellans: et sic Aelianus Var. Hist. XII, 31. „Γλυκὴν τῆς καὶ Κοῆς ἄλλος.” Sed quale, amabo, illud vinum dulce? non aliud quam *Passum*, quod quidem Cretae optimum ferebat. Plinius XIV, 9. „*Passum a Cretico Cilicium probatur, et Africum, et in Italia, fuitimisque provincieis*.” Iuvenalis XIV, 270. de mercatore, „*Qui gaudes pingue antiquae de litore Cretae Passum, et municipes Iovis advectisse lagenas*.” Martialis Epigr. XIII, 106. „*Passum. Cressia Minoae genuit vindemia Cretae Hoc tibi, quod mulsum pauperis esse solet*.” Caeterum *Passum* quid sit et quemadmodum fiat, ex Columella discas XII, 39. et Palladio in Octob. c. 19. et cur pingue et pauperis mulsum Iuvenali Martialique dieatur, probe intelliges; quippe *ex uvis passis in praeco compressis effluit, et conditum vasculo mellis more, servatur*. Tam autem praeter hos modo laudatos, qui *passum* Creticum memorent, nego ullos veterum Romanorum vini Cretici mentionem facere. Quid ergo? faceta sane et ridicula res esset, si tot cari sodales, tam pulchra ob Numidae reditum die, nihil nisi *passum* sorberent, vel lingerent potius. Habeat id sibi domi Harduinus, tam bellae comissionis novus Magister. Quid, quod si *notam* vini voluisset hic Noster, omnino Chium potius quam Creticum elegisset, „*Chii ne careat pulchra dies nota*,” ut Epod. IX, 34. petit „*Aut Chia vina aut Lesbia*,” et Carm. III, 19, 5. *Quo Chium pretio cadum mercetur*, interrogat. Satis vero de vini copia provisum est in versu sequente, „*Neu promptae modus amphorae*,” ubi illud neu plane indicat nihil antea de vino dictum esse. Mihi quidem omnia perpendenti nulla

XXXVII.
 AD SODALES.

- Nunc est bibendum, nunc pede libero
 Pulsanda tellus: nunc Saliaribus
 Ornare pulvinar Deorum
 Tempus erat dapibus, sodales.
 5 Antehac nefas depromere Caecubum
 Cellis avitis: dum Capitolio
 Regina dementis ruinas,
 Fumus et imperio parabat,

verior videtur explicatio, quam ut *Cressa nota* pro *cretae* vel *cretea nota* capiatur. Quippe prisco Latinos *cretae*, ab insula Creta unde eam glebam advectam crediderunt, nomen indidisse vero simillimum est. Ita sane Isidorus, etsi auctor non optimus. Orig. XVI, 1. [§ 6] „*creta*,” inquit, „*ab insula Creta, ubi melior est*.” Quamquam enim Graecis, quibus parva insula Cimolos bene cognita erat, ἡ Κνωσὺς τὴν Cimolia vocitata est; Latini tamen a maiore et nobiliore insula, quae Cimolo vicina erat, *cretam* vocare poterant: vel quod a nautis forte Cretensibus adveheretur. Tam igitur si *creta* ideo dicta est, quia *Cressa* existimaretur, quidni Horatius, ut verbum humile evitaret, *Cressam notam* pro *cretae nota* et splendide et eleganter dixerit? Idem tamen in Sermonibus, ubi propriis et inornatis verbis utitur, *cretam* eodem sensu non recusavit, II, 3, v. 246. „*Quorsum abeant? sanin' creta, an carbone notati?*” quod manifesto imitatus est Persius, Sat. V. [v. 108] „*Quaeque sequenda forent, quaeque vitanda vicissim, Illa prius creta, mox haec, carbone notasti*.” Porro id solenne est Scripturibus Latinis, ut dies felices *creta* vel *albo lapide, lapillo, calculo, gemma* signandos et notandos dicant; infaustos vero *nigro*. Martialis XII, 34. [v. 1] „*Triginta mihi quattuorque messes Tecum, si meminisse, fuere, Iuli, Quarum dulcia mixta sunt amaris: Sed iucunda tamen fuerat plura. Et si calculus omnis huc et illuc Diversus bicolorque digeratur, Vincet candida turba nigriorem*.” Catullus LXIX [v. 147], de die fausto; „*Quem lapide illa diem candidiore notet*,” et CVIII [v. 6], „*o lucem candidiore nota*.” Idem Martialis ob Terentii reditum ex Sicilia, et lactea gemma diem notat, et vini veteris amphoram promit, plane ut Noster nec *Cressam notam*, nec amphoram deesse vult: Epig. VIII, 45. [v. 1] „*Priscus ab Aetnaeis mihi, Flacce, Terentius oris redditur: hanc lucem lactea gemma notet. Defluat, et lento splendescat turbida lino Amphora, centeno consule facta minor*.” Idem ob insperatum reditum Caii Iulii Proculi *albam gemmam* et vetustum *cadum* postulat, XI, 37. [v. 1] „*Caius hanc lucem gemma mihi Iulius alba Signat, io, votis redditus, ecce, meis. Hypne quid expectas piger? immortale Falernum Funde: senem poscent talia vota cadum*.” Persius quoque et candidum *lapillum* et merum poscit, ob Macrini sui natalem, Sat. II. [v. 1] „*Hunc, Macrine, diem numeram meliore lapillo: Fende merum Genio*.” Dubiumne vero posthac eniquum esse poterit, quin Horatius per *Cressam notam* idem voluerit, quod Martialis Persiusque per *lacteam albamve gemmam, et meliorem lapillum*? Iterum Martialis, Epig. IX, 52. [v. 5] „*Felix utraque lux, diesque nobis Signandi melioribus lapillis*.” et X, 38. [v. 4] „*O nox omnis et hora, quae notata est Caris litoris Indici lapillis*.” Plinius iunior, Epist. VI, 11. „*O diem laetum, notandum mihi candidissimo calculo*.” Sidonius Carm. XIV, 3. „*Prosper convivio dies coruscat, Albus quem piceo lapillus Indi Signet*.” Statius Silv. IV, 6. [v. 18] „*Nox, et Erythraeis Thetidis signanda lapillis,*

Contaminato cum grege turpium
10 Morbo virorum, quidlibet inpotens
Sperare, fortunaque dulci
Ebria, sed minuit furorem

v. 10. Forte, *Opprobriorum* quidd.

Et memoranda diu, gentiumque habitura perennum.² Idem Silv. IV, S. [v. 37] „Litora, quae festos circumulare altaris ignes, El redimita chelym, postesque ornare iuberet: Albanoque cadum sordentem promere fumo, Et cantu signare diem: sed tardus inersque Navi demum mea votacano.“ ubi male profecto cantu: cum iam ante chelym nominaverat, et mox repetit cano. Quid autem est signare diem cantu? tu vero lege, „Albanoque cadum sordentem promere fumo, Et creta signare diem.“ cadum hic cum creta consociat, ut Noster amphoram cum Cressa nota, Martialis amphoram cum lactea gemma, cadum cum gemma alba, et Persius merum cum lupillo candido, ad diem festum faustumque celebrandum.

9. *Contaminato cum grege turpium Morbo virorum* „Fulgatam hanc lectionem inquit Iosephus Scaliger Aulon. Lect. I. 17.) quis sanus volent tueri? quomodo inde bonum sensum efficiet?“ Ipse igitur ex coniectura sic locum restituit, „Contaminato congrege turpium Morbo virorum.“ et explicat, *Morbo virorum*, morbosus viris; ut *seclusi viri*, secleratus. Atque huius, ut videtur, auctoritatem secutus Cruquius, trium tamen, ut narrat, manuscriptorum codicum fide, etiam in ipso textu edidit *congrege*; et ob eam rem laudatus est a Barthio Adversariorum lib. 59. cap. 9. Ac de Cruquio quidem Barthioque non adeo solliciti sumus: Scaligerum tam graviter dormitasse non possumus non indignari. Quae enim illa sartago loquendi non modo Venusino nostro, sed et ipso Ennio et veruosis eius aevi Tragicis indigna? *Contaminato morbo turpium virorum congrege*; sive, quod peiorem adhuc stribliginem prae se fert, *Contaminatis morbosus turpibus viris congregibus*; apage tam foedam scabiem a nitidissimo scriptore! *Morbo virorum* pro morbosus viris nemo unquam dixisset. *Congrege* Horatiano saeculo vox nondum nata erat. Posteriores quidem usurparunt, Apuleius, Ausonius, Prudentius, Auctor Pervigilii Veneris, Cyrillus in Glossario; sed eo sensu, qui a Flacci sententia plurimum distat. Quid multa? *Contaminato cum grege* minime sollicitandum est: nam vocabulum *grex* turpi illi spadonum et cinaedorum cantubernio quasi proprium erat. Aurelius Victor in Tito [opit. 10]: „Berenicem nuptias suas sperantem ingredi domum, et enervatorum greges abire praecipit.“ Curtius III, 8. „Spadonumque grex haud sane illis gentibus vilis.“ Suetonius Tito, c. 7. „Nec minus libido propter exoletorum et spadonum greges suspecta in eo erat.“ Seneca Epist. 95. [§ 24] „Transeo agmina exoletorum, per nationes colorisque disposita.“ Tacitus Annal. 15. 37. „Uni ex illo contaminatorum grege in modum sollemnium coniugiorum denupsisset.“ Quibus adde Valerium Max. [VII.] 7. 7. ubi de Lenone et Lupanari loquitur: „Qui fortunas suas in stabulum contaminatum proiecerat.“ Quae loca et Marsilii errorem satis redarguunt, qui sic constituit interpunctionem, ut *contaminato non cum grege*, sed cum imperio cohaerent: „Fanus et imperio parabat Contaminato, cum grege etc.“ Vera itaque lectio est, *contaminato cum grege*; et quae sequuntur in vulgatis codicibus sic satis commode explicari possunt: *cum grege virorum turpium morbo*. „Morbo turpes diviti sunt verba veteris Scholiastae, quia fore il effluaminati sunt.“ Recte: sic enim Claudianus de Cinaedo, Epigr. 26. [v. 5] „Quod pateris turpem iam cano podice morbum, Faemineis signis Luna Venusque fuit.“ et notum illud Herodoti I, 105, quod Venus irata Scythiis inflixerit *ἄγλιαν ΝΟΥΣΩΝ* muliebrem morbum. Catullus Epig. 58. [v. 4] „Pulchre convenit improbis

Vix una sospes navis ab ignibus:
Mentemque lymphantam Mareotico
15 Redegit in veros timores
Caesar, ab Italia volantem

Cinaedis *Mamurrae* pathicoque *Caesarique*: *Morbosi pariter, gemelli utriusque.* Philoxenus in Glossario: „*Morbosus, ἀδύσιος.*“ Sine dubio itaque sententiam Horatii iam tenemus; „*cum contaminato grege morbosorum spadonum.*“ Nequeo tamen a me plene impetrare, ut verba ipsa sic a poeta profecta esse credam. *Virorum* nomine, nisi fallor, non dignaretur Eumachos; qui semiviri potius vel faeminae vel monstra dicendi erant, hoc saltem in loco, cum eos execeraretur, et contemptui haberet. *Ego tamen vir sum* aiebat Vespasianus, cum Mucianum notae impudicitiae hominem taxaret. Porro et in illa locutione, *Virorum turpium morbo*, non agnosco elegantiam Flacci; neque alius, credo, agnovit, qui aures ab optimorum scriptorum lectione adhuc calentes habeat. Quare tentandum, an iacenti et fere deplorato loco coniectura opem ferre possimus. Mihi quidem varia excogitanti nihil visum est aut sententiae aut receptae lectioni propius accedere, quam si pro *morbo virorum* legerimus *opprobriorum*. „*Contaminato cum grege turpium Opprobriorum.*“ opprobria autem intelligo spadones ipsos, omnibus probis contaminatos, qui humani generis opprobria sunt. Notus ille Hellenismus est, iam inde ab Homero, qui homines probrosos *ἔλεγε*, hoc est, opprobria vocat: ut Pastores [Hesiod. Theog. 26], „*Ἄοκῶν ἄρσενος, καὶ ἔλεγε, παρὶς ἄοκ.*“ et Argivos [Il. E. 787 et 9. 228], „*Ἄιδος, Ἄργυρος, καὶ ἔλεγε, ἰδός ἔργου.*“ et Priami filios [Il. Ω. 260], „*Τοῖς ἰὼν ἑαυτῶ ἄνδρσι τὸ ἔλεγε πάντα λέκτραι.*“ Sic et illud Sancti Apostoli ex Epimenide petatum [Tit. 1. 12], „*Καί τις εἶν θωρατὴ, καὶ ἔλεγε, παρὶς ἄργου.*“ Sic proverbiale illud, *Ἥμων παίδες λόζου*, vel *ἄρα*: *Heroum liberi Opprobria sunt*, vel *Damna*, Catullus Epig. 29. [v. 14] „*At vobis mala multa Di deaque Dent, Opprobria, Romuli Romique.*“ Charinus, adolescens luxu perditus, apud Plautum Mercat. Prol. v. 59. „*Obiurgare pater haec me noctes et dies: — Convitium tot me annos iam se pascere.*“ Sic et illud accipio apud Nostrum Carin. III. 6. 32. „*seu vocat Insultor, Seu navis Hispanae magister, Dedeorum pretiosus entor.*“ *Dedeorum*, mulierum impudicarum, *λοζόν, ἔλεγε*. Huc accedit, quod alias *opprobrium* de Mollibus et Cinaedis aptissime usurpatur, Claudianus in Eutropium Eumachum I. 57. „*Profuerat mansisse virum, Felicio extat Opprobrio. Serviret adhuc, si fortior esset.*“ Propertius de hac ipsa Cleopatra, III. 9. [v. 29] „*Quid modo quae nostris opprobria voveat armis, Et famulos inter faemina trita suos.*“ Favet etiam, quod turpium commodissimum epitheton est *opprobriorum*, ut Noster Serm. I. 7. [l. 6. 84] „*puticium, Qui primus virtutis hucos, servavit ab omni Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi.*“

14. *Mentemque lymphantam Mareotico Redegit in veros timores* Sic constanter Codices Mss. in *veros*: nec locum sollicitamus; etsi ad aliorum scriptorum exemplum potius ad *veros* dixerimus. Ita Seneca constanter; ut Epist. 13. [§ 13] „*Nemo enim resistit sibi, cum coepit impelli: nec timorem suum redigit ad verum.*“ Epist. 45 [§ 10] „*Eccc tota mihi vita mentitur: hanc coargue: hanc ad verum, si acutus es, redige.*“ Epist. 95. [§ 57] „*Habitus porro animi non erit in optimo, nisi res ad verum redegerit.*“ Seneca alter Controv. 9. [§ 25] „*Nam dum insanus imitatur (Gallus Fibiis), dum lenocinium ingenti furorem patat; quod simulabat, ad verum rededit.*“ Ita Livius saepe, *redigere ad certum, ad irritum et vanum, ad nihilum*; de quibus consulo accuratissimum Fred. Gronovium ad Liv. 41. 23. Illud autem obiter, etsi praeter morem nostrum, qui non Commentarium, sed Emendationes scribimus, adnotare non piget, male hic

Remis adurgens, (accipiter velut
Mollis columbas, aut leporem citus
Venator in campis nivælis
20 Haemoniae) daret ut catenis
Fatale monstrum: quae generosius
Perire quaerens, nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentis
Classe cita reparavit oras.

v. 24. Forte, *Penetravit.*

rem gessisse Interpretes quos viderim omnes: dum *Lymphatam* intelligunt ebriam, insanam, furiatam. Iuvo vero, tu *vano pavore, sive metu Lymphatico, territam et consternatam* accipe. Quod ex Historia verum esse comperies. Quippe ipso statim Actiaci praelii initio, quasi Panico terrore concussa Cleopatra fugam capessabat: quem *vanum* timorem ab Augusto ad *veram* esse reductum ait Noster, cum illa parva victoria mox tota classe fugientem eam sequeretur. Certo nisi hoc sensu *Lymphatam* explices, frigebit tota sententia, vel potius ad nihilum redigetur. Seneca Epist. 13. [§ 9]. „Nulli tam perniciosi, tam irrevocabiles, quam Lymphati metus sunt: caeteri enim sine ratione, hi sine mento sunt.“ Idem Epist. 85. [§ 27] „Describe captivitatem, verbera, catenas — inter Lymphaticos metus numerat sapiens.“ Lucanus VII, 186. „Quid mirum populos, quos lux extrema manebat, Lymphato trepidasse metu?“ Ita passim alii. Urbane autem et amare Noster, non Panem vel Apolline vel quovis alio numine Lymphatam Cleopatrae mentem, sed vino Mareotico tradit.

24. *Nec latentis Classe cita reparavit oras*] Quid, obsecro, est *reparare oras classe*? Nonnulli per Hypallagen interpretantur, *oras classe pro oris classem*; ut sententia sit, non collegit denovo exercitum, non instauravit bellum navale. Sed vestram fidem, Grammatici, quis huiusmodi Hypallagas in poetarum scriptis deprehendit? aut ubi natae sunt nisi in cerebellis Magistrorum: qui, si Hypallagen, Hyperbaton, Synchysin nominaverint, egregie loca quaeque contaminatissima se putant expedire? Neque illud interea vident, se huic loco ineptissimum sensum abingere; cum illud *generose* a Cleopatra factum volunt, quod *classem non reparavit*? Atqui illud timidi prorsus animi fuisset, non reparasse; siquidem reparare potuisset. Alii autem, stolidi illa Hypallage repudiata, *reparavit oras pro petiit, requisivit, accipiunt*: neque tamen ex omni Latinitate vel unicum eius significationis exemplum proferre possunt. Ego vero, vel reclamantibus quotquot hodie extant codicibus, sic ab Horatio scriptum esse contendo, „*nec latentis Classe cita penetravit oras*.“ hoc est, non aufugit in longinqua terrarum loca, quo Augustus aut non potuisset, aut noluisse eam persequi. Et sententia haec clarissima est, et facilis liberiorum lapsus. Virgilius Aen. I. [v. 243] „*Antenor potuit mediis elapsus Achivis Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus Regna Liburnorum*.“ Ubi omnia belle huic loco respondent: similis utrinque ab hostibus fuga; hic *intimos sinus*, illa *oras latentis penetrare potuit*. Idem Aen. IX, [v. 10] „*Nec salis: extremas Corythi penetravit ad urbes*.“ Silius Italicus, III, [v. 651] „*Maxime Belide, Libycas penetravimus oras*.“ et iterum IV, [v. 365] „*Sed Spartam penetrare deus fratresque negabant*.“ Lucanus VIII, v. 216. „*remotas Medorum penetrare domos, Scythicosque recessus*.“ Suetonius in Julio c. 52. „*Et eadem nave thalamego paene Aethiopia tenus Aegyptum penetravit*.“ Ammianus 29, 5. „*Capriarienses montes longe remotos penetravit, et diruptis rupibus inaccessus*.“

25 *Ausa et iacentem visere regiam*
Vultu sereno, fortis et asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum,
Deliberata morte ferocior;
30 *Saevis Liburnis scilicet invidens*
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

XXXVIII.

AD PUERUM.

Persicos odi, puer, apparatus;
Displicent nexae philyra coronae:
Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.

5 *Simplici myrto nihil adlabores*
Sedulus cura: neque te ministrum
Dedecet myrtus, neque me sub arta
Vite bibentem.

v. 6. Vulg. *Curo.*

25. *Ausa et iacentem visere regiam Vultu sereno*] Quid sibi vult *iacentem regiam*? aut *humilem*, credo, et *ignobilem*, ut in Ciceronis Oratore c. 67. „*Depressam, caecam, iacentem domum, pluris quam te et fortunas tuas aestimasti*: qui sensus huic loco minime convenit: aut *dirutam et destructam*; ut illud Senecae Controv. 34. [§ 2] „*Duc illum ad iacentem Olythum: duc illo, ubi liberos, ubi domum perdidit*.“ Atqui et hoc ipsa Historia aspernatur: tum enim stabat Regia integra et intacta. Conieceram, invitis, ut tum credebam, codicibus, *Ausa et iacentem visere regiam*: hoc est, *desolatam, vacuum*: quippe Aulicorum turba, et parasitorum agmina diffugerant, lapsis Cleopatrae et Antonii rebus. Ita noster Carm. IV, 14, 36. de re eadem; „*nam tibi quo die Portus Alexandria supplex, Et vacuum patefecit aulam*.“ Claudianus Rapt. Proserp. III, 148. „*Flebilis, et tacitae specus apparuit aulae*.“ et mox v. 154. „*Dum vacuas sedes et desolatae perverrat Atria*.“ Lucanus II, 22. „*sic funere primo Attonitae tacere domus*.“ Statius Theb. V, 310. „*Conticuere domus*.“ Tacitus Hist. III, 84. „*Vitellius in Palatinum regressit vastum desertumque — Terret solitudo et tacentes loci*.“ Postea didici manuscriptum codicem Bersmanni, cuius editionem nondum videram, clare exhibere *iacentem*, non *iacentem*.

5. *Simplici myrto nihil adlabores Sedulus cura*] Itane vero? an Horatius tantopere curat, ne Servulus praeter mandatum myrto aliquid addat? mirum, ni Saturnalia tunc agebantur, et servi dominis imperabant. Tu vero lege, meo periculo, et distingue, „*Simplici myrto nihil adlabores Sedulus cura*.“ *cura*, inquit, sive *cave*, ne nimia diligentia vel rosam vel philyram vel quidquam appares, praeter unicum myrtum. Utique pro imperio dixisset Noster, *sedulus m'ando*. Sed sine dubio legendum, *cura*: Terent. And. V, 2. [v. 24] Simo ad Davum: „*tu tamen Cura adversandum vincum*.“ Noster Serm. II, 6, 38. „*Imprimat his, cura, Maceenas signa tabellis*.“ Favet Manuscriptus Bodleianus, qui habet *curae*. Atque adeo mirabuntur plerique, tam conspicuum mendum tam longo tempore indeprenum latere potuisse. Sed aliud longe est erratum corrigere, aliud agnoscere semel correctum.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER II.

I.

AD ASINIUM POLLIONEM.

Motum ex Metello consule civicum,
 Bellique caussas, et vitia, et modos,
 Ludumque Fortunae, gravisque
 Principum amicitias, et arma
 5 Nondum expiatis tincta cruoribus,
 Periculosae plenum opus aleae,
 Tractas, et incedis per ignis
 Subpositos cineri doloso.

v. 5. Vulg. *Uncta*.

5. *Et arma Nondum expiatis uncta cruoribus* Sic exhibent miro consensu codices Manuscripti, *uncta cruoribus*; et defendi quidem poterit ex alio Horatii loco, Epod. 5, 19. „*Et uncta turpis ora rante sanguine*“ nisi forte eodem vitio et iste versiculus laboret. Sed simili metaphora *oblita* dixerunt alii; Ovid. Metam. IV, 96. „*venit ecce recenti Caedo laeena boum spumantes oblita rictus*“ et in Epist. Canaces [XI, 2]: „*Oblitus a dominac vacuo libellus erit*“ Cicero pro Roscio c. 52. „*Crudelitate sanguinis perlitus*“ Ita et *delibuta*. Seneca Controv. 2. [§ 9] „*Conversata es diutius inter humano sanguine delibutus*“ Noster Epod. 17, 31. „*Quantum neque atro delibutus Hercules Nessi cruore*“ Quippe *delibutus unctus dicitur*, ut Donatus ait ad Terentium [Phorm. V, 6, 16], et vetus Scholiastes ad Nostrom. Quamquam observandum est alios scriptores in eadem Nessi historia, ubi Horatius *delibutus* habet, non *unctus* verum *tinctus* usurpasse. Cicero De Nat. Deorum III, 28. „*Nec enim Herculi Deianira nocere voluit, cum ei tunicam sanguine Centauri tinctam dedit*“ Ovid. Metam. IX, 131. „*Excipit hunc Nessus: neque enim moriemur nulli; Secum ait: et calido velamina tincta cruore Dat munus nuptae*“ et paullo infra, quod eodem redit, v. 153. „*Imbutam Nessaea sanguine vestem*“ Seneca Here, Octavo, v. 1470. de Nesso: „*Cruore tincta est palla somiferi, pater*“ Lego itaque et hic, „*Nondum expiatis tincta cruoribus*“ minima quidem Scripturae differentia, cum in Codd. Mss. *unctus a tinctus* nisi contentis oculis vix possis dignoscere; sed non minima sententiae. *Uncta* enim cruore arma vix dici poterunt, nisi statim a paelio et caedo, priusquam tergerentur: *tincta* vero etiam diu postea manserunt; quia macula, quae semel penitus insederat ferro, abluī non poterat. Quare aptius est huic loco et occasionī *tincta*; et sic alii passim scriptores; nemo usquam, quod sciam,

Paulum severae Musa tragoediae
 10 Desit theatris: mox, ubi publicas
 Res ordinaris, grande munus
 Cecropio repetes cothurno,
 Insigne maestis praesidium reis,
 Et consulenti Pollio curiae:
 15 Cui laurus aeternos honores
 Dalmatico peperit triumpho.
 Iam nunc minaci murmure cornuum
 Perstringis auris: iam litui strepunt:
 Iam fulgor armorum fugacis
 20 Terret equos, equitumque voltus.
 Videre magnos iam videor duces
 Non indecoro pulvere sordidos,
 Et cuncta terrarum subacta,
 Praeter atrocem animum Catonis.

v. 21. Vulg. *Audire*.

uncta. Virgil. Georg. III, [v. 492] „*Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri*“ Noster Carm. III, 23, 13. „*Victima Pontificum securim Corvico tinguet*“ Ovid. Trist. II, 387. „*Tingeret ut ferrum naturam sanguine mater*“ Ibid. IV, 2. [v. 6] „*Victima purpureo sanguine tingat humum*“ Ibid. IV, 6. [v. 34] „*Quam cui tela suo sanguine tincta rubent*“ Idem in Ibide [v. 54]: „*Tincta Lycambeo sanguine tela dabit*“ et iterum, „*Sive meo tingent sanguine rostra Iapi*“ et iterum, „*Ipsae suo melius sanguine tinxit humum*“ Quis, ut hic apud Nostrom *tincta cruoribus*, ita et utramque vocem apud alios sic positam reperias: ut praeter Ovidii et Senecae loca iam citata, ille Pont. III, 2. [v. 54] „*Decolor affuso tincta cruore rubet*“: hic Thyeste [immo Phoen.], 257. „*Cruore saepe regem tinctas alit*“ Phaedrus Fab. II, 4 [II, 3, 2]. „*Tinctum cruore panem misit malefico*“ Boetius Consol. II, 5. „*Cruor horrida tinxerat arma*“

12. *Grande munus Cecropio repetes cothurno* Heinsius pater, *Forte*, ait, *scribendum est, Cecropii repetes cothurni*. Heinsius autem filius, in ora sui codicis, cuius exemplar penes me est, *Forte*, ait, *legendum, Cecropios repetes cothurnos*. Sed vix tanti haec videntur, ut a recepta omnium librorum lectione hic recedamus. Caeterum ista, *Mox ubi publicas Res ordinaris*, perperam accipiunt nuperi Interpretes. Rectius veteres Scholiastae, qui *ordinaris* explicant, *scripseris*. *Ordinare* quidem hoc sensu inusitatum est satis: sed Noster magnus Novator, a Graecis hoc accepit; quibus *Συντάξαι, ordinaere*, est *librum scribere*, et *Σύνταξις, liber, volumen*. Ipsa plane hic sententia sensum hunc efflagitat.

21. *Audire magnos iam videor duces* Quis sodes narrat boni illi Duces, quos audire sibi videtur Noster? *Audire magnos iam videor duces, Non indecoro pulvere sordidos, Et cuncta terrarum subacta Praeter atrocem animum Catonis*. Nihil scilicet narrat: neque enim loquentes eos hic introducit. Quo autem ista pertinent, „*Non indecoro pulvere sordidos*? Pulvis enim et sordes non ad auditum, sed ad visum pertinent. In alio quidem loco Calliopen *audire sibi visus* est, Carm. III, 4, 6. „*Audire, et videor pios Errare per lucas*“: et merito sane; quippe tum ea *longum melos* inceptabat: hic vero loci quos audire se putat Duces ne hiscent quidem. Mirum profecto tot interpretes haec concoquere potuisse. Sed salvam fortasse rem praestabant veteres Scholiastae: „*Ambiguum*“ aiunt,

- 25 Iuno, et Deorum quisquis amicio
Afris, inulta cesserat inpotens
Tellure, victorum nepotes
Rettulit inferias Iugurthae.
Quis non Latino sanguine pinguior
30 Campus sepulcris in pia proelia
Testatur, auditumque Medis
Hesperiae sonitum ruinae?
Qui gurgēs, aut quae flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Daunia
35 Non decoloravere caedes?
Quae caret ora cruore nostro?
Sed ne relictis, Musa proeas, iocis,
Caeae retractes munera naeniae:
Mecum Dionaeo sub antro
40 Quaeero modos levioe plectro.

„*utrum enim ipsos duces concionantes audire se dicat, an Pollionem de ducibus narrantem, incertum est.*“ Quid, obsecro vos, in medio praellii pulvere et nube concionantes? aut qua licentia illud concionantes in manca oratione supplendum omittebatur? Tum et posterius commentum, ut per *Duces* ipsum *Pollionem* intelligamus, quo tandem exemplo defendetur? Nimirum locus corruptus est, et explicari quidem negat, sanari facile patitur. Lego enim, „*Videre magnos iam videor duces Non indecoro pulvere sordidos.*“ Quid haec lectione clarius? mutarunt tamen boni librarii, quia praecesserat paullo ante, „*murmure cornuum perstringis aures, iam litui strepunt.*“ Quasi vero non ejusdem esset hominis, et audire lituos canentes et videre duces praecia obeuntes? *Videor videre*, trita sed elegantis locutione. Plautus *Mostellaria* I, 3. [v. 113] „*Non videor videre lenam callidiorum ullam alteram.*“ Terent. *Adolph.* III, 3. [v. 30] „*Videre videor iam diem illum, cum hinc egens Profugiet aliquo militatum.*“ Cicero in *Catil.* IV, 6. „*Videor mihi videre hanc urbem subito uno incendio concidentem.*“ Cicero filius in *Epist. Fam.* XVI, 21. „*Videor enim videre eminentem rusticam rus, cum villico loquentem.*“ Prudentius *Peristeph.* II, 558. „*Videor videre inlustribus Gemmis coruscantem virum.*“ Sic et caeteri poetae, in re simili, non *audire bella et duces*, (qui enim possunt) sed *videre et cernere* se fingunt. Virgil. *Aen.* VI, [v. 87] „*Dardanidae venient (mitte hanc de pectore curam) Sed non et venisse volent: bella horrida bella, Et Tiberim multo spumantem sanguine cerno.*“ Claudianus *Cons. Honorii* III, 200. „*Iam video Babylona rapti, Parthumque coactum Non ficta trepidare fuga; iam Bactra teneri Legibus, et famulis Gangem pallescere ripis.*“ Petronius [121 v. 111]: „*Cerno equidem gemina iam stratos Marte Philippos, Thessalicosque rogos, et funera gentis Iberae, iam fragor armorum trepidantes personat aures:*“ ubi vides eandem, quae apud Nostrum, oeconomiam. Ille *Fragorem armorum audit*; Philippos, et Thessalica Hispanicaeque funera *cernit*: ita Noster cornuum quidem et lituorum sonitum *audit*, regiones vero subactas, et victores duces *videt*.

38. *Caeae retractos munera naeniae*] Nicolaus Heinsius ex coniectura legit *funera*. Chabotius ex *vetustis quibusdam exemplaribus praefert, vulnera*. Nescio equidem quoniam illa sint vetusta exemplaria: mea enim omnia, ut et Lambini, Cruquii, Torrentii, Pulmanni etc. summo consensu retinent, *munera*. Quod placet. Noli, inquit, suscipere munus viribus tuis impar, quod graviori Simonidis musae magis convenit. Virgil. *Aen.* V, 846.

II.

AD CRISPUM SALLUSTIUM.

- Nullus argento color est avaris
Abdito terris; inimice lamnae
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.
5 Vivet extento Proculeius aevo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.

v. 2. Vulg. *Abditae*.

„*Ipse ego paullisper pro te tua munera dabo.*“ Caeterum mox Cod. *Petr.* trencis, ipso metro repugnante: „*Quaere modos levioe lyra*“: *plectro* tamen inter lineas addito pro varia lectione. *Levioe lyra, levioe chorda, levioe plectro*, eodem omnia recidunt. Ovid. *Metam.* X, 150. „*cocini plectro graviore gigantas*“ et mox [v. 152], „*Nunc opus est levioe lyra.*“ Statius *Theb.* X, 440. „*Vos quoque sacrati, quamvis meo carmina surgant Inferioe lyra.*“ Seneca *Agam.* 329. „*Sed quale soles levioe lyra Flectere carmen simplex, lusum Cum docta tuos Musa recenset. Licet et chorda graviore sones, Quale canebas, cum Titanas Fulmine misso fregere Dei.*“ Quae omnia ex hoc Horatii loco mutuati sunt isti.

2. *Abditae terris inimice lamnae*.] Magnam se rem praestitisse credit Lambinus, quod in vitis omnibus libris, qui *abdito argento* hic exhibent, *abditae lamnae* reposituerit, hunc in modum: „*Nullus argento color est, avaris Abditae terris inimice lamnae Crispe Sallusti, nisi temperato Splendeat usu.*“ Quippe, inquit, *si ita locutus esset Horatius, Nullus est color argento abdito terris (et proinde minime splendet) nisi splendet usu temperato: nonne esset ineptissime locutus? Est enim simile ac si quis ita dicat, Nulla est mulieris deformis gratia et venustas, nisi formosa sit.* Recte quidem disputat Lambinus; modo ita, ut ille somniat, Horatius esset locutus. Sed fefellit plane Lambinum ipsa verborum constructio. Ponamus enim Lectionem in omnibus MStis codicibus receptam, distinctionem tantummodo novam: „*Nullus argento color est avaris Abdito terris; inimice lamnae Crispe Sallusti, nisi temperato splendeat usu.*“ Iam haec verba non negant colorem esse *argento abdito*, nisi *argentum* illud splendet; sed Sallustium narrant inimicum esse *lamnae*, nisi *lamna* illa splendet. Ubi nunc, obsecro, Lambini acumen? Et tamen omnes fere post ipsum Editiones scribitis illa occupavit. Clara iam satis, ut opinor, sententia est. *Nullus color*, nulla gratia, nihil pulchri est *argento abdito terris*, sive in terris defosso, ut avaris mos est thesauros suos sepelire. Noster *Serm.* I, 1, 41. „*Quid iuvat immensum te argenti pondus et auri Partim defossa timidum deponere terra? Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem: At ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?*“ Hoc verum esse tu, inquit, agnoscis, Crispe Sallusti, qui nihili facis *lamnam*, nisi in quantum humanis visibus inserviat. *Lamna* est ipsum argentum, vel aurum. Ovidius *Fast.* I, 208. „*Iura dabat populisposito modo Consul aratro, Et levis argenti lamina crimen erat.*“ Seneca de *Benef.* VIII, 10. [§ 1] „*Nunc rolo tuas opes recognoscere, lamnas utriusque materiae, ad quas cupiditas nostra caligat.*“

7. *Illum aget penna metuente solvi*] Veterimi quique Torrentii codices, ut et ex nostris Leidensis, Graevianus, Reginensis, cum Porphyrione

- Latius regnes avidum domando
 10 Spiritum, quam si Libyam remotis
 Gadibus iungas, et uterque Poemus
 Serviat uni.
 Crescit indulgens sibi dirus hydrops;
 Nec sitim pellit, nisi causa morbi
 15 Fugerit venis, et aquosus albo
 Corpore languor.
 Redditum Cyri solio Phraaten,
 Dissidens plebi, numero beatorum
 Eximit virtus; populumque falsis
 20 Dedocet uti

Scholiasta legant, *agil.* Retinemus tamen *agil.* cum recentioribus. Cum enim haec, si recte rationes ponimus, circa annum Horatii XL, Augusto VIII et Taino II Coss., scripta sint, Proculus tum et diu post in vivis erat, ut ex Historia notum. Ergo *aget fama superstes* post mortem; quam is, narrante Plinio Hist. XXXVI, 59, in maximo stomachi dolore *gypso polo sibi ultro conscivit*; postquam Horatius ut opinor, ad plures abierat. Porro in versu praecedente, vir doctus, qui Horatium nuper edidit, distinguendum censet post *notus*, „*Vivet extento Proculus aevo Notus, in fratres animi paterni*“; quod et miratur neminem ante se vidisse. Ego vero et miror et doleo tam pravam distinctionem in mentem ei venisse. *Vivet notus*; quanto minus leviusque hoc est, quam *vivet* absolute. Velleius Patere. II, 66. „*Vixit vivetque Cicero per omnium saeculorum memoriam*.“ Ovidius in fine Metamorph. „*Ore legar populi: perque omnia saecula fama (Si quid habent veri valum praesagia) vivam*.“ Idem Amor. I, 15. [v. 9] „*Vivet Maeonides, Tenedos dum stabilis et Ide: Dum rapidas Simois in mare volvet aquas. Vivet et Ascræus: dum mustis uva tumebit*.“ Tam et illud, *In fratres animi paterni vir*, minus utique multo est, quam *Notus animi paterni*: illud enim nule *ἐπίσδειξον* fuisse Proculium indicat; hoc, *ἐπιδείξιός* nomine per ora hominum celebrem. Quid quod suavissimam figuram ex Graeco fonte deductam hoc pacto amissimus, *notus animi*: quam primus, opinor, Noster iniecit, et posteris imitandam tradidit. Silius Italicus XV, [v. 270] „*Hanc notam formae concessit luctus ovansque*.“ et XVII, [v. 147] „*invisus Marti, notusque fagarum*.“ Statius Theb. II, 274. „*Cyclopes, notique operum Telchines, amica Certatim iuvere manu*.“ Symmachus Epist. II, 63. „*Suscipe igitur notum militiae virum*.“

15. *Et aquosus albo Corpore languor*] Eleganter haec imitatus est Prudentius, Christianorum Maro et Flaccus, Cathem. VIII, 61. „*Ergo ne limum fragilem solutae Deserant vires, et aquosus albis Humor in venis dominetur, agrum Corpus inerrans*.“ et iterum Peristeph. II, 241. „*Hydrops aquosus lucido Tendit veneno intrinsecus*.“ Sed apertius Serenus Sammonicus cap. 25 [cap. 27 v. 517], de Hydropo: „*Unguine quo frangit vires languoris aquosi*“; Quem ad partes citavit etiam Theod. Marcellius, et post eum Dacierius: atque eo fine et nos quoque adduximus, ne quis superiore Prudentii loco confusus temere apud Horatium ponat, „*et aquosus albi Corporis humor*.“

18. *Dissidens plebi*] Verior videtur Iacobo Cruquio Blandiniorum codicum lectio, *Dissidens plebis*: et sic sane Codex noster Reginensis cum prisca editione Veneta. Non negamus, quin Graeca constructione *Dissidens plebis* uti potuisset Noster; sicut alibi habet, *Regnavit populorum, Abstineto irarum, Dostne querelarum*: Sed praevaleo debet auctoritas Prisciani p. 1158. „*Pauca sunt, quae activa voce transitive soli Dativo adiungun-*

Vocibus; regnum et diadema tutum
 Deferens uni, propriamque laurum,
 Quisquis ingentis oculo inretorto
 Spectat acervos.

III.

AD DELLIUM.

- Aequam memento rebus in arduis
 Servare mentem, non secus ac bonis
 Ab insolenti temperatam
 Laetitia; moriture Delli,
 5 Seu maestus omni tempore vixeris,
 Seu te in remoto gramine per dies
 Festos reclinatum bearis
 Interiore nota Falerni.
 Qua pinus ingens albaque populus
 10 Umbram hospitalem consociare amant
 Ramis, et obliquo laborat
 Lympha fugax trepidare rivo;
 Hue vina, et unguenta, et nimium brevis
 Flores amoenae ferre iube rosae:
 15 Dum res, et actas, et sororum
 Fila trium patiuntur atra.

v. 2. Vulg. *In bon.*

tur. Dissideo tibi: Horatius in II Carm. *Redditum Cyri solio Phraatem Dissidens plebi numero beatorum Eximit virtus*.“ Et eo melior est lectio *Plebi*; quia hoc pacto vitatur ambiguum: ne forte *dissidens numero plebis* cum Acone Scholiasta ridicule quis construat.

2. *Non secus in bonis*] Ita nostri ad unum omnes: sequimur tamen potius scripturam duorum apud Lambinum codicum, *Non secus ac bonis*. Ea notissima est constructio *coi secus*. Noster in Arte 149: „*et in medias res, Non secus ac notus, auditorem rapit*.“

9. *Qua pinus ingens*] Atque haec etiam lectio est ex MStis Lambini: nostri enim omnes cum editionibus vetustis, *Quo pinus*. Sic et illud v. 11. *Ramis, et obliquo*, iam vulgo receptum est: sed adversus fidem codicum, qui hic habent, *Ramis, quo obliquo*; vel *quoque* vel *quid*, vel *quo et*, vel *qua*. Forte legendum; „*Umbram hospitalem consociare amant Ramosque, et obli*.“ Caeterum lege cum codicibus, *albaque populus*: non *alla*; ut Lambinus suspicatur ex Epod. I [II, 10] „*Ergo aut adulta vitium propagine Altas maritas populos*.“ Cui loco addas licet Cicero, de Leg. I, 5. „*Sic nos inter has procerissimas populos in viridi opacaeque ripa inambulantes*.“ Et Claudian. in Rapt. Proserp. II, Praefat. [21] „*Ardua nudato descendit populus Haemo*.“ Quippe nihil frigidius esset gemino illo eiusdem significationis epitheto, *Ingens allaque*. Satis autem ex eo intelligitur, et *albam* illam *populum* pariter *ingentem* fuisse, quod umbram et ramos cum ingente pinu consociaret; quod, nisi et ipsa quoque proceras esset, facere nequiret. Ergo non opus erat epitheto *alla*, ad proceritatem indicandam.

- Cedes coentis saltibus, et domo,
Villaque, flavus quam Tiberis lavit:
Cedes; et exstructis in altum
20 Divitiis potietur heres.
Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper, et infima
De gente sub divo moreris,
Victima nil miserantis Orci.
25 Omnes eodem cogimur: omnium
Versatur urna serius ocius
Sors exitura, et nos in aeternum
Exsilium inpositura cumbae.

IV.

AD XANTHIAM.

- Ne sit ancillae tibi amor pudori,
Xanthia Phocem; prius insolentem
Serva Briseïis niveo colore
Movit Achillem:
5 Movit Aiacem Telamone natum
Forma captivae dominum Tecmessae:
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine raptā;
Barbarae postquam cecidere turmae
10 Thessalo victore, et ademptus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Graiis.
Nescias an te generum beati
Phyllidis flavae decorent parentes:
15 Regium certe genus, et Penatis
Maeret iniquos.
Crede non illam tibi de scelesta
Plebe dilectam; neque sic fidelem,

17. *De scelesta Plebe dilectam*] Omnes fere codices, *dilectam*: unde ambiguum evadit, utrum *amatam* intelligamus, ut Noster alibi Epist. II, 1, 247. „Dilecti tibi *Virgilius Variusque poetae*“: an *selectam, electam*: sic enim antiquitus etiam in ista significatione scribebant, *dilectus militum* etc. quod et alii notarunt. Uterque sensus satis est commodus; sed posterior magis placet. Ovid. Amor. [Art.] I, 42. „Elige cui dicas, Tu mihi sola places.“ Plinius Hist. VIII, 5. [§ 13] de Elephantis loquens: „Traditur unus amasse quandam in Aegypto corollas vendentem; ac nequis vulgariter electam putet, mire gratam Aristophani celeberrimo in arte Grammatica.“ Ita Cl. Harduinus ex suis codicibus edidit; nam aliae Editiones, *vulgariter dilectam*: quod eodem redit, neque loco movendum erat. Caeterum frustra laborant Interpretes, ut *scelesta plebe* exponant *servili, misera, infelice*. Imo vero *scelesta* hic, ut semper alibi, *scelerata, impia*.

- Sic luero aversam potuisse nasci
20 Matre pudenda.
Brachia, et voltum, teretisque suras
Integer laudo: fuge suspicari,
Cuius octavum trepidavit aetas
Claudere lustrum.

V.

- Nondum subacta ferre ingum valet
Cervice, nondum immia comparis
Aequare, nec tauri ruentis
In vencrem tolerare pondus:
5 Circa virentis est animus tuae
Campos juvencae, nunc fluvii gravem
Solantis aestum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto
Praegestientis, tolle cupidinem
10 Inmitis uvae: iam tibi lividos
Distinguet Autumnus racemos,
Purpureo varius colore.

v. 24. Forte, *Condere lustrum*.

Sic enim argumentatur poeta: Ex moribus et indole facile conieceris, natam esse eam honestis parentibus: quippe sic fidelis, sic luero aversa non potuit nasci ex plebe, quae scelesta semper et infida et luero addicta est. Lucretius II, 623: „Ingratos animos atque impia pectora vulgi *Contertere metu quae possunt numine divae*.“ *Scelesta* itaque non ad conditionem vulgi, sed ad mores spectat: ut contra in versiculo sequente, *Matre pudenda*, non ad mores referendum, sed ad conditionem; *matre ancilla, matre libertina*. Suetonius in Vitellio c. 2. „Contra, plures auctorem generis libertinum prodiderunt. . . . Caeterum sive ille stirpis antiquae, sive pudendis parentibus atque avis, eques certe Romanus.“ Vide quae supra diximus ad Carm. I, 27. v. 15.

24. *Cuius octavum trepidavit aetas Claudere lustrum*] *Claudere lustrum* Msti omnes, tam nostri, quam aliorum. Neque vero ex possessione sua delicio lectionem hanc, quae et sic satis elegans est, et non dispari Nemesiani loco firmari potest. Eclog. I, 45. „*Felices anni, nastroque novissimus aevi Circulus innocuae clausurunt tempora vitae*.“ Suspicionem tamen meam dissimulare non possum, irrepsisse nempe librariorum seu incuria sive audacia *claudere* pro *condere*, „*Cuius octavum trepidavit aetas Condere lustrum*.“ Quis in Latinis literis adeo hospes est, ut receptissimam hanc locutionem nesciat? Suetonius Augusto 97. „*Cum lustrum in Campo Martio magna populi frequentia conderet*.“ Vide Livium passim, Ciceronem, Valerium Maximum, et alios. *Condere* ibi est *finire*. Ut noster Carm. IV, 5, 29. „*Condit quisque diem collibus in suis*.“ et Virgilius [Ecl. 9, 52]. „*Cantando longos memini me condere soles*“: Lucretius III, 1104. „*Proinde licet quotvis vivendo condere saecula*.“

12. *Purpureo varius colore*] Ita nostri omnes: Lambini tamen aliquot, „*Purpureus vario colore*.“ Et utramvis quidem lectionem ille probat; ego vero neutram, Quis enim vel poeta dixerit, vel pictor fluxerit Aeternum, aut varium colore purpureo, aut vario colore purpureum? Sine dubio sub-

Iam te sequetur (currit enim ferox
 Aetas; et illi, quos tibi demserit,
 15 Adponet annos) iam proterva
 Fronte petet Lalage maritum:
 Dilecta, quantum non Pholoe fugax,
 Non Chloris: albo sic humero nitens,
 Ut pura nocturno renidet
 20 Luna mari, Cnidius^æ Gyges:
 Quem si puellarum insereres choro,
 Mire sagacis falleret hospites
 Discrimen obscurum, solutis
 Crimibus, ambiguoque volta.

est mendum. Quid si ex coniectura reposueris, „iam tibi lividos Distinguet
 Auctumnus racemos, Purpureo varios colore.“ Certe posteriora verba ad
 racemos, non ad Auctumnum pertinent: Ovidius Metam. III, 453. „Non
 aliter quam poma solent, quae caudida parte, Parte rubent: aut ut va-
 riis solet uva racemis Ducere purpureum, nondum matura, colorem.“ Qui
 locus ex Horatiano hoc plane expressus videtur: utrobique enim habes va-
 rios racemos, et purpureum colorem. Propertius IV, 2, [v. 13] „Prima
 mihi variat liventibus uva racemis.“ Plinius Hist. XVII, 22. [§ 197] „Ubi
 uva varia fieri coeperit, vites subligato.“ Ovidius in Nuc. 31. „Quaeque
 sibi vario distinguit poma colore, Audiat hoc cerasus: siles inanis erit.“

13. *Currit enim ferox Aetas*] Et plures et vetustiores ex nostris, Lei-
 densis, Graevianus, Regimensis cum aliis, *curret*. Sed placet recepta lectio:
 quippe si *curret* scripseris, de solius Lalages aetate capiendum erit: *cur-
 rit* vero erit *γροῦζόν*, et notabit omnem omnium aetatem velociter currere.
 Cicero Tuscul. I, 31. [§ 76] „Veniet tempus, et quidem celeriter; et sive
 retractabis, sive properabis: volat enim aetas.“ Ovid. Metam. X, 519,
 „fallitque volatilis aetas. Et nihil est animis velocius.“ Iuvenal. IX, 126.
 „festinat enim decurrere velox Flosculus, angustae miseraeque brevissima
 vitae Portio.“ Propertius II, 14, v. 7. „Quid si iam canis aetas mea ca-
 neret annis? Et faceret scissas languida ruga genas?“ Ita codices ibi,
caueret: quod adseiscunt Scaliger et Broukhusius, dictumque olim volunt
 utraque coniugatione *Canere*, et *cānere*, ut *Ferere* et *fēvere*, ac alia si-
 milia. Durissimum vero istud, et a nullo auctore proditum. Sed esto,
 quid tum postea? quale demum erit illud, *caueret canis*? Apago tam ille-
 pidam et ignavam schemata, quale neuter istorum in suis versibus passus
 fuisset. Repone, ut hic Horatius, „Quid si iam canis aetas mea curreret
 annis?“ Sed quid est, obsecro, quod sequitur: „Aetas, et illi, quos tibi
 demserit, Apponet annos.“ Id vero explicant ex alio loco in Arte Poetica
 175: „Nulla ferunt anni venientes commoda secum, Multa recedentes
 adimunt.“ nempe usque ad medium aetatis cliyum anni *venire*; postea
recedere, et, ut volunt interpretes nostri, *demi* dicuntur. Sed *demere an-
 nos*, quod pace eorum dixerim, nihil aliud notare potest, quam detrahere de
 numero annorum, atque adeo vitae spatium decurrere. Ovidius Metam. VII,
 168. „Deme meis annis, et dentes adde parenti.“ Sunt Iasonis verba,
 ad Medeam: ut vel suorum annorum dispendio patri Aconii annos pro-
 rogaret: eadem plane sententia, qua populus Romanus Traiano adulatus est
 [Tertullian. Apolog. 35], „De nostris annis tibi Iuppiter auget annos.“
 Statius Silv. V, l. v. 180. „Purs animas victura meae; cut linqvere
 possim O utinam, quos dura mihi rapit Atrypas, annos.“ Ovid. Metam.
 X, 24. „in quam calcata venenum Fipera diffudit, crescentesque abstulit
 annos.“ Seneca Consol. ad Marciam c. XX. [c. XXI, 6]. „Quo quisque

VI.

AD SEPTIMIUM.

Septimi Gadis aditure mecum, et
 Cantabrum indoctum iuga ferre nostra, et
 Barbaras Syrtis, ubi Maura semper
 Aestuatur unda;
 5 Tibur Argeo positum colono
 Sit meae sedes utinam senectae:
 Sit modus lasso maris et viarum
 Militiaeque.
 Unde si Parcae prohibent iniquae;
 10 Dulce pellitis ovibus Galesi
 Flumen, et regnata petam Laconi
 Rura Phalantho.
 Ille terrarum mihi praeter omnis
 Angulus ridet: ubi non Hymetto
 15 Mella decedunt, viridique certat
 Bacca Venafro:
 Ver ubi longum, tepidasque praebet
 Iuppiter brumas, et apricus Aulon
 Fertilis Baccho minimum Falernis
 20 Invidet avis.

v. 18. Vulg. *Amicus*. 19. *Fertili*.

*primum lucem vidit, iter mortis ingressus est, accessitque fato propior:
 et illi ipsi, qui adiciebantur adolescentiae anni, vitae detrahebantur.*
 Hoc itaque significare debent, si modo sana sunt, verba Flacci; *amputabit,
 auferet tuos annos, et ablatos illi addet et apponet*. Atqui hoc a poetae
 mente sic alienum est, ut nihil magis. Quid itaque fiet? Vide, an haec
 coniectura calculo albo notari mereatur, „*currit enim ferox Aetas; et illi,
 quod tibi demserit, Apponet annos*.“ Hoc est, Quantum tu consenesces,
 tantum illa adolesecet: demet tibi annus de flore aetatis, illi annus additus
 erit flos ipse. *Annus* hic vel stricte proprieque capi potest, vel laxo pro
 quovis tempore, ut Nemesianus Eclog. 4. [v. 24] „*Donum fo ma breve est;
 nec se tibi commodat annus*.“ Noster Carm. II, 16, 31. „*Et mihi forsitan,
 bis quod negarit, Parriget hora*.“ Epist. II, 2, 55. „*Singula de nobis
 anni praedantur euntes: Eripuere iocos, venerem, convivia, ludum*.“ et
 iam illud ex Arte melius huc quadrabit, „*Multa ferunt anni venientes com-
 moda secum, Multa recedentes adimunt*.“ Pateris etiam, eadem sententia,
 propius ad vulgatam lectionem refringere; „*Et illi, quot tibi demserit, Ap-
 ponet annos*.“

18. 19. *Et amicus Aulon Fertili Baccho*] *Amicus* in omnibus mem-
 branis extat; neque opus est (si modo cetera se recte habeant) ut cum *τῷ
 φίλῳ* Nic. Heinsio corrigamus, *amicus*. Rectissime enim dicitur *amicus
 Baccho Aulon*. Claudianus in Rapt. Proserp. II, 108. „*bellis accommoda
 cornus, Quercus amica Iovi*.“ Seneca in Phoenissis, 607. „*Hinc grata
 Cereris Gargara*.“ Idem Oed. 279. „*Sevat una gratum Phocidos Baccho
 solum*.“ et Troad. 227. „*Et cara Phoebos Cilla*.“ et Hero. Oct. 1874.
 „*Cuerula Crete, magno tellus Cara Tonanti*.“ Ita optime habet codex
 longe vetustissimus Florentinus; vulgo, *Clara Tonante*: unde frustra Gro-

Ille te mecum loens et beatae
Postulant arces: ibi tu calentem
Debita sparges lacrima favillam
Vatis amici.

VII.

AD POMPEIUM.

O saepe mecum tempus in ultimum
Deduce, Bruto militiae duce,
Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis, Italoque caelo.
5 Pompei, meorum prime sodalium?
Cum quo morantem saepe diem mero
Fregi, coronatus nitentis
Malobathro Syrio capillos.
Tecum Philippos et celerem fugam
10 Sensi, relicta non bene parmula;
Cum fracta virtus, et minaces,
Turpe, solum tetigere mento.
Sed me per hostis Mercurius celer
Denso paventem sustulit aëre:
15 Te rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit aestuosus.
Ergo obligatam redde Iovi dapem;
Longaque fessum militia latus
Depone sub laura mea: nec
20 Parec cadis tibi destinatis.
Oblivioso levia Massico
Ciboria exple: funde capacibus
Unguenta de conchis, quis udo
Deproperare apio coronas
25 Curatve myrto? quem Venus arbitrum
Dicit bibendi? non ego sanius
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere est amiceo.

novius, *parvo* tellus Clara Tonante. Trochaicum enim non recipit iste versus. Statius Silv. III, 5. [v. 102] „Caraque non molli iuga Surrentina Lyaco.“ et IV, 8. [v. 8] „plaga cara madenti Surrentina deo.“ et iterum Silv. II, 2, 4. „Qua Bromio dilectus ager, collesque per altos Uritur, et praelis non invidet uva Falernis.“ ubi totum hunc Horatii locum vel casu, vel de industria expressit. Sed quid tandem erit *fertili Baccho*? Iure id displicuit Passeratius, Cantero, aliisque: nam sane illud Propertii, IV, 6. [v. 76] „Ingenium potis irritat musa poetis: Baccho, soles Phoebus fertilis esse tuo“, nihil ad rem facit. Etsi enim *fertilis Phoebus* recte Bacchus dicatur, non ideo absolute et perpetuo epitheto *fertilis Bacchus* dicetur; neque ullo exemplo locutionem hanc defendere aut firmare poteris. Rectius

VIII.

AD BARINEN.

Ulla si iuris tibi peierati
Poena, Barine, nocuisset unquam;
Dente si nigro fieres, vel uno
Turpior ungui;
5 Crederem: sed tu, simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo, iuvenumque prodis
Publica cura.
Expedit matris cineres opertos
10 Fallere, et toto taciturna noctis
Signa cum caelo, gelidaque Divos
Morte carentis.
Ridet hoc, inquam, Venus ipsa; rident
Simplices Nymphae, ferus et Cupido,
15 Semper ardentis acuens sagittas
Cote cruenta.
Adde, quod pubes tibi crescit omnis.
Servitus crescit nova: nec priores
Impiae tectum dominae relinquunt,
20 Saepe minati.

itaque membranae aliquot veteres, ut ex meis Leidens. Petrensesque, una eum Servio ad Virgil. Aen. III, 553. „*Fertilis Baccho*.“ Statius Silv. II, 7. [v. 28] „*Quae Tritonide fertiles Athenas Unctis, Baetica, provocas trapetis*“: hoc est, fertiles oleo Athenas. Seneca Agam. 852. „*Arborque pomis fertilis aureis*.“ Severus in Aetna [419]: „*Caelera materies, quaecumque est fertilis igni*.“ Virgil. Georg. IV, 128. „*nec fertilis illa iuven- cis, Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho*.“ Ita *felle, hilaris Baccho*, Virgil. Aen. VII. [v. 725] „*vertunt felicia Baccho Massica qui rastro*.“ Claudian. II, Stillich. 457. „*hilaris Baccho frugumque seraces*.“ Statius Theb. VII, 308. „*seracem Messe Coroniam, Baccho Glisanta colentes*“: ubi vetus Scholiastes Lactantius, *Duae*, inquit, *civitates duorum numinum pari gaudent munere: Coroniam Baccho fertilis est*. Sequamur itaque meliorum codicum auctoritatem: fiatque, „*et amicus Aulon Fertilis Baccho*.“ Sed neco tibi aliud incommodum: si enim vera lectio est, *Fertilis*; tum altera illa *Amicus* vitiosa sit necesse est: quippe quae iam nihil habet, quo referatur. Quid multa? lege totum locum levissima mutatione, „*et apricus Aulon Fertilis Baccho, minimum Falernis Invidet uvis*.“ Virgil. Ecol. IX, [v. 49] „*Invenet apricus in collibus uva colorem*.“ et Georg. II, [v. 522] „*Mitis in apricis equitur vindemia savis*.“ Tibullus I, 4, [v. 15] „*Annus in apricis maturat collibus uvas*.“ Recte vero, postquam dixisset, *tepidas bramas*, subiit statim *apricus Aulon*; nam *apricitas* illa etiam hyemis teporem notat. Aeron Scholiastes ad hunc locum: „*Tarentini agri deliciis et amoenitate delectari se dicit: nam et melle et olivetis praecellit, hiemes quoque apriciores habet*.“

1. *Ulla si iuris tibi peierati Poena, Barine*] Vitiosum videtur illud nomen *Barine*, ut acute observavit Tan. Faber; cum neque Latinum neque Graecum esse possit, quamvis Graecam formam prae se ferat. Immaniter

Te suis matres metuunt iuvenis,
Te senes parci; miseraeque, nuper
Virgines, nuptae, tua ne retardet
Aura maritos.

IX.

AD VALGIUM.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros; aut mare Caspium
Vexant inaequales procellae
Usque; nec Armeniis in oris,
5 Amice Valgi, stat glaciēs iners
Mensis per omnis; aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.

tamen lapsus est idem Faber, cum, et testante et laudante hoc Daciero, reposuit; „*Ulla si iuris tibi pœnerali Poena, Earine, nocuisset unquam.*“ „*Nempe, aiunt, Earine, et Earinus cognomina fuisse satis frequentia testantur loca Martialis de Earino.*“ Addant, si velint, et Statium Praefat. in Silvarum lib. III. „*Earinus Germanici libertus.*“ et Titulum Silv. III, 4. „*Coma Earini.*“ vel ut Codd. quidam Mss. *Iarini.* Extat etiam apud Gruterum pag. 830, 10. ELPIDI. EARINAE. CONIVGI. Et p. 1099, 8. QUINTILIA IARINE. et p. 460, 9. ATILLAE. IARINAE. CONCVBINAE. Restituendum credo hoc nomen apud eundem p. 746, 3. ubi mendose editum VENONIAE. IARILIAE, pro IARINAE. et iterum p. 875, 6. DITS. MANIBVS. IVLIAE. IARINAE, corrigendum opidor, IVLIAE IARINAE. Nisi fortasse IARINAE retinere malis ex illo Virgillii Aen. XI, 655. „*Larinaque virgo, Tullaque et aeratam quatens Tarpeia securim, Italides.*“ Sed utcumque hoc sit; bis peccavit in metri legem Tanaquillus, cum *Earine, Æaqv̄* in versum Sapphicum intravit; ter peccaturus, si *Iarine Æaqv̄* posuisset. Quippe in *Earine* tres priores syllabae Tribachyn pedem faciunt, in *Iarine* Daetylum. Ipse, quem citant, Martialis Epig. IX, 11. [v. 10] de Earino. „*Nomen nobile, molle, delicatum Versu dicere non rudi volebam: Sed tu Syllaba contumax repugnas: Dicunt Iarion tamen poetae: Sed Gracci quibus est nihil negatum.*“ Proinde aliud quoddam excudendum erit nomen, si cui displicebit illud *Barine*. Certe bona pars codicum habent, *Varine*. In Graeviano nostro vetere, *Barine* est; sed tres literae posteriores a manu recentiore sunt, scriptura antiqua erasa. Latet certe mendum; et plura quidem nomina se offerunt, *Larine, Nerine* etc. ex quibus quoddam sit verum, hauriari non possumus, nisi codex alicunde prodians, quasi Deus ex machina, rem expediverit.

24. *Tua ne retardet Aura maritos.* *Aura* etiam legitur apud Serrivium ad Virgil. Aen. VI, 204. ubi exponit, *splendor*. Et sic codices Horatiani summo consensu, unaque veteres scholiastae. Miras tamen tempestates conceitat haec *aura* inter interpretes; quorum hi *splendorem*, illi *odorem*, alii *ventum* hic intelligunt. Mihi iam diu suspicio oborta est, *fallacem* hanc *auram* esse; et fortasse rescribendum quam minima mutatione unius litterulae, „*tua ne retardet Cura maritos.*“ hoc est, ne amor tuus retardet, moretur, illigatos tenent maritos suos. Propertius I, 1. [v. 35] „*Hoc, moneo, vitate malum: sua quemque moretur Cura, neque assueto mulcet amore locum.*“ et iterum I, 8. [v. 1] „*Tui igitur demens? nec*

Tu semper urges flebilibus modis
10 Mysten ademitum; nec tibi Vespero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente solem.
At non ter aevo functus amabilem
Ploravit omnis Antiochum senex
15 Annos; nec inpubem parentes
Troilon, aut Phrygiae sorores
Flevere semper. desine mollium
Tandem querelarum; et potius nova
Cantemus Augusti tropaea
20 Caesaris: te rigidum Niphaten,
Medumque flumen gentibus additum
Victis, minores volvere vertices;
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguus equitare campis.

X.

AD LICINIUM.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper arguendo; neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Litus iniquum.
5 Auream quisquis mediocritatem
Diligit tutus, caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.
Saepius ventis agitur ingens
10 Pinus; et celsae graviore casu
Decidunt turres; feriuntque summos
Fulgura montis.

v. 12. Vulg. *Fulgura*.

te mea cura moratur? Cato in Diris [101]: *Dulcia amara prius fient, et mollia dura: Quam tua de nostris emigret cura medullis: Quamvis ignis eris; quamvis aqua; semper amabo.* Ovid. Remed. Amor. 311. „*Haeserat in quadam nuper mea cura puella.*“ Et Propertius denuo I, 15. [v. 31] „*Muta prius vasto labantur flumina ponto, Annus et inversas duxerit ante rivas: Quam tua sub nostro mulctetur pectore cura, Sis quodeumque volēs; non aliena tamen.*“ Noster denique hoc ipso in carmine; „*Iuvenumque prodīs Publica cura.*“ Qui tamen locus manum mihi iniicit, ne nimium fidam huic coniecturae; nam eodem in carmine bis *curam* ingerere non usquequaque caret culpa.

12. *Feruntque summos Fulmina montes* Jam a duobus fere saeculis plerasque editiones occupavit *fulmina*: Prisca tamen illa Veneta 1478. et Loscheri altera 1498, agnoscent *fulgura*; et ita omnes Cruquii, Bersmanni, Pulmannique codices; mei certe universi: ut miror profecto, quid viro optimo Torrentio in mentem venerit, ut in omnibus suis *fulmina* se repre-

Sperat infestis, metuit secundis
 Alteram sortem bene praeparatum
 15 Pectus, informis hiemes reducit
 Iuppiter; idem
 Submovet: non, si male nunc, et olim
 Sic erit: quondam citharae tacentem
 Suscitât musam, neque semper arcum
 20 Tendit Apollo.
 Rebus angustis animosus atque
 Fortis appare: sapienter idem
 Contrahes vento nimium secundo
 Turgida vela.

XI.

AD QUINTIUM.

Quid bellicosus Cantaber, et Seythes,
 Hirpino Quinti, cogitet Hadria
 Divisus obiecto, remittas
 Quaerere; nec trepides in usum
 5 Poscentis aevi pauca, fugit retro
 Levis iuventas et decor, arida
 Pellente lascivos amores
 Canitie, facilemque somnum.

v. 15. Vulg. *Cithara*.

risse a se voraret. Id, etsi incredibile est, credamus licet; sed tamen Sanctum Hieronymum, omnibus Horatii codicibus, quotquot hodie extant, antiquiorem alteram illud in suis libris invenisse constat; sic enim ille in Epitaphio Nepotiani [ed. Ben. IV, 2 p. 274]: „*Dicat aliquis, Regum talis conditio est; feriuntque summos fulgura montes*“: et iterum in Epitaphio Paulae [ibid. p. 679]: „*Semper quidem virtutes sequitur Invidia; feriuntque summos fulgura montes*“: denique in Prooemio ad Quaestiones Hebraicas [sub init.]: „*Semper enim in propatulo fortitudo aemulos habet; feriuntque summos fulgura montes*“: Recipiamus itaque hanc lectionem: nam *fulgur* idem saepe notare quod *fulmen* apud optimos Latinitatis auctores, Virgilium, Plinium, Tacitum, Suetonium aliosque, adeo notum est, ut exemplis id probare minime hic necesse sit.

18. *Quondam citharae tacentem Suscitât musam*] Ita quidem codices plerique, et editiones credo omnes *cithara*: sed longe elegantior lectio est, quam olim in suo codice Bersmannus, et nos in Graeviano nostro vetere et Bodleiano altero invenimus, *citharae*. Non enim hoc vult Horatius, Apollinem nescio quam ex novem sororibus tacentem vel dormientem cithara sua suscitare; quod ex vulgata lectione excudunt interpretes: sed illud nimirum dicit, Apollinem, cuius gestamina sunt Arcus et Cithara, non semper arcum, sed aliquando et citharam tendere: illud autem iratus facere solet, hoc laetus et propitius. *Musa ergo Citharae est ipsa Cithara, quam tacentem suscitât Phoebus. Musa autem Citharae, ut alibi Noster, Carm. II, l. 9. „Paullum severae musa Tragoediae Desit theatris.“ Noster alibi Carm. III, 19, 20. „Cur pendet tacita fistula cum lyra?“ Ovid. Ep. Sapphus [XV, 198]. „Plectra dolore tacent, muta dolore lyra est.“ Statius*

Non semper idem floribus est honor
 10 Vernis; neque uno Luna rubens nitet
 Voltu, quid aeternis minorem
 Consiliis animum fatigas?
 Cur non sub alta vel platano, vel hac
 Pinu iacentes sic temere, et rosa
 15 Canos odorati capillos,
 Dum licet, Assyriaque nardo
 Potamus uncti? dissipat Euius
 Curas edaces, quis puer ocuis
 Restinguet ardentis Falerni
 20 Pocula praeterente lymphâ?
 Quis devium scortum eliciet domo
 Lyden? eburna die age cum lyra
 Maturet, incontam Lacaenae
 More comam religata nodo.

v. 9. Vulg. *Honos*. 23. *Incontam*. 24. *Nodum*.

Sily. V, 3. [v. 6] „*duc ipsa silenti Fulva caput cithara*“: Claudianus II, Rapt. Proserp. in Praefat. [v. 6] „*metuensque leonum Implorat citharae vacca tacentis opem*“: Drepanius Florus [ad Uulfin. v. 17]: „*Conticuit citharae quondam voc optima nostrae; Et Lyra dulcimodos pressit amica sonus*“: Suscitât autem, pulsât, quasi e somno excitât, ut Lucretius II, 412. „*Ac Musava mole, per chordas organici quae Mobilibus digitis expergefata figurant*“.

9. *Non semper idem floribus est honor Vernis*] *Honos* hodie habes in omnibus editionibus: atqui principes illae Veneta et Loscheri cum veteribus membranis, quotquot vidi, *Honor*. Recte, ut vitetur sibilus iste, *floribus, honos, vernis*. Qui primus mutavit, ei defuit aurium iudicium.

17. *Dissipat Euius Curas edaces*] Nicolaus Heinsius in ora Codicis, „*Lege, ait, dissipet*“: Non multum interest; tamen, si vetus codex accederet, coniecturam Heinsii libenter receperim.

23. *Maturet incontam Lacaenae More comam religata nodum*] De hoc loco quot capita, totidem fere sententiae. Quidam *in contum* legunt, duobus verbis, et orationem sic ordinant, *religata comam in nodum contum*. Sed dubium est, an satis Latine dicatur, *Religare in nodum. Colligere in nodum* passim quidem occurrit, ut Virgil. Aen. XI, 775. „*chlamydemque sinusque crepantes Carbaceo sulvo in nodum collegerat auro*“: Ovid. Metam. III, 170. „*sparxos per colla capillos Colligit in nodum*“: Sic *in nodum torquere* dixit Martialis Spectae. III, [v. 9] „*Crinibus in nodum tortis tenere Nicambri*“: Et quod adhuc propius accedit, *in nodosum globum ligare* reperias apud Statium Silv. I, 6, [v. 59] „*Mic audax subit ordo pumilonum, Quos natura brevi statu peracto Nodosum semel in globum ligavit*“: Quidni itaque et *religata in nodum* recte dixerit Horatius: modo reliqua bene se haberent, et sententiam tanto poeta dignam parerent. Verum id aliter evenit: quid enim est *nodus contus*? Sed totum illud *Contum* poetae menti repugnat: iubet enim Lyden *maturare*, neque moram facere in *comendis* capillis: id enim *tarda arte* fieri solebat, ut eleganter Tibullus I, 8, [v. 15] „*Ille placet; quamvis inculto venerit ore, Nec nitidum tarda comserit arte caput*“: Et praeterea non *comiti*, sed *neglecti, simplices, incontam* potius capilli erant, cum *nodo* coercebantur. Ovidius Metam. VIII, 319: „*Crinis erat simplex, nodum collectus*“.

XII.

AD MAECENATEM.

Nolis longa ferac bella Numatiae,
 Nec durum Hannibalem, nec Siculum mare
 Poeno purpureum sanguine, mollibus
 Aptari citharae modis;
 5 Nec saevos Lapithas, et nimium mero
 Hylaeum; domitosque Hereulea manu
 Telluris iuvenes, unde periculum
 Fulgens contremuit domus
 Saturni veteris: tuque pedestribus
 10 Dices historiis proelia Caesaris,

v. 2. Vulg. *Durum*.

in unum." et ibid. II, 413. „*Vitta coërcuerat neglectos alba capillos.*“ et Fast. V, 79. „*Tum sic neglectos hedera redimita capillos.*“ An legamus itaque cum maiore parte codicum *incomtum* unica voce? „*die age cum lyra Maturat incomtum Lacaenae More comam religata nodum.*“ Sed neque hoc pacto aut sententia expeditu facilis est, aut verborum constructio. Nodus siquidem *incomtus* nihilo minus ineptum erit, quam nodus *comtus*. Tum autem, quod volunt Interpretes, ut *maturet incomtum nodum* significationem habeat agentem, ut *maturare fugam, necem* etc. id sane locum hic habere non potest. Iubet enim, ut *cum lyra eburna* maturet; nimirum, ut *maturet venire*, et lyram una secum afferat. Nam profecto non tenere debuit lyram, tum cum maturaret nodum. Quid ergo? Codex quidam Torrentio visus habuit *incomtam*; atque eo auctore totus locus sic constituendus est, „*eburna die age cum lyra Maturat, incomtam Lacaenae More comam religata nodo.*“ Recte *coma incomta*; quippe, ut amoris Magister ait in Arte III, 153. „*Et neglecta decet multas coma*“; et utcumque sit, veniam certe meretur mulier, quae amatori placuisse festinat. Recte etiam *religata nodo*: ut Tibullus I, 8, [v. 5] „*Ipsa Venus magico religatum brachia nodo Perdocuit nullis non sine verberibus.*“ Noster Carm. III, 14, 22. „*Murroum nodo cohibere crinem*“ et II, 19, 19. „*Nodo coërces piperino Bistonilum sine fraude crines.*“ Seneca Hippolyto v. 400. „*et nodo comas Coegit.*“ Caeterum crucem interpretibus fixit Noster, cum *more Lacaenae comam religare* iubet: nihil enim iam restat ex veterum monumentis, unde colligamus id magis in more fuisse Lacaenis facinoris, quam aliis. Utinam prodiret codex aliquis, qui pro *Lacaenae* exhiberet *Dianae*: nam Dea illa venatrix et pingitur ubique et describitur coma in nodum collecta. Ovidius ita apposite, ut ad hunc ipsum locum respexisse videatur. Art. III, 141. „*Alterius crines humero iactentur utroque: Talis es assumpta, Phoebæ canore, lyra. Altera succinctae religatur more Dianae: Ut solet, altionitas cum patit illa feras.*“ Statius Theb. II, 237. „*Pallas, et asperior Phoebi soror, utraque telis, Utraque torva genis, flavoque in vertice nodo.*“ et ita alii passim.

2. *Nec durum Hannibalem*] Editiones quidem hodie occupavit illud *durum*; sed in Codicibus fere omnibus, meis certe Graeviano, Leidensi, Reginensi cum aliis inferioris notae, haeret vera lectio *durum*: neque aliter habent editio Veneta et Loscheri. Recte *durum*, ut gratius fiat antitheton in *mollibus aptari citharae modis*. Virgilius [G. III, 4]: „*quis aut Eurysthea durum?*“ et iterum [A. II, 7]. „*aut dari miles Ulici.*“

Maecenas, melius, ductaque per vias
 Regum colla minacium.
 Me dulcis dominae Musa Licymniae
 Cantus, me voluit dicere lucidum
 15 Fulgentis oculos, et bene mutuis
 Fidum pectus amoribus:
 Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
 Nec certare ioco, nec dare brachia
 Ludentem nitidis virginibus, sacro
 20 Dianae celebris die.

12. *Regum colla minacium*] *Minacium* habent vetustiores membranae Cruquii et aliorum. Sic ex nostris Leidensis: at Graevianus cum Reginensi *minatium* contra orthographiae rationem: unde ansa porrecta est recentioribus scribendi *minatium*: quod nuperis Editoribus in ipsum textum recipere placuit, altero eiecto. Nollem factum: Quamquam enim aliquorum regum *minantes* fuerint vultus, etiam tum cum catenati in triumpho ducerentur; ut Ovidius Trist. IV, 2, [v. 24] „*Vinclaque captiva reges cervice gerentes, Ante coronatos ire videbit equos: Et cernet vultus aliis pro tempore versos, Terribiles aliis immemoresque sui.*“ et mox, „*Hic qui nunc in humo lumen miserabile figit, Non isto vultu, cum tulit arma, fuit: Ille serax, oculis et adhuc hostilibus ardens, Hortator pugnae consiliumque fuit.*“ non tamen omnes *minanti* tum vultu erant, quod hic ipse Nasonis locus satis indicat: imo plures deiecit et lugubri. Auctor Elegiae de morte Drusi v. 273. „*Adspiciam regum licentia colla catenis, Duraque per saevas vincula nexa manus: Et tandem trepidos vultus, inque illa ferocum Invidis lacrimas decidere ora genis.*“ Quare melius est, ut noster dixerit *Minacium*, sicut ille alter *ferocum*: scilicet qui paullo ante minaces et feroces erant. Noster alibi, Carm. II, 7, 11. „*Cum fravia virtus, et minaces Turpe solum teligere mento.*“ Adde, quod *minacium* utrosque reges comprehendit, tam eos qui paullo ante, quam qui iam adhuc minabantur; ut Carm. III, 4, 54. „*Aut quid minaci Porphyriion statu?*“

13. *Me dulces dominae Musa Licymniae*] Membranae aliquot et praesertim recentiores, *Liciniae*; quod nollem ab editoribus nuperis receptum, cum in versus mensuram peccet, syllaba secunda brevi; ut paullo ante Carm. X, 1. „*Rectius vives, Licini, neque alium.*“ Codex Regiae Societatis, *Lacimniae*; alii *Lycimniae*: sed praestantiores *Licymnia*, ut apud Virgilium, Aen. IX, 546. „*Maeconio Regi quem serva Licymnia furim.*“ ubi pari Lectionum diversitate Pieriani codices, *Lycimnia, Lacimnia*, et *Licinia* exhibebant. *Axxuvros*; notum Graecis nomen apud Homerum, Pindarum, Pausaniam et alios. Caeterum de Licymnia hac insignis sane locus est Scholinastae Aeronis ad Serm. I, 2, v. 64, qui moretur hic describi. „*Villius in Fausta Syllae generi Semper incerta nomina pro certis, ut alibi, Me dulcis dominae Musa Licymniae pro Terentiae: et, Malthinus tunicis densissis ambulat, pro Maecenas: et hic, Villius in Fausta, id est: Annus in Fausta: eodem numero syllabarum commutationem nominum fecit.*“ Haec Aeron, Equidem de Annio non adsentior, ut ad locum ipsum pluribus dicam: de *Licymnia* autem valde probabile est, sub ficto eo nomine Terentiam Maecenatis uxorem signari. Certe si vero nomine vocaretur haec Licymnia, oportet eam fuisse Libertinam et meretricem, ut probe sciunt antiquitatis periti. Atqui Matronam hic describi certo certius est ex iis, quae statim sequuntur, „*Quam nec ferre pedem dedecuit choris, Nec certare ioco, nec dare brachia Ludentem nitidis virginibus, sacro Dianae celebris die.*“ Quippe in sacris sollempnibus non nisi Liberas et

Num tu, quae tenuit dives Achaemenes
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
Permutare velis crine Licymniae,
Plenas aut Arabum domos?

Homestas, seu Virgines seu Matronas, saltitasse compertissimum est: Noster in Arte v. 232, „*Ut festis Matrōna moveri iussa diebus.*“ et Carm. IV, 6, 31. „*J. virginum primas, puerique claris Patribus orti.*“ Nec matronam tantum, sed et nobilem et primariam sub Licymniae titulo delitescere vel ex verbo illo *deducit* non obscure intelligas: „*Quam nec ferro pedem dedecuit choris.*“ Neque enim periculum erat, ne inter *virgines lectas* saltare cuivis faeminae *dedecori* esset, excepta forte Livia Augusti vel Terentia Maecenatis, vel Octavia, aliave ex nobilissimis, quarum infra dignitatem id esse severioribus videri potuit. Fictum itaque nomen est *Licymnia*; et *Terentiam* quidem denotari veri est simillimum. Sed observanda sunt imprimis, quae subiungit Scholiastes, „*Eodem numero syllabarum commutationem nominum fecit.*“ Recte hoc: neque eodem tantummodo numero, sed et *quantitate* syllabarum. Et data quidem opera id a poetis factitatum, ut qui eius rei consilii essent, et, quod dicitur, *clavem* haberent, facile pro ficto nomine verum substituere possent sine versus dispendio; ut hic, „*Me dulces dominae morsa Terentiae: Permutare velis crine Terentiae.*“ Sic et illud Persii, „*Auriculas asini Mida rex habet.*“ qui Poetae consilium noverant, mutato nomine legere poterant, „*Auriculas asini Nero rex habet.*“ Non hic praetermittendus est praecellus Apuleii locus in Apologia [p. 405 Oud.]: „*Eodem igitur opera accusent Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominavit: et Ticedam similiter, quod quae Metella erat, Perillam scripserit: et Propertiam, qui Cynthiam dicit, Hostiam dissimulat: et Tibullum, quod ei sit Plantia (alii codices, Flavia, Plantia) in animo, Delia in versu.*“ Vides hic a caeteris poetis factum, quod in Plaeo observavit Aeron: commutata nempe esse nomina *eodem numero* (adde et quantitate) *syllabarum*: pro Clodia Lesbiam esse positam, pro Metella Perillam, pro Hostia Cynthiam, pro Plantia seu Flavia sive Plantia Deliam. Unde et magni Passeratii error evincitur, qui pro Hostia Propertii *Hostiam* substituere voluit: neque enim convenit syllabarum numerus. De Metella Ticedae testis etiam est Ovidius Trist. II, v. 433. „*Quid referam Ticedae, quid Memmi carmen, apud quos Rebus abest nomen, nominibusque pudor?*“ Cinnam quoque hic comex est, Cinnamque provocator Anser, Et love Cornifici, parique Catonis opus: Et quarum libris modo dissimulata Peullae, Nominis nunc legitur dicta, Metelle, tuo.“ Ubi non Ticedam modo, sed Memmum, Cinnam, Anserem, Cornificium, Catonem, aliosque memorat, qui sub falso Perillae nomine amores suos cum Metella versibus vulgaverant: atque id imprimis notandum addit, verum tandem Metellae nomen (post eorum credo obitus) a Librariis repositum esse, ficto illo reiecto. Caeterum nihil opus est, ut cum τῷ νέρῳ Nicolao Heinsio versiculum ultimum sic reŕingamus, invitis codicibus, „*Nominis nunc legitur dicta Metella suo.*“ Quippe lectio vulgata eodem plane redit, et quidem elegantior est: *dicta nomine Metelli*: hoc ipsum est, *dicta Metella*. Faeminae enim in omni familia a maribus nomina acceperunt: in Clodiorum gente Clodiae erant, in Hostiorum Hostiae, in Metellorum Metellae. Neque vero melius, imo longe deterius successit viro magno; cum Rottendorphii sui emendatione secutus, reclamantibus Membranis, in ipso textu repositus, versu secundo, „*Rebus abest omnis nominibusque pudor.*“ *Nihil certius*, inquit, *ea coniectura*. Imo nihil ea infelicius: nihil recepta codicum lectione certius, argutiusque, et magis Nasonianum; „*Rebus abest nomen, nominibusque pudor.*“ *Rebus*, hoc est, argumento, materia operis: ipse Pont. I, l. 1. [v. 17] „*Invenies, quamvis non est miserabilis Index, Non*

25 Dum flagrantia detorquet ad oscula
Cervicem; aut facili saevitia negat,
Quae poscente magis gaudeat eripi;
Interdum rapere occupat.

XIII.

Illum, ô, nefasto te posuit die
Quicumque primum, et sacrilega manu

v. 28. Vulg. *Occupet.* 1. *Ille et nef.*

minus hoc illo Triste, quod ante dodi. Rebus *idem*, titulo *differt.*“ ubi dicit Epistolas suas ex Ponto *rebus* sive argumento convenire cum priore opere quod Tristia inscripserat, *titulo* tantum et nomine differre. Hoc itaque vult Ovidius: apud Ticedam et eius similes poetas *rebus* sive *argumento* verum *nomen* abesse; cum hic *Perillam*, alter *Lesbiam*, alter aliam quam falso inscriberent: *nominibus* porro illis *pudorem* abesse, cum scripta illa praeter turpes amores et flagitiosa adulteria nihil fere aliud continerent.

25. *Dum flagrantia detorquet ad oscula*] Variant hic libri manuscripti, ut et editiones vetustae. Princeps illa Veneta, *Flagrantia*; Loscheri, *Fragrantia*; quae posterior lectio Lambino magis placuit. Sane ea osculorum commendatio est, apud Statium Silv. II, l. 1. [v. 46] „*blandis ubinam ora argula querelis? Osculaque impliciti verius redolentia flares?*“ et Martialem Epig. III, 65. [v. 9] „*Quod madidus uardo sparsa corona comas: Hoc tua, saepe puer Diadumene, basia fragrant.*“ et XI, 9. [v. 12] „*Lapsa quod externis spirant opobalsama traueis. Ultima quod curva quae cadit aura croco:* etc. *Singula quid dicam? non sunt satis: omnia misce: Hoc fragrant puori basia mane mei.*“ Neque tamen ea de causa lectionem hanc alteri praefereamus: tum quia non oscula Licymniae hic intelligit, cuius vel unus capillus divitiis Arabum praestabat: sed ipsius Maecenatis, quae interdum allium oboluerunt, narrante Nostro in Epod. III, cum in eius caena allium comedisset: „*At si quid unquam tale concupiveris, iucose Maecenas, precor Manum puella suavis opponat tuo.*“ tum praeterea quia vox *Fragrantia*, sic nude et per se posita, mediae foret significationis, et tum malum quam bonum odorem indicare posset; ut iterum Martialis I, 87. [v. 1] „*Ne gravis hesterno fragres, Pescennia, vino.*“ Valerius Flaccus, de Harpyiis, IV, 493. „*Fragrat acerbus odor, patriique expirat Aecni halitus.*“ Quamobrem, ut vitentur haec incommoda, melius est ut cum potioribus membranis, meis certe Leidensi, Graeviano, Reginensi cum aliis, legamus *flagrantia*, cuius verbi facilis est interpretatio, nec exemplis aut illustratione est opus.

28. *Interdum rapere occupet*] *Occupet* habent editiones, credo, omnes, iam inde a principe illa Veneta et Germanica Loscheri. Silent quoque interpretes, Lambinus, Cruquius, Torrentius, Fulmannus, etc. quasi omnes quos viderint Codices six exhiberent. At ex meis melior maiorque pars habet *occupat*, Graevianus certe et Reginensis, Zulichenianus, Galei, Batelianus, Magdalenensis, et duo Bodleiani: quibus accedunt Aeron Scholiastes et Cruquii commentator, siquidem interpretantur *occupat*, *eripet*. Neque tu dubites, quin plerique aliorum codices sic clare exhibuerint; etsi id dissimulent editores. Recte vero *occupat*: ut *detorquet*, *negat*: et sententia est, Dum aut osculari se abs te patitur, aut grata protervitate negare simulat, aut ipsa prior occupat et oscula a te sumit. Nihil certius. *Magis poscente*, est, magis quam tu ipse qui poscis.

1. *Ille et nefasto te posuit die*] Vide modo totum locum: „*Ille et*

Produxit, arbos, in nepotum
 Perniciem, opprobriumque pagi;
 5 Illum et parentis crediderim sui
 Fregisse cervicem, et penetralia
 Sparsisse nocturno eruore
 Hospitis: ille venena Colcha,

v. S. Vulg. *Colchica*.

nefasto te posuit die Quicumque primum, et sacrilega manu Produxit, arbos, in nepotum Perniciem opprobriumque pagi: Illum et parentis crediderim sui Fregisse cervicem. Ita omnes ubique libri, et scripti et editi; *Ille et nefasto*: neque aliter hodie apud Diomedem Grammaticum veterem p. 523. Quocumque tamen te vertas, nullum in his verbis sententiae exitum invenias. Sive enim hoc modo construxeris verba, „*Ille quicumque primum posuit te nefasto die etc.*“ nihil reliquum erit quo ille pertinet; sive, ut vulgo solent, ordinareris, „*Ille et posuit te nefasto die, quicumque primum*“; quid, obsecro, erit, quo referatur *quicumque*? Subaudiendum, inquam, *posuit*: ille *posuit* te nefasto die, quicumque primum *posuit*. Vah, ut excraretur tam infectam strigiliginem, si ad vivos redire posset Horatius! Quid moramur in redarguenda barbarie? lege, ut edidimus, „*Illum, o, nefasto te posuit die Quicumque primum, etc. Illum parentis crediderim sui Fregisse cervicem.*“ Iam, opinor, agnoscis Horatii genium: quid enim clarius, rotundius, acrius dici possit? Repetitio *totum illum* indignationem ostendat, ut paullo infra, „*Te triste lignum, te caducum.*“ Atque haec prius commentatus eram, quam sagacissimi Nic. Heinsii codicem nactus essem: ubi cum summa voluptate comperi conjecturae nostrae tantum virum accedere. Legit enim, *Illum et nefasto*. Optime; praeterquam quod non viderit eum illo *et* languere sententiam; et necessario reponendum esse, *O*, quod magnam vim et acrimoniam orationi impertit.

8. *Ille venena Colchica Et quicquid usquam*] Ita editiones, opinor, omnes; et maior pars membrarum, *Colchica*: et sic noster alibi Epod. 5, 24. „*Flammis adari Colchicis*“ Et 17, 35. „*Cules venenis officina Colchicis*“ Sed quid opus est, ut syllaba ultima ad sequentem versum relicta-tur? cum pari, si non maiore, elegantia dicere potuit *Venena Colcha*: et sic certe vetustissimi Codices Cruquii et aliorum, ut et ex nostris Graevianus et Galoi: Regimensis vero *Colchia*, ut et unus Bernmanni; unde error videtur primum emanasse. *Colcha* venena pro *Colchica*; ut *Marsi duelli, Italo caelo, Mauris iaculis*, de quo vide nos ad Carm. I, 22, 2. Propertius III, 2. [III, 21, 11] „*Tuque tuo Colchum propellas remige Phasin.*“ uti ex libris scriptis edidit elegantissimus Bronkhusius, cum antea ferretur *Colchon*: atque idem ad Propert. I, 1. [I, 11, 30] probat hic loci apud Horatium *Colcha*, et Ovidio in *Metam.* VII, 394. „*Sed postquam Colchis arsit nova nupta venenis.*“ Cui addas et sequentia, *Metam.* XIII, 24. „*Litoraque intravit Pagasaea Colcha carina.*“ *Heroid.* VI. [v. 131] „*Hanc tamen, o demens, Colchisque ablata venenis.*“ et XVI. [v. 346] „*Lauasa nec est Colcha Thessala terra manu.*“ *Amor.* III, 3. [Pont. I, 3, 76] „*Quo duce, trabs Colchas sacra cucurrit aquas.*“ *Past.* III, 876. „*Peruenit in Colchas aurea lana domos.*“ *Sidonius Carm.* XXXI, 274. „*Qui iactos super arva Colcha dentes Expavit.*“ *Martialis XII, 57.* [v. 17] „*Cum secta Colcho luna vapulat rhombo.*“ ubi perperam Nic. Heinsius ad *Ovid.* *Past.* II, 575. corrigere iubet *Colco rhombo*. Dolet insignem Virum non attendisse ad analogiam. Regionis nomen est *Colchi*; inde adiectivum gentile *Colchus*, et possessivum *Colchicus*; sic ab *Italia* gentile *Italus*, possessivum *Italicus*; et sic alia sexcenta. Iam id poetis familiare, ut gentilia pro possessivis usurpent, sive, ut Graeci dicunt, *ἰδιώτῃ ἀντὶ τῶν*

Et quicquid usquam concipitur nefas,
 10 Tractavit; agro qui statuit meo
 Te triste lignum, te caducum
 In domini caput inmerentis.
 Quid quisque vitet, numquam homini satis
 Cautum est in horas. navita Bosporum
 15 Poenus perhorrescit, neque ultra
 Caeca timet aliunde fata:
 Miles sagittas et celerem fugam
 Parthi; catenas Parthus et Italum
 Robur: sed improvisa leti
 20 Vis rapuit rapietque gentis.

v. 17. Forte, *Reducem* fugam.

πληκῶν; ita *Itala* arva pro *Italicis*, venena *Colcha* pro *Colchicis*. Atqui *Ialco* nomen urbis tantummodo est, non etiam adiectivum gentile: neque *Ialco* rhombo dicere possis, sed *Ialco*: quippe τὸ ἰδιώτῃ est *Ialcius*, et τὸ πληκῶν, *Ialciacus*.

17. *Miles sagittas et celerem fugam Parthi*] Irascor membranarum veteribus, quod constanter adeo lectionem hanc repraesentent *celerem fugam*: certe cessavit hic bonus Horatius, si eo modo scripsit. Videamus, quid per *celerem fugam* commode notari possit. Noster *Carm.* II, 7, 9. „*Tecum Philippos et celerem fugam Sensi, relicta non bene parmula.*“ et IV, 8, 15. „*non celeres fugae, Reiectaque retrorsum Hannibalis minae.*“ *Virgilius Aen.* III, 243. „*celerique fuga sub sidera Iabsae Semesam praedam et vestigia foeda relinquunt.*“ *Silius Italicus XVII.* [v. 588] „*Impletur terrore vaga cuncta Africa pulsis Agminibus, vuluerique fuga sine Marte ruentes Tendunt attonitos extrema ad litora cursus.*“ ubi obiter annotandum, *sine more* potius quam *sine Marte* legi oportere. *Martialis VIII, 56.* „*Misit Tuscus eques, paupertatemque malignam Reppulit, et celeri iussit abire fuga.*“ *Iuvenalis XV, 75.* „*Terga fugae celeri praestantibus omnibus instant.*“ In his omnibus, et aliis, opinor, quibuscunque locis non feta et suspecta, sed *vera* fuga intelligitur, ubi *celerem* nominant. Quid ergo? an quid causae erat, ut miles Romanus *veram* Parthorum fugam *perhorresceret*? ut victores usque adeo timerent victos et fugatos? Haud vidi magis. Atqui aliud erat in Parthis perhorrescendum, ne astuta scilicet fugae simulatione, et incaute sequentes hostes sagittis figerent aversi, et statim versis equis redeuntes maiore cum impetu incursarent. Id cum ex historia compertissimum est, tum et omnibus fere poetis decantatum. *Propertius III, 7.* [v. 54] „*Parthorum astutae tela remissa fugae.*“ IV, 3. [v. 66] „*Subdolis et versis increpat arcus equis.*“ *Valerius Flaccus VI, 698.* „*Nunc fuga conversas spargit mentita sagittas.*“ *Statius Silv. V, 2.* [v. 40] „*Quae suspecta fides, et quae fuga vera ferocis Armenii?*“ *Seneca Thyeste 383.* „*Telis quae procul ingerit Parthus, cum simulat fugam.*“ et *Oedip. 118.* „*Vidit et versis equitibus sagittas, Terga fallacis metuenda Parthi.*“ et sic alii bene multi. Quod si Horatius ad haec exempla dixisset, *Perhorrescit miles sagittas et astutam, subdulam, mentitam, suspectam, simulatam, fallacem* fugam Parthi, omne utique punctum tulisset. Nunc cum *celerem* fugam Parthi nominet, quae aut *veram* prorsus indicat, aut certe *falsam* non indicat, ne excusari quidem potest. Sed, obtestor vos, an credibile est tantum ingenium tum castigato iudicio praeditum adeo turpiter se dedisse? Ego vero Librarios potius quam ipsum inculaverim; et prosit mihi, si extundere quidquam valeo, quod innumera cum culpa praestare videantur. Enimvero non *celerem* fugam Parthi, sed *celeres* ex fuga recursus

Quam paene furvae regna Proserpinae,
 Et iudicantem vidimus Aeacum,
 Sedesque discretas piorum, et
 Acolii fidibus querentem
 25 Sappho puellis de popularibus;
 Et te sonantem plenius aureo,
 Alcaee, plectro dura navis,
 Dura fugae mala, dura belli.
 Utrumque sacro digna silentio
 30 Mirantur umbrae dicere: sed magis
 Pugnas et exactos tyrannos
 Densum humeris bibit aure vulgus.

miles metuebat, ut Noster alibi Carm. I, 19, 11. „*Et versis animosum equis Parthum.*“ Inde Parthi *refugi* appellati, ut Lucan. VI, 50. „*Moenia mirentur refugi Babyloniam Parthi.*“ Claud. IV, Cons. Honorii. 530. „*refugo quae sit fiducia Parthi.*“ et I, Cons. Stilichonis 68. „*Torquebat refugum, Parthis mirantibus, arcum.*“ Quid ergo? placetne ut rescribamus, „*Miles sagittas et refugam fugam Parthi.*“ Minime vero; neque enim tam infectam verborum inueturam apud Nostrum inveneris. Illud et ad sententiam aeque, et ad compositionem melius, et ad receptam lectionem propius convenit: si sic reponas, „*Miles sagittas et reducem fugam.*“ Sic *reduces vias* Statius [Silv.] II, 7, [v. 49] „*Et tardi reduces vias Uliae.*“ Lucanus IX, 408. „*Irreducemque viam deserto limite carpit.*“ et *reduces gressus* Statius Theb. IV, 761. „*tantum reduces del flectore gressus Iuppiter.*“ et denique *reducem fugam* Prudentius, magnus Nostri imitator: Cathem. V, 104 „*Nec non imbrifero ventus anheliu Crassa nube leces invehit alites, Quae, distata in humum cum senile agmina Fluxerunt, reduci non revolant fuga.*“

24. *Sedesque discretas piorum*] Ita nostri omnes praeter unum ex recentissimis in Collegio Regio, quem vocant Bembinum: atque is habet *descriptas*; sicut et Lambini aliquot, et Cruquii et aliorum. Et posterior quidem Lectio placuit Giffano in Indice ad Lucretium [s. v. *descripta*]: quin etiam in ipsum textum receperunt Lambinus Cruquiusque. Equidem non infelicio recte et Latine dicit, *sedes descriptas*, ut Cicero, *describere partes urbis, regionem, ingera*: et Tacitus Anna. XI, 19. „*Et natio Frisiorum consedit apud agrum a Corbulano descriptas.*“ Sidonius Carm. II, 412. „*Malant rura rosas, indescriptosque per agros Fragrat odor.*“ Omnino tamen melius est, ut cum maiore Codicum parte et vetustis editionibus legamus *discretas sedes*, sive separatas, remotas a sedibus et contagione impiorum. Maius utique hoc est, quam si *descriptas* tantum dixeris, hoc est, certis finibus constitutas, et positis terminis ab impiorum sedibus divisas: sic enim nihilo minus alterae alteras contingere, et communem inter se limitem habere poterant: vel illud potius notaverit *is descriptas*; nempe inter ipsos Pios singulorum sedes descriptas et definitas esse, ne alter alterius limites transiliat. Quorum neutram hic admittendum. Recte itaque *discretas*. Claudianus Rufin. II, 477. „*quositor in alto Conspicuum solio pertentat crimina Minos, Et iustus dirimit fontes.*“ Virgilius Calice, 374. „*Et vastum Phlegethonta pati, quo maxima Minos Conscelerata pia discernit vincula sede.*“ Statius Theb. IV, 524. „*Et Styx discretis interflua manibus obstat.*“ Denique Lactantius, ex hoc ipso Horatii loco, Divin. Instit. VII, 7. „*Esse Inferos Zenon Stoicus docuit, et sedes piorum ab impiis esse discretas.*“

32. *Densum humeris bibit aure vulgus*] Video omnes Manuscriptos

Quid mirum? ubi illis carminibus stupens
 Demittit atras belua centiceps
 35 Auris, et intorti capillis
 Eumenidum recreantur angues?
 Quin et Prometheus, et Pelopis parens
 Dulci laborem decipitur sono:
 Nec curat Orion leones
 40 Aut timidos agitare lynceas.

XIV.

AD POSTUMUM.

Eheu fugaces, Postume, Postume,
 Labuntur anni: nec pietas moram
 v. 38. Vulg. *Laborum.*

constanter in hanc lectionem conspirare. Quo tamen illud *humeris*? Uti- que satis esset *densum vulgus*. Sed hoc facile condonari posset; sic enim et Ovidius Metam. XIV, 360. „*Iussit et in densum trabibus nemus ire videri.*“ cum *densum nemus* per se sufficeret. Illud peius; quod *aure* hic epitheto destitutum est; unde sicca et ieiuna fit oratio, neque aures implet. Sensit hoc praestantissimus Nie. Heinsius, qui in ora sui codicis annotavit, „*Forte legendum, hilari.*“ Ingeniose: sed et propius licet ad vulgatam lectionem accedere, si reponas, *Densum humili*; ut ad *silentium* illud *sacrum* et *admirationem* referatur. Melius tamen, opinor, sententiae consulisset Noster, si sic scripsisset; „*Densum avida bibit aure vulgus.*“ Ducunt huc nos Scholiastae veteres: quorum unus, „*bibit, avide audit.*“ alter, „*cupidissime audit.*“ Claudianus in Praef. Cons. Stilich. [II] v. 47. „*haec nullis avidam rumoribus aurem Pandit.*“ Ovid. Pont. III, 4. [v. 19] „*Nos ea vir avidam vulgo captata per aurem Scribimus.*“ Et nescio an fortasse ita scripserit, et illud *Humeris* ex Glossa in ipsum versum irreperit.

38. *Dulci laborem decipitur sono*] *Laborum* habent cum veteres editiones, tum et plerique scripti. Unde ambigua evadit oratio; ubi nescias fere, utrum *decipitur laborem*, an *sono laborem* construi debeat. Equidem nullus dubito, quin, qui primi hanc lectionem commenti sunt, *is laborem* ad *sono* retulerint. Superabat scilicet eorum captum elegantissimus ille Hellenismus, qui in potioribus membranis adhuc conspicitur, „*Dulci laborem decipitur sono.*“ Ita duo codices Turnebo visi, totidemque Torrentio; et ex nostris Bodleianus, et pro varia lectione Colbertinus: accedit et Batelianus, qui habet *labore*. Recte vero *decipitur laborem*. Nam in figurato et poetico sermone Passiva, pariter ac Activa sua, cum casu quarto construuntur. Ergo uti dicimus, *decipere, fallere laborem, curas* etc. ut Noster alibi [Serm. II, 2, 12], „*Molliter austerum studio fallente laborem.*“ Ovid. Metam. VI, 60. „*Brachia docta nudent, studio fallente laborem.*“ et XIV, 121. „*Cum duce Cumaea fallit sermone laborem.*“ Statius Theb. XII, 230. „*Cum tamen illa gravem luctu fallente laborem.*“ Ovid. Trist. IV, 10. [v. 114] „*Sic tamen absumo decipioque diem.*“ ita passive dicere licet, *decipi laborem*. Ut Virg. Aen. I, 717. „*Expleri mentem nequit, ardescitque luendo.*“ Lucan. IX, 713. „*Pluribus ille notis variatam pingitur alvum.*“ et sic alii non raro: praesertim in Participiis nihil hae figura frequentius.

40. *Aut timidos agitare lynceas*] Editio Joscheri, *timidas*: atque ita unus codex Lambini, et alter Bersmanni. Neque aliter optimus noster

- Rugis et instanti senectae
 Adferet, indomitaeque morti:
 5 Non si trecentis, quotquot eunt dies,
 Amice, places inlacrimabilem
 Plutona tauris; qui ter amplum
 Geryonen Tityonque tristi
 Conpescit unda, scilicet omnibus,
 10 Quicumque terrae munere vescimur,
 Enaviganda; sive reges,
 Sive inopes erimus coloni.
 Frustra eruento Marte carebimus,
 Fractisque rauci fluctibus Hadriae;
 15 Frustra per Autumnos nocentem
 Corporibus metuemus Austrum.
 Visendus ater flumine languido
 Coeytos errans, et Danaï genus
 Infame, damnatusque longi
 20 Sisyphus Aeolides laboris.
 Linquenda tellus, et domus, et placens
 Uxor: neque harum, quas colis, arborum
 Te, praeter invisas cupressos,
 Ulla brevem dominum sequetur.
 25 Absumet heres Caecuba dignior
 Servata centum clavibus, et mero
 Tinguet pavementum superbo,
 Pontificum potiore cenis.

v. 18. Vulg. *Cocytus*.

Reginensis cum Graeviano, Petrensi, Galci, et a manu secunda Batteliano. Sane faeminino genere proferunt Virgilius, Plinius, Statius, alique. Neque *tygareus* causa variandum erat genus; ut vitaret homoteleuton: quippe in *tyndas* ultima longa est, in *lynceas* brevis: et proinde diversus est sonus, neque aures offendit. Retinemus tamen *timidos*, auctore Prisciano, qui p. 689. haec habet: *Horatius in II Carm.* Nec curat Orion leones, Aut timidos agitare lynceas. *Et notandum est de genere, quod masculino genere protulit Horatius, cum Virgilius faeminino in III Georgicorum, Quid Lynceas Bacchi variae?*

18. *Cocytus errans*] Codices nostri Leidensis, Zulichemianus, Reginensis, Magdalenensis, Galci, Petrensis, Bodleianus, *Cocytos*, terminatione Graeca. Atque horum auctoritatem sequimur.

27. *Et mero Tinguet pavementum superbo*] Nostri quidem omnes *superbo mero*: Lambinus tamen et Fabricius ex suis proferunt, *superbum pavementum*. Elegans sane pavimenti huius epitheton; quod et suo marmore superbum erat, et quia tam pretioso vino tingueretur. Varro de Re Rust. III, 1. *„Quum villam haberet opere lectorio et intestino, et pavimentis nobilibus spectandam.“* Statius Silv. III, 3. [v. 34] *„tu largus Eoa Germina, tu messes Cilicumque Arabumque superbis Mergo rogis:“* ideo *superbi*, quia germinibus istis et messibus cumularentur. Virgilius Aen. II, 505. *„Barbarico postes auro spoliisque superbi:“* nempe quia aurum et spolia ferrent. Lucretius IV, 1171. *„postesque superbos Unguit*

XV.

- Iam pauca aratro iugera regiae
 Moles relinquunt: undique latius
 Extenta visentur Luerino
 Stagna lacu; platanusque caelebs
 5 Evincet ulmos: tum violaria, et
 Myrtus, et omnis copia narium,
 Spargent olivetis odorem,
 Fertilibus domino priori:

amaracino: hoc est, propter amaracinum superbos. Nihil itaque lectione hac pulchrius, quantum ad sententiam: sed interim, quod et doctissimus Dacierius adnotavit, eadem terminatio toties recurrens, „*Tinguet, pavementum, superbum Pontificum potiore cenis,*“ ingratiissimum sonum efficit; qualem studiose evitare solet Noster. Illud tamen fortasse vitio huic mederi potest; si olim legerint aut pronunciaverint, *superbom*. Certe post consonantem v non *um* sed *om* proferebant aetate Augusti, *aerom, divom, Calvom* etc. ut cum ex Monumentis eius aevi, tum ex vetustis Virgilio et Horatii codicibus constat. Esto itaque *superbom* quasi *supercom*: nam in Virgilio Ecloga II, [v. 15] „*Atque superba pati fastidia,*“ codex antiquissimus Romanus *superca* habet, teste Pierio: ut eodem fere sono prolata fuisse olim minime dubitandum sit. Quod si concedatur, de Homocoleuti culpa securi esse possumus: neque enim similia refugium summi poetae, ubi etsi non literis, pronuntiatione tamen differunt; ut Noster Carm. I, 2, 1. „*Iam satis terris inivis,*“ Virgil. *) [Aen. I, 230] „*Aceruis regis imperiis,*“ Noster iterum Carm. III, 7, 7. „*Non sine multis Insomnis lacrimis agit.*“ Neque tamen damnamus lectionem in plerisque omnibus libris receptam, *mero superbo*: etsi miretur Iulius Scaliger, quo consilio id dixerit Noster. Illud magis displicet, quod, cum *superbo mero* dixisset, statim alterum epitheton subdidit, eandem rem bis inculcans, „*Pontificum potiore cenis.*“ Aliam viam tentat Barthius Advers. XXXVI, 14. „*In ty superbo,*“ inquit, „*si quid mutandum, malim superbus, quam cum Lambino superbum scribere.*“ Quo etiam ducit nos Scholiastes Porphyrio: „*Superbo, hypallage, pro ipse superbus:*“ et etiam Aeron, qui sic verba *αγαρῶδες, „Perfundet pavementum negligens heres vino decorum convivis digno.“* Atque hoc pacto, culpa quidem omni liberaveris Horatium: sed audacis epitheti laude, quae toties feliciter ei cessit, eadem opera privaveris.

5. *Tum violaria et Myrtus et omnis*] Fabricius ex Manuscripto suo sic edidit, „*tum violaria, Myrtusque, et omnis copia narium:*“ atque ante illum Glareanus ex coniectura sic reposuit. Caeteri omnes libri reclamant, summoque consensu exhibent, „*violaria, et Myrtus, et omnis copia narium.*“ Quod mutatum ab iis, qui metuebant, ne versus pede claudicaret, et Trochaeo, loco Spondae, incederet. Atqui aliud curare potius debuerunt: salva enim versus mensura est; siquidem *Myrtus* hic numero plurali legitur, ut ante nos alii monuerunt. Nos id recte ab Horatio factum esse demonstrabimus. „*Errant*“, inquit Charisius p. 9. „*qui omnia genera arborum quartae declinationi solent assignare; inventis ipsis, praesertim apud Virgilium, „Et vos, o lauri, carpam, et te, proxima Myrte.“ Contendunt tamen nonnulli, dicentes Laurum et Myrtum esse quartae declinationis, et tantum auctoritate mutari in vocativo casu.*“ Vides ex Grammaticorum quorundam sententia *Myrtus* probe dici numero plurali. Priscianus tamen p. 717 haec sola arborum nomina ponit, *quercum, laurum, pinum, cornum, ficum, quae tam secundae, ait, quam quartae inventiuntur*. Ubi primo

*) ed. pr. a. 1741 addit: „(ut ad Carm. illud notavimus).“

- Tum spissa ramis laurea fervidos
 10 Excludet ictus. non ita Romuli
 Praescriptum et intonsi Catonis
 Auspiciis, veterumque norma.
 Privatus illis census erat brevis,
 Commune magnum: nulla decempedis
 15 Metata privatis opacam
 Porticus excipiebat Arceton:
 Nec fortuitum spernere cespitem
 Leges sinebant, oppida publico
 Sumtu iubentes, et Deorum
 20 Templamovo deorare saxo.

perperam omisit *cupressum*, quae utriusque declinationis est, si ulla fides habenda est veteribus membranarum. Noster in Arte v. 332. „*levi servanda cupresso*“: duo ex nostris codicibus, *cupressu*, Carm. II, 14, 23. „*praeter invicem cupressos*“: multi ibi *cupressus*, ut videbis apud Lambinum, Torcontium, et alios. Epod. V, 18. „*Iubet cupressus funebres*“: Ita in omnibus fere editionibus iam inde a prima Veneta excusum est: sic antiquissimi nostri Leidensis et Graevianus, Virgil. Aen. III, 64. „*atraque cupresso*“: at in antiquis plerisque codicibus, *cupressu* extare iam dudum notavit Pierius. Atque hoc modo in caeteris etiam poetis variant ubique fere hanc vocem membranarum vetustae. Unde id certe pro composito habeamus, si non in illis auctororum locis, at saltem in usu et consuetudine fuisse, ut *Cupressus* quartae etiam declinationis haberetur. Sed et *Myrtum* male omisit Priscianus, quae declinationis quartae est, non tantum in hoc Nostri loco, sed apud ipsum Virgilium Georg. II, 64. „*Sed truncis oleae melius, propagine vites Respondent, solido Paphiae de robore myrtus*“ ubi contendendo *Paphiae myrtus* esse nominativi pluralis, ut *Oleae*, ut *Oleae*, et *vites*: etsi recentiores Virgilii interpretes aliter accipiant, ut *Myrtus Paphiae* (Veneris) singulari numero efficitur. Sed non ita Servius, qui *Paphiae* interpretatur *Veneriae*, non, *Veneris*, et sic post Virgilium alii poetae; Ovid. Arte III, 181. „*Ilic Paphias myrtos hic purpureas Amethystos*“ Statius Theb. IV, 301. „*Ihi Paphias myrtos a stirpe recurvant*“ Seneca Oedipo, 539. „*Amara baccis laurus, et tiliac lobes, Et Paphia myrtus*“ Certum igitur est *Paphiae myrtus* plurali esse numero apud Virgilium; et sic Catullus Epithalamio Pelei [64, 89], „*Quales Eurotae progignunt flumina myrtus*“: ita potiores codices et editiones, non *myrtos*.

9. *Laurea fervidos Excludit ictus*.] Iam olim monuit Lambinus nonnullos Codices habere *fervidos aestus*; caeteri interpretes tacent. At qui et ipsos non aliter in quibusdam invenisse, licet id dissimulant, inde colligat; quod ex nostris bona pars, Zulichemianus scilicet Petrensis, Galei, Bodlicianus et pro varia lectione Reginensis clare repraesentent *aestus*. Noster alibi Serm. I, 138. „*cum te neque fervidos aestus Dimoveat ignis, neque hiems, ignis, mare, ferrum*“ Carm. I, 17, 18. „*Ilic in reducta valle Caniculae Vitabis aestus*“ et III, 24, 36. „*si neque fervidos Pars inclusa caloribus Mundi*“ Virgil. Georg. IV, 401. „*Ipsa ego te, medios cum sol accenderit aestus*“ Haud damnanda itaque haec lectio est, *fervidos aestus*: alteram tamen iure merito ei praetuleris, quam et primae editiones et plures potioresque membranarum confirmant, „*Laurea fervidos Excludit ictus*“ Ovid. Metam. VI, 49. „*Et breve post tempus candescere solis ab ictu*“ ubi pariter interpolatum erat a Librariis, qui pro *ictu* substituerunt *ortu*. Idem Metam. V, 389 „*Silva coronat aquas, cingens latus omne; suisque Frontibus, ut velo, Phoebeas submovet ictus*“ ubi et *ignis* ingesserunt. Sic

XVI.

AD GROSPHUM.

- Otium Divos rogat in patente
 Prensus Aegaeo, simul atra nubes
 Condidit Lunam, neque certa fulgent
 Sidera nautis:
 5 Otium bello furiosa Thrace,
 Otium Medi pharetra decori,
 Grophe, non gemmis, neque purpura ve-
 nale, nec auro.
 Non enim gazae, neque consularis
 10 Submovet lictor miseris tumultus
 Mentis, et curas laqueata circum
 Tecta volantis.
 Vivitur parvo bene, cui paternum
 Splendet in mensa tenui salinum;
 15 Nec levis somnos timor aut cupido
 Sordidus aufert.
 Quid brevi fortes iaculamur aevo
 v. l. Vulg. *Patenti*.

Lucretius non semel, [V, 612] „*radiorum exaugeat ictum*“, [V, 1103] „*Ferberibus radiorum*“, [II, 807] „*Gigantur luminis ictu*“, [V, 606] „*Arduibus ictus*“, [VI, 513] „*Solis super icta calore*“ Ita et alii poetae: sed vide hic Lambinum, et ad Ovid. Metam. V, 389 accuratissimum Heinsium, Audacior tamen caeteris Horatius: illi enim metaphoram temperaverunt vocabulo adiecto, *ictus solis, ictus Phoebi, ictus luminis*; noster figuratus, *fervidos ictus*, nulla *solis* mentione facta: quae Dithyrambica pene audacia est.

1. *In patenti Prensus Aegaeo*] Barthius in Adversar. XXXVI, 14, veterrimum quendam codicem clare ait habuisse *impatenti*; quod et postea in Argentoratensis etiam Bibliothecae libro se reperisse. Quid autem sibi velit *impatenti*, neque ille nos docet, neque alius, opinor, quisquam intelligat. Crediderim Typographi erratum esse, et reponendum ibi *impatenti*; quae sane tolerabilis foret lectio. Sic enim et Catullus [4, 18] de Phaselo, „*Et inde tot per impotentia freta Herum tulisse*“ Et verior tamen et melior est, quam nostri et aliorum codices firmant, et editiones omnes receperunt; *in patenti*. Virgil. Georg. II, 41. „*pelagoque volans da vela patenti*“ Bene enim, *prensus in patenti mari*; ubi nempe longe erat littus, et nullum a tempestate refugium. Caeterum ex Batteliano nostro, legendum esse *patente* potius quam *patenti*, monui ad Carm. I, 25. v. 17.

17. *Quid brevi fortes iaculamur aevo Multa*] Aliud extat in Bodleiano; ut etiam in Colbertino et Regiae societatis codice pro varia lectione; quod prima fronte multis, nisi fallor, mire blandietur, „*Quid brevi sotes iaculamur aevo*“ Unde enim Librariis tam reconditum vocabulum, nisi ab ipso Horatio? Certe id genus hominum vix unquam communia verba delet, et rariora substituit. Re tamen penitus introspecta, damnabunt, credo, *sotes*; et illud alterum loco et sententiae aptius esse deprehendent. Quid *fortes*, ait, *multa iaculamur*? Quid frustra et nequicquam *fortes* tot et tanta molimur, mox morituri? Quid refert in tam brevi aevo, [Lucret. II, 11] „*Certare ingenio, contendere nobilitate, Noctes atque dies nisi*

Multa? quid terras alio calentis
Sole mutamus? patriae quis exsul
20 Se quoque fugit?

praestante labore Ad summas emergere opes, rerumque potiri? Recte itaque habet fortes; et apposite sane Seneca Nat. Quaest. III, 1. [praef. § 3] „Libet”, inquit, „mihi exclamare illum poetae inclyti versum, „Tollimus ingentes animos, et maxima parvo Tempore molimur.” ubi notandum illud parvo tempore, ut Horatius brevi aevo: et proinde repudiandum est Barthii acumen Advers. XXXVI, 14, qui, si codices assentirentur, aevo sane quam aevo legere mallet. Multa sane brevi aevo molitus est ipse Barthius; et πολυκαιρίας sive potius πολυκαιροσίας gloriam etiam iuvenis consecutus est. Verum enim cum ad Iudicium res deveniant; brevi sane aevo plerumque iaculatur, neque ad scopum pergit.

18. Quid terras alio calentes? Locus quidem perdifficilis, et qui multos exercuit. „quid terras alio calentes Sole mutamus? patriae quis exsul Se quoque fugit?” Alio calentes sole, hoc est dissitas, longe remotas, ut Virgilius [Georg. II, 512]; „Atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem.” Quid ergo est, mutamus terras remotas? siquidem nemo mutare dici possit terras, in quas nondum pedem intulit: ut H. Stephanus ad hunc locum. Quem ut nodum expediamus, illud imprimis proderit adnotasse; nempe verbum Mutare duplicem recipere constructionem. Exempli gratia, eodem plane sensu poteris dicere, Mutavit patriam exilio, et Mutavit exilium patriam. Curtius III, 17. „Sisines Perses exilium patria sede mutaverat”: quod perinde est, ac si dixisset, exilio patriam sedem mutaverat: ut in eadem sententia Virgilius Georg. II, 511. „Exilioque domos et dulceta limina mutant.” et Ovid. Fast. VI, 665. „Exilio mutant urbem, Tiburque recedunt.” Iam in hac constructione Locus praesens, sive (ut Scholastici loquuntur) Terminus a quo, ponitur casu accusativo: in illa Locus absens sive Terminus ad quem: quam formam bis vel ter secutus est Noster, ut Carm. I, 17, l. „Felix amicum saepe Lucretilem Mutat Lycaeo Faunus”: et Serm. II, 7, 109. „sub noctem qui puer uvam Furliva mutat strigili”: hoc est, ut communius loquuntur, Lycaeo Lucretili, et Strigilem uva. His semel animadversis, falsum esse apparet Stephanum aliosque, qui contendunt neminem dici posse mutare terras, in quas nondum pedem intulit. Imo vero in ea Mutavit constructione, qua Locus absens est casus accusativi, id semper dicitur: Sic Faunus mutat Lucretilem, quo nondum pedem intulit; Pater mutavit uvam, quam nondum habuit. Quidni igitur mutamus terras alio sole calentes; etiam nondum eas attigimus? Eadem plane loquendi forma est: in eo tantum differunt, quod hic subintelligitur Terminus a quo; Mutamus terras alio sole calentes, terram nostram scilicet. Utique si plene ita dixisset, nihil hic difficultatis esset. Atqui et ex ipsius rei natura id facile subaudiri potest, et ex consuetudine fieri solet. Sic cum absolute dicunt auctores Mutare sedem, solum, larem, et similia: id tacite extrinsecus supplendum est, mutare sedem sede, solum solo, larem lae. Neque quidquam interest, cum dicis mutare sedem, utram sedem absentem intelligas, subaudita sede praesente; an sedem praesentem subaudita absente: ut cum Noster ait Carm. Saeculari 39. „Iussa pars mutare lares et urbem hospite cursu”: nihil refert, utrum lares et urbem interpreteris Romanam quo ituri erant, an Troiam inde ituri erant. Imo vero, cum Latini dicere solent locum ex loco mutare, ut Plinius Hist. II, 48. [§ 132] „Locum ex loco mutans rapida vertigine”: et II, 37, [§ 101] „Ut volucres sedem ex sede mutant”: haec ipsa clarius est ita dici, mutare sedem quo nondum venerant ex sede ubi tunc erant. Recte itaque et de more locutus est Horatius, „quid terras alio calentes Sole mutamus?” quamvis in eas nondum pedem intulimus. Sed aliam viam insistit vir quidam eruditissimus,

Scandit aeratas vitiosa navis
Cura; nec turmas equitum relinquit,
Oceior cervis, et agente nimbos
Oceior Euro.

25 Lactus in praesens animus, quod ultra est
Oderit curare, et amara lento
Temperet risu, nihil est ab omni
Parte beatum.

Abstulit clarum cita mors Achillem:
30 Longa Tithonum minuit senectus:

v. 26. Forte. Leni.

qui nodum hunc non solvere, sed discindere conatur, sic locum legendo et distinguendo, „quid terras alio calentes Sole mutamus patria?” Ingeniose profecto, quicumque est: ipse enim nescio. Illud tantum coniecturae huic adversatur, quod hoc pacto frigeant aliquantulum ea quae sequuntur, „Quis exsul Se quoque fugit?” Perit nempe Antitheti gratia et venustas singularis: Quis patriae exsul se quoque fugit? Se ipsum non fugiet, quamvis patriam fugerit: ut Virgilius [Ecl. I, 4], „Nos patriam fugimus, et dulceta linquimus arva.” Recte autem exsul patriae, ut Ovid. Metam. IX, 409. „Antoniusque malis, exul mentisque domusque.”

21. Scandit aeratas vitiosa naves Cura] Ita et nostri Codices et aliorum, naves vel navis: et sic alibi Noster Carm. III, 1, 39. „neque Decedit aerata triremi Cura.” Elegans tamen ea lectio est, quam subministrant Excerpta Bodleiana ab annis circiter quadringentis scripta, „Scandit aeratas vitiosa puppes.” Quippe Cura, cum fugientem navem consequitur, posteriorem partem sive puppem scandere debet. Ovid. Metam. VIII, 103. „Jussit et aeratas impelli remige puppes.” Virgil. Aen. V, 198. „vastis sonat icibus aerea puppis.”

26. Et amara lento Temperet risu] Lento habent manuscripti plerique omnes cum editionibus vetustis: unus tantum vel alter laeto, quod et editiones aliquot occupavit, Typothetarum magis incuria, ut opinor, quam Editorum consilio. Quid enim ineptius quam lactus animus laeto risu, eadem in sententia et prope eodem versu. Sed et illud Lento non usque adeo satisfacit. Nemo alius, quod sciam, lentum risum dixit. Et cum amara dixisset et temperet, figurâ a saporibus ductâ; utique eadem metaphorâ claudere sententiam debuit, hoc vel simili verbo, Et amara dulci: vel, amara grato Temperet risu. Certe, nisi me destituit iudicium, annon aliud verbum lateat, quod et receptae lectioni et metaphoræ respondeat: neque diu quaerendum erat: quippe ecce tibi, „et amara leni Temperet risu.” Nam principio, Lene in saporibus opponitur aspero, austero, acri: Ut Terent. Heauton. III, 1. [v. 49] „asperum, Pater, hoc est; aliud lenius sodes vide.” Deinde et lenis risus, aptissimo: ut Cicero in Somn. Scip. [2] „Hic leniter arridens Scipio, Quaesio, inquit, ne me somno excitetis.” Et postremo Lenis, Levis, Lactus et Lentus creberrime a Librariis confundi solent: ut apud Nostrum Carm. III, 18, 3. „Lenis incedas abasque”: Colbertinus Codex pro varia lectione, Lactus. Carm. I, 18, 9. „Non levis Euius”; Codex Noster Regiensis, letus. Carm. IV, 6, 28. „Levis Agyieus.” unus apud Cruquium, Lactus. Virgil. Aen. II, 782. „Leni fluit agmine Tybris”: membranae aliquot Pierii. Lacto. Ovid. Epist. Acontii [Her. XX] v. 120. „Quique subest nivei lactus in ore rubor”: plerique ibi scripti, Lenis, ut testatur Nie Heinsius. Ovid. Metam. VII, 82. „Sic iam lentus amor, iam quem languere putares”: plures ibi lenis, et unus, lactus. Quidni itaque et hic pariter errare poterant oculi manusve Librariorum? Sed praeterea mihi suspicio est, adhuc

- Et mihi forsā, tibi quod negarit,
 Porriget hora.
 Te greges centum, Siculaeque circum
 Mugiant vaccae; tibi tollit himmitum
 35 Apta quadrigis equa; te bis Afro
 Murice tinctae
 Vestiunt lanae: mihi parva rura, et
 Spiritum Graiae tenuem Camenae
 Parca non mendax dedit, et malignum
 40 Spernere volgus.

XVII.

AD MAECENATEM.

- Cur me querelis exanimas tuis?
 Nec Dis amicum est, nec mihi, te prius
 Obire, Maecenas, mearum
 Grande decus columnenque rerum.
 5 Ah, te meae si partem animae rapit
 Maturior vis, quid moror altera,
 Nec carus aequae, nec superstes
 Integer? ille dies utramque
 Ducet ruinam: non ego perfidum
 10 Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
 Uteumque praecedes, supremum
 Carpere iter comites parati.
 Me nec Chimaerae spiritus igneae,
 Nec si resurgat centimanus Gyges,

v. 14. Vulg. *Gigas*, vel *Gyas*.

peius hic grassatam esse horum hominum audaciam. Vide enim, an non veri sit similis sic totum hunc locum ab Horatio profectum esse; „*Laelus in praesens animi, quod ultra est Oderis curare, et amara leni Temperes risu. Nihil est ob omni Parte beatum.*“ Melius certe videtur, ut secunda persona dirigantur haec ad Grosphum, quam ut sententiose proferantur. Melius quoque, ut ipse Grosphus, quam ut eius animus ridere iubeatur: melius denique illud infertur, quod sequitur paullo post, „*Et mihi forsā, tibi quod negarit Porriget hora*“ tibi nempe, quem prius allocutus sum. Fraudi esse potuit Librariis Hellenismus ille elegans, *Laelus animi*. Velleius Paterculus II, 93. „*Marcellus, sane, ut aiunt, ingenuarum virtutum, laetusque animi et ingenti, fortunaeque, in quam alobatur, capax.*“ Symmachus Epist. I, 8. „*Ut vos silitis laeti praesentium.*“ Valerius Flaccus III, 659. „*Laelus opum pacisque meae.*“ Virgil. Aen. XI, [v. 73] „*quas laeta laborum Ipsa suis Dido manibus.*“ Sic *laetia animi* Iuvenalis XIV, 119. „*Et pater ergo animi felices credit avaros.*“ Sed plena sunt his poetarum scripta. Porro *oderis et temperes* facile fuit Librariis, patiente id versus mensura, commutare in *oderit, temperet*: ita Epod. X, 22. pro *Mergos iuoveris*, plures membranae iuvrit: Serm. II, 3. v. 133. pro, *ut demens genitricem occidis Orestes*; omnes habent *occidit*. II, 5. v. 90. pro *Difficilem et morosum offendet garrulus*; omnes similiter *offendet*.

14. *Nec si resurgat centimanus Gigas*] Sic iterum Carm. III, 4, 69.

- 15 Divellet umquam: sic potenti
 Iustitiae placitumque Parcis.
 Seu Libra, seu me Scorpis aspiciet
 Formidolosus, pars violentior
 Natalis horae, seu tyrannus
 20 Hesperiae Capricornus undae:

„*Testis mearum Centimanus Gigas Sententiarum.*“ Codices omnes tam mei, quam aliorum, constanter habent *Gigas*, eam editione Veneta et Loscheriana. Solus Muretus in Var. Lection. VI, 13, in quibusdam ait se *Gygen* invenisse, in aliis *Gyan*: Certe ex aliis poetarum locis nomen proprium hic subesse constat; sed ubique fere, nisi cum obstitit versus ratio, Librariorum ignorantia dissimulatum. Priscianus p. 718. „*Hic centimanus, huius centimanus: Horatius in III. Carm.*“ „*Testis mearum centimanus Gyges sententiarum.*“ Ita quidem Editi. Sed Manuscripti quos vidi quatuor, *Gigas*. Seneca Herc. Oct. 167. „*Quis vastus Briareus, quis tumidus Gyges?*“ et iterum v. 1168. „*nee truci rictu Gyges Pindo cadaver obruit toto meum.*“ utrobique codex Florentinus longe antiquissimus, *Gigas*. Capitolinus in Maximinis c. 8. „*Tam crudelis fuit, ut illum alii Cyclopem, alii Busiridem, alii Scironem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem vel Gygem vocarent:*“ ubi vetustissimus Palatinus *Gigantam*. In Ovidio nomen proprium servatum est, quia *gigantem* versus ipsi excluserunt: Amor. II, 1. [v. 12] „*Ausis eram (memini) caelestia dicere bella, Centimanumque Gygen: et satis oris erat.*“ Fast. IV, 593. „*Quid gravius, victore Gyge, captiva tulissem?*“ Trist. IV, 7. [v. 18] „*Centimanumque Gygen, semibovemque virum.*“ Sed in ultimo loco codex unus *Gyan*, alter *Giam*; ut adhuc dubium sit, quo nomine Centimanus ille vocandus sit. Quaeramus igitur apud Graecos, in quorum officinis haec omnia conficta sunt, et ad Latinos delata. Et Hesiodus quidem habet *Γύγης* Theogon. 149. „*Κόττος τε, Βουάρεως τε, Γύγης 9', υπερίφανα είζνα.*“ 618. „*Κόττος τ' ήδὲ Γύγης δ'ήσε κρατερῶ ἐνί θεσπέῳ.*“ 714. „*Κόττος τε, Βουάρεως τε, Γύγης τ' αὐτος πολέμοιο.*“ 734. „*Εὐθα Γύγης, Κόττος τε, καὶ ὁ Βουάρεως μέγανθος.*“ et sic praeter Hesiodum sex vel septem Grammatici, quorum loca videre potes apud eruditissimos Viros N. Heinsium et Munkelium, illum in Notis ad Ovid. Amor. II, 1, [v. 12] hunc ad Hygini Praefationem. Contra Apollodorus non *Gygen*, sed *Γύγην* appellat; quin et Hesiodi quaedam optima notae exemplaria non *Γύγης* in locis iam citatis, verum *Γύγης* repraesentant; si Mureto constat fides. Accedit huc, quod *Gyges*, nomen aliunde satis cognitum, priorem syllabam productam habeat, ut apud Nostrum supra, Carm. II, 5, 20. „*Luna mari Cnidiusvo Gyges.*“ et III, 7, 5. „*Gygen ille notis actus ad Orientem.*“ Virgil. Aen. IX, 762. „*Principio Phalerim, et successo poplite Gygen.*“ Propert. III, 9, [v. 18] „*Lydia Gygeo tincta puella lacu.*“ Neque aliter Graeci, ut Bianor in Antholog. Epigram. I, 70. [ep. 18] „*Σόφριος ἀ τοπάλα ΓΥΓΟΥ πόλις, αὐτ' Αλέκτρον.*“ et Alpheus ibidem I, 12. [ep. 2] „*Ὁὐ στέργω μαιολήϊους ἀρούρης, Οὐκ ἔλθω πηλέχρησσαν οὐα ΓΥΓΗΣ.*“ ubi obiter sic emendandum est, „*Ὁὐκ ἔλθω, πηλέχρησσαν οὐα Γύγης.*“ siquidem plane auctor respexit ad notum illum Archilochi locum [v. 24, I Bergk]. „*Ὁὐ μοι τὰ ΠΥΓΕ2 τοῦ ΗΟ.ΑΥΧΡΥΣΟΥ μέλι, Οὐδ' εἰλὲ πω με εἴηλος, οὐδ' ἀγαίωμα* etc.“ ubi caveant tirones, ne *γυγίω* primam brevem hic habere existiment; nam dissyllabon est, *γῶ* in unam syllabam contracto, ut *Πηλεχρησσαν Ἀχάϊος*. Corrigitur itaque est Anaercon Carmine XV, et in Antholog. II, 47. [ep. 17], ubi *Γύγιο* primam corripit, ut nunc quidem legitur: „*Ὁὐ μοι μέλι Γύγιο, Τοῦ Σαφθίων ἀνακτος, Οὐδ' αἰσίου με χρῆστος, Οὐδὲ φθονῶ τεράνους.*“ Certe huic lectioni praeter dialectum

- Utrumque nostrum incredibili modo
 Consentit astrum, te Iovis in pio
 Tutela Saturno refulgens
 Eripuit, volucrisque fati
 25 Tardavit alas; cum populus frequens
 Lactum theatri ter crepuit sonum:
 Me truncus inlapsus cerebro
 Sustulerat, nisi Faunus ictum
 Dextra levasset, Mercurialium
 30 Custos virorum, reddere victimas
 Aedemque votivam memento:
 Nos humilem feriemus agnam.

XVIII.

Non ebur, neque aureum
 Mea renidet in domo lacunar:

etiam ipsa sententia repugnat. Sic enim Graeca haec vertenda essent: *Non curo Gygem, nihili facio Gygem Sardium regem.* Ergo tum Gyges in vivis esse debuit, cum auctor haec scriberet: at diu ante Anaerontem natum Gyges ille ad plures abierat. Tu vero lege, „Ὅθ' μοι μέλει τὰ Γύγεω, τοῦ Σαοδίων ἑνάτος.“ hoc est, *Nihili aestimo opes Gygis, sive, quas Gyges olim habuit.* Nam ut Alpheus ille, quem supra citavimus, ita hic scriptor (si is est Anaerontes: nam ex iis, quae sub eius nomine hodie feruntur, multa spuria sunt) aperte nimis imitatus est eundem Archilochi locum, „Ὅθ' μοι τὰ ΓΥΓΕΩ τοῦ πολυγούσου ΜΕΑΡΛ.“ Alexander tamen Aetolus, ut in his sane peregrinis nominibus maior est licentia, priorem in *Γύγης* corripuit, Epigrammate in Alemanem, quod vitiose editum apud Plutarchum *Περὶ γυγίης* [c. 2], correctius et integrius dedit ex Anthologia inedita Lucas Holstenius ad Steph. Byzantium [s. v. *Λαζαρόλιον* p. 92]: „*Καὶ μοῖσας ἰδάρ' Ἐλικωνίδας, αἱ μὲν τρωάνων Θῆξαν Λαζαρόλιω μείζονα καὶ Γύγιω.*“ Ita nunc fertur utroque loco *Λαζαρόλιω*: mendose tamen, nisi auctori errorem potius quam Librariis impingas. Quippe Daseylus sive Daseyles Gygis pater non tyrannus erat, sed privatus. Aut scripsit, aut scripsisse debuit: „*Θῆξαν Κενδαρόλιω μείζονα καὶ Γύγιω.*“ De Candaule et Gyge tyrannus nota est historia. Quae omnia, ut ad Horatium revertar, dubium quidem faciunt, *Gygesno*, an *Gyges* sit ille Centimanus. Nos tamen plarium scriptorum auctoritatem secuti, prius illud praetulimus: recte ne an secus, neque scire nunc fas est, nec huius interest: neque enim Horatii salus in hoc nomine vertitur.

23. *Volucrisque fati Tardavit alas*] Lambini quidam codices, Bersmanni anns. et ex nostris Petrensis cum Editione Loscheri habent, *volucros*. Et sic etiam legitur apud Servium ad Aen. IV, 610. Quin et vetustiores membranae, quae exhibent *volucris*, id ex antiqua scribendi ratione servant; ut nempe sit quarti casus numeri pluralis, non genitivi singularis. Et sic in hac nostra editione accipi volo, *volucris*, hoc est, *volucres*. Elegantius certe *volucres alas fati*, quam *alas fati volucris*: Noster Carm. III, 29, 53. de Fortuna: „*Laudo manentem: si celeres qualis Pennas, resigno quae dedit.*“ Virg. Aen. V, 217. „*Radit iter liquidum, celeres neque commovel alas.*“ Ovid. Art. II, 45. „*Remigium volucres disponit in ordine pennas.*“

- Non trabes Hymettiae
 Premunt columnas ultima recisas
 5 Africa: neque Attali
 Ignotus heres regiam occupavi:
 Nec Laconicas mihi
 Trahunt honestae purpuras clientae.
 At fides, et ingeni
 10 Benigna vena est; pauperemque dives
 Me petit: nihil supra
 Deos lacezzo, nec potentem amicum
 Largiora flagito,
 Satis beatus unicus Sabinis.
 15 Truditur dies die,
 Novaeque pergunt interire Lunae.
 Tu secunda marmora
 Locas sub ipsum funus, et sepulcri
 Inmemor, struis domos:
 20 Marisque Baiis obstrepentis urges

3. *Non trabes Hymettiae*] Vir celeberrimus Thomas Gale ô *μυχαγίτης* sic legebat ex coniectura; „*Non trabes Hymettias Premunt columnas ultima recisae Africa.*“ Quod minime contemnendum est: ut ordo sit, non trabes (citreas) ex ultima Africa recisae premunt columnas marmoris Hymettii. Celebres sane erant columnae Hymettiae, ut Plinius Hist. XXXVI, 3. [§ 7] „*Columnas Hymettias non plures scio.*“ et ibid. XVII, 1. [§ 6] „*Columnas quattuor Hymettii marmoris.*“ Val. Maximus IX, 1. [§ 4] „*Cn. Domitius L. Crasso obiecit, quod columnas Hymettias in porticu domus haberet.*“ Trabes autem ex arbore citro ab Africa usque petita columnis marmoreis imponebantur. Apposite Statius Silv. IV, 2. [v. 38] „*Sed mihi non epulas, Indisque innixa columnis Robora Maurorum.*“ Recte vero *Trabes* de citro: ut Noster Carm. IV, 1, 20. „*Ponet marmoream sub trabe citrea.*“ et vide insuper ut apte inferatur illud *Recisae*, de trabibus ligneis: ut Carm. III, 6, 40. „*Matris ad arbitrium recisos Portare fustes.*“ Atque haec protulisse sufficiat ad Galei coniecturam firmandam. Verum cum omnes ubique codices in recepta lectione consentiant, et praeterea ex correctione Galei impeditior paullo et invenustior fiat ordo verborum; satius est fortasse locum sat bene se habentem non sollicitare. Trabes enim supra columnas positae, non e ligno solum, sed e lapide fiebant, ut Architectis notum: et proinde marmor Hymettium tam trabibus conficiendis, quam columnis erat aptum. Plinius narrat in domo Salaucis Colchorum regis trabes fuisse argenteas, Hist. XXXIII, 3. [§ 52] „*Sed et illius aureae camerae, et argenteae trabes narrantur, et columnae, et parastaticae.*“ In Veneris domo Smaragdinas trabes super Hyacinthinas columnas ponit Claudianus de Nuptiis Honorii v. 88. „*Admiscens artem pretio, trabibusque smaragdis Suppositis carsis hyacinthi rupe columnas.*“ Iam ergo *columnae illa ultima Africa recisae* erant columnae marmoris Numidici, quae apud Romanos magno in honore erant, ut multa scriptorum loca testantur. Iuvenalis VII, 182. „*Parte alia longis Numidarum fulta columnis Surgat, et argentem rapiat caenatio solem.*“ Ceterum illud quod mox v. 23. habetur, „*Proximos revellis agri terminos,*“ clare imitatus est Quintilianus Declamat. XIII. [c. 2] „*Quod civis pascebat, nunc divitis*

- Submovere litora,
 Parum locuples continente ripa.
 Quid, quod usque proximos
 Revellis agri terminos, et ultra
 25 Limites clientium
 Salis avarus? pellitur paternos
 In sinu ferens Deos
 Et uxor et vir, sordidosque natos.
 Nulla certior tamen,
 30 Rapacis Orci sede destinata

unius hortus est: postquam proximos quosque revellendo terminos ager locupletis inundavit."

30. *Rapacis orci sede destinata*] Editiones principes, utraque Veneta cum Loscheriana, *fine* habent, non *sede*; unde prior illa lectio posteriores fere omnes occupavit: „*Nulla certior tamen Rapacis orci fine destinata, Aula divitem manet Herum.*“ Ubi *Finem orci* Lambinus Daceriusque extrema et ima Tartara accipiunt, ubi scelerati poenis exercentur. Perperam profecto, siquid hic iudico. Non enim de poenis sed de morte duntaxat hic agitur; ut et haec ipsa verba, et sequentia quoque clare ostendunt. Dum tu dives, inquit, proximos quosque agros coemendo tuum undique dilatas et extendis; eicitur ex paterno lare pauper eliens cum uxore et liberis. Esto autem. Diruitur casa paupereuli, ne latifundia tua dehonestet: ipse inops vagatur, et laris incerti. Quid tum postea? nulla aula Plutoniâ domo sive sepulchro certior locupletem dominum manet, pariter ac humilem clientem. Quid enim? *Aequa tellus pauperi recluditur, Regumque pueris.* Eadem mox aeterna domus utrumque coercebit, et te qui novas tibi domos exstruis, et illum cui antiquo lare excedenti nulla ne conductitia quidem domus superest. Vides, opinor, non posse hic ima Tartara intelligi, nisi una cum divite et pauperem illum clientem eo velis intrudere. Quid quod Nostro haud convenit, Epicureo praesertim, tam iracunde et vehementer in commune locupletibus vitium intonare; ut qui vicina praedia suis iungat et continuet, ei cum Ixionibus et Sisyphis aeternae poenae luendae sint. Quare aliud quid excogitemus, si forte ab omnibus fere Librariis propagata lectio defendi et explicari possit. Ubi illud primum erit inquirendum, quid *Fine* sibi velit, quid *Destinata*. *Destinare*, praeter vulgariore significationes, etiam id notat, describere limites, designare terminos. Curtius IV, 32. [c. 8 § 6] „*Cum rex urbis futurae muros polenta, ut Macedonum mos est, destinasset.*“ Vegetius II, 10. „*Erat etiam praefectus castrorum — ad quem castrorum posilio, valli et fossae destinatio pertinebat.*“ Virgilius in *Culice*. 391. „*Conformare locum capit impiger: hunc et in orbem Destinat, ac ferri capulum repetivit in usum.*“ Plura vide apud accuratissimum Gronovium Patrem Observ. II, 8. Eodem sensu frequentius dicebant *Designare*. Virgilius *Aeneid.* V, 755. „*Interea Aeneas urbem designat aratro.*“ et VII, 157. „*ipse humili designat moenia fossa.*“ Livius Hist. I, 10. „*In Capitolium ascendit Romulus, et simul eum domo designavit templo Iovis fines*“: qui locus notatu dignissimus: aequae enim potuit dixisse, *destinavit fines*. Revertamur iam ad Horatii verba, in quibus elucescere, ni fallor, incipit et sententiae nova species et constructionis: ubi *Destinata* casu patrio accipietur, et ad *Aula*, non ad *Fine* referetur. *Nulla certior*, hoc est, *non certior* (vide Servium ad Georg. I, 125.) *aula* manet divitem herum, quam pauperem clientem. Qualis vero vel quanta illa *aula? destinata fine Orci*, sive designata et descripta termino ipsius Orci, aequae spatiosa ac ipse Orcus. *Fine* eo sensu eleganter dicunt auctores;

- Aula divitem manet
 Herum, quid ultra tendis? aequa tellus
 Pauperi recluditur,
 Regumque pueris: nec satelles Orci
 35 Callidum Promethea
 Revexit, auro captus, hic superbum
 Tantalum atque Tantalum
 Genus coëreet: hic levare functum

Ovid. Pont. I, 4. [v. 28] „*Ille est in Pontum Pelia mittente profectus, Qui via Thessaliae fine timendus erat.*“ hoc est, *Thessalia tenuis*. Idem in *Haliutico* [v. 101]: „*Cercurosque feroæ scopulorum fine moratus*“; i. e. scopulorum tenuis. Lucretius IV, 628. „*Deinde voluptas est e succo fine palati*“: Sic ibi legendum, non ut vulgo *in fine*: palato tenuis et non ultra, saporibus gustamus. Gellius I, 3. [§ 30] „*Hac fini ames, tamquam forte fortuna osurus, hac itidem tenuis oderis, tamquam fortasse post amaturus.*“ Hue etiam pertinet illud Ovidii *Metam.* II, 131. „*Zonarumque trivium contentus fine, polumque Effugito iaustralem. unctamque aquilonibus Arcton*“: et illud Senecae de *Beneficiis* VI, 23. [§ 6] „*Vide in quantum corporibus vagari liceat, quae non coerevit fine terrarum, sed omnem in partem sui misit.*“ Quod si huic interpretationi accedis; iam et aliud restabit ex coniectura emendandum. Quid enim hic faciet *rapacis Orci*? neque vero nescius sum alias sic recte dici, ut Seneca *Hippol.* 467. „*Cum tam rapaces cerneret fati manus.*“ et 1152. „*Pallas Actaeae veneranda genti, Casta nil debes patruo rapaci*“; i. e. Plutoni. Verum hic, ubi Orcus non *personam* notat, sed *locum*; et de eius *fine*, limite, spatio agitur, iners plane epitheton et otiosum videtur illud *Rapax*. Literae versuum initiales facile in manuscriptis mutabantur; quia plerumque omissae erant a Librariis, ut postea minio scriberentur. Id, opinor, hic loci evenit; et corrigendum, „*Capacis Orci fine destinata.*“ Cur, inquit, ex paternis aedibus extorrem agis pauperem clientem? eadem tandem, qua tu, aula habitabit: atque ea ampla satis, quippe quae *Capacis* Orci spatio terminata est. Ovid. *Metam.* IV, 439. in descriptione Orci, „*Mille capax aditus, et apertas undique portas Urbs habet: utque fretum de tota flumina terra; Sic omnes animas locus accipit ille, nec ulli Exiguus populo est, turbamve accedere sentit.*“ Seneca *Herc. Fur.* v. 658. de Dite, „*Fas omne mundi, teque dominantem precor Regno capaci.*“ Verum, ut eunque haec sic satis speciosa sint; illa tamen, opinor, pluribus arridebit et adlubescet lectio, quam tres codices Cruquiani et ex nostris Zulicherianus subministrant, „*Nulla certior tamen Rapacis Orci sede destinata Aula divitem manet Herum.*“ Idque, vel ob unum illum Taciti locum, *Annal.* I, 8. „*Ne, ut quondam nimis studiis funus Divi Iulii turbassent, ita Augustum in Foro potius quam in Campo Martis sede destinata cremari vellent.*“ Quin et ad has partes vocandus erit Servius, qui ad *Aeneid.* VI, 152. „*Sedibus hunc refer ante suis, et conde sepulchro*“; *Sepulchrum*, ait, *sedes* vocatur. *Horatius: Nulla certior tamen rapacis orci fine destinata aula divitem manet herum.* Virgilius, — VII, 3. — *Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen.*“ Quamvis enim illud *fine*, quod hic legis, omnes ubique Servii editiones exhibeant, neque nunc nobis facultas detur Membranas consulendi; veri tamen simile est, quod et Lambinus alique post ipsum animadvertentur, *sede destinata* dedisse olim Grammaticum; cum eo nomine verba adducat, ut sepulchrum probet *Sedem* appellari. Verum esto hoc, ut quisque volet: illud non omittendum, sive *fine*, seu *sede* hic legeris, omnino aptius fore epitheton *capacis* Orci, quam *rapacis*.

Pauperem laboribus,

4) Vocatus atque non vocatus audit.

XIX.

IN BACCHUM.

Bacchum in remotis carmina rupibus

Vidi docentem (credite posteris)

Nymphasque discantis, et auris

Capripedum Satyrorum acutas,

5 Euoe! recenti mens trepidat metu,

Plenoque Bacchi pectore turbidum

Laetatur. euoe! parce Liber,

Parce, gravi metuende thyrsos.

7. *Plenoque Bacchi pectore turbidum Laetatur*] Vir summo ingenio Dian. Hincius pro *Laetatur* substituit *Lymphatur*: idque adeo, quia *ro metu* in versu praecedente interpretatur, *furor*, *insania*, *lymphatione*; quod et ante illum fecit Torrentius, et post Dacerus. Utrumque perperam, nam et *metu* illic accipiendum pro *timore*; et recte habet *Laetatur* sive gaudet. Hoc enim fingit Horatius, se cum forte in abditis silvis carmina meditans vagaretur, incidisse in Bacchum cum comitatu Nympharum et Satyrorum: ex hoc viso se et *laetitia* et *metu* affectum esse: et *laetitia* quidem, tum quia propinquo eius numine tactus esset, tum quia amicum sibi Deum vidisset: siquidem Poetae erant sub Liberi tutela: ut Noster Carm. I, 1, 31. „*me gelidum nemus Nympharumque leves cum Satyris chori Secerant populo*“: Epist. I, 19, 4. „*Adscriptis Liber Satyris Faunisque poetas*“: et Ep. II, 2, 78. „*Rite eliens Bacchi, somno gaudentis et umbra*“: *metu* vero, quia mortalis non potest non terri deorum immortalium aspectu: ut Aeneas ipse, fortissimus licet, toto corpore cohorruit, cum Dii Penates sibi in somno apparuissent, Virgil. Aen. III, 172. „*Talibus attonitus visis, ac voce deorum. Tum gelidus toto manavit corpore sudor*“: et postea viso Mercurio, Aen. IV, 279. „*At vero Aeneas aspectu obmutuit amens, Arrectaque horrore comae, et vox faucibus haesit*“: Sponte tamen et Penates et Mercurius se Aeneae conspiciendos dederunt: iustior itaque Horatii *metus*, qui inopinatus et iniussus Bacchi et Nympharum concilium oculis temeraverat. Quippe, ut vulgo tum creditum est, sine magno malo vel summo discrimine, nemo unquam Deum aliquem invitum conspexit. Notum illud Homeri Iliados Y, v. 131. „*Χαλεποί δὲ θεοὶ φάινεσθαι ἄναγγεῖς*“: et Callimachi, Hymno in Palladem v. 100. *Κρόνιοι δ' ὅδε λέγοντι νόμοι, Ὅσχε τιν' ἄθαρτάων, ἕκα μὴ θεός αὐτός ἔρηται, Ἀφροδίτη, μισθῶ τοῦτον ἰδεῖν μέγαλω*“: ubi vide plura ad hanc rem apud Illustriss. Spanhemium *τὸν πᾶν καὶ τὸν παρῳριστόν*. Iure itaque fingit Horatius, sibi, viso Baccho, cor metu trepidare; mixta tamen *laetitia*, quia noverat (Carm. I, 17, 13) *pietatem suam et Musam diis esse cordi*. Recte igitur habet, *turbidum laetatur*; ut intelligamus voluptatem eam cum horrore fuisse iunctam. Quo modo et Lucretius III, 28. „*His tibi me rebus quodam divina voluptas Percipit, atque horror*“: Recte etiam, mens *trepidat metu et laetatur*; ut fere Persius dixit, „*Laetari praetrepidum cor*“: Sed opellae pretium est, ut totus Persii locus hic describatur, cum et explicatione et emendatione egeat, Sat. II, 53. „*Sὶ tibi crateras argenti, incusaque pingui Auro dona feram; sudas, et pectore laevo Excultas guttas: lactari praetrepidum cor*“: ubi perperam

Fas pervicacis sit mihi Thyiadas,
10 Vinique fontem, lactis et uberes
Cantare rivos, atque truncis
Labsa cavis iterare mella:
Fas et beatæ coniugis additum
Stellis honorem, tectaque Penthei

v. 9. Vulg. *Est mihi Thyiadas*.

magnus Casaubonus *guttas* interpretatur *lacrimas*; et *laevo* pectore, *stulto*. Tu vero lege et distingue; neque mea fide, sed MSti codicis Tho. Galei: „*Sudas, et pectore laevo Excultas guttas lactari praetrepidum cor*“: Vel, si forte id mavis, *sudas*, et *excultas*. Quorum hic sensus atque ordo est: *Sudas, et cor praetrepidum* sive properans *lactari excultas guttas* sudoris *pectore laevo*, sive sinistra parte pectoris, ubi cor salit, et sudor erumpere solet. *Praetrepidum lactari*, constructione Graeca, et tam Persio, quam Horatio familiari, de qua vide nos ad Carm. I, 1, 5.

9. *Fas pervicacis est mihi Thyiadas*] *Fas est*, ut hic explicant veteres Scholiastae, non significat quod alibi solet, *Licet*, sed *Possibile est*: ut *Nefas* et *τὸ ἐνόστον* notat et *τὸ ἐδύνατον*. Sed utrovis modo acceperis, non belle cohaeret cum filo totius carminis. Metu trepidus poeta, ne forte Bacchus a se conspectus graviter offenderetur, et (ut pulchre iidem Scholiastae) *per mentis perturbationem putans sibi infesto thyrsos deum imminere*, deprecatur eius veniam verbis submissis: „*Parce, Liber, Parce gravi metuende Thyrsos*“: et deinde per totum carmen Bacchum ipsum compellat, et propitium sibi facit: *Tu flectis amens; Tu cum parentis. Te vidit insons Cerberus*. Unde igitur tanta fiducia, ut statim ingerat, *fas est mihi Thyiadas et vini fontem* et caetera Liberi Patris miracula vulgo proferre. Haec non sunt verba *metuentis* aut *deprecatantis*. Tu vero corrige, reclamantibus licet codicibus, „*Fas pervicacis sit mihi Thyiadas*“: Bacchum enim his verbis, ut caeteris quae sequuntur omnibus, alloquitur: *Parce*, inquit, quod te inopinatus viderim; *fas sit* te a me visum esse, aliis narrare; *liceat* ea quae viderim carmine celebrare. Id enim nisi cum Bacchi venia non ausus fuisset; ut alibi Carm. I, 18, 11. „*non ego te, candide Bassareu, invitum quatiam; nec variis obsita frondibus Sub dieum rapiam*“: Sic et Virgilius, ea quae sub inferis sunt narraturus, prius Deorum et Manium veniam precatur. Aen. VI, 266. „*Dii quibus imperium est animarum, umbraeque silentes, Et Chaos et Phlegethon, loca nocte latentia late, Sit mihi fas audita loqui: sit numine vestro Pandere res alta terra et caligine mersas*“: Porro in hoc ipso versu *Thyiadas* vel *Thiadadas* habent Horatii codices: Orthographia tamen et auctoritas magis postulat, ut *Thyiadas* scribamus. Velius Longus p. 2220. „*Quotiens duabus vocalibus interiecta I litera est, duarum consonantium obtinet vicem; sic non erit acephalus versus: „Thyias ubi auditio trepidant triterica Baccho,*“: et „Troiaque nunc stares“: et „Aio te, Acacida, Romanos vincere posse“: Sed tamen editum est *Thyas* etiam apud Velium, plane contra ipsius Velii effatum: tria enim exempla profert, ubi duabus vocalibus I intericitur, *Aio, Troia, Thyias*. Versus autem est Virgilii Aen. IV, 302. „*Thyas, ubi auditio stimulant triterica Baccho*“: Ita olim in suis codicibus Velius reperit; ita, teste Pierio, nunc exhibet vetustissimus Codex Mediceus. Ceteri tamen apud Pierium *Thyas*; et sic Inscriptio apud Gruterum p. 590, 1. ATENNIA. THYAS. Eadem est diversitas etiam apud Graecos. *Θυιάς* nunc legitur in editionibus Aeschylis, Sophoclis et aliorum: at Hesychius cum vocali gemina, *Θυιάς, Βαυιάς*: ubi ipse literarum ordo de scriptura dubitare non sinit. Placet igitur *Thyiadas*, ut *Agyieus Harpyia, Lithyia, Orithyia*.

15. Disiecta non leni ruina,
Thraeis et exitium Lyeurgi.
Tu flectis annis, tu mare barbarum:
Tu separatis uvidus in iugis
Nodo coërces viperino
20. Bistonidum sine fraude criminis.
Tu, cum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhoetum retorsisti leonis
Unguibus, horribilique mala:
v. 23. Vulg. *Rhoecum*.

15. *Disiecta non leni ruina*] Editiones principes Veneta et Loscheri, cum recentioribus codicibus, habent *levi*. *Non leni ruina*, ut Seneca Phoenissis v. 284. „*atque urbes movet Graias in arma: non levis fessis venit Ruina Thebis*“ sic Horatii ruina, ut Noster Serm. II, 8, 54. „*In-terea suspensa graves aulaeas ruinas In patinam fecere*“ Rectius tamen veteriores membranae *leni*, ut Blandinae Cruquii, et ex meis Leidenses, Graeviana, et ex prima manu Regimensis. *Non leni*, i. e. *crudeli*: quippe Pentheus a matre lymphata vivus discerptus est. Male igitur *eo leni* hic praefertur editiones quaedam, etiam recentes: neque enim in eo loco Trochaeum, ut *non le*, admittere solet Noster. Nam quod vir eruditus id ab Alcaeo facilitatem observat, ut [fr. 35, 3 Bergk] „*2 Βαχί, φάρμακον δ' ἀριστον*“ et [fr. 34, 5], „*Μελιχρόν ἀντίω ἀμφί κόρα*“, id quidem verum est, sed nihil ad Horatii morem. Quin et in Sapphico carmine, Trochaeum in secundo loco saepe adhibuerunt et Alcaeus et Sappho, ut [fr. 1, 1] „*Ποικίλαρον ἀθένατ' Ἀρροδίτα, Παι Διὸς δολόλοξο, Ἰσσομαί σε*“: quod secutus est etiam Catullus, ut in XI. [v. 6] „*Seu Sacus Sagittiferosque Parthos*“: et LI. [v. 13] „*Otium, Catulle, tibi molestum est*“: tamen data opera Noster a Trochaeo in eo loco abstinuit, tum in hoc Sapphico versu, quam in illo Alcaeo. Idque optimo consilio factum: nempe ut versus illi tardiores paullo graviioresque venirent ad aures: nam sine spondaeo celeres nimium volubilesque et sine pondere feruntur. Vide nos ad Carm. III, 2, v. 1.

23. *Rhoecum retorsisti leonis*] Et iterum Carm. III, 4, v. 55. „*Quid Rhoecus evulsisque truncis Euceladus?*“ Ita nunc editiones pleraeque contra omnium membranarum fidem, quae summa constantia habent *Rhoetum*, vel *Retum*, vel *Hothum*; ut semper scribatur litera T, non C. Solus Cruquius ex uno codice profert *Rhoecum*: idem tamen fatetur C in litura fuisse; et ex prima manu etiam iste codex exhibuerit *Rhoetum*. Neque aliter habent editiones veteres ante annum MDL. Quicumque primus immutavit, id videtur fecisse auctoritate Apollodori, qui unum ex Centauris *POIKON*, *Rhoecum* memorat, lib. III. c. 9. „*Κενταύροι POIKOΣ καὶ Ὑλάϊος*“: quo modo et Aelianus XIII, 1. „*Ἄνα τῶν κενταύρων Ὑλάϊος τε καὶ POIKOΣ*“; et Callimachus Hymno in Dianam v. 224. „*Οἷδὲ μὲν Ὑλάϊον τε καὶ ἄρρονα POIKON ἑόληα*“ Quin et praeter illum Centaurum, nomen *Rhoecus* aliunde erat Graecis notum, ut *POIKOΣ* ille, de cuius amoribus cum Nympha Hamadryade vide Scholiastem Apollonii Rhodii ad lib. II, v. 477. et Samius ille Architectus et Plastes apud Herodotum III, 60. et Pausaniam lib. VIII. [c. 14 § 8] de quo et Plinius XXXV, 12. [§ 152] „*Sunt qui in Samo primos omnium Plastem invenisse Rhoecum et Theodorum tradant*“ Esto igitur, si velint, Centauri nomen *Rhoecus*: quid hoc ad *Gigantem*. de quo agit Noster? Gigantem certe nemo Graecorum, quod sciam, *POIKON* nominavit. Quamquam et Centaurum illum non *Rhoeci*, sed *Rhoeti* nomine scriptores Latini appellent, aut alios credo

auctores, aut alios codices secuti: ut Virgil. Georg. II, 456. „*Centaurus leto domuit, Rhoetumque Pholumque, Et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem*“: ita omnes Pierii codices, nullus *Rhoecum*. Ovid. Metam. XII, de pugna Centaurorum cum Lapithis. v. 271. „*Ecce rapit mediis flagrantem Rhoetus ab aris*“ et 285. „*Gaudia nec retinet Rhoetus*“ et 301. „*Rhoetus et ipse suo madefactus sanguine fugit*“ Ita omnes apud Heinsium scripti. Valer. Flacc. I, 141. „*mulloque insanus Iaccho Rhoetus*“ Et III, 65. „*Rhoetus iniqui Nube meri*“ Sic omnes utrobique membranae tam Heinsii, quam Carrionis. Lucan. VI, 390. „*Teque sub Oetaeo torquentem vertice vulsas, Rhoete feror, quas vir Boreas inverteret, ornos*“ ita editiones veteres cum codicibus Palmanni et Bersmanni: male magnus Grotius in suis editionibus, *Rhoeca*. Claudianus in Nuptiis Honorii, praefat. v. 13. „*Centauri Faunisque negant; quae flectere Rhoeton, Quae rigidum poterant plectra movere Pholum?*“ Iam vides Latinos uno consensu *Centaurum* illum *Rhoetum* appellasse: ut fortasse controversia movenda sit de lectione *POIKOΣ* apud Callimachum, Apollodorum, et Aelianum. Verum hoc esto, ut libet. Sed nulla interim ratio est, cur in *Gigantis* nomine codicum omnium scripturam repudiemus, praesertim cum omnia quae apud Graecos extant huius nominis vestigia lectioni huic patrocinentur. Apollodorus I, 6. de pugna Deorum et Gigantum. „*Τῶν δὲ λοιπῶν Ἀπόλλων μὲν ἐκρίβαντον τὸν ἀριστερόν ἐτόξευσεν ὀφθαλμῶν, Ἡρακλῆς δὲ τὸν δεξιόν, Ἐϋρυτον δὲ θυρσῶ δυνὸς ἔκτενε, κλέτιον δὲ φασίη, ἐκείνη, αὐτὸν δὲ Ἡρακλῆτος βέλων μύθοις*“ Vbi obsecro te quid haec sibi volunt, *Ἐϋρυτον δὲ, θυρσῶ δυνὸς*: hoc est, *Eurytum autem thyrsu quercus peremit Hercules*? Quid, malum, Hercules cum thyrsu pugnans? anne *clavam* tum perdidit? codex manuscriptus pro *δυνὸς* habet *διός*. Corrigendum sine dubio, *Διώνος*, ut et ante nos vidit Doctissimus Galvus ad locum. *Ex Gigantibus*, ait auctor, *Ephialtem sagittis confecerunt Apollo et Hercules. Eurytum thyrsu interemit Bacchus; Clytium occidit vel Hecate vel Vulcanus*. Habemus iam, opinor, gigantem, quem quaerimus. Vide enim: *Eurytus* a *Baccho* peremptus est, secundum Apollodorum: *Rhoetus* ab eodem *Baccho* secundum Horatium. Nimirum iste *Eurytus* idem est, qui *Rhoetus*: et omnino pro *Ἐϋρυτον* rescribendum est *Ροῖτον*. *ot* et *v* apud Graecos eodem sono proferebantur; unde passim in Scriptis Codicibus confundi solebant, ut mille locis videre est apud Suidam, Hesychium, et alios. Pro *Ροῖτον* igitur scriptum erat *Ρέτον*, inde correctores dederunt *Ἐϋρυτον*. Neque nos moveat, quod ille Thyrsu, Noster sub Leonis specie *Bacchum* pugnasse dicat: nam in fictis fabulis pro lubitu mentiebantur auctores veteres. Apud Hyginum [Praef.] inter nomina Gigantum habentur, *Ephialtes, Erytus*: ubi ex Apollodoro rescribunt *Eurytus*; ego et hic quoque reposuerim *Roetus*. Scholiastes Hesiodi ad Theogoniam [v. 185], *Nomina*, ait, *Gigantum sunt haec, Ἀχχωνεῖς, Ἐγέλαδος, Πορφυροῦν, Μίμας, Φοῖτος, Οὐμβάσιος*. Iterum pro corrupto illo *φοῖτος*, repono *POITOΣ*. Haec sola, ni fallor, nunc apud Graecos restant vestigia huius nominis seu *Rhoeti* sive *Rhoeci*: et in his, ut vides, litera T est, non K: ut longe facilius ex eis extendas *POITON* quam *POIKON*. C tamen vel K retinet Naevius in Carmine Belli Punici primo, cuius locus extat apud Priscianum p. 679, sic ad Saturnios versus reducendus: „*Inerant signa expressa, quomodo Titanii, — Biceorporos Gigantes, magnique Atlantes, — Rhuncus atque Purpureus, filii Terrae*“ Nam sine dubio *Rhuncus* ille et *Purpureus* iidem sunt, ac *Rhoecus* sive *Rhoetus* et *Porphyrius* apud Horatium et alios. Codex Prisciani scriptus habet *Runcus*, alter *Ruchus*. *Rhoetum* tamen clare confirmat Sidonius Apollinaris Carm. VI, 24. „*Pindus, Othrys, Pholoe, dextris cecidere Gigantum. Decidit et Rhoeti iam gravis Ossa manu. Sternitur Aegeon, Briareus, Ephialta, Mimasque Arctos sueti lambere calce rotas. Euceladus patri iacuit, fratrique Typhoeus, Enboicam hic rupem sustinet, hic Siculam*“

24. *Horribilique mala*] Sententia quidem comperta est; *Bacchum* sci-

25 Quamquam, choreis aptior et iocis
 Ludoque dictus, non sat idoneus
 Pugnae ferebaris, sed idem
 Pacis erat mediusque belli.
 Te vidit insons Cerberus aureo
 30 Cornu decorum, leniter atterens
 Caudam; et recedentis trilingui
 Ore pedes tetigitque crura.

XX.

AD MAECENATEM.

Non usitata, nec tenui ferar
 Penna biformis per liquidum aethera
 Vates; neque in terris morabor
 Longius; invidiaeque maior
 5 Urbis relinquam, non ego, Pauperum
 Sanguis parentum, non ego quem vocas,
 Dilecte Maecenas, obibo;
 Nec Stygia cohibebor unda.

haec in Leonem se transformasse, et sub ea specie cum Rhoeto pugnasse: sed verba non adeo clare id indicant, „*Rhoetum retorsisti leonis Unguibus horribilique mala.*“ Nihil enim verba haec vetant, quin verum Leonem intelligas; quales cum Tigridibus et Pardis multos in comitata habere solitus est Bucehus. Quare vide, annon forte rescribendum, „*Rhoetum retorsisti Leonis Unguibus horribilique mala.*“ et ordo erit, *Tu horribilis unguibus malaque leonis retorsisti Rhoetum.* Ea particulae quae structura familiaris Horatio est, ut mox in hoc ipso Carmine v. 32, „*ore pedes tetigitque crura.*“ III, 1, 12. „*Moribus hic meliorque fama.*“ et III, 4, 11. „*Ludo fatigatumque somno.*“ Verum quidem est, quot hodie extant codices *horribili* habere; at non ita olim, quantum ex vetero Scholiasta Acone licet coniecere: sic enim ille, „*Horribilique mala macilla metuendus.*“ Certe haec interpretatio est, non *roē horribili*, sed *roē horribilis*.

1. *Nec tenui ferar.* Codices nostri, Reginensis et Petrensis, „*Non usitata, non tenui ferar.*“

3. *Neque in terris morabor.* Graevianus, Reginensis, Galei, Magdalenensis, Boudicianus cum pluribus Torrentii, *terra.*

6. *Non ego quem vocas Dilecte Maecenas obibo.* Nolim haec sana praestare, quamvis ita exhibent omnes scripti editique. Laborant autem interpretes, ut sensum aliquem extendant. Quibusdam *quem vocas* est, quem *ad caenam* vocas; ut Catullus [47, 7], „*Quaerunt in trivio vocaciones.*“ et [44, 21], „*Qui tunc vocat me, cum malum legit librum.*“ et Plautus in Stichio [1, 3, 28]: „*Negare nulli soleo, siquis me vocat.*“ Verum haec interpretatio parasiti potius gulam, quam gratum Clientis animum exprimit: Quasi vero maius esset cum Maecenate pulpamenta comedere, quam vitam, pecuniam, et agrum in Sabinis ei debere. Aliam igitur viam insistunt Interpretum pars melior, et sic locum interpungunt, „*non ego, pauperum Sanguis parentum, non ego quem vocas Dilecte, Maecenas, obibo.*“ ut sententia sit; non ego, quem sic tu compellere soles *o dilecte*: sive, quem tu Dilectum vocas. Sed neque haec interpretatio multo melior est altera. Nam primo, ab ambiguo laborabit sententia, quo vitio minime

Iam iam residunt cruribus asperae
 10 Pelles; et album mutor in alitem
 Superne; nascunturque leves
 Per digitos humerosque plumae.

tenebatur Noster: quippe si puneta, ut olim, abfuerint, quis non potius *Dilecte* cum *Maecenas* coniunxerit? ut alibi, *Clare Maecenas eques, Iocose Maecenas, Beate Maecenas, Candide Maecenas, Maecenas docte*: et Statius Silv. II, 4, [v. 32] ad Meliorem Atedium, „*quo tu, Melior dilecte, recluso Numquam solus eras.*“ Deinde, inepte hoc et alieno prorsus loco ponetur, *Ego pauper, ego quem Dilectum vocas, non obibo*: quasi eo magis mirum foret, se non obiturum esse, quod a Maecenate diligeretur. Recte et acute Vir magnus Iulius Scaliger [Poet. p. 887], „*Ille tamen,*“ inquit, „*non conveniunt loco.*“ Non ego, quem vocas *Dilecte*, *Maecenas*, *obibo*: *Quid enim? quod πάθος?* *Imo nihil mirum, poetam qui placeat Maecenati, interire.*“ Sed tantum absunt, ut Horatium intelligant, ut ne Scaligerum intellexerint. Scripsit enim Scaliger, *Imo nihil mirum, poetam qui placeat Maecenati, non interire*, hoc est, Scripta eius immortalia fore. Male Typographus negativam particulam omisit. Quid multa? sine dubio sic construendus est locus, „*Non ego, non ego obibo, quem vocas Sanguis pauperum parentum.*“ Hic nihil iam ineptum; hic pulchre habet Antithesis; non ego, quem pauperis Libertini filium vocas, obibo: Neque paupertas neque ignobilitas generis obstabit, quo minus sempiternum nomen ex scriptis meis consequar. Sed quale, quaeso, illud, quod a *Maecenate* se vocari narrat Libertini filium? Quid? an ille unquam Horatio suo ignobilitatem improbraverit? Ille ne ut hoc fecerit, *qui non* (Serm. I, 6, 5.) *Ut plerique solent, naso suspendit adunco Ignotos*: — v. 7 *Qui referre negat, quali sit quisque parente Natus, dum ingenuus*: — v. 63 *qui turpi securit honestum, Non patre praeclearo, sed vita et pectore puro?* numquam hoc serio Maecenas. Proinde aut *ludo iocoque* se sic a Maecenate *vocari* solitum intelligamus, aut, quod fortasse melius est, sic levi mutatione locum emendemus: „*Non ego; Pauperum Sanguis parentum, non ego quem vocant, Dilecte Maecenas, obibo.*“ quem Rivaes scilicet et Invidi sic suggillare solent; [Serm. I, 6, 46] „*Quem rodunt omnes libertino patre natum.*“ Proclive autem fuit Librariis pro *vocant* substituere *vocas*, quia statim sequitur vocativus singularis, quo cum iungendum id esse pro sua sapientia existimabant.

10. *Et album mutor in alitem Superne*] Ita Codices plerique omnes *superne*; et sane ultimam corripit auctoritate Lucretii, cuius hoc est libro VI, 543. „*Terra superne tremil, magnis concussa ruinis.*“ et sic *inferne* ibidem v. 596. „*Tecta superne timent, metuunt inferne cavernas.*“ Similiter et Prudentius Peristeph. XII, 39 „*Omnicolor vitreas picturae superne linguit undas.*“ et Cathem. III, 20. „*Denique quod sumus aut agimus, Trina superne regat pietas.*“ ubi Nic. Heinsius *inferne* etiam notat ex Ausonio, Epist. V, [v. 21] „*Implicitum quam te nostris interne medullis.*“ Cui addas ex eodem de Bardigala eiusdem [v. 14], „*Distinctas interne vias mirere domorum.*“ Festus denique Avienus in Orae Maritimae descriptione [v. 236], „*nullus aethram discutit Superne venti spiritus, pigra incubat Caligo terras.*“ Legat itaque, qui volet, et in Horatio *superne*. Verum cum disertissimus Muretus asseveret vetustos quosdam codices habere *superna*; et sic e Nostris Zulichemianus, si Heinsianis Excerptis fides: quibus favent Leidensis et Magdalenensis noster, ubi habetur *supernae*: melius videtur ut cum Mureto reponamus, „*et album mutor in alitem Supernae, nascunturque leves.*“ Neque enim apud ullum politioris aevi poetam, correptam in his adverbii ultimam invenies; neque tam aptum hic et appositum est *Superne*, quam *Superna*. Quippe *superna* nihil aliud

- Iam Daedaleo ocior Icaro,
 Visam gementis litora Bospori.
 15 Syrtisque Gactulas, canorus
 Ales, Hyperboreosque campos.
 Me Colchus, et, qui dissimulat metum
 Marsae cohortis, Dacus, et ultimi
 Noscent Geloni: me peritus
 20 Discet Hiber, Rhodanique potor.
 Absint inani funere naeniae,
 Luctusque turpes, et querimoniae:
 Conpescce clamorem, ac sepulcri
 Mitte supervacuos honores.

notet, quam Supernas corporis partes: at *Superne*, magis quae supra corpus et caput sunt, quam superiora corporis. Elegans vero constructio est, a Graecis hausta, *Mutor superna* in alitem; ut Ovidius Metam. IX, 81. „*Sic quoque devicto restabat tertia tauri Forma truncis: tauro mutatus membra rebello.*“ Neque vero formides syllabarum earundem concursum, *Superna nascuntur*: sic enim Virgilius [Aen. II. 462], *Achaica castra*, [Aen. II, 27; VI, 88] *Dorica castra*; et plurima similia.

13. *Iam Daedaleo ocior Icaro*] Miror equidem, cur Icaro exemplo hio uti voluerit Noster. Quid opus erat, ut male sibi ominaretur? Melius profecto sapuit Carm. IV, 2, 1. „*Pindarum quisquis studet aemulari, Iule, ceratis ope Daedalea Nititur pennis, vitreo daturus Nomina ponto.*“ Quisquis ergo *Icaro* exemplo volaverit, sive *ocior* sive tardior nihil interest, is certe male rem gesturus est, et temerariis ausis excidet in aquis periturus. Vix erederim tam nasutum poetam a tam sinistro omine non sibi cavisse. Codex noster Leidensis plus DCCC annorum pro *ocior* habet *natiior*. Nimirum iam olim turbabant codices in hoc vocabulo. Quid si rescripseris: „*Iam Daedaleo tutior Icaro, Visam gementis litora Bospori.*“ hoc est, ego iam in eynum mutatus, non Icaro exemplo, sed *tutis* pennis volabo, et remotas regiones visam. Ovid. Trist. III, 4. [v. 21] „*Quid fuit, ut tutas agitarit Daedalus alas, Icarus Icaris nomine signet aquas? Nempe quod hic alte, demissius ille volabat: Nam pennas ambo non habuere suas.*“ ubi recte acutissimus Heinsius, *agitarit* pro *agitaret*: debuit quoque ex quatuor scriptis *Icaris* pro *immensas*, quod nive ipsa frigidius est. Perperam vero idem contra omnes codices in ipso textu reposuit, „*Nam pennas ambo non habuere suas?*“ Recte enim veteres libri: „*Non habuere suas*“: hoc est, Ambo enim pennas habuere *non suas*, sive *alienas, factitias*: cur non igitur aequae ambo aut tuti erant, aut perierunt? nempe hic alte, ille demisse volabat. Virgil. Georg. II, 82. „*Miraturque novus frondes et non sua poma.*“

Q. HORATII FLACCI

C A R M I N U M

LIBER III.

I.

- Odi profanum volgus, et arceo.
 Favete linguis: carmina non prius
 Audita Musarum sacerdos
 Virginibus puerisque canto.
 5 Regum fimendorum in proprios greges,
 Reges in ipsos imperium est Iovis,
 Clari Giganteo triumpho,
 Cuncta supercilio moventis.
 Est ut viro vir latius ordinet
 10 Arbusta sulcis; hic generosior
 Descendat in campum petitor;
 Moribus hic meliorque fama
 Contendat; illi turba clientium
 Sit maior: aequa lege necessitas
 15 Sortitur insignis et imos;
 Omne capax movet urna nomen.
 Districtus ensis cui super in pia
 Cervice pendet, non Siculae dapes
 Dulcem elaborabunt saporem;
 20 Non avium citharaeque cantus

9. *Est ut viro vir latius ordinet*] Ita quidem codices, quotquot extant: sed excutiamus sententiam, *est ut*, hoc est, *fieri potest*, ut vir viro, sive unus altero, sit ditior, nobilior, melior, gratiosior. *Fieri potest* autem? quid hoc tam mirum? imo ita fieri necesse est; ita semper fuit semperque erit. Cave igitur credas tam frigidam gnomen ab Horatio profectam esse. Corrigo: „*Esto, ut viro vir latius ordinet Arbusta sulcis*“: hoc est; *concedamus*, alium divitiis, alium nobilitate praecellere: hunc moribus et fama, illum gratia et popularitate pollere: Quid tum? quid proderit? aequa enim lege omnes morientur, tam insignes, quam infimi. Tam hoc, nisi fallor, poeta nostro dignum est. Et firmat nostram coniecturam Scholiastes vetus Cruquii: *est, ait, pro sit*. Imo vero *esto* pro *sit*.

- Somnum reducent. somnus agrestium
 Lenis virorum non humilis domos
 Fastidit umbrosamque ripam,
 Non Zephyris agitata Tempe.
 25 Desiderantem quod satis est, neque
 Tumultuosum sollicitat mare,
 Nec saevus Arcturi cadentis
 Impetus, aut orientis Haedi:
 Non verberatae grandine vineae.
 30 Fundusque mendax; arbore nunc aquas
 Culpante, nunc torrentia agros
 Sidera, nunc hiemes iniquas.
 Contracta pisces aequora sentiunt,
 Iactis in altum molibus: huc frequens
 35 Caementa demittit redemptor
 Cum famulis, dominusque terrae
 Fastidiosus: sed timor et minae
 Scandunt eodem quo dominus: neque
 Decedit aerata triremi, et
 40 Post equitem sedet atra cura.
 Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
 Nec purpurarum sidere clarior
 Delinit usus, nec Falerna
 Vitis, Achaemeniumve costum;
 45 Cur invidendis postibus, et novo
 Sublime ritu moliar atrium?
 Cur valle permutem Sabina
 Divitias operosiores?

v. 44. Vulg. *Achaemeniumque*.

39. *Triremi et Post equitem*] In omnibus Bersmanni, Pulmannique et nostris Codicibus; credo etiam et aliorum, quamvis illud dissimulent, deest particula *et*: deest etiam in editione Loscheri. Princeps tamen Veneta habet *et*, unde in ceteras manavit. Mollius, opinor, fluet versus, si sic legeris syllaba liquefacta: „*Decedit aerata triremi, Postque equitem sedet atra Cura.*“ ut Virgilius Georg. III, 116. „*Impositi dorso atque equitem docuere sub armis.*“ et Aeneid. X, 893. „*Ferberat, effusumque equitem super ipse secutus.*“

44. *Nec Falerna Vitis Achaemeniumque costum*] Illud *que* non editiones modo, sed et codices quos viderim universi exhibent. Corrigenandum nihilominus; „*Nec purpurarum sidere clarior Delinit usus, nec Falerna Vitis, Achaemeniumve costum.*“ *Nec, nec, ve vel aut*, in disiunctionibus rite usurpantur; ut ostendemus ad Epod. XVI, 6. et Serm. I, 6. v. 68.

48. *Divitias operosiores*] Si accederet codicis alicuius auctoritas, legere posses, „*Cur valle permutem Sabina Divitias onerosiores?*“ ut Noster alibi. Serm. I, 6. v. 99. de divitiis, „*Nollim onus, haud umquam solitus, portare molestum.*“ Ovid. Metam. IX, 675. *onerosior altera sors est.* Favet Scholiastes Porphyrio, qui locum hunc sic explicat: „*Cur,*“ inquit, „*relicto Sabino agro, sub quo securam vitam ago contentus, ap-*

II.

- Angustam, amici, pauperiem pati
 Robustus acri militia puer
 Condiscat; et Parthos ferocis
 Vexet eques metuendus hasta;
 5 Vitamque sub divo, et trepidis agat
 In rebus: illum ex moenibus hosticis
 Matrona bellantis tyranni
 Prospiciens, et adulta virgo
 Suspiret, Eheu, ne rudis agminum
 10 Sponsus lacessat regius asperum
 Tactu leonem; quem cruenta
 Per medias rapit ira caedes.
 Dulce et decorum est pro patria mori.

petam amplissimas domum fundorumque possessiones, quae mihi oneri et molestiae sint.“ Verum eodem fere redit, sive *operosas* sive *onerosas* opes dixeris: proinde nihil necesse est, ut a recepta lectione recedamus.

1. *Angustam amici pauperiem pati*] Multo plures Codices cum editione Veneta et Loscheri *amice*; de quo dubium fuerit, an adverbium sit, an vocativus singularis. Vocativum vero esse vix patitur versus ratio: quamquam Alcaeus, primus huius Metri auctor, unde et nomen ei accrevit Alcaicum, Trochaicum in eo loco saepe adhibuerit; ut et Hephaestion tradit, et exemplis comperimus: ut [fr. 18, 6 Bergk] „*Ἄαρ μὲν γὰρ ἄνιλος ἰστυπέδαρ ἔχει.*“ et, [Scol. 15, 2 Bergk] „*Ἐἴ τις δύναιτο, καὶ παλάμην ἔχοι.*“ et illud apud Athenaeum lib. X, p. 430. [Alcaei fr. 35] „*Οὐ γὰρ κακοῖσιν θυμὸν ἐπιτρέπον. Προκόψομεν γὰρ οὐδὲν ἀσώμενοι, ὦ Βασιλῆ, φάρμακον δ' ἀριστὸν Ὀλβὸν ἐνείκατένοις μεθέσθαι.*“ quem locum eo integrum citavimus, ut emendatior fieret: vulgo enim *ἀσάμενοι*, et *μεθυσθήναι*: quorum hoc contra versum est, illud et contra versum et sententiam. Sed quamquam, ut iam vides, Trochaeo hic usus est Parens huius carminis Alcaeus; numquam tamen Horatius; sed ubique Spondeum eo loci posuit [v. ad Carm. III, 5, 17]: quo autem consilio abstinuerit a Trochaeo, ostendi ad Carm. II, 19, v. 15. Restat igitur, ut *amice* sit adverbium, et constructio sit, *Puer condiscat amice pati angustam pauperiem*. Quamquam hoc iam nimium esse videatur: cur enim adeo *amice*? satis profecto est, si *patitur*: ut alibi Carm. IV, 9, 49. „*rectius occupat Nomen Beati, qui Deorum Muneribus sapienter uti, Duramque callet pauperiem pati, Peiusque leto flagitium timet.*“ Quid quod nemo ita locutus est, *amice pati* pro facile et aequo animo? Placetne igitur, ut cum II libris Palm. et plerisque editis legamus, „*Angustam, amici, pauperiem pati.*“ quo nos invitant *ἐπιτροπῆ* et Tituli huius Carminis in membranis vetustis. Sic Graevianus et Leidensis: *de institutione ad amicos loquitur*. Reginensis: *de instructione ad amicos loquitur*. Aeron Scholiastes, etiam manuscriptus: *Hanc oden ad amicos generaliter scribit*. Editio Veneta; *Ad amicos Paraceticæ tricolos*. Sic et alibi Noster amicos suos compellat; ut I, 37, 4. „*Tempus erat dapibus, sodales.*“ I, 27, 7. „*Impium Lenite clamorem, sodales.*“ Art. Poet. 5. „*risum teneatis, amici.*“ Epod. XIII, 3. „*rapiamus, amici, Occasionem de die.*“ ubi tamen contrario errore peccaverunt Librarii; nam ut hic *amice* posuerunt pro *amici*, ita vice versa in Epodo *amici* pro *amice* substituerunt, ut ad eum locum ostendam.

Mors et fugacem consequitur virum:

15 Nec parit inbellis inventae

Poplitis, timidove tergo.

Virtus, repulsae nescia sordidae,

Intaminatis fulget honoribus;

v. 14. Vulg. *Persequitur.* 16. *Timidoque.*

14. *Mors et fugacem persequitur virum*] Tolerantius sane lectio est *persequitur*: sic enim alibi Serm. II, 7. v. 115. „*Frustra: nam comes atra premit, sequiturque fugacem.*“ et Seneca Controvers. [Excerpt.] VIII, 4. „*Quis miretur cum mori voluisse, quem fugientem quoque Fortuna persequitur?*“ Variatum tamen olim in libris: nam tres Lambini Codices, et unus Cruquii, cum nostris Graeviano et Petrensi, *prosequitur*. Nimirum facilis et frequens librariorum lapsus erat in praepositionibus compositis; ut qui manibus membranas veteres versarunt, probe sciunt. Quale et hic accidisse crediderim. Quippe, quod alii iam observarunt, aperte hic Noster imitatus est Simonidem, et verbum de verbo reddidit [fr. 65 Bergk], „*Ὁ δ' αὖ θάνατος ἔρχετο καὶ τὸν φερόμενον.*“ Atqui EKIXE maius quiddam est, quam *persequitur*. Nam *persequi* nihil aliud est quam *sequi*: *ξεῖρον* vero est *assequi*, *consequi*, *nascisci*, *prehendere*. Quare nullus dubito, quin Horatius sic scripserit, „*Mors et fugacem consequitur virum.*“ Quid hoc intersit, ex Seneca disces de Beneficiis, V, 5. [§ 3] „*Non est turpe non consequi, dummodo sequaris.*“ Curtius adeo apposite, ut ad hunc ipsum Flacci locum respexisse videatur, IV, 55. [c. 14 § 25] „*Effugit mortem, quisquis contemserit: timidissimum quemque consequitur.*“

16. *Poplitis timidove tergo*] Rectius aliquot Lambini et Pulmanni cum meis Petrensi et Galei, *timidove*: et sic Aeron Scholiastes, tam editus, quam in Bibliotheca Regiae Societatis manuscriptus. *Aut poplitis, aut tergo*, non utrisque: quid enim opus, ut bis eandem percuteret Mors, cuius unus quisvis ictus letalis est. Latinus Pacatus in Panegyrico p. 131. [c. 36] „*Miles urgere; eminus, cominus, gladius, hastis, punctum, caesim, ferire: alii poplitibus imminere, alii terga configere; aut quos cursu non poterant continere, (lego, contingere) iaculis occupare.*“ Ubi nota, *alii poplitibus, alii terga*: recte itaque hic *Timidove non que*. Livius tamen XXII, 48. „*Quingenti Numidae aversam adoriantur Romanam aciem, tergaque ferientes ac poplites cadentes, stragem ingentem fecerunt.*“ Verum, cum de quingentis hoc narrat, non de uno milite; nihil vetat, quin et hic intelligamus, *alios* ex quingentis terga ferire, *alios* poplites caedere.

18. *Intaminatis fulget honoribus*] Gifanius in Indice Lucretiano pag. 432. [s. v. *versus*, p. 252 Haverk.] reponit ex codice suo; „*Virtus repulsae nescia sordidae in-contaminatis fulget honoribus.*“ cui adsentiuntur liber unus Lambini, et Pulmanni duo. Quin et editiones Pulmanni et Cruquii ea lectio occupavit. Caeterum vox *Incontaminatus* Livio, Varroni, aliisque usurpata est; *Intaminatus*, ut aiunt, nusquam reperias. Esto. Annon et alia sunt verba apud Nostrum et Ciceronem et alios, quae iam post tot scriptores deperditos singularia sunt, et semel inventa? Certe ut ab obsoleto verbo *Tamino*, composita illa in usu erant, *contaminatus, attaminatus*, quidni et *intaminatus*? Justin. XXI, 3. „*Omnibus ante iuratis viris, ne quis ullam attaminet saeminant.*“ Priscianus p. 559. „*D in compositione transit in T, ut Attinet, Attamino, Attingo.*“ Capitolinus in Gordiano Tertio, c. 27. „*Ita ut nihil quod ad eorum fortunas pertineret, attaminaret:*“ ubi Casaubonus plura profert exempla ex Ambrosio, Augustino, Aurelio Victore, et Codice Theodosiano. Numquam igitur evincunt, quin recte et ex analogia formatum sit *Intaminatus*. Imo vero vox ipsa

Nec sumit aut ponit securis

20 Arbitrio popularis aurae.

Virtus, recludens inmeritis mori

Caelum, negata tentat iter via;

Coetusque vulgaris, et udam

Spernit humum fugiente penna.

25 Est et fideli tuta silentio

Merces: vetabo, qui Cereris sacrum

Volgarit arcanae, sub isdem

reperitur apud Cyrillum in Glossario: ita tamen, ut iure cum Ovidio [Met. I, 654] dixeris, „*tu non inventa reperta Luclus eras levior*“: Quippe contrario plane sensu ibi ponitur, magisque officit receptae apud Flaccum lectioni, quam si nusquam exitisset. Sic enim Glossographus: „*Intaminata, MIANTHENTA.*“ Non nescis, quid sit *μυανθίντα*: *polluta* scilicet, *inquinata*. Glossographus alter: „*ΜΙΑΝΩ, attamino, contamino, inquino, polluo, incesto, violo.*“ Ergo si fides Glossario habenda est, *Intaminatis honoribus* idem foret, quod *contaminatis*; sententia a Poetae mente prorsus aliena. Neque vero contemnenda facile est Cyrilli auctoritas. Nam in aliis huius generis Compositis, ubi verbum simplex *pollutionem, contagium*, vel *mixturem* notat, praepositio IN non negativa est, sed auget et intendit significationem: sic *intinctus, illitus, insuccatus, incrustatus, incoctus, infuscatus, impicatus, immixtus, infucatus, inauratus, inustus, inebriatus*, et similia, non negant, verum affirmant, Quidni igitur *contaminare, attaminare, intaminare* eandem vim habeant; ut *commiscere, admiscere, immiscere*, et id genus alia? Neque tamen sum nescius, participia quaedam cum IN composita, duplicis esse significationis, et negativae, et affirmativae. Proinde eligat Lector peritus, utrum velit; sive *Intaminatis*, sive *Incontaminatis* honoribus; me quidem volente utrumvis legerit: ita tamen ut ad posteriorem lectionem magis inclinatus animus; cum videam Decomposita illa in usu fuisse, apud multos *Incontaminatus*, apud Tertullianum, *Inattaminatus*: De Corona Militis Cap. XV. „*Serva Deo rem suam inattaminatam*“: quod eo consilio factum videtur, quia compositum *Intaminatus* diversam plane significationem haberet. Sulpicius tamen Severus II, 14, 7. „*Dei spiritu praevalentes, ut intaminata ab ore corrupto et falsis vera miscere intra sua tantum mysteria contineretur historia.*“ Ubi, si fides editionibus constat, *intaminata* perinde est atque *incontaminata, inattaminata*.

19. *Nec sumit aut ponit securis*] Tres ex nostris, Reginensis, Battelianus, Vigorniensis, *Nec ponit aut sumit*. Frustra: prius enim est *sumere*, quam *sumtum ponere*. Seneca Quaest. Natural. I, 7. [§ 2] „*Speciem falsi coloris, qualem columbarum cervicis et sumit et ponit, utcumque deflectitur.*“ Lucanus IX, 200. „*Iuvit sumta virum, invit dimissa potestas.*“

27. *Qui Cereris sacrum Volgarit arcanae*] Recte vetusti Codices, Graevianus et Reginensis, *Volgarit*; non ut quidam ex recentioribus, *Vulgavit*. Porro, est qui legendum autumet, „*qui Cereris sacrum Volgarit arcanum.*“ ut alibi Epod. V, 52. „*Arcana cui sunt sacra.*“ Ovid. Epist. Medea. [XII, 79] „*Per triplicis vultus arcanaque sacra Dianae.*“ Statius Silv. III, 3. [v. 65] „*sacrisque Deorum Arcanis haerere datum.*“ Seneca Medea, 912. „*Artus iuvat secuisse, et arcana patrem Spoliasse sacro.*“ idem Hippolyto, 107. „*lactare tacitis conscias sacris faces.*“ et Troad. 846. „*An sacris gaudens tacitis Eleusin.*“ Sed nihil mutandum. Nam et idem valet *arcanae*, ac si *arcanum* dixisset, et figuratius est: sic Virgil. Georg. IV, 521. „*Inter sacra deum, nocturnique orgia Bacchi.*“ ubi et editiones veteres et scripti aliquot perperam habent *nocturnaque*.

Sit trabibus, fragilemve mecum
Solvat phaselon. saepe Diespiter
30 Neglectus incesto addidit integrum:
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo.

III.

Iustum, et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava iubentium,
Non voltus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster
5 Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Iovis:
Si fractus inlabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.
Hac arte Pollux, et vagus Hercules
10 Ensis arcis attingit igneas:

v. 28. Vulg. *Fragilemque*. 29. *Phaselum*. 6. Iovis manus. 10. *Innicus*.

28. *Fragilemque mecum solvat phaselum*] Primo legendum *Fragilemve*, repugnantibus licet codicibus: centies enim milliesque *τὸ ve* mutatum est in *que*, ut sciunt qui manuscriptos tractant. Vetabo, inquit, qui mysteria Cereris revelaverit, aut terra sub eodem tecto mecum sit, aut mari in eadem navi. Deinde scribe cum Leidensi, Graeviano, Batteliano, et Acone manuscripto, *phaselon*, formatione Graeca. ut Ovid. Amor. II, 10. [v. 9] „*Errant, ut ventis discordibus acta* Phaselos.“ Stat. Silv. III, 2. [v. 31] „*Quaeque secaturam religent post terga* Phaselon.“ Porro imitatus est hunc locum Prudentius contra Symmachum II, 530. „*Iustiterant tenuis cumbae, fragilesque phaseli*.“

6. *Nec fulminantis magna Iovis manus*] Melior suaviorque ordo est in editione Veneta 1478 et omnibus ubique codicibus; „*Nec fulminantis magna manus Iovis*.“ Loscheri tamen editio 1498 priorem lectionem sequitur, unde in posteriores omnes derivata est. Paucis a natura datum est habere aurem.

7. *Si fractus inlabatur orbis*] Leidensis noster vetustissimus cum Petrensi et alio recentiore, *inlabatur*. Nihil muta. Hieronymus Epistola ad Demetriadem [v. 787 ed. Ben.]: „*Probans in se verum esse, quod in Lyrico Carmine super iusti praeconio dicitur, Si fractus inlabatur orbis, Impavidum ferient ruinae*.“ Et sic iterum citat Epistola ad Iulianum Diaconum.

10. *Innicus arcis attingit igneas*] Sic editiones veteres Veneta et Loscheri, *innicus*, quarum exemplum posteriores pleraeque secutae sunt. At Graevianus noster et Reginensis cum sex aliis *Innicus*: Leidensis, Petrensis, Vigorniensis et Regiae Societatis, *ensis*: neque aliter vetustissimae membranae Cruquii et aliorum. Recte. Qui pondus aliquod sustinet, is fulero *innititur*, ne cadat: qui in altum ascendere conatur, *enititur*. Itaque, apte dicere posses, Hac arte *innicus* Hercules caelum cervicibus tulit, fesso Atlante: nunc, cum alia sententia sit, quod nempe arcis igneas attingerit, et ad caelum escenderit, omnino hac arte *ensis* id effecisse dicatur. Tacitus Annal. I, 70. „*Tandem Vitellius in editoria ensis eodem agmen subduxit*.“ Valer. Flaccus II, 462. „*Restitit Alcides, visuque ensis, in alta Rupe truces manicas defectaque virginis ora Cernit*.“ Plinius Hist.

Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacehe pater, tuae
Vexere tigres, indocili iugum
15 Collo trahentes: hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit;
Gratum elocuta consiliantibus
Iunone Divis: ILION, Ilion
Fatalis incestusque iudex,
20 Et mulier peregrina vertit
In pulverem; ex quo destituit Deos
Mercede pacta Laomedon, mihi
Castaque damnatum Minervae,
Cum populo et duce fraudulentato.

XVIII, Sect. 68. [§ 264] „*Sol ipse ad Aquilonem scandens, ac per ardua enisus ab ea meta incipit flecti*.“ Ita alii scriptores passim.

12. *Purpureo bibit ore nectar*] Recte Graevianus noster, Reginensis, Battelianus, cum Bodleianis duobus, *bibit*: iam tunc enim *praesens deus* erat Augustus, ut recte alii monuerunt. Ceterum frustra hic litigant Interpretes de *purpureo illo ore*. Unus *purpureum vultum* intelligit, minio scilicet pictum, ut Deorum statucae solebant. Sane *vultum et faciem* significavit Statius, cum dixit Theb. III, 440. „*Tertia iam nitidum terris Aurora deisque Purpureo vehit ore diem*.“ Sed ineptum est plane hic *vultum* interpretari: cum addat *bibit ore*: quis enim *vultu* bibit? Alius igitur, ideo *purpureum os* dici vult, quia rubicundo nectare madidum erat. Frustra uterque. Quin nihil aliud est *purpureo ore*, quam *pulchro et formoso*, quale deo convenit; ut recte veteres Scholiastae. Simonides apud Athenaeum lib. XIII, p. 604. [fr. 72 Bergk] „*Πορφυρέον ἀπὸ σάματος ἰσὶα φωνῶν νεοσθένος*.“ *Virgo ab ore purpureo vocem mittens*. Catullus Epigram. XLVI [v. 12] „*At Aeme leviter caput reflectens, Et dulcis pueri ebrios ocellos Illo purpureo ore suaviata*.“

16. *Martis equis Acheronta fugit*] *Martis equis* Codices nostri omnes; ut et aliorum, qui Flaccum ediderunt. Sic Ovidius Remed. Amor. v. 6. Cupidinem alloquens, „*Non ego Tydides, a quo tua saucia mater In liquidum rediit aethera Martis equis*.“ Sed celeberrimus Barthius Advers. XXXIX, 9. „*Scribendum, ait, cum omnium vetustissimis membranis, Patris equis Acheronta fugit*.“ Elegantius certe et maius quiddam videtur *Patris* quam *Martis*. Nam in eo quod *Patrem* dicit, et *Martem* satis indicat, et vim insuper honoremque addit paternae necessitudinis. Favet codici Barthiano Scholiastes Cruquii, qui sic *μαρμαρῶν*: „*Martis equis patria virtute*.“ Enimvero quicumque hoc adnotavit, in suo codice invenerat, *patris equis*; alioqui non *patria*, sed *Martia virtute* interpretaturus. Ovidius Fast. II, 496, de Romulo, et haec ipsa re loquens: „*Hinc tonat, hinc missis abruptitur ignibus aether: Fit fuga: rex patriis astra petebat equis*.“

23. *Castaque damnatum Minervae*] Vide quaeso circuitum periodi, *Ilion, Ilion iudex et mulier peregrina vertit in pulverem, damnatum mihi et Minervae* etc. hoc est, *Ilion damnatum*. Ubi, ut et obscuritas et ambiguitas evitetur, malim *Ilion damnatum*: quippe intervenit *τὸ pulverem*, dubiumque prima facie reddit, utrum *Ilion damnatum* an *pulverem damnatum* velit. Porro *Ilion* faciminio genere declinat Noster alibi, ut Carm. IV, 9, 18. „*Non semel Ilios vexata*.“ Ovid. Epist. Penelopae [Her. I] v. 48. „*Sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis Ilios, et, murus*

- 25 Iam nec Lacaenae splendet adulterae
Famosus hospes: nec Priami domus
Periura pugnacis Achivos
Hectoreis opibus refringit.
Nostrisque ductum seditionibus
30 Bellum resedit. protinus et gravis
Iras et invisum nepotem,
Troia quem peperit sacerdos,
Marti redonabo. illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
35 Succos, et adscribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.

v. 32. Vulg. *Troica*.

quod fuit ante, solum." Idem Ep. Paridis [XVI], 49. „Arsuram Paridis vates canit Ilion igni." et Helenae [XVII], 240. „Ilion arsuram praemonuisse ferunt." Ita edidit magnus Heinsius, idque ex unico codice: cum caeteri omnes neutro genere *arsurum* habuerint; ut hic nostri *damnatum*.

32. *Troica quem peperit sacerdos*] Heinsius in ora sui exemplaris, *Lege*, inquit, *Troia*; atque ita Carm. I, 6. v. 14. *Pulvere Troico*. *Fortis*, ait, *Troio*. Tu vide ipsum de hoc plura disserentem, ad Ovidium Epist. Penel. [Her. I] v. 28. Ubique certe Virgilius et nomen gentile et possessivum ponit *Troius*, ut *Troius heros*, *Troia castra*, *Troia gaza*: numquam *Troicus*. Contra, ne unus quidem, quod sciam, Horatii codex aliter habet, quam *pulvere Troico*, et *Troica sacerdos*. Equidem in priore loco nihil temere mutaverim invitis membranis: quandoquidem et Latinorum alii sic scribunt, et Homerus saepius habet *τροϊκόν*; et Tragici item veteres, *τροϊκόν πόλιμα*, *τροϊκὸν πόλιμα*, *τροϊκῆς χθονός*, et similia. Tamen in posteriore, cui melius convenit gentile, quam possessivum; accesserim libens Heinsii iudicio, et legerim ad Virgilia normam *Troia sacerdos*, ubi potuisset etiam *Dardana*, ut Statius Silv. I, 2. [v. 192] de hac ipsa Ilia, „nisi Dardana furto Cepisset Marlem, me non prohibente, sacerdos."

34. *Ducere nectaris Succos*] Mirum profecto tot codices vetustos habere *discere*, ut ex nostris Graevianus, Reginensis, Battelianus, Vigorniensis, Bodleianus, Galei, et a prima manu Magdalenensis; et pro varia lectione Colbertinus: neque aliter duo ex Torrentianis, et Editiones principes Veneta et Loscheri. Agnoscit etiam Scholiastes Porphyrio, et explicat, *Assuescere saporibus nectaris*. Quid fiet? enimvero non usque adeo damnanda haec lectio est: *discere succos nectaris*, nempe quibus non antea assueverat: ut fere Virgil. Eclog. V. [v. 56]. „Candidus insuetum miratur limen Olympi, Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis." et contra Manilius I, 344. „tum magni Iovis ales fertur in altum, Assueto volitans gestet cœn fulmina mundo, Digna Iove et caelo, quod sacris instruit armis." Sic legendum, *assueto mundo*, sententia manifesta; non, ut vulgo, *assueto-mundi*: in quo explicando frustra laborant viri magni Scaliger et Huetius. *Discere* autem *succos* ita dictum; ut illud Statii Silv. II, 2. [v. 58] „nec corne iugum discentia sacra." Sic Seneca Herc. Furente 1077 de somno, „Pavidum leti genus humanum Cogis longam discere mortem." Claudianus Epithalamio. 130. ubi Venus loquitur, „Vivite concordēs, et nostrum discite munus; Oscula mille sonent." Idem Stilich. II, 74. „Hinc fuit, ut primos in coniuge disceret ignes." et Rapt. Proserp. II, 368. „unanimes consortia discite somni." ubi pariter ut hic in codicibus variatum: plurimi

- Dum longus inter saeviat Ilion
Romanque pontus; qualibet exsules
In parte regnante beati:
40 Dum Priami Paridisque busto
Insultet armentum, et catulos ferae
Celent inultae; stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis.
45 Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras; qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus;
Aurum inreperum, et sic melius situm
50 Cum terra celat, spernere fortior,
Quam cogere humanos in usus
Omne sacrum rapiente dextra.
Quicumque mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis; visere gestiens

enim *Ducite* habent. Vera tamen apud Horatium lectio est, quam alii codices exhibent cum Aerone Scholiaste, *ducere*. *Discuntur* enim quae vel difficultatem vel metum vel fastidium habent: at in nectare degustando nihil horum est. Non placet igitur *discere*: quod interpolatum ab iis existimo, qui *succos* cum Porphyrione *sapores* interpretabantur: absurdum enim iis visum est *ducere*, sive *bibere sapores*. Atqui aliud hic per *succos* intelligendum est, *liquorum* scilicet, *laticem*, *humorem*; ut passim usurpant auctores; et proinde *succi* illi *nectaris duci* sive *bibi* possunt. Ovidius Remed. Amor. [v. 227]. „Saepe bibi succos, quamvis invitus, amarus." et in Ibide. [v. 305] „Cantharidum succos, dante parente, bibas." et Pont. IV, 3. [v. 53] „I, bibe purgantes, dixissem, pectora succos." Cicero denique de Divinatione I, 9. „Mollipedesque boves spectantes lumina caeli Naribus humiferum ducunt ex aëre succum." Ceterum *ducere* idem esse ac *bibere* fusc ostendit acutissimus Heinsius ad Ovid. Metam. XII, 316.

53. *Quicumque mundi terminus obstitit, Hunc tangat armis*] Primo, omnes fere codices aliorum, et nostri praeter unum et alterum ex recentioribus, *mundo*, non *mundi*; et sic editiones veteres Veneta et Loscheri. Primus ut opinor, Lambinus introduxit *mundi*; quem posteriores plerique male secuti sunt. Quid enim? cuienam *mundi terminus obstitit*? Romano scilicet. Atqui si iam *obstitit* Romano, iam is obstantem *teligit*. Unde ergo, quod mox sequitur, „*Hunc tangat armis*."? Mira certe elegantia: „*Tangat terminum, quem iam ante teligit*." Enimvero si *mundi* legeris, necesse est ut *obstitit* legas, non *obstitit*. Sed recte habet prisca lectio, „*Quicumque terminus obstitit mundo*," hoc est, orbem terrarum habitabilem clausit. Deinde illud non omittendum, multo plures codices cum editionibus vetustis habere *tangel*, non *tangat*. Sed melius est *tangat*, ut supra *stet*, *possit*, *extendat*. Illud denique minus placet, *quicumque terminus*. Quot enim, obsecro, sunt mundi termini? Legerim potius, „*Quicumque mundo terminus obstitit, Hunc tangat armis*," ut mox sequitur, „*qua parte ignes, qua nebulae*." Seneca tamen *terminos* de mundo usurpat, Epist. CX. [§ 9] „*Animum in sordida et humilia pertraximus, ut relicto mundo terminisque eius, et dominis cuncta versantibus, terram rimaretur*." Ut proinde illud *Quicumque* non sit temere sollicitandum: quamquam, si

Qua parte debacchentur ignes,
 Qua nebulae pluviique rores.
 Sed bellicosus fata Quiritibus
 Hac lege dico; ne nimium pii,
 Rebusque fidentes, avitae
 60 Teeta velint reparare Troiae.
 Troiae renascens alite lugubri
 Fortuna tristi elade iterabitur,
 Ducente victrices catervas
 Coniuge me Iovis et sorore.
 65 Ter si resurgat murus aëneus,
 Auctore Phoebus; ter pereat meis
 Exeius Argivis: ter uxor
 Capta virum puerosque ploret.

Quaecumque adsciveris, iam et illud *Terminus* vim et potestatem pluralis numeri in se habere possit.

65. *Ter si resurgat murus aeneus, Auctore Phoebus*] Tres vetusti codices, quorum unus Achillis Statii fait, alter Cruquii, tertius Palmanni, habent *ductore Phoebus*: quod editiones aliquot receperunt. Lectio sane non inelegans: ubi *ductore* volunt esse *conditore murorum*. Sic Noster Carm. IV, 6, 23. „*Rebus Aeneae potiore ductos Alite muros.*“ Virgil. Aen. I, 423. „*Instant ardentis Tyrii: pars ducere muros, Molirique arcem, et manibus subvolvere saxa.*“ ubi inter alia Servius: „*Proprie cum aedificentur muri, duci dicuntur; ut Salustius: Murum ab angulo dextri lateris ad paludem haud procul remotam duxit.*“ His adde Livium I, 44. „*Pomoerium est circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant.*“ et Statium Theb. IV, 151. „*rarus vacuis habitator in arvis Monstrat Cyclopium ductas sudoribus arces.*“ Sed ideo minus placet haec lectio, quia proxime praecesserat, „*Ducente vitrices catervas*“; ut infectum fuerit statim repetere, „*Ductore Phoebus; ter pereat meis*“, ut ne dicam *ductorem pro conditore* nusquam reperiri: neque enim sequitur, quia *ducere muros* recte dixeris, ideo te et *ductor murorum* recte dicturum; non magis, quam *dux murorum*. Usus et consuetudo, non Analogia, loquendi normam faciunt. Equidem, si quid mutatum velim, sic potius legerim, „*Ter si resurgat murus aeneus, Structore Phoebus.*“ Notum est enim ex historia veteri, Phoebum et Neptunum suis ipsis manibus Troiae moenia aedificasse, et humeris subvectasse lapides. Ovid. Metam. XI, [v. 294] de Apolline, „*Cumque tridentigero tumidi genitore profundi Mortalem induitur formam, Phrygiisque tyranno Aedificat muros, pacto pro moenibus auro.*“ Statius Theb. I, 699. de eodem, „*Seu Troiam Thymbraeus habes, ubi fama volentem Ingratis Phrygiis humeris subiisse molares.*“ Recte autem *structor murorum*, ut Seneca Herc. Fur. 262 de Thebis, „*Cuiusque muros natus Amphion Iove Struxit, canoro saxa modulatu trahens.*“ Statius Theb. X, 877 de iisdem, „*Et quidnam egregium prostrernere moenia molli Structa Iyra?*“ ubi obiter corrigendum; „*Et quid tam egregium?*“, ut docebimus ad Serm. II, 3, v. 283. Silius Italicus, XIV, [v. 46] „*structis qui pube secuta In longum ex sese donarunt nomina maris.*“ Ovidius Epist. Paridis [Her. XVI] v. 179. de his ipsis Troiae muris, „*Mion aspicias, firmataque terribus altis Moenia, Phoebae structa canore Iyra.*“ Neptunus apud Virgilium Aen. V, 811. de iisdem; „*cuperem cum vertere ab imo Structa meis manibus periarum moenia Troiae.*“ Cicero Epist. ad Quintum Fratrem

Non hoc iocosae conveniet Iyrae:
 70 Quo Musa tendis? desine pervicax
 Referre sermones Deorum, et
 Magna modis tenuare parvis.

II, 6. „*Apuro ut discessi, in aream tuam veni: res agebatur nullis structoribus*“; i. e. aedificatoribus. Apuleius in Floridis [p. 365, 18 Elm.]: „*Quippe structor orationis huius egomet, non e meo monte lapidem directim caesum afferam.*“ Sed utcumque hoc speciosum sit, et, si faverent codices, omni exceptione maius; nihil tamen tuto a recepta lectione, quam centum manuscripti confirmant, cum editionibus vetustis; „*Ter si resurgat murus aeneus, auctore Phoebus.*“ Sic *Cynthius*, sive Apollo, Virgilio dictus *Troiae auctor*, Georg. III, 36. „*Stabant et Parii lapides, spirantia signa, Assaraci proles, demissaque ab Iove gentis Nomina; Troisque parens, et Troiae Cynthius auctor*“: ubi Servius: „*Vel Apollinem dicit propter muros; vel Cynthium regem Troiae, quem in Troicis suis Nero commemorat.*“ Nugae merae de Rege Cynthio. Recte Philargyrius: „*Cynthius, Apollo a Cyntho Deli monte: et utrum, quia ex Oraculo eius condita est Troia, an quia muros ipse aedificavit, dictus Troiae auctor?*“ Enimvero utramque ob causam. Et ideo valde placet apud Nostrum, *Auctore Phoebus*; quia utrumque sensum comprehendit: sive, ait, Phoebi monitu, iussu, auctoritate, auspiciis, oraculo: sive adeo ipsius Phoebi manibus aut operis, ter resurgat Troia, ter peribit meo ductu ab Argivis eversa. Utravis significatione recte dicitur *Phoebus auctor murorum*: Priore, ut apud Senecam Agamem. 294. „*Auctore Phoebus, agnor: haud generis pudet.*“ et Statium Theb. I, 399. „*non tu ipse pater, non docte futuri Amphiaræ, vides: etenim velat auctor Apollo.*“ et Theb. X, 894. „*genit auctor Apollo, Quas dedit ipse, domos*“: posteriore, ut apud Propertium IV, 6, [v. 43] „*Quam nisi defendes murorum Romulus auctor Ire Palatinas non bene vidit aves.*“ Ita habet codex vetustus, non *augur*, teste disertissimo Broukhusio ad locum; qui tamen et hic apud Horatium probat, *Ductore*, (ad Propertium I, 7, [v. 1]) et illic mavult *Romulus augur*: quod firmat ex Cicerone de Divin. I, 2. „*Huius urbis parens Romulus.*“ Frustra: nam illud ipsum astipulatur alterae lectioni, *Auctor*. Quippe *Auctor* idem plane, quod *Parens*. Ovidius Heroid. X, [v. 132] „*Nec pater est Aegæus, nec tu Pilleidos Aethrae Filius: auctores saxa fretumque tui.*“ hoc est *parentes tui*. Ergo ut Cicero, *Parens Urbis*, ita Propertius *auctor* sive *parens murorum*. Silius Italicus lib. II, [v. 654] de Sagunto: „*Urbs habitata diu Fidei, caeloque parentem Murorum repetens.*“ i. e. Herculem. Nonne hoc idem plane, ac *auctorem murorum*? Sic idem alibi, *Sator murorum*, hoc est, parens, auctor, lib. XI, [v. 262] de Capua: „*Laetus circumfert oculos, et singula discit: Qui muris Sator, et pubes sit quanta sub armis.*“ Sic auctor *statuae et Tabulae pictae*. Plinius XXXIV, cap. 8, Sect. 35, [§ 93] „*In mentione statuarum est et una non praeterenda, licet auctoris incerti.*“ Et XXXVI, 5, 8, [§ 29] „*Multa in eadem Schola sine auctoribus placent: Satyri quatuor etc.*“ Idem Praefat. ad lib. I, [§ 27] „*Quo apparuit summam artis securitatem auctori placuisse*“: hoc est, pictori. Denique, ne nimii simus, auctor *porticus*, ut Ovid. Art. Amat. I, [v. 72] „*Nec tibi vitetur quae prisca sparsa tabellis Porticus auctoris Livia nomen habet.*“

69. *Non haec iocosae conveniunt Iyrae*] Ita Loscherus anno 1498 *haec conveniunt*: quod hodie editiones plures sequuntur. Lambinus ex suis profert, *haec convenient*. At Cruquii omnes, Torrentiique, et Palmanni, cum editione prima Veneta, „*Non hoc iocosae conveniet Iyrae.*“ Recte: et ita nostri universi, nisi quod Battelianus, Bodleianus, et Vigorniensis *conveniat*; Patrensis autem *convenit*. Quid opus est in re nihili ab omnibus fere membranis discedere?

IV.

AD CALLIOPEN.

Descende caelo, et dic age tibia
Regina longum Calliope melos;
Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus, citharave Phoebi.
5 Auditis? an me ludit amabilis
Insania? audire, et videor pios
Errare per lucos, amoenae
Quos et aquae subeunt, et aurae.

4. *Seu fidibus, citharave Phoebi*] Codex Graevianus magnae vetustatis citharaque habet, litera tamen Q iam erasa. Nescio certe, an rectius sit illud *citharaque*. Nam quid *ve* sibi velit, neque ego satis intelligo, nec Interpretes quidquam expediunt; cum *fides* aut per synecdochen ipsa *Cithara* sit, aut proprie pars *Citharae*, nempe nervi sive chordae. Festus: „*Fides, genus Citharae.*“ Glossarium Latino-graecum: „*Fidis, λέξα, κιθάρα, χορδαί.*“ Graeco-latinum: *Χορδαί λέξας, fides. Χορδή ἢ νευρά, fides, chorda. Νεύρα, τὰ τῆς κιθάρας, fides.*“ S. Ambrosius de obitu Theodosii [p. 1201 ed. Ben.]; „*Unde arbitror, quod fila chordarum citharae ideo fides dicuntur, quoniam et mortuae sonum reddunt.*“ Vido itaque, annon reducenda sit lectio Graeviani codicis, „*Seu fidibus citharaque Phoebi*“; hoc est, *Seu voce nunc mavis, Seu chordis et cithara Apollinis.* Ita Noster alibi *fides* pro *nervis Lyrae*, Carm. IV. 3. 23. „*Romanae fidicen Lyrae.*“ ubi *fidicen Lyrae* nihil aliud est, quam *Qui cano fidibus lyrae*. Prudentius Cathem. III. 81. „*Quae veterum tuba, quaeve lyra, Flatibus inclyta vel fidibus*“ ubi *lyra fidibus inclyta*, est chordis, nervis eximia.

6. *Et videor pios Errare per lucos*] Vetus Scholiastes Aeron, cum quibusdam ex recentioribus, *pios lucos* interpretatur *amoenos lucos Elysi*. Unde vir quidam eruditus sic locum corrigendum autumat, et insolentiam Epitheti eo pacto devitat, „*audire et videor piorum Errare per lucos*“: ut syllaba ultima ad sequentem versum reiciatur, quod saepe fit apud Nostrum. Ingeniose et docte. Nam *sedes, luci, arva Piorum* in Elysio notissima. Noster supra Carm. II. 13. 23. *Sedesque discretas Piorum.*“ Claudianus Eutrop. [1] v. 453. „*Atque o si forte Piorum lugera, et Elysiis scindis, Serrane, novales.*“ Martialis Epig. XII. 52. [v. 11] „*Accipiant olim cum te loca laeta Piorum, Non erit in Stygia notior umbra domo.*“ Nemesianus Eclog. I. v. 20. „*Quem nunc emeritae permensum tempora vitae Secreti pars orbis habet, mundusque Piorum.*“ Ovid. Metam. XI. 64. „*quaerensque per arva Piorum Invenit Eurydicen, cupidisque amplectitur ulnis.*“ Valerius Flaccus I. 650. „*Nec iam merito tibi, Tiphys, quietum Ulla parens volet Elysium, manesque Piorum.*“ et v. 843. „*donec silvas et amaeona Piorum Deveniant, camposque, ubi sol totumque per annum Durat aprica dies.*“ Silius Italicus II. [v. 698] „*Elysium, et castas sedes decorate Piorum.*“ et iterum XIII. [v. 703] „*His laeti rediere duces loca amaeona Piorum.*“ Lucanus III. 12. „*Sedibus Elysiis campoque expulsa Piorum.*“ Virgil. Aen. V. 734. „*sed amaeona Piorum Concilia Elysiumque colo.*“ Cicero Philippica XIV. cap. 12. „*Vos vero qui extremum spiritum in victoria effudistis, Piorum estis sedem et locum consecuti.*“ Nemo itaque inficias iverit, quin, si codices astutulerunt, et de Elysio hic agatur, eleganter legi possit, „*Et videor Piorum Errare per lucos.*“ Neque tamen, vel sic, ego quidquam temere mutaverim; cum Epithetorum audaciam tantopere sectetur Noster, et potius figurate *pios*

Me fabulosae Volture in Appulo,
10 Altricis extra limen Apuliae,
Ludo fatigatumque somno,
Fronde nova puerum palumbes
Texere: mirum quod foret omnibus,
Quicumque celsae nidum Acherontiae,
15 Saltusque Bantinos, et arvom
Pingue tenent humilis Ferenti:
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et ursis; ut premerer sacra
Lauroque, conlataque myrto,
20 Non sine Dis animosus infans.
Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos; seu mihi frigidum
Praeneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidae placuere Baiae.

lucos, quam Piorum, data opera dixisse videatur. Sic enim et alii dixerunt; ut Auctor Elegiae De morte Drusi. v. 329. „*Ille pio (si non temere haec creduntur) in arvo Inter honoratos excipietur avos.*“ Virgilius Culice v. 38. „*Et tibi sede pia maneat locus.*“ et ibid. 373. „*quo maxima Minos Conscelerata pia discernit vincula sede.*“ *Pio arvo, pia sede*: cum Ovidius, Silius alique, locis iam citatis, *Piorum arva, Piorum sedes* dixerint. At alibi Ovidius, eadem figura *Pia sarcina* dixit, Epistola Didus [Her. VII. 107]; „*Diva parens, Seniorque pater, pia sarcina nati.*“ *Currus pios* Valerius Flaccus II. 411. „*Illic servati genitoris conscia sacra Pressit acu currusque pios*“: et sic alii alii. Recte igitur se habebit recepta apud Nostrum lectio: „*audire et videor pios Errare per lucos, amoenae Quos et aquae subeunt, et aurae*“: etiamsi cum Aerone de Elysio interpretetur. Sed omnino cum Aerone suo falluntur, qui ad Elysiis lucos Horatium hic ablegant, tamquam aut ipse mortuus, aut Eurydicen inde aliquam ad vivos reducturus esset. Quin nihil aliud vult nisi *Lucos et nemora Musarum, Liberi patris, Heliconis* etc. quibus omnem paginam replent Poetae, ubi vagari se et cum Diis versari fabulantur. Ita Noster Carm. III. 25. 2. „*Quo me, Bacche, rapis tui Plenum, quae nemora et quos agor inspecus?*“ Statius Silv. V. 3. v. 210. „*Me quoque vocales lucos lustrataque Tempe Pulsantem, cum stirpe tua descendere dixi, Admisere deae.*“ et ibid. V. 5. v. 6. „*Numquid inaccesso posui vestigia luo? Num vitito de fonte bibi?*“ Silius XIV. [v. 29] „*vatum Ora excellentium, sacras qui carmine silvas, Quaeque Syracosia resonant Heliconae camena.*“ Vide etiam quae attulimus ad Carm. I. 32. v. 1.

9. *Me fabulosae Volture in Appulo*] Vix oculis meis fidem habeo, cum lego in ora codicis Heinsiani, *Forte Sabulosae*. Omipino aliud agebat Vir in his rebus incomparabilis. His enim peccat: primo contra metri legem, quin *Sabulosus* primum Syllabam corripit: deinde ad verus constructionem: neque enim cum veteribus Scholiastis et Torrentio *fabulosae Apuliae* copulandum est, sed *fabulosae Palumbes*. Vide nos ad Carm. I. 22. v. 7. Et potuerat quidem Horatius vitare ambiguum, si cum Lucilio, Plauto, Plinio aliisque masculino genere protulisset, „*Me fabulosi Volture in Appulo — Fronde nova puerum palumbes Texere.*“ Sed obstinate facinorum hic exhibent codices manuscripti.

10. *Altricis extra limen Apuliae*] *Altricis* habent codices nostri vetustiores, Leidensis, Graevianus, Reginensis cum aliis: sed multi et bonae quidem notae *nutricis*; quod Editores aliquot, qui *Apuliae* nempe, non Re-

gionis, sed Faeminae nomen esse autumant, cupide arripuerunt, veriti ne illud alterum de Muliere dici non possit. Sed haec vana formido est. Statius Silv. II, 1. [v. 96] „*Quid referam altricum victos pietate parentes?*“ Idem Theb. I, 530. „*Natarum haec alrix, eadem fidissima custos.*“ Seneca Hippolyto. 250. (Phaodra ad nutricem) „*Paremus, altric.*“ et 358. „*Alrix, profare.*“ Propertius IV, 1. [v. 38] „*Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.*“ Ovid. Metam. XI, 683. „*Altrici, quae luctus causa roganti, Nulla est, Halcione, nulla est, ait.*“ Poteris itaque cum vetustis membranis altricis; utrumque acceperis, seu pro muliere nutrice, seu pro terra altrice. Sed vide locum totum. „*Me fabulosae Vulture in Appulo, Altricis extra limen Apuliae, Ludo fatigatumque somno Fronde nova puerum palumbes Tovero.*“ ubi, ut iam dixi, in diversa abeunt Interpretes. Pars enim exponunt, *extra limen*, sive *finem, terminum* terrae Apuliae; ut *limen Aecoliae* dixit Valerius Flaccus VI, 354. „*magno veluti cum turbine sese Ipsius Aecoliae frangunt in limine vent.*“ Sed quale illud quaeso est, dormientem in Vulture Appulo extra limen Apuliae? nonne hoc *ἀδωκτορον* est, et secum pugnat? Utique est in monte Appulo: tum *intra* Apuliae fines fuerit, necesse est. Sed, ut hoc nodo se expediant, aiunt Vulturem montem in ipsis regionum confiniis situm, adeo ut pars eius Apuliae, pars Lucaniae ascriberetur. Quod ex ipso Horatio colligunt: qui Venusium, oppidum monti huic proximum, nescire se ait, utrum Lucaniae, an Apuliae adiudicet: Serm. II, 1, 34. „*sequor hunc, Lucanus an Appulus, anceps: Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus.*“ Dormiebat ergo, aiunt, in Vulture Appulo (sic de parte, quae Apuliae erat, totum montem *ὄνυξοζῶν* Appulum vocavit, in ea tamen montis parte, quae extra limen Apuliae erat, et ad Lucaniam pertinebat. Haec illi: sed miseret me Horatii, si tali auxilio et istis defensoribus eget. Quid enim? quis in proletario quovis poeta hoc ferret, ut in unam sententiam haec *ἐνερτορον* congereret? Esto, ut pars Vulture in Lucaniam pertingerit (quod tamen non probant) et hoc voluerit Horatius: certe in eodem loco et eodem pene versu non totus mons dicendus fuerit Appulus. Si hoc ei condonamus; etiam quidvis quantumvis ineptum albo calculo probare possumus. Quid vero ad rem attinet? quem scopum ferit? quid tam dignum memoratu, si modo in Vulture dormiebat, utrum hac vel illa parte iacuit? cum in tota fortasse Roma vel duo vel nemo erat, qui in Vulture confinia illa agnosceret. Imo vero, cum ne Venusium quidem ipsum, oppidum satis celebre, utrum Appulorum an Lucanorum esset, scire se profiteatur: qui fit, ut in montis avii saltibus tam peritus agrorum metator hanc partem Apuliae, illam Lucaniae adsignare sciret? Ergo is ipse locus, quem advocatum sibi duxerunt, Serm. II, 1, 34. „*Lucanus an Appulus, anceps*“, adversus eos causam dicit, et interpretationem illam prorsus evertit. Proinde alia pars interpretum nomen Mulieris hic intelligunt, cuius *extra limen* evagatus puer Horatius in monte Vulture obdormierit. Melius profecto, quam illi alteri: si *Apulia* aut nomen aut cognomen esse posset. Sed nulla talis familia, neque cognomen usquam occurrit. *Apuliae* quidem plurimae reperiuntur, sed versus eas recusat. Poteramus quidem levi mutatione rem conficere, „*Altricis extra limen Amuliae*“, „*Altricis extra limen Aquiliae*“: nisi ineptum plane et absurdum foret, de nutricis nomine hic cogitare. Quid? ille ne *patre Libertino et pauperulo* natus, qui nunquam Patrem ipsum aut Matrem in scriptis suis nomine appellavit, nutriciae suae nomen ingereret? qualem vero altricem in tam paupere domo? ancillulam scilicet sole coctam, cui nomen *Phrygiae credo*, aut *Syrae*. Nisi potius, servulae inopia, eadem illa quae peperit, mammam dederit. Cave credas igitur, tam vanum et stolidum fuisse Nostrum, ut sicut Aeneas nutricem Caietam, ita hic *Damae aut Dionysii filius* suam memoriae traderet. Quid itaque fiet? haeret profecto aqua: neque quicquam iuvant aut emaratores aut codices. Periclitemur paullulum, an coniectura aliqua non socordi laboranti poetae succurrere possimus. Gloriatum hic Noster, se ab ipsis incunabulis Diis charum et dilectum fuisse: id eo argumento, quia *puer olim, imo infans*, ut versu 20,

- 23 Vestris amicum fontibus et choris,
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non extinxit arbor,
Nec Sicula Palinurus unda.
Uteumque mecum vos eritis: libens
30 Insanientem navita Bosporum
Tentabo, et arentis arenas
Litoris Assyrii viator.
Visam Britannos hospitibus feros,
Et laetum equino sanguine Concanum:
35 Visam pharetratos Gelonos,
Et Seythicum inviolatus amnem.

„*Non sine Dis animosus infans,*“ ludo fatigatus, obdormisset solus in monte deserto: ubi mirum, ni a viperis esset morsus, vel devoratus ab ursis, qui in iis regionibus frequentes, ut Ovidius Iliacis [v. 57]: „*Foedus Lucanis provolvitur ursus ab antris*“: at tandem a suis inventus est, adhuc somno devinctus, sospes et incolomis a feris et serpentibus, quin etiam laurea myrtaeque fronde a palumbibus tectus. Hoc miraculi instar de se narrat; unde iam tum per viciniam famam esse diditam, magnum aliquid de puero isto deos portendere. Recte igitur et ex decore addit, *extra limen altricis* vagatum esse; quippe de *se infante* hic loquitur, cum adhuc sub nutrice esset. Idque augeat miraculi vim, quod solus, a nutricis domo evagatus, sospes tamen evaderet: si enim cum nutrice et domesticis fuisset, nihil adeo admirandum esset. Omnia igitur belle habere, si modo illud *Apuliae* removere aliquo possemus: neque enim nomen mulieris id est, neque nutrix hic nomine suo indigitari debuit. Equidem crediderim sic ab Horatio scriptum esse; *Altricis*, sive ut alii codices, *Nutricis*. „*Me fabulosae Vulture in Appulo, Nutricis extra limina sedulae*“: Nam primo *Limina* de una domo dicitur, ut Virgilius Aen. I, 392. „*Perge modo, atque hinc te reginae ad limina perfer*“: et sic idem alibi, alique passim. Deinde *sedulae* perpetuum est *nutricis* Epitheton, ut Noster in Arte Poet. v. 116. „*Maturusne senex, an adhuc florente iuventa Fervidus; et, matrona potens, an sedula nutrix.*“ Ovidius Epist. Cydippes. [Her. XXI, 95] „*Sedula me nutrix alias quoque ducit in aedes.*“ et Metam. X, 438. „*Nacta gravem vino Cinaram male sedula nutrix.*“ et paullo ante v. 409. ipsa nutrix loquitur, „*et in hoc mea (pone timorem) Sedulitas erit apta tibi.*“ Festus Avienus in Arateis [v. 1793]: „*Sique suae lentae, si lanae sedula nutrix.*“ Porro neque literae ipsae in *limina sedulae* multum abeunt a *limen Apuliae*: et praeterea credibile est Librarium in ultimam vocem prioris versus Appulo coniecisse oculos, eoque errore in sequenti reposuisse *Apuliae*. Id vero quam sollemniter peccent exscriptores, probe sciunt, quibus datum est membranas veteres trivisse.

27. *Devota non extinxit arbor*] *Arbos* iam ab annis plus centum in omnibus editionibus visitur: cum et Loscheri et Veneta et membranarum meae omnes uno consensu exhibeant *arbor*. Sic et omnes Palmanianae: ne de caeterorum codicibus dubites, etsi ipsi dissimulent. Quae haec prurigo est, ut, nullo commodo, contumeliam facere aveant libris vetustis? Ita supra Carm. II, 11, 9. *honor pro honor* contra omnium Mss. fidem supposuerunt; cum tamen versus ipse, *floribus est honor vernis*, talem correctionem sibi exploderet.

31. *Tentabo et arentes arenas Litoris Assyrii viator*] Editio Veneta 1478 *arentes*; at Loscheri 1498 *urentes*; eademque est varietas in libris scriptis: unde pro vario hominum captu etiam superiores editiones nunc haec, nunc illam lectionem repraesentant. Neque sane multum interest: utraque

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes reddidit oppidis,
Finire quaerentem labores,
Pierio recreatis antro.

v. 38. Vulg. *Abdidit*.

cum proba est et fideiussores suos habet. *Urentes* Leidensis noster et Regi-
nensis, cum aliis inferioris notae. Seneca Nat. Quaest. II, 30. „*Aetna ali-*
quando multo igne abundavit, ingentem vim arenae urentis effudit.“ Curtius
VII, 18 [c. 5 § 3] de Bactriana regione: „*Arenas vapor aestivi solis accen-*
dit; quae ubi flagrare caeperunt, haud secus quam continenti incendio cuncta
torrentur.“ Idem IV, 28. [c. 7 § 6] de Ammonitide: „*Steriles arenae iacent,*
quas ubi vapor solis accendit, fervido solo exurente vestigia, intolerabilis
aestus existit:“ et paulo post [§ 12], „*Et in arido solo et fervido sabulo*
nulla erat aqua.“ Sic *calida arena;* ut Silius Italicus, de Adymachidis
Libyca gente, lib. III, [v. 281] „*Sed mensis asper populus, victique maligno:*
Nam calida tristis epulae torrentur arena.“ et Marius Victor lib. II, [v. 349]
„*Australis Libyae calidis quod nutrit arenis.*“ et Alcimus Avitus lib. V, [v. 547]
„*o terque quaterque beati, Quos morte absultos calidis Aegyptus arenis*
Condidit.“ sic *arena incensa*, Claudianus II Rufin. 241. „*Te vel ad incensas*
Libyae comitator arenas.“ Sic *fervens et ardens arena*, Plin. Hist. VII, 1,
[§ 22] „*Gymnosophistas ferventibus arenis toto die alternis pedibus in-*
sistere.“ Bostius Consol. Philos. II, 6. [v. 13] „*Quos Notus sicco violentus*
aestu Tollit ardentem recoquens arenas.“ Seneca Nat. Quaest. IV, 2. [§ 18]
de Aethiopia: „*Saca velut igni fervescunt, non tantum medio, sed in-*
clinato quoque die: ardens pulvis, nec humani vestigii patiens.“ Non male
igitur, siquis *urentes arenas* apud Horatium legerit. Neque tamen deterior
est lectio altera, *arentes*: quam inter alios codex Graevianus magnae vetu-
statis exhibet, et praeter similia Scriptorum loca, suavis ille syllabarum con-
cursus, *arentes arenas*, magnopere commendat. Silius Italicus lib. VI, [v. 140]
„*Turbidas arentes lento pede sulcat arenas Bagrada.*“ quod a Lucano haustit,
lib. IV, 588. „*Bagrada lentus agit, siccae sulcator arcae.*“ Corippus Afri-
canus, IV, [v. 222] „*Cogit dura sillis, cumulosque arentis arenae Obiiciunt,*
pinguisque soli declivia claudunt.“ Dracontius Hexaëmero [I, 189]: „*Arida*
cipereos angues suscepit arena.“ Seneca Herc. Fur. 319. „*Cum per arentem*
plagam, Et fluctuantes more turbati maris Abiit arenas.“ Avienus in de-
scriptione Orbis, [v. 72] „*Aret humus, cussaeque solo torrentur arenae.*“
Claudian. Cons. Honor. IV, 436. „*Libyes arentis arenas Audebit superare*
pedes.“ Ita codex vetus teste Heinsio: vulgati, *Libyae squalentis*. Sulpicius
Severus Dialogo I [c. 3 § 4] de Libya: „*Nulla tibi semina, germina nulla*
proveniunt: quippe instabili solo, arentibus arenis ad omnem motum ven-
torum cedentibus.“ Caeterum, quid illud, quaeso est, *Litoris Assyrii*, cum
Assyria non sit regio maritima, sed mediterranea? Recte Scholiastes Aeron:
„*Litus etiam camporum extremitatem veteres dicebant.*“ Proinde tu hic in-
tellige arenosos campos Assyriae, ubi Crassus cum toto exercitu perit: ii erant
in *confiniis* Arabiae et Assyriae, Ἀράβων καὶ Ἀσσυρίων μέσσοις, ut in Crasso
[c. 22 extr.] Plutarchus. *Litoris ergo Assyrii*: hoc est, extremitatis, marginis,
orae, confinium. Sed et alia ratio est, cur *litus* vocet: quippe arenae illae in-
genti planicie undique porrectae potius *litoris* vel *anquoris* quam terrestriis
regionis speciem ostentant; ut ibidem [c. 22 pr.] Plutarchus, ὅτι γὰρ τὸν ὀρω-
σιν, οὐ προσβολὴν ὄρους καθύπευθε, ἀλλ' ἀνεχρὸν; ΠΕΡΑΤΙΟΝ ΤΙ ΧΕΥΜΑ,
ΘΙΝΩΝ τινῶν ἐρίμων περιχώρων τὸν σκατόν. Sic de arenis Bactrianis
Curtius VII, 18. [c. 5 § 4] „*Camporumque non alia quam vasti et pro-*
fundi maris species est.“ Seneca loco supra citato [Herc. Fur. 320]: „*Et*
fluctuantes more turbati maris Abiit arenas.“

38. *Fessas cohortes abdidit oppidis*] *Abdidit* habent Editiones prin-

Vos lene consilium et datis, et dato
Gaudetis almae, scimus ut inpios
Titanas immanemque turmam
Fulmine sustulerit corusco,

v. 44. Vulg. *Caduco*.

cipes Veneta et Loscheri: unde in omnes sequentes derivatum est. Quod
defendunt Interpretes ex alio loco Epist. I, 1, 5. „*Veianius, armis Her-*
culdus ad postem fixis, latet abditus agro, Ne populum extremae toties
exoret arena.“ Atqui hoc aliud est, nempe *occultatus, absconditus, latens*:
ut Suetonius in Tiberio 12. „*Enimvero tunc non privatum modo, sed*
etiam obnoxium et trepidum egit, mediterraneis agris abditus, vitansque
praeternavigantium officia.“ Certe, non metu, neque ut ibi laterent,
cohortes suas in oppida misit Augustus: sed aut missionem eis et agros
militiae praemia daturus, aut in hibernis eos collocaturus. Quare melior
omnino lectio est, quam neque pauciores neque deteriores codices exhibent;
reddidit: ex meis certe Bodleiani duo, Galei, Battelianus, Colbertinus pro
varia lectione. Atque his astipulantur Graevianus vetustus, qui a prima
manu habuit *reddidit*, ut ad Musas referatur; et Reginensis, qui *reddidit*.
Cohortes scilicet, quas ex *oppidis* deduxerat, cum dilectum institueret mili-
tium, iam tandem *missione* facta *oppidis* suis *reddidit*. Nihil verius. Noster
Epistola I, 7, 95. „*Vitae me redde priori.*“ Tacitus Annal. I, 17, de re
eadem. „*An praetoriam cohortes, quae binos denarios acciperent, quae*
post sexdecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere?“
Et similiter Hist. II, 69. „*Cohortes Batavorum in Germaniam remissae:*
reddita civitatibus Gallorum auxilia.“ Gellius denique I, 25. [§ 5] „*Quid*
enim dicemus, si inducitis mensum aliquot factis in oppida castris con-
cedatur, nonne tum quoque induciae sunt?“ Caeterum non contemnenda
est doctissimi Lambini coniectura, ubi pro *fessas* reponit *fessus*; adeo ut
locus totus constituatur hunc in modum, „*Vos Caesarem altum, militia*
simul Fessus cohortes reddidit oppidis, Finire quaerentem labores Pierio
recreatis antro.“ Quippe ea quae sequuntur, *quaerentem finire labores*,
et *recreatis Caesarem*, efflagitant potius, ut ipse Caesar, quam Cohortes,
militia defatigari dicatur. Utinam accederet MStorum auctoritas; tamen,
vel reclamantibus eis, vera emendatio est.

44. *Fulmine sustulerit caduco*] Nemo ex omnibus scriptoribus, praeter
Nostrum in hoc loco, *fulmen* vocavit *caducum*. Non indignus itaque
nodus erat, in quo interpretum cura et industria se exerceeret. Nihil tamen
hic proferunt praeter unicum locum ex Carm. II, 13, 11. „*Te triste lignum,*
te caducum in domini caput immerentis.“ Quasi vero nihil discrepet,
utrum *lignum* prae senio et carie sponte sua ruinosum, an *fulmen* magna
manu Tonantis missum et contortum, *caducum* appelletur. Nos verbum et
sententiam ipsam considerabimus diligentius. *Cadere* et *decidere* fulmen
passim apud Auctores dicitur: neque exemplis in re manifesta est opus.
Caducum tamen *fulmen*, ut iam dixi, nemo quisquam appellavit. Quid
ita? nempe quia *ro Caducus*, etsi a *cadendo* ductum sit, notioni tamen
cadendi semper superaddat infirmitatem, debilitatem, fragilitatem: adeo ut
non quaecumque quoquo modo cadant, *caduca* recte dicantur: sed ea sola,
quae sponte et suapte imbecillitate ad casum et ruinam tendant. Ita *lignum*
caducum apud Nostrum, quia prae vetustate diutius stare non potuit; ita
alii, *folia caduca, glandes, frondes, flores, guttas, rivus, lacrimas, spes,*
res caducas, et similia, dixerunt. Quid? an hoc sensu fulmen in Gigan-
tas actum *caducum* vocitandum est? Haud vidi magis. Sed praeterea vide
modo hoc Senecae, de Fulgure sine fulmine, Nat. Quaest. II, 23. „*Credi-*
bile est,“ ait, „*et verisimile, ignem caducum excuti, et cito interiturum,*

- 45 Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum; et umbras regnaque tristia,
Divosque, mortalisque turbas
Imperio regit unus aequo.

v. 46. Vulg. *Et urbes.*

quia non ex solida materia oritur, nec in qua possit consistere." Differt igitur inane Fulgur a Fulmine, quia illud ignis caducus debilisque sit, et cito interiturus: hoc, aliud quid longe fortius et maius. Quid igitur? an bonus ille Iuppiter, tum cum maxime caelo suo et imperio metuebat, tum caduco igne et debili fulmine contra Titanas usus erat? Porro autem tralatitium est, Iovis telum a poetis nuncupari fulmen: ut, praeter alios, Ovidio in Ibide [469], „Aut Iovis infesti telo feriare trisulco"; et Amor. II, 5 [v. 52], „Excute ireto tela trisulca Iovē", atqui telum caducum est debile et cassum, nullo impetu, et invalido brachio tortum; ut ostendat tibi Propertius Horatii nostri et Maecenatis Sodalis, IV, 2. [v. 53] „Fidi ego labentes acies, et tela caduca, Atque hostes turpi terga delisse fugae." Ergo lassus, opinor, et viribus defectus Iuppiter caducum telum et cassum fulmen in Enceladum et fratres iaculatus est. Quin potius centum Librariis fides abroganda est, quam ut Horatium credamus huius culpa affinem esse potuisse. Crediderim equidem, si res ipsa sineret, ex Aeschyllo hoc expressisse Nostrum, qui χεραυρον ΚΑΤΑΒΑΤΗΝ dixit, in Prometheus v. 358. ubi Typhoea, ut hic Horatius, a Iove fulminatam narrat, „Ἄλλ' ἤϊδεν αἰτῶ Ζηρὸς ἄγροπρον βίλος, Καταβάτης χεραυρος, ἰκάντων γλόγυ." quippe καταβάτης venit a καταβαίνω, descendere, demittere: quod a Cadendo non procul abest. Verum obstat, ut dixi, auctoritas et sermonis Latini ratio, quae nihil quicquam caducum dicit, nisi quod infirmum et debile est. Quod si acrius contendat quispiam, potuisse Flaccum nove dicere caducum fulmen pro cadente sive καταβάτη; idem tamen fateatur necesse est, et incautum, et infelicem hic fuisse Nostrum: cum et ridicule plane in Ambiguum incidit, et neminem post se habuerit, qui sequi et imitari vellet. Sed non ita est: neque dubitare possum, quin levi mutatione sic locus sit refingendus, qualis a poetae manu primum profectus est; „scimus ut impios Titanas immanemque turmam Fulmine sustulerit corusco": tam apto et forti et usitato hoc epitheto, quam illo altero inepto, debili, et inaudito. Ipse alibi Carm. I, 34, 6. „namque Diespiter Igni corusco nubila dividens," Virgil. Aen. VIII, 391. „Non secus atque olim tonitru cum rupta corusco Ignea rima micans percurrit lumine nimbus," et Georg. I, 328. „Ipse pater media nimborum in nocte corusca Fulmina molitur dextra." Ovid. Fast. VI, [v. 635] „Signa dedit genitor, tum cum caput igne corusco Contigit." Lucret. VI, 236 de Fulmine, „usque adeo pollens fervore corusco." Valerius Flaccus I, 622. „Cum picei fulsere poli, pavidamque coruscae Ante ratem cecidere faces," et VI, 55. „Nec primus radios, miles Romane, corusci Fulminis, et rutilus scutis diffunderis alas." Statius Theb. I, 216. „taedet saevire corusco Fulmine." Silius Italicus VI, [v. 605] „quater inde coruscum Contorsit dextra fulmen." Idem lib. VIII, [v. 652] „Ae super medio, Libyes a parte, coruscae In Latium venero faces." Et lib. XV, [v. 143] „bis terque coruscum Addidit augurio fulmen pater." et iterum [v. 715] „Ut torrens, ut tempestas, ut flamma corusci Fulminis." Severus in Aetna [v. 54], de Iove et Gigantibus; „Iuppiter e caelo metuit, dextramque corusca Armatus flamma removel caligine mundum." Auctor de Morte Drusi, [v. 321] „Hoc fuit Evadne, tunc cum ferianda coruscis Fulminibus Capaneus impudica ora dedit." Petronius de Mutat. Reipub. [c. 122 v. 122] „Fix tum finierat, cum fulgure rupta corusco Intremuit nubes, otisosque abscedit ignes." Seneca Oedip. 1029. „Non si ipse mundum concitans Divum sator Corusca

- Magnum illa terrorem intulerat Iovi
50 Fidens iuventus horrida brachiis,
Fratresque tendentes opaco
Pelion inposuisse Olympo.
Sed quid Typhoeus et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyriion statu.
55 Quid Rhoetus evolsisque truncis
Enceladus iaculator audax,
Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes? hinc avidus stetit
Volcanus, hinc matrona Iuno, et
60 Numquam humeris positurus arcum,
Qui rore puro Castaliae lavit
Crinis solutos, qui Lyciae tenet
Dumeta, natalemque silvam,
Delius et Patareus Apollo.
65 Vis consili expert mole ruit sua:
Vim temperatam Di quoque provehunt
In maius: idem odere vires

v. 55. Vulg. *Rhoecus.*

saeva tela iaculetur manu." Ausonius Epist. XXI, [v. 5] „Flammis corusci fulminis vibratior." Cicero Tuscul. II, 9. „tuque caelestum sator, Iove, obsecro, in me vim coruscam fulminis"; Sed iam nimii sumus: i nunc, et, si potes, caducum potius fulmen ab invalida Iovis dextra, quam a terribili brachio coruscum in Gigantas tortum crede.

46. *Et urbes, regnaque tristia, Divosque mortalesque turbas*] Editio Veneta omnium princeps *turmas*, et sic maior pars Codicum: at Loscherus *Turbas*, cum Batteliano nostro et Petrensi. Recte. Nam iam praecesserat, *Immanemque Turmam*; neque ea vox bis inculcari debet. Verum ibi quoque codices aliquot, *Immanemque Turbam*, non *Turmam*. Nimirum hoc certum est, aut ibi esse legendum *immanemque turbam*, et hic *mortalesque turmas*; aut ibi *turmam* et hic *turbas* poni oportere. Neque hilum ferè interest. Sed iam totum locum videamus, ne inani forte verborum strepitu pulset potius aures, quam sensu animum tangat: „*Qui terram inertem, qui mare temperat Ventosum et urbes, regnaque tristia: Divosque mortalesque turbas Imperio regit unus aequo.*" Iam dic, obsecro quid sibi velit, *urbes et mortales turbas*? Enimvero hoc ineptum est, et Tautologia mera. Nisi forte *urbes*, non hominum coetus, sed lapidum et lignorum congeriem stulte hic interpretari velis. Corrige vere mecum, et distingue cum vetere Scholiaste: „*Qui terram inertem, qui mare temperat Ventosum; et umbras regnaque tristia, Divosque, mortalesque turbas Imperio regit unus aequo*" Unus regit omnes, Deos, homines, inferosque. *Umbras et regna tristia*; ut Seneca Medea v. 10. „*noctis aeternae chaos, Aversa superis regna, manesque impios, Dominumque regni tristis.*" Idem Oedipo, 869. „*tuque tenebrarum potens, In Tartara ima, rector umbrarum, rape.*" Et Hercule Octaeco, v. 1478. „*hic tibi, emenso freta Terrasque et umbras, finis extremus datur.*" Virgil. Aen. V, 735. „*non me impia namque Tartara habent, tristesque umbrae.*" et alii passim.

64. *Delius et Patareus Apollo*] Codex noster Vigorniensis, *Delios*; ut utrobique Graeca enunciatio sit, *Delios et Patareus, Ἀλῖος καὶ Παταρεῖς*; non, ut Latini, *Delius et Patarensis*.

Omne nefas animo moventis.
 Testis mearum centimanus Gyges
 70 Sententiarum, notus et integrae
 Tentator Orion Dianae,
 Virginea domitus sagitta.
 Iniecta monstris Terra dolet suis;
 Maeretque partus fulmine luridum
 75 Missos ad Orcum: nec peredit
 Inpositam celer ignis Aetnam:
 Incontinentis nec Tityi iecur
 Relinquit ales, nequitiae additus
 Custos: amatorem trecentae
 80 Pirithoum cohibent catenae.

V.

Caelo tonantem credidimus Iovem
 Regnare: praesens Divos habebitur
 Augustus, adiectis Britannis
 Imperio, gravibusque Persis.
 5 Milesne Crassi coniuge barbara
 Turpis maritus vixit? et hostium
 (Proh curia, inversique mores!)
 Consenuit socerorum in arvis

v. 69. Vulg. *Gigas* vel *Gyas*. v. 8. *Armis*.

69. *Centimanus Gyges*] *Gyges*ne an *Gyas* hic dicendus sit, iam supra disseruimus ad Carm. II, 17, 14. ut et de *Rhoeto* versu hic 55. diximus ad Carm. II, 19, 23. Ceterum male hic in omnibus hoc et superiore saeculo editionibus distinguitur. *Testis mearum centimanus Gyges Sententiarum notus*: tu vero interpunge: „*Testis mearum Centimanus Gyges Sententiarum, notus et integrae Tentator Orion Dianae.*“ Sic Carm. I, 37, 26. „*Fortis et asperas Tractare serpentes*“: ubi pari modo a plerisque peccatum erat. In vulgata distinctione, et sententiae vis perit et collocationis gratia. Nam si *notus* adeo *testis*, quid opus ut hic citetur? *notus* vero *tentator Orion*, quippe quem Mythologi et Poetae passim commemorant. Porro eodem, quo nos, modo interpungunt Editiones Principes Veneta et Loscheri; tum MSti Graevianus, Reginensis, Battelianus, Petrensis, aliique, cum Porphyriano Scholiasta.

8. *Consenuit socerorum in arvis*] Ita omnes, credo, qui nunc extant, codices, *armis*. Non placet. Quomodo enim in *Socerorum arvis*, si sub *rege Medo* erant? Certo non *soceri*, sed *rex ipse* militibus arma ministrabat. Deinde non queritur, Crassi milites captivos contra patriam tulisse arma; quod et falsum et inauditum; sed illud indignatur, quod verum erat, vivos captos in servitute apud Parthos consenuisse, quin et uxores ibi duxisse, Romani nominis oblitos. Quare diu est, cum legendum vidi, *arvis*, non *armis*, ut et Tanaquil Faber: „*Consenuit socerorum in arvis*“: quod et postea sagacissimum Heinsium sensisse didici, cuius haec notula in exemplaris sui margine. *Forte Arvis*. Rectissime: sic enim Seneca Epist. XLVII [§ 10] in re simili. „*Variana clade, quam multos splendidissime natos fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casae fecit.*“ Ergo ut post cladem Quintilii Vari, multi Romanorum per Ger-

Sub rege Medo Marsus et Appulus,
 10 Anciliorum et nominis et togae
 Oblitus, aeternaeque Vestae,
 Incolumi Iove et urbe Roma?
 Hoc caverat mens provida Reguli
 Dissidentis conditionibus
 15 Foedis, et exemplo trahenti
 Perniciem veniens in aevum,
 10. Vulg. Anciliorum, nominis.

maniam; ita post cladem Crassi, per Mediam in *arvis* consenuerunt, hi pastores facti, illi casarum custodes. Id autem sollemne fere apud veteres, ut captivi ad *arra* colenda adhiberentur: ut Euripides in *Rheso* v. 74. *Οἱ δ' ἐν βοόχοισι δέσμοιοι κληθέντες Φρυγῶν ἀρούρας ἐκμάθωσι γηγορέιν*. et mox v. 175. *Ὅθ' μὴν τὸν Οὐλύωσ παῖδά μ' ἐξαιεῖς λαβεῖν. Κακὰ γεωργεῖν χεῖρες ἐν τιθοραμμένα.* Noster Epist. I, 16. v. 69. „*Vendere cum possis captivum occidere noli: Serviet utiliter: sine pascat durus aretque.*“ Quin et olim *arvis* legerunt veteres Scholiastae: quorum hic interpretatur, „*Oblitos Romanae virtutis apud Parthos resedisse*“; alter, „*Felut propriis in sedibus omnem iam aetalem agerent.*“ Quae certe verba non cum *Armis*, sed *Arvis* conveniunt.

10. *Anciliorum, nominis, et togae*] Ita codices aliquot scripti, et iam pleraeque editiones. Sed coniunctionem et inserunt Loscherus et Veneta, „*Anciliorum, et nominis, et togae*“: et sic nostrae Membranae, Graevianae, Reginenses, cum pluribus aliis: quin et sic legitur apud Charisium pag. 46. Cledonium pag. 1898 et Servium ad Virgilii Aen. VII, 188. Recte: ut vitetur ambiguum, ne *nomen anciliorum*, non *nomen Romanum forte* intelligas. Imitatus est hunc locum Florus, IV, 11. de Antonio: „*Sed patriae, nominis, togae, fascium oblitus, totus in monstrum illud desciverat*“: Quod et ante nos vidit optimus et doctissimus Torrentius

15. *Et exemplo trahenti*] Ita primus ex coniectura reposuit vir eruditus Gulielmus Canterus, in *Novarum Lectionum* VII, 30. ex quo tempore plerique in ipsum Versum receperunt: cum in vetustis editionibus, et codicibus, credo, qui nunc extant, omnibus habeatur *trahentis*, hunc in modum: „*Hoc caverat mens provida Reguli Dissidentis conditionibus Foedis, et exemplo trahentis Perniciem veniens in aevum.*“ Quae ineptam plane sententiam efficiunt, et poetae menti prorsus contrariam. Enimvero, stante hac lectione, sic locus refigendus esset, „*Foedis, nec exemplo trahentis*“: hoc est, repudiantis foedae conditiones, neque malo suo exemplo trahentis perniciem in posteros. Sed melius omnino Canterus, qui literula una semota clarum sensum reddidit, ita ut *conditiones illae foedae sint exemplum* trahens perniciem. Livius II, 43. „*Iniussu signa referunt, maestique redeunt in castra: nec huic tam pestilenti exemplo remedia ulla ab imperatore quaesita sunt.*“ Minime itaque sua laude fraudandus est Canterus. Sed, cum mirum mihi visum esset omnes ubique codices *trahentis* exhibere; neque quicquam in Canteriana Lectione difficultatis appareret, quod Librarios posset offendere, si eam in suis codicibus unquam reperissent: subiit animum latuisse forte hic olim elegantis aliquid et reconditae constructionis, quod non intellectum in fraudem eos iniecerit. Et e vestigio suspicionem nostram res ipsa confirmavit: sic enim scripserat Horatius, „*Dissentientis conditionibus Foedis, et exempli trahentis Perniciem veniens in aevum*“: hoc est, *Conditionibus, quae foedae erant et perniciosi exempli*. Ita solebant hanc vocem genitivo casu proferre: quam structuram eum ignorarent boni Librarii, locum contaminarunt. Suetonius Aug. 32. „*Pleraque pessimi exempli correxit, quae in perniciem publicam*

- Si non periret immiserabilis
 Captiva pubes. Signa ego Punicis
 Adfixa delubris, et arma
 20 Militibus sine caede, dixit,
 Derepta vidi: vidi ego civium
 Retorta tergo brachia libero,
 Portasque non clausas, et arva
 Marte coli populata nostro.
 25 Auro repensus scilicet acrior
 Miles redibit? flagitio additis
 Damnum, neque amissos colores
 Lana refert medicata faco;
 Nec vera virtus, cum semel excidit,
 30 Curat reponi deterioribus.
 Si pugnata extricata densis
 Cervae plagis, erit ille fortis,
 Qui perdidit se dedit hostibus:
 Et Marte Poenos proteret altero,
 35 Qui lora restrictis lacertis
 Sensit iners; timuitque mortem

v. 33. Vulg. *Credidit.*

extiterant. Idem Vitell. 10. „*Quicquid cohortium praetorianarum fuit, ut pessimi exempli, uno ecauctoravit edicto.*“ Plin. Nat. Hist. VII, 16. [§ 68] „*In feminis ea res inauspicata fuit exempli.*“ Quintilianus Declam. VI [c. 10] „*Illae exempli mulier, illa saeculi decus, virum redimi noluit.*“ Livius I, 28. [extr.] „*Primum ultimisque illud supplicium exempli parum memoris legum humanarum fuit.*“ II, 55. „*Sub hac pessimi exempli victoria delectus edicitur.*“ III, 44. „*Fir exempli recti domi militiaeque.*“ IV, 48. „*De seditione, quam Maecilius Metiliusque largitione pessimi exempli concirent.*“

17. *Si non periret*] Glareanus vir sua aetate doctus, ex coniectura olim reposuit, „*Si non perirent immiserabilis Captiva pubes:*“ ut Virgilius [Aen. I, 212], „*Pars in frustra secant:*“ et similia passim. Quippe, ait, in caesura hac semper longam syllabam adhibet Horatius. De qua re dixi ad Carm. III, 2. v. 1. Tamen versiculus hic ex memoria exciderat, cum ea typographo traderem. Hic autem, si Glareani sententiae quis accesserit, corrigendus insuper erit locus hunc in modum, „*Si non perirent immiserabilis Captiva pubes.*“

33. *Qui perdidit se credidit hostibus*] Nemo usquam sic locutus est, *credidit se hostibus.* Scribe aut *tradidit*, aut *dedit*; utrum velis, nihil interest: sed hoc aliquanto propius accedit ad lectionem receptam. Silius Italicus lib. X. [v. 191] „*Succinctique dolis fugerunt oeu Punicia castra, Dederant dextras.*“ Cicero de Officiis III, 29. [extr.] „*Quod ni ita esset, nunquam claros viros Senatus victos hostibus dedidisset.*“ et paulo post, [§ 109] „*Qua rogatione accepta, est hostibus deditus.*“ Pomponius, Digest. lib. 50. Tit. 7. Leg. 17. „*Itaque eum, qui legatum pulsasset, Quintus Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere.*“ Cicero de Invent. II. [c. 30 § 91] „*Imperatore Samnitibus dedito, quidam in Senatu eum quoque dicit, qui porcam tenuerit, dedi oportere.*“ et mox [§ 92], „*Dedendus ne sit hostibus, nec ne.*“ Quintilianus Instit. III, 10. [c. 8 § 30] „*Et cum illis Opiterginis damus consilium, Ne se hostibus*

Hinc, unde vitam sumeret aptius;

v. 37. Vulg. *Hic . . . inscius.*

dedant.“ Livius XXII, 60. [§ 7] „*Nunc autem cum prope gloriati sint, quod se hostibus dederint.*“ Ita ille e: Caesar passim: ut Bello Gallico VII, 26. „*Ne se et communes liberos hostibus ad supplicium dederent.*“ VII, 71. „*Ne se in cruciatum hostibus dedant.*“ Corrigendus Quintilianus Declam. 359 [extr.], ubi hunc Horatii locum respexisse videtur, „*Ille vero, qui se inter virtutem hosti dedit* (lege, qui se in servitutem hosti dedit) *qui abiectis armis parata* (lege, paratas) *in vincula praebuit manus, quam tandem nobis spem in posterum facit?*“ Multa ad hunc locum profert Lambinus, ut ostendat *credere* idem interdum esse quod *committere*: quid tum? *committere se hostibus* dicitur, qui in medios hostes ardore pugnandi armatus irruit. Atqui de hoc non agitur. Nihil sane ad rem attulit praeter hoc Ciceronis Epist. Fam. IV, 7. „*Aut enim renovare bellum conati sunt, hique se in Africam contulerunt; aut, quemadmodum nos, victori sese crediderunt.*“ Sed cum omnes fere Codices ibi esse habeant, non *sese*; *victores esse crediderunt*: vel, *se victos esse crediderunt*: apparet, postquam semel mendose scriberetur *esse*, tum postea interpolatum esse *crediderunt*, ut cum *ip̄* esse conveniret. Lego itaque etiam illic, „*Aut, quemadmodum nos, victori sese dederunt*, vel, *tradiderunt.*“ Ipse Cicero de officiis I, 31. [§ 112] „*Num enim alia in causa M. Cato fuit, alia ceteri, qui se in Africa Caesari tradiderunt?*“ Idem pro Sextio, 20. [§ 45] „*Navem se oppressuros militarentur, nisi me unum sibi dedidissent: si id vectores negarent, et mecum simul interire, quam me tradere hostibus mallet.*“ etc. Valerius Max. VI, 5. [§ 1] „*Non erat dubium, quin Faliscis tradituri se nostro imperatori essent.*“ Caesar B. Gall. VII, 77 „*Vitam toleraverunt, neque se hostibus transdiderunt.*“

37. *Hic unde vitam sumeret inscius*] *Inscius*, quia primas editiones Venetam et Loscheri possederat, postea in omnes propagatum est; neque quicquam de Lectionis varietate monent Lambinus, Craquius, Torrentius, Pulmannus. Primus adeo Henricus Stephanus se fando audivisse narrat, *aptius* legi, non *inscius* in vetusto libro Antonii Contii. Post hunc Bersmannus ex tribus quos inspexit codicibus unum habere *aptius* memorat. At sancte testari possum, ex Nostris Graevianum, Reginensem, Regiae Societatis, Petrensem, Bodleianum clare et sine litura *aptius* exhibere: neque aliter a prima manu Magdalenensem; et pro varia lectione Battelianum et Colbertinum. Quid ergo? an credibile est, ceteros Interpretes in nullis libris lectionem hanc reperisse; cum constet plane ex nostris, qui e variis regionibus huc in Angliam allati sunt, dimidiam fere librorum partem ei patrocinari? Sed sollemne est iis hominibus, quod non probent aut non intelligant, dissimulare ac suppressere. Nos totum locum, qui sane impediffissimus est, evolvere et emendare conabimur. „*Et Marte Poenos proteret altero, Qui lora restrictis lacertis Sensit iners, timuitque mortem. Hic, unde vitam sumeret inscius, Pacem duello miscuit. O pudor!*“ in quo illud, *timuitque mortem*, iure opinor redarguemus. Quid enim? minor certe culpa est *timere mortem*, quam, ea quae praecesserant, abiectis arma, dedidisse se hostibus, et paratas ad lora manus praebuisse *Timet* quidem *mortem* etiam fortissimus quisque: atque ita ipsa natura comparati omnes sumus. Is demum vir est, non qui omnino mortem non timet, sed qui minus, quam turpem vitam et salutem flagitio quaesitam. Noster alibi Carm. IV, 9, 50. „*Peiusque leto flagitium timet, Non ille pro caris amicis, Aut patria timidus perire.*“ Ergo praeter decorum minuit vim orationis, cum post caetera pudenda illud addit ut gravissimum, *Timuitque mortem*. Deinde quid sibi vult, *hic*? „*Hic unde vitam sumeret inscius.*“ Respondent, opinor, *Hic miles*. Atqui hoc coactum est plane, et Horatio indignum. Non enim de uno milite, sed de multis agitur, ut supra. „*Et*

Pacem et duello miscuit; ô pudor!
 O magna Carthago, probrosis
 40 Altior Italiae ruinis!
 Fertur pudicae coniugis osculum,
 Parvosque natos, ut capitis minor,
 Ab se removisse, et virilem
 Torvus humi posuisse voltum:
 45 Donec labantis consilio Patres
 Firmaret auctor numquam alias dato;
 Interque maerentis amicos
 Egregius properaret exsul.
 Atqui sciebat, quae sibi barbarus
 50 Tortor pararet: non aliter tamen
 Dimovit obstantis propinquos,
 Et populum reditus morantem;

v. 43. Vulg. *A se*.

arma militibus sine caede, dixit, Derepta vidi." Postea vero, cum in orationis cursu ait, „erit ille fortis, qui perfidis se dedit hostibus": si de illo homine vocabulum hic intelligi velis, dicendum utique fuerit, „Ille, unde vitam sumeret inscius." Atque hanc, opinor, ob causam non iam pronomen esse, *Hic*, sed adverbium, etsi quantumvis inepte, credidit Scholiastes Aeron. „*Hic*," ait, „id est, in bello." Quid multa? levi mutatione sententiae subveniet, qui sic legerit, et distinxerit, „*Qui lora restrictis lacertis Sensit iners, timuitque mortem* Hinc, unde vitam sumeret aptius; *Pacem et duello miscuit.*" Hinc timuit mortem, unde aptius vitam sumeret. Ut alibi Carm. III, 11, 38. „*Surge, ne longus tibi somnus*, unde *Non times, delur.*" hinc, id est, a pugna, ferro, manu: unde viri fortes aptius vitam quaerunt, quam deditioe aut fuga. Homerus *Iliad. O. 741.* „*Τῶ ἐν χερσὶ γῶος, οὐ μετίζῃ πολέμοιο.*" Sallust. *Iugurth. 39. § 1.* „*Aulo omnes infesti ac maxime, qui bello saepe praecleari fuerunt: quod armatus, dedecore potius, quam manu, salutem quaesierit.*" Patereulus I, 2. „*Quis enim (Codrum) non miretur, qui iis artibus mortem quaesierit, quibus ab ignavis vita quaeri solet.*" Deinde addidimus et: *pacem et duello*: facile enim a Librariis id omissum, ubi sine versus dispendio fieri potuit; ut supra in hoc ipso carmine, „*Anciliorum, nominis, et togae*": pro et nominis.

38. *O pudor!* Notandum illud, *O pudor!* hinc enim defendi debet recepta lectio apud Ovidium *Epist. Deianirae* [Her. IX] vers. 111, de Hercule, cum apud Omphalam desideret, et leonina pelle illam indueret: „*O pudor! hirsuti costis exuta leonis, Aspera tacerunt vellera molle latus.*" ubi perperam praestantissimus Heinsius ex pauculis codicibus reposuit *Pro pudor!* deinde multo infelicius *costas* edidit ex unico libro; *elegantis*, ut ait, *Gracismo*. Dolet virum insignem alibi hic mentem habuisse. Certe cum Virgilius dixit *Aen. IV. 517.* „*Unum exuta pedem vinculis*," exuta pedem suum subintelligimus; atque ita in omnibus ubicumque Gracismi huius exemplis. Potestne igitur dicere, *vellera exuta costas* suas? an *vellera costas* habent? Sed hoc obiter. Valerius Flaccus VIII, 269. „*nobis, O pudor, et muros et stantia lecta reliquit.*" Ita edidit et ipse Heinsius: neque variant codices.

43. *A se removisse* *A se* habent recentiores et codices et editiones. At Veneta princeps, et membranæ meliores, Gracivianæ, Leidensis, Regi-nensis, Zulichemianæ, Battelianæ cum aliis nostris; crede et multis aliorum: *ab se*. Recte.

51. *Dimovit obstantes propinquos* Loscherus edidit, *obstantes amicos*;

Quam si clientum longa negotia
 Diudicata lite relinqueret,
 55 Tendens Venafranos in agros,
 Aut Lacedaemonium Tarentum.

VI.

AD ROMANOS.

Delicta maiorum inmeritis laes,
 Romane, donec templa refeceris
 Aedesque labentis Deorum, et
 Foeda nigro simulacra fumo.
 5 Dis te minorem quod geris, imperas:
 Hinc omne principium, huc refer exitum.
 Di multa neglecti dederunt
 Hesperiae mala luctuosae.
 Iam his Moneses, et Pacori manus
 10 Non auspicatos contudit impetus
 Nostros, et adiecisse praedam
 Torquibus exiguis renidet.

et sic sane libri nostri Gracivianus, Regi-nensis, cum quattuor aliis. Atqui hoc versu abhinc quarto praecesserat, „*Interque maerentes amicos.*" Recte *propinquos*, ut editio Veneta cum bona parte membranarum. Cicero de Officiis I, 13 [§ 39], quem locum Horatius ante oculos videtur habuisse: „*Primum, ut venit (Regulus) captivos reddendos non esse in Senatu censuit: deinde, cum retinere ab amicis et propinquis, ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere.*" Idem de Amicitia c. 12. [§ 41] „*Hunc etiam (Ti. Gracchum) post mortem secuti amici et propinqui, quid in P. Scipionem effecerunt, sine lacrimis non queo dicere.*" Quintilianus Decl. VI. [VIII c. 11] „*Pessime de tua feritate sentirem, si in quacumque filii curatione non adhiberes propinquos, non interrogares amicos.*" Ita alibi haud semel ea verba iunguntur.

10. *Non auspicatos contudit impetus Nostros* Scabrum profecto hoc est, *inauspicalos impetus nostros*, et pedestri orationi, quam carmini, similis. Vix crediderim ab Horatio profectum esse. In Prisciano p. 891. ubi hunc versiculum adducit, sic hodie legitur, „*Inauspicatos contudit impetus Nostris.*" Sed in duobus, quos versavi, codicibus ibi quoque *Nostros* habetur: in tertio tamen, eoque vetustissimo et optimo, *Nostris*, et supra emendatum *Nostros*. Imo vero rectissime habet *Nostris*, casu dativo; ut Serm. II, 7, 15. „*postquam illi iusta cheragra contudit articulos.*" *Nostris* autem hoc est, *Romanis*: ut passim Historici Latini, ubi de Suis loquuntur. Hirtius Bello Gallico VIII, 10. „*Quae res etsi mediocre detrimentum Nostris afferebat.*" et 18. „*Nostris, explorato hostium consilio, ad proliandum animo atque armis parati.*" Pateris etiam legere *nostrorum*; idque fortasse melius: „*Non auspicatos contudit impetus Nostrorum, et adiecisse praedam.*" *Impetus nostrorum*; ut iisdem verbis Caesar Bello Civili II, 25. „*Neque vero primum impetum nostrorum Numidae ferre potuerunt*": et ibidem 41. „*Numidae integri celeritate impetum nostrorum effugiebant.*" Et III, 51. „*Neque vero conspectum aut impetum nostrorum tulerunt.*" Sic et alibi ipse aliique. Certe hac correctione et verbis et sententiae novus nitor accedit.

Paene occupatam seditionibus
Delevit Urbem Dacus et Aethiops;

15 Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.

Fecunda culpa saecula nuptias

Primum inquinavere, et genus, et domos:

Hoc fonte derivata clades

20 Inque patres populumque fluxit.

v. 20. Vulg. *In patriam pop.*

20. *In patriam populumque fluxit*] Ita quidem codices ad unum omnes: numquam tamen a me impetrabunt, ut huic lectioni calculum apponam. Quid enim? Ex adulteriis, inquit, tamquam ex fonte, derivata clades in *patriam populumque* fluxit. Quid vero aliud est *patria*, quae *populus*? nisi forte in *patriam terram* et *solum* perditissimi illi mores fluxerint. Non adeo ieiunus rerum, aut iudicii vacuus erat Noster, ut otiosum illud Synonymum, quasi diversum quid, ingereret. Vix dubito, quin sic scripserit Horatius, „*Hoc fonte derivata clades Inque patres populumque fluxit*“: in *patres et populum*, hoc est, in universos cives Romanos, tam patricios et Senatores, quam plebem. Ea sollemnis formula est apud omne genus Scriptorum, quos hic pleno modio accumulabimus, ut audaciam huius conjecturae numero ipso densisque phalangibus sustentemus. Virgil. Aen. IV, 682. „*Extincti me teque, soror, populumque patresque Sidonius, urbemque tuam*.“ IX, 192. „*Aenean acciri omnes, populusque patresque, Exposcunt*.“ Georg. II, 509. „*hunc plausus hiantem Per cuneos (geminatus enim) plebisque patrumque Corripuit*.“ Aen. VIII, 679. „*Hinc Augustus agens Italus in proelia Caesar Cum patribus populoque, penatibus et magnis dis*.“ Ovidius Metam. XV, [v. 456] „*Extinctum Latiaeque nurus, populusque patresque, Dessevere Numam*.“ Martialis VII, 5, [v. 1] „*Si desiderium, Caesar, populi patrumque Respicias, et Latiae gaudia vera togae*.“ VIII, 50, [v. 7] „*Fiscitur omnis eques tecum populusque patresque*.“ IX, 49, [v. 7] „*At tu continuo populumque patresque vocasti*.“ XII, 3, [v. 15] „*Ille dabit populo patribusque equisque legendum*.“ Statius Silv. I, 4, [v. 115] „*Quis mihi tot coetus inter populi[que] patrumque Sit curae votique locus?*“ II, 5, [v. 115] „*quod te maesti populusque patresque Ingenuere mori*.“ Theb. II, 143. „*puget heu plebisque patrumque*.“ Silius Italicus lib. X, [v. 635] „*Quod vero reduci tum se populusque patresque Offerrent*.“ et XI, [v. 499] „*Et senior manus et nata populusque patresque*.“ Ausonius in Mosella, 409. „*Quique caput verum Romam, populumque patresque Tantum non primo rexit sub nomine*.“ Prudentius contra Symmachum II, 310. „*cum scita patrum populi que frequenter In tabulis placiti sententia flexa novavit*.“ Lucilius apud Lactantium Div. Instit. V, 9. „*Totus item pariterque dies, populusque patresque lactare indu foro se omnes, decedere nusquam*.“ Cicero de Divinat. I, 12, [§ 20] ex II lib. de suo Consulatu, „*si solis ad ortum Conversa, inde patrum sedes populi que videret*.“ et mox ibidem, „*Focibus Allobrogum patribus populoque patebat*.“ Sidonius Apollinaris Epist. IX, 16, [p. 284 extr. Sirm.] „*Qui patrum ac plebis simul unus olim iura gubernat*.“ Claudian. Stilich. III, 116. „*quos praeficit ipse regendis Rebus, ad arbitrium plebis patrumque reducit*.“ idem VI Cons. Honor. 332. „*Acrior interea visendi principis ardor Accendit cum plebe patres*.“ idem Bello Gildonico, 46. „*Armato quondam populo patrisque vigeam Consiliis*.“ Ita edidit vir longe acutissimus Nicolaus Heinsius, cui Claudianus nitorem suum restitutum debet. Sed quid hic, obsecro, est *patris consilii*? Sunt verba deae Romae, ex prosopopeia. Iam autem *patris consilii* est *patris mei consilii* neque alio sensu ea verba um-

quam accipi queunt. Ergo hic inepta et aliena sunt: neque enim Roma patre quoquam nata est. Figurata quidem *urbis parens* Romulus dictus est: sed non hic Romuli *consilia* aut *casam* intelligit, cum dicit verbis proxime sequentibus, *domui terras, urbesque revinci Legibus, ad solem victrix utrumque cucurri*. Ipso Heinsio teste, longe plures codices, nempe ex triginta omnibus septem et viginti, *patrum* habent non *patris*; et omnes, uno excepto, *armatis populis* non *armato populo*; porro et duo optimi, *conciliis*, non *consiliis*: Lego igitur, unica dantaxat litera seposita, „*Armatis quondam populi patrumque vigeam Conciliis*“: certissima emendatione; *armatis conciliis populi patrumque*; ut mox versu 53. „*bellatoremque Senatum*“, et 96. „*Ille diu miles populus*.“ Valerius Flaccus VIII, 281. „*patriae veniam da quaeso senectae: Quin omnes alti pariter populique patresque Mecum adsunt*“ ubi idem Heinsius ex conjectura *alto* i. e. *mari*. Ego vero sic legerim: „*Quin omnes alii, pariter populusque patresque*“ hoc est, *excusa modo patris absentiam; alii omnes mecum adsunt*. Cicero de Legibus III, 4, [§ 10] „*Cum populo patribusque agendi ius esto Consuli*.“ Tacitus Annal. IV, 2. „*Apud patres et populum celebraret*.“ XIII, 17. „*Fovendum patribus populoque principem*.“ Livius I, 26. „*Atrax visum id facinus patribus plebique*.“ I, 40. „*Apud patres plebemque longe maximo in honore Servius Tullius erat*.“ Sed iam satis superque exemplorum est: quare finem hic faciemus, ne omnia cum ipso pulvisculo corradere videamur. Id vero ingenuitatis est nostrae, ut locum unum et item alterum non praetereamus, quae receptae apud Nostrum lectioni prima fronte patrocinantur. Prior apud Ovidium est Metam. XV, 572, ubi Cipus loquitur civis Romanus; „*Quicquid, ait, Superi, monstrum portenditur isto, Seu laetum est, patriae laetum populoque Quirini; Sive minax, mihi sit*.“ Quid nunc fiet? nonne magno conatu nihil egimus? Ecce enim tibi, plane ut apud Nostrum; *patriae populoque*. Ego vero et hic corrigendum esse contendo. „*Seu laetum est, patribus laetum populoque Quirini*“ hoc est, ut in Monumentis veteribus sollemne habetur, „*Ad felix faustumque sit Senatui Populoque Romano*.“ Quod et ipse Cipus mox firmat, versu 590. „*Dixit, et exemplo populumque gravemque senatum Convocat*“: et Ovidius alibi totidem verbis, Fast. I, 69. „*Delecter ades, patribusque tuis populoque Quirini*.“ Iam hoc telum feliciter evitavimus: posterior locus extat apud Iuvenalem XIV, 70. „*Gratum est quod patriae civem populoque dedisti: Si facis ut patriae sit idoneus, utilis agris, Utilis et bellorum et pacis rebus agendis*.“ Vah, quam inficeta et inconcinna repetitio est, *patriae, patriae*. Quin et hic etiam, tot testibus et auctoribus freti, sidenter reponimus, „*Gratum est, quod patribus civem populoque dedisti: Si facis ut patriae sit idoneus*.“ Quod si demus in Ovidio et Iuvenale recte se habere *Patriae*: nihilo minus in hoc Horatii loco vitiosum fuerit. Quippe *Patria* nomen reciprocum est, retroque semper ad praecedens verbum respicit, et ubique pronomem aliquod *mea, tua, sua* etc. extrinsecus subaudiendum habet. Hoc verissimum esse, qui Latine sciunt, agnoscent. Ergo *clades fluxit in patriam suam*, sive *ipsius cladis patriam*: quo nihil absurdius fingi potest. Sed nondum tamen rem totam conficimus: ecce enim vir summus Io: Frid: Gronovius ad Livium XXV, 6 et in Indice, rem ante nobis inauditam docet; nempe *Patriam* significare *Magistratum et Senatum*: ut ipsi Senatores *Patres* vocantur. Quod si verum et certum probaverit, frustra sane nos hunc Flacci locum sollicitamus; quippe hoc pacto „*In patriam populumque fluxit*“, perinde erit, ac si dixisset, *In senatum populumque*: quod ipsum illud est, quo nos emendatione nostra pervenire conamur. Sed videamus locum Livii: ubi milites, Cannensis cladis reliquiae, in Siciliam senatusconsulto relegati, Marcellum Cons. alloquantur; „*Nisi hoc*“, aiunt, „*sperassemus, in provinciam nos morte regum turbatam ad grave bellum adversus Siculos simul Poenosque milli, et sanguine nostro vulneribusque nos patriae satisfacturos esse*.“ Ubi *patriae*

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, et fingitur artibus:

Gronovius interpretatur *Senatui*; (de quo mox dicemus) et testimonio citat alterum Livii locum, V, 4. [§ 8] ex oratione Appii Claudii: „*Inventus in hac parte orationis, Quirites, moror: sic enim agere debent, qui mercenario milite utuntur: at nos tanquam cum civibus agere volumus; agique tanquam cum patria nobiscum aequum censemus.*“ Cum patria, hoc est, cum *senatu*. Sed, quod viri acutissimi pace dictum sit, nihil tale ex his verbis excudi potest. Nam primo, non in *Senatu*, sed in concione ad plebem haec loquitur Appius: deinde opponit *mercenarium* sive extraneum militem domestico militi et *civi*, qui pro *patria* sua et Republica ad bellum mittitur. Ergo *Patria* tam hic, quam alibi, est *civitas, sedes natalis*. Pergit vir sagacissimus et Tacitum allegat Annal. IV, 8. „*Erepto Druso preces ad vos converto, diisque et patria coram obtestor, Augusti pronepotis suscipite, regite.*“ Etiam hic *coram patria* vult esse *coram Senatu*. Frustra: nam Tiberii verba sunt in *Senatu*, et ad *Senatum*; et idecirco, si *patria* hic est *senatus*, perinde foret ac si diceret, *Obtestor vos coram vobis*. Quod cum ineptum insulsumque sit, etiam hic, ut ubique alias, *patria* est *Respublica et civitas*. Sed revertamur iam ad priorem Livii locum XXV, 6. „*Nisi sperassemus, sanguine nostro vulneribusque nos patriae satisfactorios esse.*“ Ubi verba illa *nos patriae* sola Gronovii coniectura nituntur, utcumque in contextum temere recepta. Nam ipso testante, Codices Manuscripti pro *nos patriae* habent *nostratui*. Ergo omnes Gronovii copiae, quibus efficere voluit *patriam* esse *senatum*, iam ad nihilum redactae sunt. Quin si coniecturam suam viro in hisce rebus felici concedimus; nihil tamen cogit, ut *patria* ibi notet *senatum*. Quidni enim *patriae satisfactorios* sit idem ac *reipublicae*? Ut Cicero alicubi in Philippicis [XIV, 9, 26]: *C. Pansa* aut morte sua aut victoria se satisfactorum reipublicae sponndit. Quid, quod Gronovius Filius, aliam emendationis viam tentat; neque *nos patriae*, sed *nos reatui satisfactorios* pro solita sua *επαροχία* vere, ut ait, restituit. Haud vidi magis. Quintilian. Instit. VIII, 3. [§ 34] „*Nam et quae vetera verba nunc sunt, fuerunt olim nova; et quaedam in usu perquam recentia; ut Messalla primus reatum, nunerarium Augustus primus dixerunt.*“ Messalla iste et Livius eodem anno nati sunt, ut in Chronico Hieronymus. Ut proinde merito dubitandum sit, an verbum illud procederit Messalla, priusquam haec scripserit Livius. Sed esto: ut prius procederit, illud non dubitandum, recenti tum et musteo, dubiaeque adhuc auctoritatis vocabulo non usum fuisse in Historiis Livium. Sed quid, obsecro, est *Reatus*? an culpam, *crimen, commissum* voluit Messalla, ut Iacobus hic interpretatur? Minime gentium. *Reatus*, ut eruditus notum, erat status et conditio reorum et sordidatorum, dum iudicium in longum procedit; ut *caelibatibus*, conditio caelibis et similia. *Reatus* pro crimine, peccato, est barbarorum. Enimvero, etsi satis arrideat Gronovii Patris coniectura, sed alio, quam is voluit, sensu; leviore tamen manu sanari potest locus hunc in modum: „*Nisi sperassemus, sanguine nostro vulneribusque nos senatui satisfactorios esse.*“ Quippe *senatusconsulto*, non *plebis scito* in Sicilia relegati erant. Dixerant ii milites paulo ante, „*Quum primum de nobis, etsi non iniquum, certe triste Senatus consultum factum est.*“ Ex compendio scriptiois pro *Nos senatui* factum est *Nostratui*. Sed iam manum de tabula: quippe et nos, nisi fallimur, emendationi huic nostrae cumulate satisfecimus.

22. *Fingitur artibus*] Mire variant hic codices scripti; alii enim *Fingitur artibus*, alii *frangitur artibus*, alii *fingitur artibus* habent. Quae omnes lectiones prima fronte satis speciosae sunt, suosque patronos singulae sunt nactae: ut subtilis iudicii sit, quae melior veriorque sit, et ab

Horatii manu fluxerit, dignoscere. „*Motus doceri gaudet Ionicos, Matura virgo et Fingitur artibus.*“ Hoc secuti sunt Scholiastae, editiones veteres, et codicum pars maior, mei certe quam plurimi; et defendi posse videtur aliorum Scriptorum exemplis. Fingere artus, ut fingere corpora, membra, ora, etc. Virgil. Aen. VIII, 634. „*Mulcere alternos, et corpora fingere lingua.*“ Claudian. Rufin. I, 97. „*linguisque trisulcis Mollia lambentes finxerunt ora cerastae.*“ sive ut alii ibi codices, *Membra*. Sed illud obstat (ut animadvertit quoque Lambinus) quod hoc sensu *fingitur artus* Graeca constructione dicendum foret, non *fingitur artibus*. Nam ablativus hic casus non potest materiem notare, sed instrumentum. Ut in locis Virgilii et Claudiani iam allatis, *fingere linguam*; et Persii Sat. III, 24. „*nunc, nunc properandus, et acri* Fingendus *sine fine rota.*“ Ut ergo aliud est, *fingitur lingua*, lambendo scilicet et tergendo: aliud *fingitur linguam*, nempe ad loquelam et orationis cultum: ita *frangitur artus* quid sibi velit intelligo: *fingitur artibus* tanquam instrumento, ne Oedipus, quid sit, deprehenderit. Itaque melius fortasse legeris *Frangitur artibus*, cum uno Torrentii codice, Palmanni altero, et pluribus Lambini. Sane hanc lectionem solam tuetur et probat magnus Heinsius ad Claudian. Eutröp. I, 262, miraturque verbi huius elegantiam interpretibus non intellectam: *frangitur artibus*; ut Petronius [c. 119 v. 25], *fracti gressus*; Prudentius [Psychom. 363], *fracta membra*. Addidisse potuit et Ciceronis illud de Finibus, V, 12. [§ 35] „*Fleci* fractique motus, *quales protervorum hominum aut mollium esse solent.*“ et Sidonii Epist. IX, 13. [p. 276. 5 Sirin.] „*Juvat et vaso rotata Dare fracta membra ludo, Simulare vel trementes Pede, veste, voce, Bacchas.*“ et plura loca similia. Sed et haec lectio eodem, quo prior illa, vitio laborat. Quippe *frangitur artus*, non *artibus*, dictum oportuit; ut Noster alibi Serm. I, 1, 5. „*Miles ait, multo iam fractus membra labore.*“ nam ablativus, ut ibi *in labore*, eussam et instrumentum designaret. Restat igitur, ut *Fingitur artibus*, quod duo Codices Cruquii, Palmanni tres, Lambini aliquot, et duo ex nostris subministrant, quo se pretio commendat videamus. Et meo quidem iudicio nihil melius, elegantius, venustius dici potuit; „*Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo, et fingitur artibus: artibus fingitur ad saltationem, gestum, motum, cultumque corporis, ut adulteris placere possit. Artibus*, ut Noster Carm. IV, 13, 21, de meretrice, „*Felice post Cinarum, notaque et artium Gratarum facies.*“ ubi eleganter Scholiastes Blandinii Codicis apud Petrum Nannium Miscellan. III, 17. „*Quae motu oculorum, superciliarum, cervicis placet.*“ Ovid. Amor. II, 10. [v. 6] „*Utraque formosa est: operosae cultibus ambae: Artibus in dubio est haec sit, an illa, prior.*“ et ibid. II, 4. [v. 30] „*Illam placet gestu, numerosaque brachia ducit, Et tenerum molli torquet ab arte latus.*“ Propertius I, 4. [v. 13] „*Sunt maiora, quibus, Basse, perire iuvat: Ingenuus color, et multis docus artibus.*“ Seneca Epist. XC. [§ 19] „*Itaque hinc teatorum, hinc fabrorum officinae, hinc odores coquantium, hinc molles corporis motus docentium, mollesque cantus et infractos.*“ Ita Noster hic, *Doceri motus Ionicos*, quod vero *fingitur artibus*; ut Gratius v. 512. „*sed tamen illi Est animus, fingitque meas se iussus in artes.*“ Servius ad Virg. Aen. VIII, 634. „*Fingere significat, formare aliquid, et ad integram faciem arte perducere.*“ Seneca Controvers. 2. [§ 5] „*Excipitur meretricium osculis: docetur blanditiis, et in omnem motum corporis confingitur.*“ Ita eodd. Palatini apud Gruterum: male nunc circumfertur, *Confringitur*. Ovid. Remed. Amor. 341. „*Proderit et subito eum se non finxerit illi, Ad dominam celeres mane tulisse gradus.*“ et Metam. IV, 319. „*Quam se composuit, quam circumspexit amictus, Et fluxit vultum, et meruil formosa videri.*“ Virgil. Aen. VI, 81. „*tanto magis ille fatigat Os rabidum, fera corda domans, fingitque premeudo.*“ Varius apud Macrobius Saturn. VI, 2. „*Quem non ille sinit lentae moderatar habentae Qua velit ire; sed angusto prius ore coereans, Insultare do-*

- Iam nunc et incestos amores
De tenero meditatur ungui.
25 Mox iuniores quaerit adulteros
Inter mariti vina: neque eligit,
Cui donet impermissa raptim
Gaudia luminibus remotis:
Sed iussa coram non sine conscio
30 Surgit marito; seu vocat institor,
Seu navis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emtor.
Non his inventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico;
35 Pyrrhumque, et ingentem cecidit
Antiochum, Hannibalemque dirum:
Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas, et severae
40 Matris ad arbitrium recisos
Portare fustis; sol ubi montium
Mutaret umbras, et iuga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.

cel campis, fingitur morando. ubi pro ore certissime legendum *orbe*: de equo loquitur, quem ad gressus instituit magister.

23. *Iam nunc et incestos*] Mala distinctio hic obtinuit in plerisque editionibus; „*fingitur artibus iam nunc; et incestos amores De tenero meditatur ungui.*“ Imo vero, *Iam nunc de tenero ungui*: ut Noster Epist. II, 1, v. 127. „*Os tenerum pueri balbumque poeta figurat, Torquet ab obscaenis iam nunc sermonibus auem.*“ Sed cum de praeterito tempore, ut hic, loquantur: usitatius dicunt *Iam tunc*. Cicero Epist. Fam. III, 12. „*Nisi iam tunc omnia uergolia confecissem.*“ Virgil. Georg. IV, 137. „*Ille comam mollis iam tum tondebat acanthi.*“ Aen. VII, 737. „*Iate iam tum ditione premebat Sarrastis populos.*“ Sed hic reclamant MSti.

27. *Cui donet impermissa*] Pulmanni codex et Galeanus noster, *intermissa*; alter Pulmanni, et Achillis Statii liber, *improvisa*. Sed recte habet praescorum editionum et plurium codicum lectio, *impermissa gaudia*: etsi nemo veterum, quod meminerim, hanc vocem usurpaverit. *Impermissa*, hoc est, *inconcessa, interdicta*. Virgil. Aen. I, 651. „*Pergama cum peteret, inconcessosque Hymenaeos.*“ Ovid. Metam. X, 153. „*inconcessisque puellas Ignibus attonitas meruisse libidine paenam.*“ IX, 637. „*Iamque palam est demens, inconcessamque fatetur Spem Veneris.*“ et Amor. III, 4. [v. 31] „*Indignere licet: iuvat inconcessa voluptas.*“ Noster Serm. I, 4, 113. „*Ne sequerer moechas, concessa cum venere uti Possem.*“ et I, 2, 96. „*Si interdicta petes, vallo circumdata.*“ Ovid. Metam. X, 336. „*Spes interdictae discedite: dignus amari Ille, sed ut pater, est.*“

36. *Hannibalemque dirum*] Torrentii quidam, et Pulmanni codices, et ex nostris Vigorniensis, *durum*, neque aliter Loscherus edidit. ut Carm. II, 12, 2. „*Nec durum Hannibalem*“; ubi similiter codices aliquot, et Editiones pleraeque *Dirum*. Nos, ut illo loco *durum* cum maiore membranarum parte probavimus: ita hic magis arridet *dirum*, quod codices plerimi repraesentant. Quintilianus Instit. VIII, 2 [§ 9] „*At illud iam non medio-*

- 45 Damnosa quid non imminuit dies?
Actas parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiore.

VII.

AD ASTERIEN.

- Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii,
Thyna merce beatum,
Constantis iuvenem fide
5 Gygen? Ille notis actus ad Oricum
Post insana Caprae sidera, frigidas
Noctes non sine multis
Insomnis lacrimis agit.
Atqui sollicitae nuntius hospitae,
10 Suspirare Chloen, et miseram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis.
Ut Proetum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
15 Casto Bellerophonti
Maturare necem, refert.
Narrat paene datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens:
Et peccare docentis
20 Fallax historias movet,
Frustra: nam scopulis surdior Ieari
Voces audit, adhuc integer. at tibi

v. 20. Forte, *Pellae*. 20. Vulg. *Monet*.

riter probandum, quod hoc etiam laudari modo solet, ut proprie dictum id sit, quo nihil inveniri possit significantius; ut Calo dixit, C. Caesarem ad overtendam Romp. sobrium accessisse; ut Virgilius, Deductum carmen; et Horatius, Acrem tibiam, Hannibalemque dirum.“

4. *Constantis iuvenem fide*] Editiones principes, Veneta et Loscheri, „*Constanti iuvenem fide.*“ at membranae omnes ubicumque, *Constantis*; et plurimae *fidei*; nostrae certe omnes; nisi quod Zulichemianae *fidi*. Recte vero Lambini aliquot, et Cruquii unus *fide*, casu genitivo, more illius aevi. De quo vide A. Gellium IX, 14., Priscianum sine libri VII. [p. 780], Vossium de Analogia [II, 19] p. 770. Non placet hic ablativus, *constanti fide*; tum quod omnes codices refragentur, tum quod *constante* Noster, non *constanti*, dicere voluisset; ut supra ostendi ad Carm. I, 25, v. 17.

20. *Fallae historias monet*] Codices tres apud Torrentium, et ex nostris Bodleianus, *movet*, non *monet*. Utrumque recte. Ovidius Art. III, 651. „*Quid iuvat ambages praeceptaque parva monere?*“ Illud tamen magis placet, ut figuratius et *νοητικώτερον*, *historias movet*; ut Virgilius bis [Aen. VII, 641 et X, 163], „*Pandite nunc Helicon, deae, cantus-*

- Ne vicinus Enipeus
 Plus iusto placeat, caue.
 25 Quamvis non alius flectere equum sciens
 Aequae conspicitur gramine Martio,
 Nec quisquam citus aequae
 Tusco denatat alveo:
 Prima nocte domum claude, neque in vias
 30 Sub cantu querulae despice tibiae:
 Et te saepe vocanti
 Duram, difficilis mane.

VIII.

AD MAECENATEM.

- Martius caelebs quid agam Calendis,
 Quid velint flores et acerra turis
 Plena, miraris, positusque carbo in
 Cespite vivo,
 5 Docte sermones utriusque linguae.
 Voveram duleis epulas, et album

que movete." Et Aen. I, 261. „Hic tibi (faber enim quando haec te cura remordet Longius et volvens fatorum arcana movebo)." Ovid. Metam. XIV, 20. „At tu, sive aliquid regni est in carmine, carmen Ore move sacro." et Fast. III, 11. „Illa vestalis (quid enim vetat inde moveri) Sacra lavaturas mane petebat aquas": inde moveri, id est, inde initium narrationis sumi. Ita Livius [XXVIII, 11 § 10], Mentionem movere, [VII, 1 § 3] mentionem agitare. Cicero in Oratore c. 12. [extr.] „Primisque ab his (Herodoto et Thucydide) ut ait Theophrastus, historia commota est, ut auderet uberius, quam superiores, et ornatus dicere." Porro illud fallax non levis mihi suspicio est ex interpretatione in versum irrepisse, pro pellax: quod altero non paullo aptius et significantius est. Virgil. Aen. II, 90. „invidia postquam pellacis Filiae": ubi Servius: „Pellacis, per blanditias decipientis: Pellicere enim est per blanditias illicere." Multi tamen codices apud Pierium fallacis ibi habent. Hieronymus Praefat. in VI comment. Ezech. „Qui nostra simulantes generitricis antiquae et pellacis Ulixei venena non deserunt." Lucretius [II, 559], „Subdola cum ridet placidi pellacia ponti." Virgil. Georg. IV, 443. „Ferum ubi nulla fugam reperit pellacia": ubi plures ex Scriptis fallacia: adeo proclive erat Librariis vocabulum illud corrumpere. Glossae Graecolatinae: Εγγυγός, pellax, illex. Martianus Capella lib. IV, [§ 331] „Circulatrix pellacissima, et metarum Marsicarum incola." Arnobius lib. II, [c. 3] „Homo, qui sit aut unde sit anceps, varius, mobilis, pellax, multiplex, multiformis." Et lib. V, [c. 44] „Quid pro cyenis et Satyris, quid pro aureis imbribus, in quos idem se pellax (Iuppiter) fraude induit perfida, formarum varietatibus ludens."

5. Docte sermones utriusque linguae] Tam veteres editiones, quam omnes fere codices, et mei et aliorum, habent „Docte sermones utriusque linguae." atque ita Aeron Manuscriptus in Bibliotheca Regiae Societatis: „Ordo est, Docte Sermonis utriusque, id est, Graeci et Latini." Sane in caesura, etiam syllaba brevis produci potest, ut Carm. I, 3, 36. „Porrupit Acheronta Herculeus labor." et III, 16, 26. „Quam si quicquid arat impiger Appulus." Doctus autem Sermonis, casu genitivo, ut Statius

- Libero caprum, prope funeratus
 Arboris ictu.
 Hic dies, anno redeunte, festus
 10 Corticem adstrictum pice dimovebit
 Amphorae, fumum bibere institutae
 Consule Tullo.

Theb. II, 692. „ille haec praeviderat omnia, doctus Aëris, et nulla deceptus in alite Maeon." et Noster ipse in Arte Poet. v. 380. „Inductusque pilae, discive, trochive quiescit." Sed eo minus placet haec lectio, quod vox alterutra, aut sermonis, aut linguae, redundans plane et otiosa foret: cum satis sit dicere, vel docte sermonis utriusque, vel Docte linguae utriusque. Suetonius Claudio c. 42. „Cuidam barbaro Graece et Latine disserenti. Cum utroque, inquit, sermone nostro sis paratus." Idem Illust. Gram. cap. 1. „Idem et Poetae et Oratores semigraeci erant: Livium et Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse adnotum est." Plinius Hist. XII, 1. [§ 11] „Et platanus una insignis utriusque linguae monumentis." Plinius alter Epist. VII, 25. „Quam Graeca? quam Latina? nam tantum in utraque lingua valet." Martialis X, 76. [v. 6] „Aucundus, probus, innocens, amicus, Lingua doctus utraque." Apuleius Floridis, 18, [p. 86 Oud.] „Et vos mea utraque lingua iam vestris auribus probe cognita." Non sum nescius, extare alibi apud Nostrum Serm. I, 10, 23. „al sermo lingua concinnus utraque Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est." Unde suspicetur quis, eo exemplo posse dici sermo linguae utriusque. Sed aliud est. Certe sermo utraque lingua concinnus, sive compositus et commixtus tanquam cinnus ambarum, ut cum Cicerone [Orat. 6 § 21] loquar, recte dicitur. Poterit etiam dixisse, sermo utroque sermone concinnus: sed non ideo quisquam dixerit, sermo sermonis utriusque, neque itidem, sermo linguae. Quamobrem, si retinere libet sermonis, vide annon sic potius rescribendum fuerit, „Docte sermonis utriusque, Cilni": ut C. Cilnium Maecenatem intelligamus. Mirum enim, et prope modum insolens videtur, ut sic aliquem compellet, „Docte sermonis utriusque linguae." neque tamen quis ille demum sit, nisi octavo post versu certiores nos faciat, „Sane, Maecenas, cyathos amici." Atque hoc pacto primum, Cilni, Nomine scilicet eum appellaverit; deinde Cognomine, Maecenas: plane ut in Carm. IV, 2. ad Iulum Antonium, primo sic inffit, „Pindarum quisquis studet aemulari, Iule, ceratis opo Daodalea": et postea versu 26. „Multa Dircaeam levat aura cyenum Teudit, Antoni, quoties in altis." Sed missis coniecturis, tutius satinsque est lectionem alteram sequi, quam duo Lambiniani, et Regiae Societatis codex subministrant, „Docte sermones utriusque linguae": ut Carm. III, 9, 10. „Dulces docta modos, et citharae sciens." Atque hanc confirmat Donatus ad Terentium Eunuchum III, 2 [v. 25] „quae liberum Seire aequum est adolescentem, sollertem dabo." utrum haec sollertem, ut Horatius, Docte sermones utriusque linguae: an assumendum est his extrinsecus? Equidem in vetere Donati editione anno 1503, et nescio an in aliis, etiam hic reperias Sermonis. Sed inepte, et contra ipsius Donati propositum: qui ideo hoc citat, ut ostendat sollertem eum accusativo quae vel haec quae posse iungi, ut apud Horatium Doctus eundem casum recipit. Accedit huic et Consentius vetus Grammaticus, p. 2035. „Accusativum trahunt, sed figurate, doctus sermonem, exosus bella, praescius futura." Neque enim dubites, quin ad hunc Nostrum locum respexerit; pariter ut ad Virgili illum Aen. XII, 517. „Et juvenem exosum nequicquam bella Menoeten." Esto igitur vera lectio, Docte sermones: nunc de ipsa sententia videamus: quae, si omnes interpretibus audis, nihil aliud erit quam hoc: „Tu, qui bene Graece Latineque loqueris, miraris, cur ego, cum caelebs sim, Martius Calendis rem dicit"

Sume, Maecenas, cyathos amici
 Sospitis centum; et vigiles lucernas
 15 Perfer in lucem: procul omnis esto
 Clamor et ira.
 Mitte civilis super Urbe curas.
 Occidit Daci Cotisonis agmen:

nam faciam.¹⁴ Ubi libenter doceri velim, quid ad *Martias Calendas* attineat, aut quomodo *admirationem* Maecenatis aut minuat aut augeat, quod utramque cum linguam bene callere dicit? Quod si nihil ad rem istam occasionemve pertinent ea verba, non video quin putide prorsus et ἀπροσδιόριστος hic ingerantur. Neque enim eximia quaedam Maecenatis laus erat Graeco Latineque scire, cum Romae ea tempestate quivis Senatoris Equitise filius, imo et de plebe innumeri, libertini etiam et servi, Graece loquerentur. Enimvero aliud quid et maius hic significant *Sermones*, nempe *Libros, Tractatus, Historias*, ut apud Graecos ΑΓΓΟΙ, Xenophontis Οἰκονομικός λόγος etc. inde Oratores, Philosophi, Historici, Λογογράφοι appellati. Ita Horatius Sabinus suos *Sermones* sive *Logos* inscripsit; et Carm. III, 21, 9. „Non ille, quamquam Socraticis madet Sermonibus, te negliget horridus“: id est, Σωκρατικῶν λόγων. Ergo hoc vult Horatius, „Docte sermones utriusque linguae, miraris. Martii caelebs quid aqum Calendis“: h. e. tu qui et Latinorum et Graecorum libros accurate legisti, qui utriusque gentis historias, ritus, sacra probe intelligis, iure miraris, cur ego caelebs Calendis Martii sacra faciam; cum nihil aut in Graiorum aut in patrii monumentis sit, quod festum illud ad caelibes quoquam pertinere, sed ad matronas duntaxat et maritos, significet. Scias itaque, me non publico instituto hodie, sed privatim rem divinam facere, quod hoc quondam die ab interitu ex ruina arboris deorum beneficio conservatus fuero.

15. *Vigiles lucernas Perfer in lucem*] *Perfer* habent editiones veteres et pleraeque ex recentioribus. Nicolaus Heinsius in ora codicis sui, Forte *Profer*: et sic Georg. Fabricius, i. e. ut voluit, *protrahere, producere*; ut Noster Carm. III, 21, 23. „Te Liber et si laeta aderit Venus, Vivaeque producent lucernae, Dum radiens fugat astra Phoebus“: hoc est, producent, protrahent, extendent in lucem usque. Sane codices nostri Reginensis et Magdalenensis clare habent, *profer*; ceteri cum aliorum codicibus *Perfer*. Utrovis modo legeris; me lubente, facies. Tamen consulto potius voce *Perfer* hic usus videtur Horatius, ut ambigui culpam evitaret, quia notissimo loquendi genere *proferre in lucem* idem est ac palam facere, in medium, in apertum proferre: ut Noster ipse Epist. II, 2, 116. „Obscurata diu populo bonus eruat, atque Proferet in lucem speciosa vocabula rerum.“ Cicero pro Archia c. 6. [§ 12] „Ut nihil possint ex his, neque ad communem asferre fructum, neque in adspectum lucemque proferre.“ Ita alibi bis vel ter loentus est, et alii non semel. Quare melius, credo, cum multo maiore parte Codicum legemus hic *Perfer*. Porro pro *sospitis* versu praecedente, Graevianus noster et Colbertinus, *Hospitis*. Sed nihil mutandum. *Sospitis*, quia cadentis arboris ictum evaserat. *Centum*, inquit, *cyathos sume*, et totidem annos amico *sospiti* precare: ut Ovidius Fast. III, 531. „Sole tamen vinoque calent: annosque precantur, Quot sumant cyathos, ad numerumque bibunt. Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos, Quae sit per calices facta Sibylla suos.“

18. *Occidit Daci Cotisonis agmen*] Torrentius memorat multo plures et meliores ex suis habere *Cotisonis*: quod vix credibile est, cum mei ad unum omnes, et quantum intelligere datur, aliorum etiam, *Cotisonis* prae se ferant. Atque ita Suetonius in Augusto c. 63. „Primum eum Antonio filio suo despondisso Iuliam, deinde Cotisoni Getarum regi.“ Neque ibi in terminatione variant Membranae. Lucius Florus IV, 12. „Daci mon-

Medus infestis sibi luctuosus
 20 Dissidet armis:
 Servit Hispanae vetus hostis orae
 Cantaber, sera domitus catena:
 Iam Scythae laxo meditantur arcu
 Cedere campis.
 25 Neglegens, ne qua populus laboret,
 Parce privatus nimium cavere:

v. 19. Vulg. *Infestus sibi luctuosus*.

tibus inhaerent, Cotisonis regis imperio.“ Frontinus Strateg. I, X, 4. „Scorylo dux Dacorum, cum sciret dissociatum armis civilibus populum Romanum etc.“ ubi pro *Scorylo* reponendum fortasse *Coliso*. Utrumque sit; ex eo quod *Scorylon* dixerit non *Scorylon* casu recto, satis apparet in obliquis non *ontis* more Graeco, sed *onis* inflectendum esse. Neque vero ulla causa erat Romanis, cur Dacum nomen enunciatione Graeca efferrent. Eruditissimus tamen Broukhusius ad Propert. IV, 10. [v. 7] *Cotisonis* hic malle videtur.

19. *Medus infestus*] Elegans est Nic. Heinsii coniectura, quam in margine exemplaris sui adnotaverat, „*Medus infestis sibi luctuosus Dissidet armis*.“ Atque ita clare et sine ulla litura codex noster Galeanus; cui aliquatenus accedunt Regiae Societatis membranae, a prima manu *luctuosus* exhibentes. Propertius IV, 1. [v. 27] „Nec rudis infestis miles radiabat in armis.“ Ovid. Epist. Oenones. [Her. V, 91] „Tyndaris infestis fugitiva repositur armis.“ Seneca Phoenicissis, 560. „quin tuae causae nocet Ipsum hoc, quod armis vertis infestis solum.“ Livius I, 25. [§ 3] „Datur signum, infestisque armis concurrunt.“ *Medus* autem *luctuosus*, ut Carm. III, 6, 8. „Di multa neglecti dederunt Ilesperiae mala luctuosae.“ Neque tamen ex toto damnari potest recepta lectio, quam et editiones, et praeter Galeanum codices omnes repraesentant. „*Medus infestus sibi luctuosus Dissidet armis*.“ Nam *luctuosa arma* recte dicuntur, ut Vegetius IV, 12. „Mutuo utrinque periculo, sed maiore oppugnantium sanguine, exeviles luctuosa certamina.“ Ita Tacitus [Hist. III, 72], *Luctuosissimum fucinus*, Cicero [pro Sest. 12, 27] *luctuosum diem*, [ad Q. fr. III, 8, 5] *perluctuosum funus*. Tum autem *infestus sibi*, erit sibi adversus, sibi inimicus, ob discordiam nempe civilem. Sed in altera lectione et verborum collocatio venustior est, et sonus syllabarum duleior; ac non potest non iis placere, qui raras et eruditas aures habent.

26. *Parce privatus*] Nullus est omnium interpretum, quin ad hunc locum, veluti ad scopulum, naufragium fecerit. Praefectus Urbis tum erat Maecenas, cum Horatius haec scriberet; unde illud supra v. 17. „Mitte civiles super urbe curas“, et III, 29, 25. „Tu civitatem quis deceat status Curas, et urbi sollicitus times.“ Ergo hic litigant et turbas concitant, quo sensu idem et *Praefectus Urbis* fuerit, et potuerit dici *Privatus*: siquidem ista inter se opponuntur. „In fortuna“, ait Cicero [de Inv. I, 25, 35], „quaeritur, servus sit an liber, pecuniosus an tenuis, privatus an cum potestate.“ Torrentius, hoc pacto se expedire conatus, quod, ut ait, Praefectura Urbis duntaxat Officium erat, non Magistratus, ismudum vapulavit. Rutgersius, T. Faber, Dacieriusque hic subintelligunt, *tamquam, quasi: Ita parce nimium cavere*, tamquam si *privatus* fores. Quod quam coactum, durum, et sine exemplo sit, nemo non videt: et merito Rutgersius in repetita Editione notulam hanc spongia delevit. Sed emendatione rem contere vult Daniel Heinsius, pro *Parce* substituens *Parte*; quod et diu ante eum fecerat Matthaeus Bonfinis, homo ineptissimus: „*Negligens, ne qua populus laboret Parte privatus, nimium cavere*.“ Sane *parte* habet codex

Dona praesentis cape laetus horae, et
Linque severa.

IX.

AD LYDIAM.

Donec gratus eram tibi.
Nec quisquam potior brachia candidae
Cervici juvenis dabat;
Persarum vigui rege beatior.

v. 27. Vulg. Rape.

noster Battellianus, et pro varia lectione Colbertinus: ut ordo sit, *ne qua parte laboret*: plane ut Noster alibi Serm. I, 2, 38. „*Audire est operae pretium, procedere recte Qui moechos non vultis, ut omni parte laborent.*“ et favet Aeron, qui sic locum enarrat. „*Quia non timeret, ne qua Respublica parte laboraret.*“ Sed quid tandem illud erit, *Populus privatus?* sunt *οἱ πολλοί*, inquit Heinsius. Vellem exemplum eius locutionis vel unum addidisset. Sed nullum erat: imo vero *privatus* plane opponitur *populo*: tantum abest, ut ita coniungi possit. Cicero in Verrinis [II c. 13 § 32]: „*Quod privatus a populo petit, aut populus a privato, Senatus ex aliqua civitate, qui iudicet, datur.*“ Sed esto, ut *populus privatus* sint *οἱ πολλοί*; tamen non procedit oratio; neque sententiae quicquam est, quod palato non fatuo placere possit. Nos totum locum aperire, et ex tenebris his in apertam lucem proferre, paucis conabimur. Invitaverat Maecenatem Noster, ut Martii Calendis secum biberet. Hortatur autem, ut animo veniat hilari, et a curis publicis privatisque expedito: „*Mitte*“, inquit, „*civiles super Urbe curas*“: quid enim? nihil est, cur sollicitus sis: victi praefici sunt *Daci*, *Medi* bellis civilibus occupati, subacti *Cantabri*, *Seythae* repressi, tuta sunt omnia. Quocirca, „*Neglegens, ut qua populus laboret, Parce privatus nimium cavere*“: hoc est, Cum iam *neglegens* sis, *securus* (ut bene Aeron) *non timens* (ut Glossae codicis Petrensis) *ne qua populus laboret*; cum, rebus tam prosperis, non sollicitus sis ne res publica detrimenti quid capiat: pareo *privatus* cavere nimium, noli de privati tuis et domesticis negotiis nimium providere, noli de re familiari nimium attentus atque anxius esse. Proinde animo puro et defaecato ad me veni; et tam *civiles* quam *domesticas* curas vel domi relinque, vel abiice. Haec sine dubio loci huius sententia est; neque verba ipsa difficultatis quicquam iam habent, si modo stili Horatiani genium agnoveris. *Neglegens*, pro *securus*, *non timens*, nove et eleganter ponitur, ut supra Carm. I, 28, 30. „*Neglegis immeritis nocituram Postmodo te natis fraudem committere? fors et Debita iura vicesque superbae Te mancant ipsum.*“ in quo similiter, ut hic, lapsi sunt Interpretes. *Neglegis committere?* hoc est, *non times committere? securus* audes committere hanc fraudem; quia non tibi, sed posteris duntaxat tuis nocitura est? at fortasse *tu ipse* commissum hoc magno tuo exitio lues. Neque vero in voce *Privatus* iam quisquam haerebit amplius. Quippe rem suam familiarem *privatus* curat etiam Magistratus, etiam si non Praefectus modo Urbis, sed Orbis Princeps fuerit.

27. *Dona praesentis rape laetus horae* | *Cape* habent Editiones principes Veneta et Loscheri: atque ita multo maior pars Codicum. Tamen aliquot habent *Rape*, ut ex Nostri Graevianus, Battellianus, Bodleianus, et pro varie lectione Colbertinus. Atque hoc post Lambinum avidè rapuerunt Interpretes; et ex eo alius post alium ad nauseam usque ingerunt Ciceronis illud ex Ennio, De Oratore III, 40. [§ 162] „*vive, Ulixes; dum licet,*

5 LYD. Donec non aliam magis
Arsisti, neque erat Lydia post Chloën;
Multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Iliā.
HOR. Me nunc Thressa Chloë regit,
10 Dulcis docta modos, et citharae sciens;
Pro qua non metuum mori,
Si parent animae fata superstiti.
LYD. Me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornyti:

v. 5. Vulg. Alia. 14. Ornithi.

Oculis postremum lumen radiatum rape: Non dixit *cape*, non *pete*: haberet enim moram sperantis diutius esse sese victurum; sed *rape*. Hoc verbum est ad id aptatum: Quid tam? esto, ut ibi Ennius efficacius dixerit *rape*, quam *cape*: an ideo ubicumque in aliis auctoribus *cape* occurrit, substituimus illico *rape*? Quin potius ex loci cuiusque indole et orationis filo statuimus, hoc an illud magis aptum conveniensque sit. Quemadmodum in his verbis, „*Dona praesentis cape laetus horae*“, ex adiuncto illo *dona* perspicue, si quid sapimus, videmus retinendum hic esse *cape*; neque audiendos esse codices, qui *rape* supponunt. Quid enim opus est, obsecro vos, ut ea quae donata sunt, *rapere* velimus? Rapimus, si fas est, negata aut fugientia: quae oblata praesto sunt, capiamus et sumamus. Nam ut noster ait Epist. I, 17, 44. „*Distat sumasne pudenter, An rapias.*“ hoc est, multum interest, capiasne donatum, an non donatum rapias. Cicero de Legibus III, 4. [§ 11] „*Donum ne capiunt, neve danto.*“ Virgil. Aen. III, 489. „*cape dona extrema tuorum.*“ Corippus Africanus lib. I. [v. 151 ed. 1664] „*Rumpe moras, cape dona dei.*“ Caeterum a fine huius versiculi in omnibus meis Codicibus abest coniunctio et vel ac; itaque a prioris fine, unde itidem abest in Regiensi nostro et editionibus, huc eam reduximus.

5. *Donec non alia magis* | *Alia* editiones praeae, et plerique codices: sed ex nostris Leidensis, Reginensis, Galei, Bodleiani duo, *aliam*, ut Virgilius [Ecl. 2, 1], „*Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.*“ Et Gellius VII, 8. „*Sed pueros forma liberali, naviculis forte aut in vadis litorum conspectos, miris et humanis modis arserunt delphini.*“ Tamen alibi Horatius, [Carm. II, 4, 7] *Arsit virgine*, [Epod. 14, 9] *Arsisse Bathylo*. Non hilum interest. Sed, quandoquidem ex duobus non nisi alterutrum a poeta manu esse potest, verisimilius est vulgarem hanc, quam figuratam illam constructionem, Librariis deberi: et facilius erat literam M in illis codicibus a sequente absorberi, quam in his addi.

10. *Et citharae sciens* | A Prisciano p. 1177, sic citatur hic versus: „*Me nunc Thressa Chloë regit Dulces docta modos, et citharam sciens.*“ ubi *citharam* ineptum est; quippe esset, *Sciens quid cithara sit*. Potuit esse *cithara*; ut Terentius [Eun. 1, 2, 53] dixit *Scire fidulus*. Sed cum addit Priscianus simile exemplum ex Homero, *Πολύμων ἐν εἰδῶς*, quod ex Iliad. A 310. 2; ὁ γίγων ὄργανον πάσης πόλεμον ἐν εἰδῶς; apparet apud ipsum Priscianum scriptum fuisse *citharae*: ut Noster alibi [Carm.] I, XV, 24. „*Sthenelus sciens pugnae.*“ Ceterum Petrensis codex et Terentiani duo eum editione Loscheri *Cressa*: quod Fabricius ideo amplectitur, quia *Cretenses Musicae periti*: potuisset addere quia *Chloe* nomen Graecum est, non Thracium. Sed haec parvi momenti sunt; nam Libertinae, qualis haec *Chloe*, et nova nomina, dum ancillae erant, indebantur, et in Musicis aliisque artibus herili sumtu instituebantur. Certe *Cressa Chloe*,

- 15 Pro quo bis patiar mori,
Si pareant puero fata superstiti.
HOR. Quid si prisca redit Venus,
Diductosque iugo cogit aëneo?
Si flava excutitur Chloë
- 20 Reiectaque patet ianua Lydiae?
LYD. Quamquam sidere pulchrior
Ille est; tu levior cortice, et improbo
Iracundior Hadria:
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

X.

AD LYCEN.

Extremum Tanain si biberes, Lyce,
Saevo nupta viro; me tamen asperas
Proiectum ante fores obicere incolis
Plorares Aquilonibus.

v. 3. Vulg. Porrectum.

ob asperitatem consonantium durissime exit; et omnino, si nos legitimum sonum aure callemus, inverso potius ordine posuisset Noster, „*Me nunc Cressa regit Chloë, Dulces docta modos.*“ Quod cum nulli usquam codices exhibeant; melius est, ut *Thressa Chloë* sine controversia recipiamus. Pro *Thressa* autem Librarii veteres *Tressa* soliti sunt scribere, ut praeter Torrentianos aliquot Graevianus noster hic habet: unde facilis lapsus erat ad *Cressa*. Porro mira lectio est, quam veterimi libri Leidensis, Colbertinus, et a prima manu Graevianus praefereunt, „*Me nunc Thressa Chloë riget*“, non *regit*; quam et sic enarrat Glossator Graevianus, „*Riget, indurat me, ne te amem*“; quo nihil absurdius fingi potest.

14. *Filius Ornythi*] Miror, unde malis avibus se in omnes fere editiones intulerit hic *Ornythus*; cui si nomen *ὄρνιθος* impositum sit (ut certe volebat ille, qui primus introduxit) tum syllabam mediam produci oportuit. Tu vero cum libris meis omnibus et Editione Veneta lege *Ornythi* vel rectius *Ornyti*, ut Graecis *ὄρνυτος* nomen est notissimum. Apollonius in Argon. II, 65. *ὄρνυθ' ἄν' ἄρνυτος τε καὶ ὄρνυτος, οὐδέ τι γένοιτο.* Virgil. Aen. XI, 677. „*procul Ornytus armis ignotis, et equo venator Iapyge fertur.*“ Val. Flaccus III, 173. „*Ne tibi Thessalicos iam profuit, Ornyte, reges.*“ Statius Theb. XII, 143. „*Squalidus ecce genas, et hiant vulnere pallens Ornytus.*“ Silius Italicus XIV, [v. 478] „*Innata nec super transstris fumantibus asper Ornytos.*“ Calpurnius Eclog. I, bis, ter. [v. 89] „*Ornyte, iam dudum velut ipso numine plenus.*“ [v. 4. 13. 24].

1. *Extremum Tanain*] Pro *Tanain*, quod editiones omnes occupavit, repono ex vetustissimis meis Leidensi, Graeviano, Reginensi, et aliis *Tanain*, enunciatione Graeca.

3. *Porrectum ante fores*] Nescio quo malo fato evenit, ut omnes, quotquot extant, Horatii codices tribus quattuorve locis *porrectum* habeant pro *proiectum*: quod si in aliis auctoribus idem accidisset, iam diu est, cum vox *Proiectum* extra Linguae Latinae pomoeria proiceretur. Tu vero hic repono, reclamantibus quantum queant et scriptis et editis, „*me tamen asperum Proiectum ante fores obicere incolis Plorares Aquilonibus*“: Ovidius Amor. II, 19. [v. 21] de eadem re; et iisdem pene verbis, „*Et sine me ante tuos proiectum in limine postes Longa pruinosa frigora nocte pati.*“ Silius Ital. lib. I, [v. 246] „*noctemque vigil ducebat in armis,*

5 Audis quo strepitu ianua, quo nemus
Inter pulchra satum tecta remugiat?
Sentis et positas ut glaciēt nives

v. 6. Vulg. *Situm*. 7. *Remugiat Ventis*.

Interdum proiectus humi.“ et lib. VII. [v. 289] „*Qua super intratos proiectus gramine campi Presserat ante toros.*“ et lib. XV. [v. 109] „*Stramine proiectus duro patiere sub astris Insomnes noctes, frigusque famemque domabis.*“ Virgil. Aen. XI, 87. „*Sternitur et toto proiectus corpore terrae.*“ Statius Theb. I, 387. „*hic artus imbri ventoque rigentes Proicit, ignotaque acclivis postibus aulae Invitat tenues ad dura cubilia somnos.*“ et iterum v. 587. „*viridi nam cespite terrae Proiectum temere, et patulo caelum ore trahentem.*“ Vide quae dicemus ad Epod. X. v. 22.

6. *Inter pulchra situm tecta*] *Situm* habent Editiones principes Veneta et Loscheri: unde in sequentibus locum semel possessum tenuit. Memorant quidem Interpretes se in nonnullis codicibus *satum*, non *situm* reperisse: sed ea vox, ut variae lectiones pro vario captu hominum sua fata sortiuntur, spreta et reiecta est. Ex nostris Leidensis veterrimus, Galei, Colbertinus, et a manu secunda Graevianus agnoscunt *Satum*. Atque ita Aeron editus et manuscriptus, „*Inter tecta satum nemus viridarum dicit.*“ Porro hanc lectionem probat praestantissimus Nic. Heinsius in ora sui exemplaris, ubi mittit nos ad Annotata sua in Propert. IV, 4. vers. 3. et in Silium Ital. X. 534, quae utinam, ut iam pollicitus est, maturaret in lucem edere vir celeberrimus Petrus Burmannus. Interea vicem Heinsii optime supplet disertissimus Broukhusius ad dictum Propertii locum, „*Lucus erat felix hederoso consitus antro*“: et ad I, 14 vers. 5. „*Et nemus omne satum intendat vertice silvas*“: ubi et *Satum* hic in Horatio defendit, et (post Torrentium et Marcellum) verba Senecae adducit ex Epist. 122. [§ 8] „*Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt, quorum silvae in tectis domorum ac fastigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egissent?*“ Porro versus Sillii, quo mittit nos Heinsius, sic habet: „*At ferale docus, maestas ad busta cupressos.*“ ubi nescio an codices MSti inter alias variationes *Satas* exhibeant. Verum id, cum prodibunt Heinsianae notae, videbimus. Interim non desunt aliunde, quae ad evincendam hanc lectionem sola sufficiant. Varro de Re Rust. III, 5. [§ 12] „*Extra eas columnas est silva manu sata, grandibus arboribus tecta, ut infima perluceat, tota septa maceris altis.*“ Alfenus in Digest. VIII, 5, 17. „*Cum in domo Gaii Scii locus quidam aedibus Annii ilia serviret, ut in eo loco positum habere ius Scio non esset, et Scius in eo silvam sevisset.*“ Plinius Hist. XV. Sect. 20. [§ 77] „*Colitur ficus arbor in foro ipso: illic arcescit, rursusque cura sacerdotum scribitur: — eadem fortuito satu vivit in medio foro: — aequae fortuita eodem loco est vitis atque olea, umbrae gratia sedulitate plebeia satae.*“ et ibid. Sect. 36. [§ 120] „*Haud scio an prima omnium myrtus in locis publicis Romae sata, salidico quidem et memorabili augurio,*“ et Sect. 40. [§ 134] „*Et quia manu satarum receptarumque in domos, laurus fulmine sola non igitur.*“ Ex his clare constat, silvas, arbores, *inter tecta* et in domos vel loca urbis publica receptas, non *sitas* dumtaxat, quod omnibus silvis locisque convenit, sed *satas* fuisse; et proinde hic legendum esse, „*quo nemus Inter pulchra satum tecta remugiat.*“

7. *Ventis et positas*] Videamus totum locum: „*Audis, quo strepitu ianua, quo nemus Inter pulchra satum tecta remugiat Ventis? et positas ut glaciēt nives Puro numine Iuppiter?*“ ubi primo risum locumque movet Tanaquillus Faber, vir caetera ingeniosus et doctus; qui velut somno repente exiit clamat, „*Mendam turpe, turpe, quo ventis. Isthucine vidisse neminem? lego, Quis ventis.*“ Sed bene est, quod errantem socerum

Duro numine Iuppiter?

v. 8. Vulg. *Puro*.

in viam reduxit doctissimus Dacierius; nam *strepitu* hic bis accipiendum esse, quo *strepitu ianua*, quo *strepitu nemus remugiat ventis*, ante Fabrum natum omnes, puerique patresque, viderunt. Illud et mihi, sed meliore omine, mirari liceat, *vidisse neminem* absurdum illud et *ἀνακόλουθον*, quod in hac sententia non latet, sed plane extat. Tu mecum ad caelum verba redige: *Audis*, quo *strepitu ianua* et *nemus remugiat?* et *Audis*, ut Iuppiter glaciēt nives? Quid audio? an gelu et frigus auditu percipiuntur? Nemo quisquam mihi persuaserit, aut Horatium haec scripturum fuisse, aut amicos, quos recitabat, tam facile condonatos. Certe non adeo digna haec erant, quae *Iovis auribus servarentur*. Sed notior, opinor, est Horatii indoles, quam ut ipsum, et non Librarios potius, culpae huius insimulemus. Quippe levissima mutatione, nempe unius literulae, quae et ipsa plerumque omittebatur, melius, nisi fallor, procedet oratio, in hunc modum „*Audis, quo strepitu ianua, quo nemus Inter pulchra satum lecta remugiat? Sentis et positas ut glaciēt nives Puro numine Iuppiter?*“ *Sentis*, ut ipse alibi in re non absimili Carm. III, 28, 6. „*Inclinare meridiem Sentis et veluti stet volucris dies, Parcis deripere horreo Cessantem Bibuli consulis amphoram?*“ *Remugiat* autem absolute, sine dativo *ventis*: ut Virgil. Aen. IX, 504. „*sequitur clamor, caelumque remugit.*“ XII, 928. „*Con-surgunt gemitu Rutuli, totusque remugit Mons circum.*“ Claudianus Eutrop. II, 162. „*responsat Athos Haemusque remugit.*“ idem Rapt. Proserp. I, 10. „*Auditur fremitus terris, templumque remugit.*“ Prudentius Apotheos. 386. „*Quicquid in aere cavo reboans tuba circa remugit.*“ Neque vero opus erat, ut *ventis* hic inculcaret Noster; cum iam paullo ante *Aquilones* nominasset. Quid quod necesse est, stante hac lectione, ablativo casu offerri *ventis*; non ut vulgo creditum est, dativo: ut in illis Virgil. Aen. XII, 722. „*gemitu nemus omne remugit.*“ Statii Theb. XII, 602. „*alio si forte remugit Bellatore nemus.*“ Martiani Cap. lib. 5 [§ 425] „*raucusque per aethram Cantus, et ignoto caelum clangore remugit.*“ Iam autem quam inconcinnae et pene insulse gemuntur hic ablativus, *remugiat ventis strepitu*, nemo est qui non videat. Equidem duo loca, neque plura, memini, ubi dabites, dativusne sit casus, an ablativus; ut Virgilii illud de Sibylla, Aen. VI, 99. „*Horrendas canit ambages, antroque remugit.*“ et Statii Theb. XII, 274. de Cerere et Eneclado: „*Illius insanus ululatus ipse remugit Enecladus, raptoque vias illuminat igni.*“ ubi esto, si ita vis, dativus; adeo ut *remugire* hic sit *contra mugire*: tamen vides, opinor, multum interesse; et tam apte et ex vero dativum hic poni, quam apud Horatium stulte et inepte. Quippe *Sibylla* et *Enecladus* clamorem ex se edere, et contra mugire possunt: *nemus* autem atque *ianua* nullum suapte vi faciunt strepitum; sed totum, quantum est, ventis acceptum referunt. Quod si, his spretis obstinate adhuc quisquam retinere velit *ventis*; is aliam viam insistere possit, et pro et legere *en*: atque idem, cum vetusto codice Fabricii, commodius tum leget, *Audi*: „*Audi, quo strepitu ianua, quo nemus Inter pulchra satum lecta remugiat Ventis? en, positas ut glaciēt nives Puro numine Iuppiter?*“

8. *Puro numine Iuppiter*] Nondum ex salebroso hoc loco evasimus: quid enim sibi vult, *puro numine*? „*positas ut glaciēt nives Puro numine Iuppiter.*“ qua in lectione codices nostri omnes consentiunt. Et laborant quidem Interpretes, inque omnes partes se vertunt; nulla tamen certior est explicatio, quam quae olim a Porphyryone profecta est, *puro numine*, hoc est sudo et sereno caelo: „*nam,*“ ut ait, „*post nivem positam in Aquilone vento serena tum esse solent, praesertim in Italia frequenter.*“ Atqui non una de causa non placet haec enarratio. Etenim primo, *nunum lucis* sive aeris hic ponitur, tamquam *caussa* gelationis: ergo tale epithet-

- Ingratam Veneri pone superbiam;
 10 Ne currente rota funis eat retro.
 Non te Penelopen difficilem precis
 Tyrrhenus genuit parens.
 O, quamvis neque te munera, nec preces,
 Nec tinctus viola pallor amantium,
 15 Nec vir Pieria pellice saucius
 Curvat; supplicibus tuis
 Pareas, nec rigida mollior aeseulo,
 Nec Mauris animum mitior anguibus.
 Non hoc semper erit liminis aut aquae
 20 Caelestis patiens latus.

v. 10. Vulg. *Ne c. retro f. c. rota.*

ton addi debuit, quale *causam* illam intenderet et promoveret, ut *frigidum, vehemens, acre, acutum*: iam autem *purum* otiose hic ingeritur; neque enim puritas aeris, etsi gelum plerumque comitetur aut sequatur, ulla ex parte gelationem efficit. Deinde *purum* illud non parum officit sententiae, et consilio poetae. Tetra enim et pruinosa illa nox verbis exaggeranda erat, ut Lyce citius misereseeret amatoris sub dio ante limen morantis. At *puro* et sudo euelo ad fores excubare non adeo miserum erat, quam foedo et sordido. Male oravit igitur caussam suam, si *puro* hic praeter sententiam addidit. Equidem, ut haec incommoda evitentur, sic potius ab Horatio scriptum esse crediderim: „*Sentis et positas ut glaciēt nives Duro numine Iuppiter.*“ D in P propter similitudinem facile mutabatur; praesertim, ut saepe dixi, in initio versus. Ideo autem *duro* numine, quia *nives gelu* glaciaret et *duraret*, de quo vide nos ad Carm. III, 24, vers. 39. Sic alibi I, 22, 19. „*Quod latus mundi nebulae, malusque Iuppiter urget.*“ et I, 1, 25. „*manet sub Iove frigidus Fenator.*“ Claudian. Cons. Olybr. vers. 36. „*Audit et gelido si quem Maecotia pascit Sub Iove.*“ Silius Italicus XII [v. 21] „*Quis gelidas suctum noctes thorace gravatis Sub Iove non aequo trahere.*“ Ergo, ad haec exempla, *duro* numine Iuppiter nives glaciavit; et sane olim in libris *duro* extitisse non leve est argumentum, quod in codice quodam alia lectio reperta est, memorantibus Cantero et Turnebo; „*et positas ut glaciēt nives Puro limine Iuppiter?*“ in quo frustra sunt, qui pro *limine* reponunt *lumine*, atque id pro genuina huius loci scriptura venditant: nihil enim illo *lumine* ineptius, cum propter alia, tum quod noctu haec, non interdiu, agerentur. Imo vero, quicumque lectionis illius *limine* primus fuit auctor, sic locum hunc concipiebat, „*Duro limine Iuppiter?*“ nives positas *duro limine*, ubi tunc Horatius *ante fores proiecitus* excubabat: sic Epod. XI, 22. „*Limina dura, quibus Lumbas et infregi lacus.*“ Ovid. Remed. Amor. 508. „*Nec die blanditias, nec fac convitia post: Nec latus in duro limine pone tuum.*“

10. *Ne currente retro funis eat rota*] Alius, et, nisi fallor, melior est verborum ordo in Petrensi nostro et Galei: „*Ne currente rota funis eat retro.*“ ut in Arte Poët. 22 „*currente rota cur urceus exit?*“ Et *retro*, cum priorem syllabam corripit, suavius ponitur in fine versus, atque ita semper Noster, ut I, 35, 25. „*At vulgus infidum et meretricis retro.*“ II, 11, 5. „*Poscentis aevi pauca: fugit retro.*“ III, 4, 26. „*Non me Philippis versa acies retro.*“ adde, quod in recepto ordine, ambiguum foret, utrum *currente retro rota*, an *funis retro eat*, construendum sit.

18. *Nec Mauris animo mitior anguibus*] Editiones primae Venetae et Loscheri, *animo*; postea nescio quis *animum* primus introduxit. Ab eo tempore in hunc usque diem, ut cuique eruditorum visum est, nunc hoc,

XI.
AD MERCURIUM.

- Mercuri, (nam te docilis magistro
Mōvit Amphion lapides canendo)
Tuque Testudo resonare septem
Callida nervis,
5 Nec loquax olim neque grata, nunc et
Divitum mensis et amica templis;
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Adplicet auris:
Quae, velut latis equa trima campis,
10 Ludit exsultim metuitque tangi,
Nuptiarum expers et adhuc protervo
Cruda marito.

nunc illud locum obtinuit. Lambinus, Cruquius, Torrentius de suis codicibus tacent. Ex quinque Fulmanni tres *animo*; duo reliqui *animum*, ut etiam ex tribus Bersmanni unus. Certe ex omnibus postris unicus Graevianus agnoscit *animum*, idque manu recentiore mutatum est in *animo*. Rectum tamen illud, elegante et familiari Poëtis Graecismo. Statius Silv. IV, 6. [v. 55] de Hercule, „Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens Hortetur mensas.“ ubi *vultus* non rectus singularis est, sed accusativus pluralis: ut Claudian. Stil. II, 135. „Blanda quidem vultus.“

9. *Quae velut latis*] Anacreon [fr. 75 Bergk]: „Πόλλε Θρηάκη, τί δή με Νηλεὺς φέρεις Νῦν δὲ λειμώνες τε βόσκειαι, Κοῦρά τε σκιώσας παίσεις.“ Noster: „Quae velut latis equa trima campis Ludit exsultim, metuitque tangi.“ Atque haec ex illis expressa esse, post Henricum Stephanum, multi annotarunt. Sed animadvertit ceteris acutior celeberrimus Dacierius, Anacreontis illud *λειμώνες prata* non ad amussim respondere *latis campis*: et ideireo, ut propius inter se conveniant, contra omnes codices reponendum esse contendit, *lactis campis*: ita Carm. II, 5, 5. „Circū virentes est animus tuae Campos invencae.“ Addidisse potuit Carm. III, 18, 9. „Ludit herboso pecus omne campo.“ et IV, 4, 13. „Qualemve lactis caprea pascuis“; ut Ovidii illud Fast. IV, 476. „Sacrorumque Melan pascua laeta boum.“ Iam ut concedamus Nostrum Anacreontea illa ante oculos habuisse, quamquam hoc quidem incertum est; novimus tamen eum non multum amare *fidus* illos *interpretes*, et serviles imitatores, qui *verbum verbo* exprimendum curant. Equidem id de plano ausim affirmare, multo aptius loco huic et sententiae convenire *Latis*, quam *Laetis*. Quippe cum addit, *metuitque tangi*, bene certe posuit *latos campos*, ubi nimirum fugae erat locus et spatium, ne *tangi* et prehendi posset. Quid quod de more *latos campos* dixit, perpetuo apud Poetas epitheto. Virgil. Aen. VI, 888. „Aëris in campis latis, atque omnia lustrant.“ et XI, 465. „latis diffundite campis.“ et III, 537. „Quattuor hic, primum omen, equos in gramine vidi, Tondentes campum late, candore nivali.“ VII, 486. „cui regia parent Armenta, et lati custodia credita campi.“ Stat. Silv. IV, 7. [v. 1] „Iam diu lato spatiosa campo.“ Silius Ital. VIII. [v. 310] „iam latis obvia, credo, Stat campis acies.“ et XVII. [v. 384] „Ne si miscerit latis fera praelia campis.“ Sic *lata arva* Ovid. Fast. I, 546. „Dumque huic hospitium domus est Tegeaea; vagantur Incustoditae lata per arva boves“: ubi dolet praestantissimum Heinsium, pari quo hic Dacierius errore, *laeta arva* ex pauculis codicibus substituisse; cum et maior librorum pars et ipsa res alterum efflagitet. *Lata* enim sine dubio, quia dixerat

- Tu potes tigris comitesque silvas
Ducere, et rivos celeris morari.
15 Cessit inmanis tibi blandienti
Ianitor aulae
Cerberus; quamvis furiale centum
Muniant angues caput eius, atque
Spiritus teter, saniesque manet
20 Ore trilingui.
Quin et Ixion, Tityosque voltu
Risit invito: stetit urna paullum
Sicca, dum grato Danaï puellas
Carmine mulces.
25 Audiat Lyde scelus atque notas
Virginum poenas. et inane lymphæ
Dolium fundo percuntis imo,
Seraque fata,

v. 18. Forte, Caput, *escatque*.

vagantur. Ipse Ovidius Fast. II, 210. „Non aliter, quam cum Libyca de rupe leones Invadunt sparsos lata per arva greges.“ ubi recte *lata*, quia *sparsos*: neque variant codices. Idem Amor. I, 7. [v. 8] „Stravit deprensos lata per arva greges.“

18. *Caput eius atque Spiritus*] Nihil verius, quam quod Dacierius libere et candide hic adnotavit: *Totam*, inquit, *hoc Carmen dishonestat vocula eius, qua utinam Horatius non usus fuisset*. Equidem invidudum male oderam illud *eius*, et hanc viri insignis censuram magna cum voluptate postea legi: „Cerberus, quamvis furiale centum Muniant angues caput eius, atque Spiritus teter saniesque manet Ore trilingui.“ Aufer enim hinc *eius*, et integer tamen sensus manebit. Quippe cum *Cerberum* iam nominasset, satis erat dixisse *furiale caput*: neque opus erat *caput eius*, ut cuius sit caput certo scire possemus. In Sermonibus quidem, qui ad pedestrem orationem proxime accedunt, venia danda est Nostrum, cum II, 1, 70. et II, 6, 76 ait. „Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis.“ „Et quae sit natura boni, summumque quid eius“; et Lucretio, cum in poemate Philosophico passim hanc voculam adhibet, [I, 782] „Quin etiam repetunt a caelo atque ignibus eius.“ [I, 964] „Nec refert quibus adsistas regionibus eius.“ Neque vero peccavit Noster in Carm. IV, 8, 18. „Eius, qui domita nomen ab Africa Lucretus rediit, clarius indicant Laudes“: Tolli enim hic non potest *ea eius*, nisi cum totius sententiae dispendio: ut neque apud Propertium IV, 2. vers. 35. „Est etiam aurigae species Vertumnus, et eius Traicil alterno qui leve pondus equo.“ Sed Poëtae Epici, magno sane eum iudicio, vocabulum hoc perpetuo mulctarunt exilio: ne Heroici carminis maiestatem humi serpere cogeret; utpote singulis fore periodis recursurum, ni stilo poetico subintelligeretur extrinsecus, neque praesentia sua versus inquinaret. Inde est, quod in toto Virgilio ne semel quidem occurrit *Eius*. Bis duntaxat in Ovidio, ut Trist. III, 4. [v. 27] „Non foret Eumedes orbis, si filius eius Stultus Achilleos non adamasset equos.“ ubi sublato *eius*, nihil deest sententiae: posito autem, in prosam orationem versus degenerat: plane ut hic apud Nostrum. Eo tamen peius Noster, et quod in Carmine Lyrico longe supra Ovidii Elegos surgere debuerit; et quod statim subiunxerit *atque*, *Caput eius atque*: adeo ut bis tanto carminis sublimitatem magis depresserit. Quin in verbis sequentibus, est quod excusari fortasse possit, probari certe et laudari minime mereatur: „Spiri-

Quae manent culpas etiam sub Oreo.
 30 Impiae, (nam quid potuere maius?)
 Impiae sponso potuere duro
 Perdere ferro.
 Una de multis, face nuptiali
 Digna, periurum fuit in parentem
 35 Splendide mendax, et in omne virgo
 Nobilis aevum:
 Surge, quae dixit iuveni marito,
 Surge, ne longus tibi somnus, unde
 Non times, detur: socerum et scelestas
 40 Falle sorores;

tus teler saniesque manet: hoc est, *spiritus manet*, et *sanies manet*. At qui *spiritum* sive halitum *manere* nemo usquam dixit. *Sanies* quidem *manet*, atque omne genus humorum et liquorum, *lacrimae, sanguis, sudor, mel, aqua, pira* et similia: spiritus nequaquam, si accurate loquimur. Nam cum Lucretius [VI, 927] *sonitum* et [I, 535] *frigus manere* dixit, illud mirum vult, per *poros et priva foramina corporum permeare*: non ut hic Noster de *spirito*, cum aperta via per fauces prodent. Quid igitur fiet? an Horatium hic captam et damnatum sub cultro relinquemus? an potius, „*O Tite, siquid ego adiuvo curamque levasso, Ecquid erit pretii?*“ Vide igitur, ammon in Librariis potius culpam transferamus, et levi mutatione ab utroque Nostrum crimine una opera liberemus. Sic ergo repono, „*Cerebrus: quamvis furiale centum Muniant angues caput, exeatque Spiritus teler, saniesque manet Ore trilingui.*“ Ovidius Metam. III, 75 de Dracone loquens: „*plenis tumuerunt guttura venis: Spumaque pestiferos circumfluit albida rictus: Terraque rasa sonat squantis; quique halitus exit Ore niger Stygio, vitiatas inscill auras.*“ ubi paria vides omnia: *spuma circumfluit*, plane at *sanies manet: halitus autem niger exit*, ita ut hic *exeat spiritus teler*: et utrobique quidem *ex ore trilingui*: nam et serpenti illi, versu ibi 34, „*Tres vibrant linguae, triplici stant ordine dentes.*“ Iterum Ovidius Trist. V, 6. [v. 19] „*Spiritus hic Scythica quem non bene ducimus aura, Quod cupio, membris exeat ante meis.*“ et ibid. IV, 3. [v. 41] „*Spiritus hic per te patrias exisset in auras.*“ et Art. Amat. III, 745. „*Exit, et incauto paullatim pectore lapsus Excipitur miseri spiritus ore viri.*“ Verum hic notandum est, quod in his locis *Spiritus exit* de iis dantaxat dicatur, qui moribundi animam expirant. Quare ad evitandum Ambiguum, utinam Noster scripsisset potius, *Exeatque Halitus teler*.

30. *Impiae, nam quid potuere maius*] *Nam quid*, et membranae et editiones. Solus codex Magdalenensis a manu secunda, „*Impiae, numquid potuere maius?*“ Non male. Nihil tamen mutaverim, nisi a prima manu codex aliquis numquid exhibuerit.

36. *Et in omne virgo Nobilis aevum*] *Nobilis* habent omnes, quod sciam, et Editi et Scripti. Barthius tamen ad Claudianum suum p. 1225. [in Rufin. II, 226] „*Legendum*“, inquit, „*nobilis ex vetustissimis Membranis, non Nobilis ut vulgo. Dicere enim vult ingeniosissimus poeta, aeternae gloriae velut nuptui datam eam virginem, quia totum genialem nihil novi mariti sanguine conscelerare, quod tot ipsius sorores fecerant.*“ Vide quanti sit sapore. Sibi certe bellus homo visus est, cum insulsum hoc et refutationis indignum protulit. Verum nimirum erat, quod ex puteo suo Democritus hausit, *την πολυκεθριαν ποιν οδιδασκων*, multifariam lectionem nemini conferre mentem et iudicium; quippe quae Dei et Naturae dona sunt, non nostrae operae et laboris.

Quae, velut nactae vitulos leaenae,
 Singulos (eheu) lacerant: ego illis
 Mollior nec te feriam, neque intra
 Claustra tenebo.
 45 Me pater saevis oneret catenis,
 Quod viro clemens misero pepercit;
 Me vel extremos Numidarum in agros
 Classe releget.
 I, pedes quo te rapiunt et aurae,
 50 Dum favet nox et Venus: i secundo
 Omine; et nostri memorem sepulcro
 Scalpe querelam.

XII.

AD NEOBULEN.

Miserarum est, nec amori dare ludum, neque dulci
 Mala vino lavere; aut exanimari metuentis
 Patruae verbera linguae.

v. 43. Vulg. *Nec intra*. v. 1. *Neque*.

43. *Nec te feriam nec intra*] Ita recentiores Editiones: at antiqua Veneta et Loscheriana, *nec te feriam, neque intra*. Quis primus mutaverit nescio, neque scire quicquam interest; certe non est secutus meliores pluresve codices. Ex tribus Bersmanni, duo habuerunt *neque*: et sic ex nostris Leidensis, Graevianus, Reginensis, Zulichemianus, optimi et vetustissimi quique, cum aliquot aliis. Ceteri interpretes tacent: quasi credo nihil referret, *nec an neque* scripseris, ubicumque versus ratio utrumvis admittere potest. Equidem, ut in his minutis nec linguae Latinae neque Flacci salutem sitam esse confiteor, ita semel suscepto hoc labore, mei iam muneris pensique esse existimo, ne levissima quidem praeterire. Quamobrem illud animadverto, varietatis hic gratiam quaesivisse Nostrum, et, quoties liber erat a metri necessitate, *Nec, neque, vel Neque, nec*: non bis eandem particulam *nec, nec, aut neque, neque* posuisse. ut Carm. I, 6, 5. „*Nos, Agrippa, neque haec dicere, nec gravem.*“ II, 16, 7. „*Grosche non gemis, neque purpura ve--Nale, nec auro.*“ Ergo et hic ex MSTis legendum; „*nec te feriam, neque intra.*“ Et similiter in toto opere decies opinor vel amplius ex melioribus membranis revocavimus: de quibus semel hic dixisse sufficiat.

I. *Miserarum est*] Quales sint in hoc Carmine versus, et quomodo digerendi, non modo inter Interpretes, sed inter vetustos Grammaticos magna controversia est. Quam si aliquando tandem dirimere, et rem extra dubium collocare possumus; et gratiam, nisi fallimur, inebimus a Lectore *φιλομοισω*; et eo pacto insigne flagitium, quod per ducentos iam annos carmen hoc faedissime luxavit, in posterum cohibebimus. Principio, scriptor vitae Horatii a Iacobo Cruquio editus, haec Oden *tricolon tetrastrophon* esse vult, hoc est, ex *quatuor* versibus constare, quorum *tres* diversa habeant metra: duos autem priores esse *Sapphicos trimetros acatalectos*, tertium *Anacreonticum dimetrum* (lege, trimetrum) *catalecticum, quartum Adonium*. Ergo ex huius hominis sententia sic digerendi fuerint versus: „*Miserarum est nec amori dare ludum, — Neque dulci mala vino lavere, aut ex — Animari metuentes patruae — Verbera linguae.*“ Atque hanc

formam secutus est in editione sua Cruquius, quam et in tribus vetustis codicibus se reperisse narrat. Sane et in nostris, Graeviano, Reginensi, Batteliano, dispositio fere eadem est; praeterquam quod vocabula in fine versuum non in duas partes secant, more Cruquiano, „*Stadium aufert, Neobule, Liparuae — i nitor Hebrai, — Celer alto latitantem frutice — Excipere aprum*.“ Quin et eandem normam tenuisse codices Cruquii nullus dubito; atque id ipsum est, quod eos dicit *nunquid sua ope adiutos fuisse in pedibus ordinandis*. Iam autem quam inepta, prava, distorta, deformia haec sint, quid attinet dicere? Satis profecto superque id constabit ex iis quae dicturi iam sumus de vero metiendi modo. Pes metricus ex quatuor syllabis constans, quorum priores duae breves, posteriores longae sunt, ut *Diomedes, metuentes, Cythereae*, Graecis Ἰωνικός ἀ' ἐλάσσονος, Latinis *Ionicus minor* appellatur. Hoc unico pede totum Carmen ab initio ad finem usque decurrit: quale unum ab Aleaeno olim compositum esse narrat Hephaestion p. 39, cuius hoc initium: Ἐξαὶὼν μὲν Ἄϊὼς ἔϊον ἰαδὲ μῶσαι ζροκῶπτελοῖ; et a Sappho alterum, quod sic incipit, Τὶ μὲ Περδῶνις ὠρῶνα χελιδῶν; ab Aleaeno vero πολλὰ multa conscripta esse idem testatur. Praeterea et duo genera fuisse ait (pag. 66) horum eaminiū Ionicoꝝ: unum (id ἔξ ὁμοῖων vocat) quod nullo certo pedum numero clauderetur; sed ubicumque auctori visum est, vel pedem sistebat, vel pari tenore ultra procedebat: quale crediderim Aleaenae illud et Sapphus fuisse, solis Ionicis constans, caetera legibus solutum. Atque huius generis unum exhibet Terentianus Maurus, summe an forte Septimii Sereni equidem nescio: pag. 2429. „*Diomedem modo magnum dea fecit, dea belli Dominatrix, Phrygas omnes ut in armis superaret; Patulis agmina campis iacuerunt data leto: Pavidi tergaquo dantes petierunt trepidae moenia Troiae*.“ ubi vides pedum numerum non esse definitum sed carmen per synaphiam, ut vocant, quousque velit, progredi. Quod et antea nos docuerat p. 2416. „*Non versibus istud, numero aut pedum, couertant: Sed continuo carmine, quia pedes gemelli Urgent brevibus tot numero ingando longas: Idcirco vocari voluerunt aeneaeon*.“ Alterum Ionicorum genus, quod κατὰ ἀξίαν vocat Hephaestion, certo eorundem pedum numero incedebat: quo simul ventum erat, clauderetur sententia: atque inde rursus exordiens pari iterum numero decurrebat: quae *redditio et revolutio* (ἀνταπόδοσις καὶ ἀναπόκλησις) toties iterabatur, quoties voluit auctor carminis: ea lege, ut neque pauciores neque plures pedes haberit in clausulis sequentibus, quam in prima habuit. Tale, inquit, erat Aleaeni carmen, cuius hoc initium: Ἐμὲ θεῖλῶν, ἐμὲ πασῶν κακοκῆτων πῶδ' ἔχοισαν, qui locus obiter corrigendus est: MSi, quos vidi, πῶδ' habent, non πῶδ'; sollemni errore ei pro ε, quia eodem sono efferebantur: lege igitur, Ἐμὲ θεῖλῶν, ἐμὲ πασῶν κακοκῆτων πηδέχοισαν. *Me miseram, me omnium calamitatum expertam, pedέχοισαν* Acolensium dialecto pro μετέχοισαν. Addit Hephaestion [p. 67]: Ἀπῆρος μὲν ὦν εἰς φῆσαιεν ἐν αὐτῷ ἔξ ὁμοῖων εἶναι, ἔξ Ἰωνικῆς ἀπ' ἐλάσσονος συνέχης καταμετρούμενον. ἡμῖς δὲ, ἐπὶ ΚΑΤΑ ΠΕΚΑ ὁρῶμεν αὐτὸ συνέχης γεγραμμένον, Κατὰ ἀξίαν αὐτῷ χειρογράφα φαμέν. Hoc est, *Imperitus quidem aliquis hoc carmen Aleaeni solum legibus esse crediderit: nos vero, cum decem ubique pedibus decurrere videamus, lege id constrictum esse pronuntiare possumus*. Ubi in primis observandum, omnes eius carminis clausulas fuisse *decem pedum*. Inde enim luce ipsa clarius constabit, ad Aleaeni exemplar hunc, de qua agimus, Odam ab Horatio compositam esse. Quippe haec similiter decem pedibus Ionicis decurrit: inde rursus initio capto stadium idem metitur; et quattuor eiusmodi decapodiis tota finitur. Porro et illud ex verbis Hephaestionis discimus, nullum versiculi finem aut divisionem esse, donec ad *decimum* pedem devenitum sit: et proinde nihil referre, utrum tribus, an duabus, aut unice,

si fieri posset, linea decapodia quaeque scribatur: cum nulla pausa aut incisio sit ante decimum pedem. Sed quandoquidem chartae paginaeque spatium tam longam lineam admittere et continere non potest; et proinde necesse esset, ut decempedalis versus in partes divideretur: inde dubium ortum est, quibusnam in locis commodissime fieri posset incisio. Ubi ridiculum plane et insulsum se praebuit Scriptor Cruquianus: qui in medio pede Ionico caesuram posuit, et praeterea sexies in tam brevi carmine versus exire fecit in dimidiatum verbum. At plerisque placuit, ut in tria membra disiceretur, quorum duo priora trimetra Ionica essent, tertium tetrametrum; quo modo omnes hodie Editiones praeter Cruquianam exhibent, „*Miserarum est nec amori dare ludum, — Neque dulci mala vino lavere aut ex — animari metuentes patruae verbera linguae*.“ Ita dividunt Marius Victorinus p. 2618. Diomedes p. 510, et 524; Atilius Fortunatianus 2704; Plotius 2660; et Scholiastes Aeron. Verum in ea divisione illud incommodi accidit, quod in medio verbo ter fiat incisio, inconcinne prorsus et odiose: *Neque dulci mala vino lavere aut ex — Simul unctos Tiberinis humeros la — vit in undis eques ipso melior Bel* — quae deformitas nebuloni cuidam ansam porrexit, ut immane facinus aggrederetur, de quo mox plura dicemus. Nos potius in his Graecum Hephaestionem secuti sumus, qui, ut iam vidimus, primam in Aleaeno caesuram fecit *τετραμέτρον, „Ἐμὲ θεῖλῶν, ἐμὲ πασῶν κακοκῆτων πηδέχοισαν*.“ Cui accedit Marius Victorinus pag. 2538, 2507, et 2496, ubi exemplum Ionici ἀπ' ἐλάσσονος tetrametri acatalecti hoc adducit; „*Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci*.“ Quorum exemplo priores duos in hac nostra editione scriptissimus tetrametros, tertium autem dimetrum, hoc modo: „*Simil unctos Tiberinis humeros lavit in undis, — Eques ipso melior Bellerophonte, neque pignus, — Neque segni pede victus*.“ Atque hoc pacto, ut in libro ipso videre est, nulla linea dimidiato vocabulo clauditur: neque aliter ab Horatii manu profectum esse quovis pignore contenderim. Illud tamen semper memineris, utcumque scriptionis commodo versus dividatur, unicum tamen revera esse, et continuato cursu properare usque ad decimum pedem.

Caeterum ineptus est Scholiastes Aeron, cum *metrum hoc Sotadicum* dicit tradit; unde deceptus vir cetera pereruditus mirum somnium habet de seopo et proposito Poetae; quasi Hebrus ille, quem tantopere laudare videtur Noster, turpis et vetulus moechus esset, et *Sotadico* hoc *Satyricoque* *rhythmo* ironice syllaretur. Quippe numquam hoc versu usus esse traditur maledicus ille Sotades: Ionico quidem pede scripsit, unde lapsus est Aeron; sed Ionico ἀπὸ μείζονος, sive maiore, qui contrarius plane est huius Carminis pedi, nempe Ionico minori. Hic post duas breves totidem longas habet syllabas, ut *Fruticeto*: ille vice versa a duabus longis exit in totidem breves, ut *Contendere*. Sotadicorum haec exempla notissima sunt (praeter eos Terentiani Mauri hic obiter citatos) *Σείων μελὼν Πηλιῶδα θεῖων καὶ ὄμων. Εἰς οἶχ ὄσῃν τρομέλιον τὸ κέντρον ὄφεις*, ubi vides non lambentem ab Heroico magis dissonum esse, quam Sotadicum ab hoc Horatii. Neque levius falluntur ii, qui hanc Oden *pode parum elaborato* procedere dicunt, adeo ut bene factum sit, quod semel duntaxat Noster hoc metrum adhibuerit. Imo vero et in primis dulce est metrum, et longe omnium operosissimum. Geminas enim breves et geminas longas, repetita identidem vice, paucissima verba suppeditant; ut agnoscat, si quis Musarum eliens in hoc metro periculum sui fecerit. Unde magis credibile est, difficultate operis offensum Horatium non amplius semel hoc conatum esse. Nam magister eius Aleaenus *πολλὰ*, ut iam vidimus, *nulla* carmina hoc metro detexit; et profecto, si ad lyram canatur, ut omnia haec chordis socianda erant, mirum quendam leporem habet Ionicus minor *κατὰ ἀξίαν* iteratus et revolutus: ut iure de hac Oda dixerit Terentianus Maurus p. 2429. „*Simili lege sonantes numeros ad Neobulen Dedit uno modulatus lepide carmine Flaccus*.“

Tibi qualum Cythereae puer ales, tibi telas
 5 Operosaque Minervae studium aufert, Neobule,
 Liparacii nitor Hebri;

6. *Liparacii nitor Hebri, Eques ipso*] In editionibus praeis, Veneta et Loscheriana, haec forma et ordine versus hi conspiciuntur: „*Studium aufert, Neobule, Liparacii nitor Hebri: — Simul unctos Tiberinis humeros la — vit in undis, eques ipso melior Bel — lero-phonte, neque pugno, neque segni pede victus.*“ Et sic omnia scripta exemplaria, tam mea, quam aliorum, nisi quod verba non dividant in fine versusum. Exortus tamen est ante annos ducentos sceleratus nescio quis, qui os sublevit Aldo Manutio, mentitus antiquum quendam codicem Viennae apud Stanislavum Zaur sic versus hos exhibere, nova specie dispositos: „*Studium aufert, Neobule, Liparacii nitor Hebri, — Eques ipso melior Bellerophonte, — Neque pugno, neque segni pede victus, — Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis.*“ Quo mendacio inductus Aldus, neque sibi tum viso eo codice nec cuiquam postea, versus hos ad eam formam in Editionibus suis expressit; et ex eo tempore, quod indignandum magis an dolendum sit nescio, omnes omnium editiones praeter unam Cruquianam flagitium hoc commaculavit. Sed audiamus, quibus rationibus inductus hoc primum commentus est ille nebulo. Primo, ut *servarentur integrae dictiones*; neque tam deformiter in binos divellerentur. Atqui ego, antiquo verborum ordine servato, mutatis tantummodo caesurae locis, id melius praestiti. Deinde, ait, *ne claudicat versus in dictione Bellerophonte*, quam corripere ultimam putat, quia genitivum facit *Bellerophontis*. Plumbeum sane pugionem, et facile retundendum! Quippe casus huic rectus est *Bellerophontes*, ut Graeci *Βελλεροφόντης*; Seneca Epist. 115. [§ 15] „*Dabit in illa fabula poenas Bellerophontes.*“ Hyginus Fab. 273. „*Ludis Aeasti, Zethus dolichodromo vicit, Calais diavolo, Bellerophontes equo.*“ Iam autem notissimum est Graeca eiusmodi nomina ablativos E longo saepe producere; ut Iuvenalis XIII, 98. „*si non eget Anticyra nec Archigene: quid enim?*“ quamquam casu genitivo *Archigenis* recte dixeris terminatione Latina. Quod si concedamus *Bellerophonte* esse ultima brevi: nihil tamen ei syllabae consuluit homo imperitus, cum in versus extremum eam traiecit. Quippe, ut iam ante ostendi, versus unus et non interruptus decurrit usque ad decimum pedem: neque ulla hic syllabae communis, qualis in Hexametrorum aliorumve sine, licentia est, nisi forte in decimo quoque pede. Pari modo, ac in Anapaestis nulla syllaba communis est, priusquam ad ultimam clausulam sive versusum Paroemiicum devenerint; ut primus olim docui in Dissertatione ad Ioannem Antiochenum Malcolam [p. 26 ed. Oxon. a. 1691], et postea multo fusius in Scripto Anglico de Epistolis Phalaridis [p. 132 ed. 1699, p. 181 Ribbeck]. Caeterum quis risum tenere potest, cum inter interpretes tot turbas concitaverit novus ordo a terrae filio inductus, „*Liparacii nitor Hebri, — Eques ipso melior Bellerophonte.*“ Quomodo enim *nitor Hebri* est *eques*? *Nitor Hebri*, inquit, est *περιφραστικῶς ipse Hebrus*, ut *βίη Ηρακλήϊη*, *sententia Catonis*, *sapientia Laeli*, hoc est, Hercules, Cato, Laelius. Hoc plerisque obstruebat os: et eo ipso nomine pulchra dictio videbatur, quia Horatius sic loqui voluit. At non obtusa adeo *gestabant pectora* sagacissimi viri Torrentius et Tan: Faber, quin libere et fidenter clamitabant, *sine exemplo et vitiose locutum esse Horatium, pessimum esse hanc et corruptissimum cacozeliam: nitor Hebri equitis, non eques dictum oportuisse*. Recte illi et vere: nisi quod pro illo tenebrione poeta vapulavit. Neque tamen hi ipsi ob prolatam libere sententiam sic impune abierunt. Ecce enim, qui eos in ius vocet, et *salvo pudore deierare possit, hoc loco Equitis vitiosum fore*. Ain' vero, vir doctissime? Vide, quanta

Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis,
 Eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno
 Neque segni pede victus:
 10 Catus idem per apertum fugientis agitato

opinionis vis est! Dum ab Horatii partibus stare se credit, ea laudat et defendit, quae alioqui pro summa sua eruditione cum primis damnasset. *Nitor Hebri equitis* vitiosum hic foret? Quid illud ergo, Carn. I, 19, 5. „*Urit me Glycerae nitor Splendentis Pario marmore purius?*“ An vitiose ibi locutus est Noster, quia *splendentis* dixit, non *splendens*? Quin potius is locus argumento est, luxatos esse versus; quippe *equitis* hic dixisset Horatius, ut ibi *splendentis*. Sed praeterea vide, ut ex uno absurdo aliud sequatur. Hoc enim dicit larvatus Horatius; Hebrum equo, pugno, pede, sive campestribus exercitiis, *invictum esse*, „*Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis*“: id est, *postea quam lavit*. Atqui hoc plane est *ἔρω ποταμῶν*. Nam primum exercebant se in Campo Martio, et tum postea in Tiberi lavabantur: ut praeter alios Vegetius narrat, I, 3. „*Sudorem cursu et campestri exercitio collectum nando iuventus abluerat in Tiberi*“: et ibidem 10. „*Romani veteres Campum Martium vicinum Tiberi delegerunt; in quo iuventus post exercitium armorum sudorem pulveremque dilueret, ac lassitudinem cursus natandi labore deponeret.*“ Quanto igitur melius versus Horatius, qui Neobulen percussam esse dicit *Hebri nitore*, simul ac ille equitatione, pugilatu, et cursu lassus in Tiberi se abluit, et inde domum rediens se ab exercitio rubentem et roseum puellis visendum praebuit. Quare, aut valde fallor, aut genuinus demum versusum ordo, quem libri omnes uno consensu tuerentur, editoribus Flacci in posterum placebit.

10. *Catus idem per apertum*] *Catus* hoc loco habent codices universi: sed tu totam clausulam contemplare, „*Catus idem per apertum fugientes agitato Grege cervos iaculari, et celer alto latitantem Fruticeto excipere aprum.*“ *Catus*, inquit, *iaculari*, et *celer excipere*. At amicus quidam meus, vir insigni doctrina, potius vice versa Nostrum scripsisse autumat, „*Celer idem per apertum ... Catus alto latitantem.*“ Nam *celeritatis* est, inquit, *fugientes* cervos iaculo consequi: *cati* hominis est excipere aprum latitantem. Atque hoc quidem valde speciosum esse fateor, et prima fronte mire adblandiri. Sed videamus quid sit *excipere aprum*. Curtius VIII, 2. [c. 1 § 14] „*Cum leo magnitudinis rarae ipsum invasurus incurreret, feram non excepit modo, sed etiam uno vulnere occidit.*“ Quintilianus Instit. IV, 2. [§ 17] „*Pastorem, quod is aprum, quem ipsi muneri obtulerat, exceptum esse a se venabulo confessus esset, in cruceam sustulit.*“ Seneca de Ira I, 11. [§ 2] „*Atqui et venientes foras excipit venator, et fugientes persequitur.*“ Spartianus in Caracallo [c. 5]: „*Exceptit aprum frequenter; contra leonem etiam stetit.*“ Iterum Seneca, de Providentia cap. 2. [§ 8] „*Si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excepit; si leonis incursum interritus pertulit.*“ Vides iam opinor *celeritatem* et viribus ei opus esse, qui vel *venientem aprum exceperit*. Is vero *ταχυτητα* insigni esse debet, et, ut Achilles Homericus, *πρὶ χιτῶν ἰοκίμαι*, celeritatem manus quasi igneam habere, qui aprum in fruticeto adhuc latentem venabulo occupare poterit, neque incurrendi et irruendi moram illi concedere. Quare placet, quod in Codicibus habetur, *Celer excipere*: neque minus arridet alterum, *Catus iaculari*, non *celer*. Quippe iam antea proximis verbis a *celeritate* satis Hebrum commendaverat, *Neque segni pede victus*. Ergo novam hic laudem memorat, *Catus iaculari fugientes*, quod et virtutem et artem notat. Qui enim *fugientes* cervos iaculo con-

Grege cervos iaculari, et celer arto latitantem
Fruticeto excipere aprum.

XIII.

AD FONTEM BANDUSIUM*).

O fons Bandusiae, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus,

Cras donaberis haedo:

Cui frons turgida cornibus

5 Primis et Venerem et proelia destinat,

Frustra: nam gelidos inficiet tibi

Rubro sanguine rivos,

Lascivi suboles gregis.

v. 11. Vulg. *Alto*. De Carmine XII. vide Notas. 1. *Blandusiae*.

sequitur, et valido lacerto torquere illud debet, et docta manu ad scopum dirigere.

11. *Celer alto latitantem*] *Alto* habet editio Veneta: ut Loscheriana *arcto*: quod inventum in codicibus suis secutus est Lambinus: caeteri fere omnes *alto* retinuerunt. Utrumvis sat bene habet, et bonis auctoribus defendi potest. *Alto fruticeto* i. e. profundo, ut saepe Homerus ΒΑΘΕΙΗΣ ἄλγος, et in re simili Iliad. A. 415. Ω; δ' ἔτι κάρηϊον ἐπι κίνας θαλαροί τ' ἀλγῶι Σείονται. ὁ δὲ τ' εἰσι θαλαροί ἐκ ζυλόγοιο. Lucret. V, 42. „Per nemora, ac montes magnos, silvasque profundas.“ Virgil. Aen. VII, 515. „Contremuit nemus, et silvae intonuere profundae.“ Georg. II, 391. „Complentur vallesque cavae saltusque profundi.“ Sed, ut videtur, potius *profundus* hoc sensu dixerunt Latini, quam *altus*: ad evitandum credo ambiguum, cum de *silvis* loquantur. Quamobrem omnino verior est lectio altera, quam meliores codices subministrant, ut ex Nostris Bodleiani duo, Galei, Graevianus, et pro varia lectione Battelianus. Seneca Oedip. 277. „Frondisera sanctae nemora Castaliae potens Calcarit artis obsitum dumis iter.“ Ita recte magnus Gronovius edidit ex omnium veterrimo Mediceo: caeteri libri pari, ut hic, errore *altis* habebant. Et sane proclivis est ad errorem lapsus, quia *Arctus* non *Arctus* perpetuo scribunt codices antiqui. Silius Italicus lib. X. 82. „Ut canis ocellulos agit cum Belgicus apros, Deprendit spissis arcana cubilia dumis.“ Ovid. Metam. I, 122. „domus antra fuerunt, Et densi frutices, et vinctae cortice virgae.“ Sic Homerus, de hac ipsa re, Αοζυῆ ἀρκυῆ, hoc est, verbum verbo, *Arto fruticeto*, Odys. T. 439. Ἐρθε δ' εἰς Ἰν ΑΟΧΜΗ ΗΥΚΙΝΗ κατέκλυτο οἴκος ΣΥΣ.

1. *O fons Blandusiae*] Editio utraque, Veneta et Loscheri, *Blandusiae*: unde in caeteras propagatum est. Et sic codices aliquot, praesertim recentiores. At multo potiores et vetustate et numero *Bandusiae*: neque aliter Aeron MStus in bibliotheca Regiae Societatis. Ita sane ex nostris Graevianus, Reginensis, cum tribus aliis. Quare rescribamus hic *Bandusiae*: cum enim nihil aliunde compertum sit de fontis huius nomine, neque quisquam mentionem eius fecerit: quae pervicacia est, ex his codicibus quos solos hic auctores habemus, non vetustissimos atque optimos sequi? *Blandusiae* credo supposuerunt ingeniosi homines, quia fons bellus atque elegans *blando* nomine dignus videbatur.

6. *Nam gelidos inficiet tibi*] *Gelidos* habent omnia exemplaria: neque id loco nunc movendum est. Tamen cum de hoc ipso *Bandusiae* fonte sic narret alibi Noster Epist. I, 16, 13. „Fons etiam rivo dare nomen ido-

[*] BANDUSIAM ed. Amst. a. 1713.]

Te flagrantis atrox hora Caniculae

10 Nescit tangere: tu frigus amabile

Fessis vomere tauris

Praebes, et pecori vago.

Fies nobilium tu quoque fontium,

Me dicente cavis inpositam illicem

15 Saxis, unde loquaces

Lymphae desiliunt tuae.

nemus, ut nec Frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus: ubi vides eum non minus a *puritate*, quam a *frigore* commendari: demiror equidem, cur *gelidos rivos* hic maluerit, quam aliud Epitheton a *puritate* tractum. Ego vero, si pace tot Exemplarium fieri posset, sic libens reponerem: „Frustra: nam liquidos inficiet tibi Rubro sanguine rivos Lascivi suboles gregis.“ Hic certe venusta antithesis est: *liquidus rivos rubro sanguine* inficiet: qui prius *liquidi* erant et *vitro splendidiores* rivi, nunc *rubro* colore inquinabuntur. *Liquidus* autem *rivos* Noster ipse Epist. I, 12, 9. et *liquidus fontes* passim poetae, ut Virgilius ter quaterque. Sic Ecloga II, 59. „floribus austrum Perditus, et liquidis immisi fontibus apros“: *apros* scilicet, qui fontes prius *liquidus* volutando turbarent, et polluerent. Pone ibi *gelidis fontibus*, et omnem venerem, imo totam animam de sententia sustuleris. Atqui eodem modo iacet et languet recepta Flacci lectio. Quorsum enim hic *gelidos*? quid *frigus* aut obstat aut prodest, aut quoquo modo pertinet ad *colorem rubrum*? Adde huc, quod in sequentibus abunde satis laudat ob frigus et umbram, *Te flagrantis atrox hora Caniculae Nescit tangere, tu frigus amabile etc.* ut minime necesse fuerit, alieno loco hic *gelidos* inculcare.

16. *Unde loquaces Lymphae desiliunt tuae*] Princeps Veneta habet *Nymphae*, Loscheriana autem *Lymphae*, quod posterius obtinuit in editionibus sequentibus. At non in Veneta tantum edita, sed et scriptis nonnullis reperitur ea lectio, quantumvis hic mississent Interpretes: Certe ex meis Graevianus, Galei, Regiae Societatis, Bodleianus, et pro varia lectione Colbertinus, *Nymphae* clare exhibent: unde de aliorum membranarum conjectura fieri potest. Atque hanc unice probat vir summo ingenio Ianus Broukhusius ad Propertium III, 14. [v. 4] „Et cadit in patulos Nympha Aeniata lacus.“ ubi pari atque hic inconstantia membranae aliquot praefereunt *Lympha*. Idem etiam Epod. XVI, vers. 48. ubi nunc habetur, „montibus altis Lewis crepante lympha desilit pede“: ex Codice Graeviano, quo nos *τοῦ υαξαίτου* beneficio nunc utimur, reponit *Nympha*. Certe sic ibi habuerunt quattuor Torrentiani, et Gifanii unus; et ex nostris, praeter Graevianum, pro varia lectione Petrensis. Plura etiam exempla suggerit Nic. Heinsius ad Ovid. Heroid. V. 31. Equidem ut non negaverim *Nympham* aliquoties pro *acqua* poni, ut Martial. VI, 43. [v. 2] „Dum tibi felices indulgent, Castrice, Baias: Cavaque sulfureis Nympha natalur aquis“: et 47. [v. 1] „Nympha, meo Stellas quae fonte domestica puro Laberis, et domini gemma tecta subis“: ita utrobique apud Horatium praetulerim *Lympha*: nam longe figuratius est et *νοητικώτερον* *lymphae* sive *aquae* dare *pedes*, quos non habet, quam *Nymphae*, quos habet, concedere. Atque ita Lucretius bis, V, 273. VI, 638. „Qua via secta semel liquido pede detulit undas.“ et Virgilius Culice Vers. 17. „Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.“ Porro, cave hic cum vulgo verba construas, *unde lymphae loquaces tuae desiliunt*, quod prosam Oratorem sapit; et in hac structura Poeta dixisset tibi non *tuae*: sed in hunc modum colloces, *Unde lymphae tuae desiliunt loquaces*, quod Horatiano stilo est pro loquaciter.

XIV.

DE REDITU AUGUSTI.

Herculis ritu modo dictus, ô plebs,
Morte venalem petiisse laurum
Caesar, Hispana repetit penatis
Victor ab ora.

5 Unico gaudens mulier marito
Prodeat, castis operata sacris;

v. 6. Vulg. *Iustis operata Divis.*

2. *Morte venalem petiisse laurum*] Theodorus Marcilius: „*In membris plerisque, Marte venalem. Recte. i. e. pugna et contentione belli.*“ Ubi illud *plerisque* indictum erat melius; nullae enim ex Nostris, nec Interpretum aliorum, neque Editiones ullae agnoscunt *Marte*. Quare habeat secum Marcilius et ineptissimam lectionem, et nusquam, credo, nisi in somniis sibi repertam. Quanto melius Scholiastes Aeron, „*Mortis contemptu laus Victoris quaeritur et triumphus*“: ut Virgilius, Aen. IX, 205. „*Est hic, est animus lucis contemtor, et istum Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.*“ Nam perinde est, sive *morte venalem*, seu *vita venalem* dixeris: eodem utrumque recidit. Ut et illud, quod addit Aeron, Aen. V, 230. „*Vitamque volunt pro laude pacisci*“ eodem plane sensu dicitur, quo Terentius Phorm. I, 3. [v. 14] „*ut mihi liceat tam diu quod amo frui, iam deprecisci morte cupio.*“ Quintilianus Instit. IX, 3. [§ 71] „*Melius atque acrius, quod, cum figurâ iucundum est, etiam sensu valet; Emit morte immortalitatem.*“

6. *Iustis operata Divis*] *Divis* Editio Veneta; at Loscheriana *sacris*, ut et dimidia fere pars Codicum. Ex nostris certe Leidensis, Reginensis, Bodleianus, Colbertinus, Vigorniensis, et pro varia lectione Petrensis. Quid ab Horatii manu profectum hic fuerit, subtilis est iudicii res et lubricae coniecturae. *Operata divis*, ut Curtius VIII, 33. [c. 10 § 17] „*Per decem dies Libero Patri operatum habuit exercitum.*“ Tibullus II, 5. [v. 95] „*Tunc operata deo pubes discumbet in herba.*“ Silius Ital. II. [v. 674] „*Tartareo est operata Iovi, poenasque ministrat.*“ *Iustis* autem *Divis*, non, ut Lambinus, *patriis*, et consuetudine atque usu receptis, sed cum Scholiasta, specialiter *iustis*, quia *victoriam et reditum Caesari* merenti *dederint*. Ovidius in Epist. Hypsipylae [Her. VI, 152]: „*Iustus ades votis Iuppiter ipse meis.*“ et Trist. IV, 2. [v. 7] „*Donaque amicorum templis promissa deorum Reddere victores Caesar uterque parent.*“ et mox [v. 11] „*Cumque bonis nurbus pro sospite Livia nato Munera det meritis, saepe datura, deis.*“ ut contra Noster II, 4, 15. „*penates maeret iniquos*“: et Silius Ital. XV. [v. 543] „*quonam se fine miranti Servitio eripiat, divosque evadat iniquos.*“ Recte itaque habet recepta nunc in Editis Lectio, „*Prodeat iustis operata divis.*“ Neque tamen temere reiiciendum *sacris*, quod tot scripta exemplaria, et in eis vetustissima aliquot subministrant. *Operari enim sacris* purissimae Latinitatis dictio est, ut Virgil. in Ciri, 142. „*violaverat inscia sedem, Dum sacris operata deae lascivit.*“ Valerius Max. VI, 6 [§ 1] „*Amplissimi et integerrimi viri sanitatem, Reipub. usibus et sacris operatam.*“ Livius I, 31. [§ 8] „*Ipsam regem (Tullum) tradunt volentem commentarios Numae, cum ibi quaedam occulta sollemnia sacrificia Iovi Elicio facta invenisset, operatum his sacris se abdidisse; sed non rite initum aut curatum id sacrum esse.*“ Ubi obiter pro *operatum* rescribendum puto *operaturum*. Sed quid sodes erit *iustis sacris*? an legitimis, et, ut modo Livius, *rite initis et curatis*? Non video,

Et soror clari*) ducis, et decorae

Supplice vitta

Virginum matres, iuvenumque nuper

10 Sospitum. vos ô pueri, et puellae

Iam virum expertae, male inominatis

Parcite verbis.

[„7. *Clari*“ ed. pr. a. 1711.] v. 11. Vulg. *Ominatis.*

quid aliud denotare possit; et tamen friget admodum sententia. Nullum enim periculum erat, ne *sacris*, aut lege vetitis, aut contra caeremonias factis, operaretur Livia. Quamobrem, si retinendum erit illud *sacris*, sic potius levi mutatione locum constituerim, „*Prodeat castis operata sacris*“: hoc est, *prodeat iam Livia ad occursum Augusti ex Hispania in urbem revertentis, quae toto absentiae eius tempore castis sacris operata est, et pudica vota fecit pro salvo mariti reditu.* Non enim *prodeat operata*, ut Scholiastes vetus alique perperam accipiunt, est *prodeat ut nunc operetur*: quippe eo sensu *operatura* dicendum fuerit; non *operata*, quod tempus iam praeteritum indicat. *Castis autem sacris*; quia Liviae pudicitiae gloria celebrem omnis historia tradit, unde hic de ea Noster, „*Unico gaudens mulier marito.*“ Ovidius Amor. III, 13. [v. 3] „*Casta sacerdotes Iunoni festa parabant.*“ Statius Achilleidos I, 370. de virginibus; „*Dehinc sociare choros, castisque accedere sacris Hortantur; ceduntque locum, et contingere gaudent.*“ Hypsipyle Iasoni [Heroid. VI] vers. 73. „*Adde preces castas, immistaque vota timori: Nunc quoque te salvo persolvienda mihi.*“ *preces et vota* pro Iasonis reditu: ut Liviae pro Augusti. Deianira Herculi [Her. IX] vers. 35. „*Ipsa domo vidua, votis operata pudicis, Torqueor; infesto ne vir ab hoste cadat.*“

7. *Et soror clari ducis*] Ea est Octavia. Sed veterrimus noster Graevianus, *cari non clari*: ut de eodem Augusto Ovidius Fast. VI, 637. „*Te quoque magnifica, Concordia, dedicat aede Livia, quam caro praestitit illa viro.*“ Verum recte quidem *cari viro*, ut passim *carus genitor, cara nutrix, cari nepotes*, et cetera *necessitudinum* nomina: sed *carus dux* non minus inepte diceretur, quam Carm. I, 20, 5, *Carus eques*. Vide autem, ut incerta et caeca fortuna in exemplaribus dominetur: unus ibi codex Regiae societatis *clare eques* recte habet, cum caeteri omnes *care*: unus hic Graevianus perperam *cari ducis*, cum alii ubique *clari*. Seneca Troad. 258. „*Quid caede dira nobilem clari ducis Aspergis umbram?*“ et Octav. 677. „*Ubi Romani vis est populi, Fregit claros quae saepe duces?*“

11. *Iam virum expertae*] Non immerito miratur Torrentius, cur addat *iam virum expertae*; cum potius par erat, ut cum pueris *innuptae* puellae coniungerentur. Unde idem, quod rarissime facit, a coniectura opem petere voluit, et sic locum refingere: „*vos o puerae et puellae iam virum expertae.*“ Infeliciter profecto: nam et *puerae* obsoletior vox est, quam ut Horatio sub calamum veniret: et ridiculum est, in eodem versu *pueras* dici, quae *innuptae* sint, *puellas* (quod alterius diminutivum est, atque adeo minori aetati convenit), quae iam virum sint expertae. Sed et aliam viam tentat vir doctissimus, non meliore successu, „*Vos o pueri, et puellae, et iam virum expertae*“: nam postremum illud *iam virum expertae*, si a *puellis* disiungatur, etiam *virginum matres* comprehendet, quas antea compellaverat: et praeterea versus hoc pacto nimis asper scaberque et rubiginosus exhibit. Equidem, si per codices liceret, sic potius emendaverim, „*Vos o pueri et puellae Non virum expertae*“: ut alibi Noster Epist. II, 1, vers. 132. „*Castis cum pueris ignara puella mariti Disceret unde preces, vatem nisi Musa dedisset?*“ et Carm. III, 1, 4. „*Virginibus puerisque*

[*) *cari* ed. pr. a. 1711.]

Illic dies vere mihi festus atras
 Eximet curas: ego nec tumultum,
 15 Nec moras per vim metnam, tenente
 Caesare terras.
 I pete unguentum, puer, et coronas,
 Et cadum Marsi memorem duelli;

vanto. 4, 21, 1. „*Dianam tenerae dicite virgines; Intonsum, pueri, dicite Cythium.*“ Carm. Saecul. 6. „*Virgines lectas, puerosque castos.*“ IV, 6, 31. „*Virginum primae, puerique claris Patribus orti.*“ Nam Virgines eas in-nuptas et non virum expertas fuisse, ostendit quod mox subsequitur. „*Nupta iam dices, ego dis amicum reddidi carmen.*“ ergo eo tempore nondum nupta erat.

11. *Male ominatis Parcite verbis* Editiones vetustae, Veneta et Loecheri, *nominatis*: at Codices in diversa distrahantur: nam dimidia pars habent, *nominatis*, et totidem fere *ominatis*: adeo ut alteri alteris nec numero neque vetustate concedant. Diversa etiam secuti sunt Editores, pro suo quisque iudicio nunc hoc nunc illud praeferebant. Interea hoc pro comperto iam habetur, melius facere ad sententiam *Ominatis*, nisi quod versus mensuram hiatu suo labefecere videatur. Cui tamen opitulanti conati sunt Muretus et Schottus, interiecto D, ad hunc modum, „*Iam virum expertae, maled ominatis.*“ In quo ridiculae sint magis, an odiosi, in dubio est: cum rubiginem hanc Nostro affricare studeant, quam in Ennio Naeuioque et caeteris Opicorum carminibus vix aquis auribus accepimus. Itaque alii defendunt, *male ominatis*: ut neglecta hic Synaloepha vocalis E non elidatur; qualia multa occurrere putant in tersissimis etiam poetis. In qua sententia est sagacissimus Heinsius ad Claudian. Sec. Cons. Stilich. vers. 167. ubi fase hanc lectionem tuetur. Sed illud non animadvertit vir insignis, pleraque omnia, quae ibi profert, hiatus exempla in Caesuram sive in primam pedis syllabam cadere: non, ut hic, in Dactyli tertiam, aut secundam. Atqui hoc multum interesse sciunt rhythmorum et musicae periti. Fateor equidem etiam extra caesuram saepe negligi Synaloepham; ut apud Nostrum, Epod. V, 100. „*Et Esquilinae alites.*“ Et Serm. I, 9, 38. „*Si me amas, inquit, paulum hic ades.*“ Sed imprimis notandum, non nisi in longis vocalibus hiatus illos admitti; cuius rei a Musica similiter petenda est ratio. Sic in illis Virgiliis: [Ecl. 8, 108] „*Credimus, an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?*“ [Ecl. 3, 79] „*Et longum, formoso, vale, vale, inquit, Iola.*“ [Ecl. 6, 44] „*Clamarent, ut litus Hyla, Hyla, omne sonaret.*“ [Ecl. 2, 65] „*Te Corydon, o Aesci.*“ [Georg. I, 281] „*Pelio Ossam.*“ [Aen. III, 211] „*Insulae Ionia.*“ [Aen. VI, 507] „*Te amice, nequici.*“ [Georg. I, 437] „*Glaucos et Panopeae et Inoa Melicertae.*“ [Georg. IV, 461] „*Impleverunt montes, sterunt Rhodopeiae arces.*“ [Aen. V, 261] „*Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto.*“ vides longam esse vocalem, quae hiatus faciat; non brevem, ut hic *male ominatis*: male enim ante consonantem semper posteriorem corripit. Nusquam memini observasse, vocalem brevem extra caesuram hiatus facere, praeterquam in duobus locis, uno Catulli, Virgilio altero: quorum ille Epigr. III [v. 16] „*O factum male, o miselle Passer.*“ Verum is versiculus in mendo cubat: omnes enim membranae ibi praefereunt, „*Bonum factum male bonus ille passer.*“: ut testatur Achilles Statius, qui ex coniectura illud alterum reposuit. Nihil itaque ex tam dubio loco concludi poterit. Virgilius versus extat Aen. I, 405. „*Et vera incessu patuit dea. Ille, ubi matrem Agnovit.*“ Verum hic peculiaris hiatus ratio est, quae in Horatii verso locum non habet. Quippe post *dea* plena distinctio est, et tum nova incipit oratio: et quia in pronuntiando pausa et morae spatium intercedit, *dea* et *illic* per Synaloepham coalescere minime debuerunt. Vitiosum siquidem foret, si quis hunc in

Spartacum si qua potuit vagantem
 20 Fallere testa.
 Dic et argutae properet Neerae,
 Murreum nodo cohibente crinem:
 Si per invisum mora ianitorem
 Fiet, abito.
 25 Lenit albescens animos capillus
 Litium et rixae cupidus protervae.
 Non ego hoc ferrem calidus iuventa,
 Consule Planco.

v. 22. Vulg. *Cohibere.*

modum versus componeret: „*Et veram incessu patuisse deam. Ille ubi matrem.*“ Atqui in Flacco longe aliter se res habet: et nisi fallor, sine exemplo est, ut vocalis brevis, extra caesurae locum, et in medio orationis tractu, non elidatur. Quare haeret haec res; et aut sententia laborabit, si legeris *Nominatis*; aut versus, si *Ominatis*. Sed bono animo esse poteris; nam levissima mutatione utrique vitio succurrere licet: neque dubites, quin sic profectum sit ab Horatii manu; „*Iam virum expertae, male ominatis Parcite verbis.*“ ut ipse alibi Epod. XVI, 38. „*Inominata perprimat cubilia.*“ Gellius, V, 17, [§ 3] „*Ante diem quoque quartum Calendas, vel Nonas vel Idus, tanquam inominalem diem plerique vitant.*“ Ubi codex MStus in bibliotheca Regia Parisiis, cuius excerpta habeo, *Nominalem* praefert: plane ut hic bona membranae, *Nominatis*. Sed *inominalem* recto legitur etiam in Macrobio, qui Saturn. I, 16 [§ 26] celato, ut solet, auctoris nomine, haec ex Gellio sublegit. Ceterum, etsi *Male* non raro minuat et tollat significationem vocabuli adiuncti, ut *male sanus, male fidus*, perinde est ac *insanus, infidus*: interdum tamen auget eam atque intendit; praesertim apud Nostrum, ut Carm. I, 17, 25. *male dispari*. Serm. I, 3, 45. *male parvus*. I, 4, 66. *male raveri*. I, 9, 65. *male salsus*: ut proinde *male inominatis* eandem vel maiorem vim habeat, quam *male ominatis*.

20. *Si qua Fallere testa* Videamus contextum orationis: „*Et cadum Marsi memorem duelli, Spartacum si qua potuit vagantem Fallere testa.*“ Ubi Torrentius *si qua testa* casu recto interpretatur, et posteriorem in *si qua* contra Grammaticorum regulas productam esse autumat; ut in illo Terentii Heautont. Prologo. [v. 44] „*Si qua laboriosa est, ad me curritur.*“ At in eo frustra est vir optimus: quippe ibi cum codice Faerni Bembino, longe omnium vetustissimo et optimo, legendum est, *Siquae laboriosa est*. Unde ansam arripit Philippus Pareus in Lexico Critico voce *Siquae*, etiam hoc in loco similiter corrigendi. Sed uterque fallitur: etenim casu haec ablativo proferenda sunt, „*Spartacum si qua potuit vagantem Fallere testa.*“: *Siqua testa* cadus fallere potuit, ut Phaedrus *amphora testa*, III, 1. [v. 1] „*Anus iacere vidit epotam amphoram. Adhuc Falerna succo et testa nobili Odorem quae iucundum late spargeret.*“

22. *Myrrheum nodo cohibere crinem* Murreum, non myrrheum veteres Blandinii apud Craquium scribunt, et ita nostri, Graevianus, Leidensis, Reginensis, cum aliis. Sed quid illud sibi vult, „*Dic et argutae properet Neerae Murreum nodo cohibere crinem.*“: *Properet*, inquit, crinem nodo redimire: quid tum postea? an ut domi maneat? imo vero, *properet* ut ad vos veniat; ut una accubet, potet, festum diem celebret, et quae caetera sunt meretricis. Ergo *properet* absolute, i. e. *properet venire*: ut Carm. I, 30, 6. „*Fercidus tecum puer, et solutis Gratiae zonis, properentque Nymphae.*“: et ipse aliique passim. Quamobrem, vel invitis exemplaribus, corrigendum, „*Dic et argutae properet Neerae, Murreum nodo cohibente*

XV.

AD CHLORIN.

- Uxor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiæ fige modum tuæ,
Famosisque laboribus:
Mature propior desine funeri
5 Inter ludere virgines,
Et stellis nebulam spargere candidis.
Non, si quid Phloen satis,
Et te, Chlori, decet: filia rectius
Expugnat iuvenum domos,
10 Pulso Thyias uti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
Lascivæ similem ludere capreae:

v. 10. Vulg. *Thyas*.

crinem: ut alibi Carm. II, 11, 22. „*Lyden: eburna die age cum lyra* Maturet, *incomtam Lacaenae More comam* redimita nodo.“ Seneca Herc. Octaeo. 1546 „*Et comas nullo* cohibente modo, *Femina exertos feriat lacertos*.“ Properet huc Nenera, nodo duntaxat cohibente crinem, prae studio festinandi. Certissima hæc emendatio est: facilis autem Librariorum lapsus a *Cohibete* ad *Cohibere*.

3. *Famosisque laboribus*] *Forte, Caloribus*, inquit Daniel Heinsius: credo, quia meminerat illud Carm. IV, 9, 11. „*Spirat adhuc amor, Vivuntque commisi calores Aeoliae fidibus puellae*.“ Sed frustra: ut fere omnia quae in Horatio conatus est vir cetera ingeniosus et doctus. *Labores*, ut hic omnes libri praeferrunt, idem quod *amores*; ut Carm. I, 17, 19. „*Dices laborantes in uno Penelope vitreamque Circen*.“ et I, 27, 19. „*Quanta laboras in Charybdi, Digne puer meliore flamma*.“

9. *Expugnat iuvenum domos*] Vigorniensis noster, *expungat*: sed hic dormitantis exscriptoris est lapsus. Ceterum Lambinus, Torrentius, aliique figurate hæc accipiunt; non quasi revera *expugnet domos* et fores effringat, ut vel invitos iuvenes diripiat: sed *amore sui subvertat domos*. Sed quorsum illud, quod statim sequitur? „*Expugnat iuvenum domos, Pulso Thyias uti concita tympano*.“ Quid enim? an Bacchæ instar furiosa meretrix magis illaqueat adolescentum animos, quam versuta et callida et inescandi artifex? Quare recte Dacierius, qui proprie hæc accipit, adeo ut Phloen illa vectibus expugnaverit aedes amatorum. Sed nullum profert auctorem, qui de feminis tale quid narret, quod potius adolescentum est facinus erga amicas suas. Ego vero dabo auctorem, et quidem maiorem omni exceptione, Senecam nempe in Praefat. ad IV. Nat. Quaest. [§ 6] „*Crispus Passienus saepe dicebat, Adulationi nos opponere, non claudere ostium: et quidem sic, quemadmodum opponi amicae solet: quae, si impuli, grata est: gratior, si effregit*.“ Cui adde Plautum in Mil. Glor. IV, 6. [v. 35] ubi meretrix loquitur: „*Immo opperiamur, dum caecat aliquis. Durare nequeo, Quin eam intro. Oclusae sunt fores*.“ Effringam. *Sana non es. Si amavit unquam, aut si parem hic sapientiam habet ac formam: Per amorem si quid fecero, clementi mi animo ignosceat*.“ Inde explicat Carm. III, 9, 19. „*Si flava excutitur Chloe, Reiectæque patet ianua Lydiae*.“ hoc est, Si Chloe eiicitur, ut Terent. Eunuch. II, 3. [v. 67] „*Homo quatietur certe cum dono foras*“: et Lydia prius exclusa iam patente ianua admittitur. De *Thyas* diximus, II, 19, 9.

- Te lanae prope nobilem
Tonsae Luceriam, non citharae decent,
15 Nec flos purpureus rosae,
Nec poti vetulam faece tenus cadi.

XVI.

AD MAECENATEM.

- Inclusam Danaen turris aenea,
Robustaeque fores, et vigilum canum
Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris:
5 Si non Acrisium virginis abditae
Custodem pavidum Iuppiter et Venus
Risissent: fore enim tutum iter et patens,
Converso in pretium Deo.
Aurum per medios ire satellites,
10 Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo, concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demersa exitio. diffidit urbium
Portas vir Macedo, et subruit acmulus

v. 13. Vulg. *Excidio*.

15. *Nec flos purpureus rosae*] Reginensis noster, optimae notae codex, „*Nec flos purpureae rosae*“: eadem constructione, qua illud Carm. II, 3, 14. „*Huc vina, et unguenta, et nimum breves Flores amaenae ferre iube rosae*.“ et IV, 10, 4. „*Nunc et qui color est puniceae flore prior rosae*.“ Ubi vide et mirare variam librorum sortem. Qui solus hic habet *purpureae*, idem solus illic praefert *puniceo*: sed hoc posterius a manu secunda. Neutro in loco quicquam mutaverim.

16. *Nec poti vetulam faece tenus cadi*] Editio Veneta, *vetulam*; Loscheri autem, *vetula*: atque eadem varietas in Scriptis, qui ab utraque lectione stant aequi viribus. Vetustiores certe nostri, Leidensis, Graevianus, et a manu prima Reginensis, *vetula*. Utrumque probum est. *Vetula faece*, ut Catullus XXVII, [v. 1] „*Minister vetuli puer Falerni*“: et Martialis XI, 27. [v. 3] „*Basia da nobis vetulo, puer, uda Falerno*.“ Columella X, in fine. [v. 428] „*Brachia iactantes vetulo marcentia vino*.“ Rectius tamen *vetulam*: Decet te vetulam abstinere a conviviis adolescentium. Mutarunt Librarii, ut propior verbo *faece* conveniret: quae sollempnis est eorum hominum hallucinatio.

7. *Iuppiter et Venus Risissent*] Omnes quidem, quos viderim, scripti editique, *risissent*. Tamen ex stili Horatiani indole scribendum est, *risisset*; ut multis exemplis docui ad Carm. I, 24. v. 8. Favet Laetantius ad Statii Theb. VI, 287, ubi hunc locum citat: nam ibi, etsi alias mendose, editum est *misisset*. Ceterum locum hunc, „*Inclusam Danaen turris aenea*“ expresserunt Ovidius et Hieronymus: hic Epist. ad Gaudentium [p. 798 extr., ed. Ben.]. „*Quod didicerunt secreto, docent, inclusamque Danaen vulgi sermonibus violant*“: ille Amor. II, 19. [v. 27] „*Si numquam Danaen habuisset aenea turris, Non esset Danae de Iove facta parens*.“

13. *Demersa excidio*] Et Veneta et Loscheri *exitio*: neque aliter plures et potiores codices; ut ex nostris Graevianus, Leidensis, Battelianus

- 15 Reges muneribus. munera navium
 Saevos inlaqueant duces.
 Crescentem sequitur cura pecuniam,
 Maiorumque fames. iure perhorru
 Late conspicuum tollere verticem,
 20 Maccenas, equitum decus.
 Quanto quisque sibi plura negaverit,
 Ab Dis plura feret. nil cupientium
 Nudus castra peto; et transfuga divitum
 Partis linquere gestio:
 25 Contentae dominus splendidior rei,
 v. 22. Vulg. *A Dis*.

cum aliis: atque ita laudat Priscianus p. 890. *Demersa exilio*: nec editus solum, sed et MStus sexcentorum in Bibliotheca publica hic Cantabrigiae. Nescio tamen quo fato plerasque editiones occupavit *excidio*, quod codices quidem nonnulli praefecerunt, et inter alios Reginensis noster paucis secutus. Sed omnino perperam. Quippe *Demersa* et *excidio* contrariam plane traditionem habent, neque una coniungi possunt. *Excindere* enim est a stirpe et fundamentis *sursum* eruere: *demergere*, est in profundum *deorsum* trudere. Quamobrem, si retinendum foret *excidio*, non *Demersa* dicerem, sed parva mutatione *eversa*; „domus ob lucrum Eversa excidio.“ ut Virgil. Aen. X. 45. „per eversa, genitor, fumantia Troiae Excidia obtestor.“ Ovid. Heroid. III. [v. 36] „Lesbidos eversa corpora capta domo.“ Iuvenalis X. [v. 7] „Evertēre domos totas, optantibus ipsis, Dū faciles.“ atque alii non raro. Sed omnino vera lectio est, *Demersa exilio*.

18. *Maiorumque fames*] Offensū adeo sunt Librarij vocabulo isto *maiorum*, ut etiam versus dispendio mutare voluerint. Quippe codex Regiae Societatis sic praefert, „*Crescentem sequitur cura pecuniam, Maiorque fames*“: et in vetere Graeviano duae literae erasae sunt, *maior*.. *que*, quae ex spatio *u, m* faisse videntur. *Maior fames*, plane ut Prudentius Hamartig. 257. „*Auri namque fames parto sit maior ab auro*.“ Verum hanc emendationem ipse versus aspernatur: at quid illud est, obscuro, *Maiorum*? Notissimum est, pro libitu veteres dixisse *pecuniam*, vel *pecunias*. Quare aut hic legendum est, „*Crescentem sequitur cura pecunias, Maiorumque fames*“: aut, „*Crescentem sequitur cura pecuniam, Maiorisque fames*.“ Nam ut passim occurrunt *pecunia grandis, ingens, immanis, immensa, nimia, mediocris, tenuis, amplissima, magna, maxima*; quidni et *maior pecunia* dicatur? Sic et Scholiastes vetus: „*Maiorum, pecuniarum scilicet*.“ Atqui sine ulla necessitate numerum mutare, neque vitio caret, nec Horatium eius reum esse crediderim. Non incommode tamen tueri poteris *Maiorum*, si genere neutro acceperis, τῶν μειζόνων, τῶν πλείονων: ut Theocrit. Idyll. XVI. [v. 64] ἀνιρίθους δὲ αἰ ἐν Ἀργυροῖς αἰεὶ δὲ πλείονων ἔροι ἰμερος αὐτόν. et *immensum ei sit* Argentum: plurium vero *cupido* semper eum habeat.

22. *A dis plura feret*] Omnes fere Membranae cum editione Veneta *ab dis*: sic alibi, *Ab se, ab Iove* ex iisdem revocavimus. Ita passim et alii scriptores, ad exemplaria vetera fideliter recensiti. Plinius XXXIV. 9. [§ 15] „*Transit aes ei ab diis ad hominum status*.“

25. *Contentae dominus splendidior rei*] Codex unus et alter Torrentii Pulmannique *contentae*; atque ita mala manus in Reginensi nostro fecerat, erasa veteri Lectione *contemptae*, quam et priscae Editiones, et Codices plerique omnes exhibent. Demiror equidem Canterum aliosque *contentae* hic maluisse, sive *mediocris*: quod ne Latinum quidem est, neque ullo

- Quam si quicquid arat inpiger Appulus
 Occultare meis dicerer horreis,
 Magnas inter opes inops.
 Purae rivus aquae, silvaque iugerum
 30 Paucorum, et segetis certa fides meae,
 Fulgente imperio fertilis Africae
 Fallit sorte beator.

v. 26. Vulg. *Non piger*. 31. *Fulgentem*.

exemplo fulciri potest. Imo vero recte habet recepta Lectio: quam tamen male explicant Torrentius Dacieriusque; *contentae rei*, aiunt, quam possessor ipse haud magni facit, vulgus vero divitum pro nihilo ducit; quasi *contentae* esset *exiguae et contemnendae*. Enimvero aliud volunt ea verba, argutius multo et elegantius. Iam ante dixerat Noster, „Nil cupientium *nudus castra peto*“: atque ea ratione, inquit, splendidior ero dominus *rei contentae*, hoc est, *non cupitae*, quam si totam Apuliam possiderem, more divitum nostrorum utendi et fruendi nescius. Stoicorum scilicet effatum est, sapientem omnia possidere, omnium dominum esse, quamvis nihil habeat: quia nil cupit, neque ullius indiget. Ergo duplex hic paradoxon est: *Ego ero possessor rei non possessae: Ille inter magnas opes inops*. Quod posterius a multis postea expressum est; ut Seneca Epist. LXXIV. [§ 4] „*Occurrunt, quod genus egestatis gravissimum est, in divitiis inopes*.“ Idem Here. Parente 168. „*hic nullo sine beatis Componit opes, gavis inhians, Et congesto pauper in auro est*.“ Pausanias Natali. IX. [X. v. 292 ed. 1685 pag. 303 extr. Pissaur.] „inter opes inopes, quasi *Tantalusville, Inter aquas sitiunt, nec habent quod habere videntur*.“

26. *Quicquid arat inpiger Appulus*] Editio Veneta, *impiger*; Loscheri autem *non piger*, unde in sequentes ea lectio derivata est. At membranae omnes et meae et aliorum, *impiger*: quod omnino retinendum. *Arat* in caesura posteriorem producit, ut iam aliquoties vidimus, Carm. I. 13. vers. 6. III. S. v. 5.

31. *Fulgentem imperio*] *Fulgentem* exhibent omnes ubique codices magna constantia. Neque vero inficior, quin recte dicatur *fulgens imperio*, ut Tacitus Hist. IV. 42. „*Septuagies sestertio saginatus, et sacerdotio fulgens*“: Vopiscus in Probo c. 2. „*Cn. Pompeium tribus fulgentem triumphis*.“ Et Silius Italicus XIII. [v. 605] „*Quam vellent nunquam sceptris fulsisse superbis*!“ Neque porro negaverim, *fallit* (λανθάνει, elegante sane Graecismo) recte accusativum post se trahere; *fallit beator fulgentem*, ut Lucanus VI. 68. „*Prima quidem surgens operum structura fecellit Pompeium: veluti mediae qui latus in arvis Sicaniae, rapidum nescit latrare Pelorum: Aut vaga cum Vethys Rutupinaque litora fervent, Unda Caledonius fallit turbata Britannos*.“ ubi *fecellit surgens Pompeium*, et *fallit turbata Britannos*, eodem plane sensu et constructione ponuntur, ac apud nostrum, *fallit sorte beator fulgentem*: Graece dixeris, λήθην ἀνιστάμεν τὸν Πομπηϊόν, λανθάνει τακτικῶν τοῖς Βρεταννοῖς, λανθάνει ἐδαμοκρατῆρα οὐσα τὸν ἄρχοντα. Itaque dictio huius loci optime se habet; sed exentiamus sententiam ipsam: „*Purae rivus aquae, silvaque iugerum Paucorum, et segetis certa fides meae Fulgentem imperio fertilis Africae Fallit sorte beator*.“ Ubi male rem gesserunt interpretes, cum *Regem* aliquem Afrum, Syphacem, orodo, vel Boecum aut Tubam intelligunt. Atqui nemo ex illis regibus *imperium Africae* habuit, sed partis eius dumtaxat, Numidiae puta aut Mauritaniae. Quin magistratum Romanum voluit Noster, Proconsulem scilicet Africae, cui tota Africa provincia obtigerat. *Africam* autem eo nominat, quia ea amplissima, et *omnium provinciarum arc* habebatur, ut narrat Cicero [Pro Ligario c. 7 § 22].

Quamquam nec Calabrae mella ferunt apes,
 Nec Laestrygonia Baecheus in amphora
 35 Languescit mihi, nec pinguis Gallicis
 Crescunt vellera pascuis;
 Inportuna tamen pauperies abest:
 Nec, si plura velim, tu dare deneges.
 Contracto melius parva cupidine
 40 Vectigalia porrigam,
 Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
 Campis continuem. multa petentibus
 Desunt multa. bene est, cui Deus obtulit
 Pareat quod satis est manu.

v. 41. Vulg. *Alyattici*.

*Imperium praetorium, consulare, pro magistratu passim occurrit apud Historicis: utique apud Poetas. Neque perceperunt omnino, quid ibi notet sorte: alludit enim ad morem Romanum, quo Provinciae sorte ducebantur: Cicero ad Quintum Fratrem I, 1. [§ 9] „Quod si te sors Afris, aut Hispanis, aut Gallis praefecisset.“ Pro Ligario, 8. [§ 23] „Si responderit Tubero, Africum quo Senatus eum sorsque miserat, tibi patrem suum traditurum fuisse.“ Suetonius Vespas. IV. „Ecin sortitus Africam, integerrime, nec sine magna dignatione administravit.“ Tacitus Agricola, 42. „Aderat iam annus, quo Proconsulatum Asiae et Africae sortiretur.“ Ita sors Asiae, sors Macedoniae, sors Provinciae passim occurrunt. Quamobrem, his recte constitutis, ea demum surgit sententia, *Ager meus Sabinus paucorum iugerum fallit Proconsulem Africae sorte beatorum*. Quanto meliora sunt haec, quam quae Interpretes in tenebris caligantes hic temere effuderunt! Neque tamen ea de causa crediderim vel ab Horatii manu haec esse, vel digna quae sub eius nomine ferantur. Vide enim, quid in hac sententia iure culpemus. Ager, inquit, *meus*, certa fides segetis *meae*, ignoratur ab Africae proconsule esse sorte beatorum: nescit ille me in valle Sabina degere se beatiorem. Non places, Flacos. Unde enim tua seges, aut curtus ille agellus Proconsuli Africae notus sit, nedum regulo Afro (ut voluit interpretes) ultra Garamantas senescenti? Deinde, quid sibi vult *beatorum*? ubi nomen est, cum quo comparatio instituitur? an *beatorum sorte*? nihil enim aliud est. Sorte scilicet *Africae*, aut conditione *Proconsulis*. Atqui ea extrinsecus subaudiri nequeunt, sed pro Linguae Latinae indole disertis verbis exprimenda erant. Quid multa? vide, annon una litera vel uno potius apice semoto, sic melius legatur: „*Purae rivus aquae, silvae iugerum paucorum, et segetis certa fides meae Fulgente imperio fertilis Africae Fallit sorte beatorum*.“ perspicua sententia; *Fallit*, inquit, *sorte* (sive plene, in sua sorte) *beatorum proconsulatu Africae*: revera felicitior conditio est, quamvis id a plerisque ignoretur. *Fallit* absolute positum, ut *λαθῆν* eodem sensu passim apud Graecos: sic ipse Epist. I, 18, 103. „*An secretum iter, et fallentis semita vitae.*“ *Fulgente* autem imperio, ut Silius Italicus XIII. [v. 285] „*Sed castam servate fidem: fulgentibus ostro Haec potior regnis.*“ Seneca Troad. 275. „*Ego esse quicquam sceptrum, nisi vano putem Fulgore lectum nomen, et falso comam Vincolo decentem.*“ Aut ego valde fallor, aut haec emendatio non fallit melior esse et elegantior recepta lectione.*

41. *Regnum Alyattici* *Alyattici* habent Veneta et Loscheriana, unde omnes omnium editiones tenuit. Quod si interrogas, quis sit iste *Alyatticus*; Croesum esse respondent, a patre Alyatte sic dictum *παργωνυξῶς*. Mira vero, quae his hominibus placeant. At non adeo obesae maris erat

XVII.

AD AELIUM LAMIAM.

Aeli, vetusto nobilis ab Lamo,
 (Quando et priores hinc Lamias ferunt
 Denominatos; et nepotum
 Per memores genus omne fastos

Tan. Faber: quin libere dicit errorem esse Horatii, si ita scripsit: nam omnino dicendum Alyattii; hoc enim patronymicum esse, ut a Laërte Laërtius; Alyattici vero possessivum. Non sine laude dimittendus est vir acutus; etsi geminum in tam paucis verbis errorem admisit. Neque enim Laërtius est patronymicum, ut Laërtiades; sed possessivum, ut Laërtia regna, Laërtius heros. Sic Priamides et Priameis patronymica sunt, Priameus possessivum, ut Priameia coniunx, Priameia virgo, Priameia sceptrum: ita Semeleus Thyoneus, Semeleia proles; Laomedontia pubes, Laomedontius heros, et similia, quae numquam sola sine nomine substantivo ponuntur. Illud, opinor, moneri non necesse est; cum Diogenes dicitur Laërtius, non a Laërte patre *παργωνυξῶς* esse, sed a Laërte oppido *ἔθνωσ*. Numquam ergo Alyattius, nude et per se poni poterit. Neque porro Alyattici possessivum est, ut autumavit Faber. Quin nihil omnino est, nisi barbarum et exscriptore Monacho dignum. Ut enim ab Achilles *Ἀχιλλεῖος*, Achilles, ab Orestes Oresteus, a Bellerophon Bellerophontes ducitur, non Achilles, Oresticus, Bellerophonticus: ita ab Alyattes Alyatticus possessivum fuerit, numquam Alyatticus. Satis tamen est conantem aliquid cum Fabro excidere, quam ignavo adeo cum ceteris in insula lectione conquiescere. Recte quidem rescribere poteris in hunc modum, „*Quam si Mygdoniis regnum Alyattium*“: ut supra vidimus *Laertia regna* Virgil. Aen. III, 272. Sed vide hic Interpretum diligentiam: altum apud eos silentium est de varietate lectionis: et tamen vix unum esse crediderim eodiem paulo vetustiorum, qui *Alyattici* praeferat. Leidensis noster, cum alio *Alyathii*, Graevianus a prima manu, *Alyathii*, Regiae Societatis, *Haliati*, Bodleianus *Aliathii*. Quid multa? rescribe vero illico, „*Quam si Mygdoniis regnum Alyattei Campis continuem.*“ *Alyattes Alyattei*: ut Noster Epod. XVII, 14. „*Heu pervicacis ad pedes Achillei.*“ v. 16. „*Laboriosae remiges Ulixei.*“ *Regnum autem Alyattei*, ut Carm. I, 12, 34. „*Pompili regnum.*“ I, 15, 8. „*Et regnum Priami vetus.*“ Serm. I, 6, 9. „*Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum.*“ Sine dubio aut *Alyattium*, aut *Alyattei* reponendum: utrumvis autem feceris, mihi quidem perinde est.

4. *Fastos* iam inde a Prisciani temporibus variatum erat in Codicibus, quorum alii *Fastus* habebant, alii *Fastos*. p. 711. „*Fastus, quando a Fastidio est verbo, quartae est: quando vero pro Annali accipitur, a Fastis et Nefastis diebus sic dictum, frequentius secundae est. Invenitur tamen et quartae.*“ Lucanus in X. [v. 187] *Nec meus Eudoxi vincitur fastibus annus: quod tamen errore Lucani prolatum dicit Servius in Comment. III. lib. Virgil.* [Aen. III, 326] *cum antiquiores quoque similiter idem protulisse inveniuntur.* Ovidius *Fastorum inscripsit libros.* Nam apud Horatium duplicem invenio scripturam et *Fastos* et *Fastus*, in III Carm. Per memores genus omne fastos: et *fastus* in aliis codicibus. Haec Priscianus. Certe vetusti nostri Graevianus, et a prima manu Reginensis hic praeferunt *Fastos*: ubi emendatum postea *Fastos*. At in Carm. IV, 14, 4. „*Per titulos memoresque fastos.*“ Reginensis clare *Fastos*; et Graevianus a prima manu: sed correctum postea *Fastus*. Utrum ab Horatii calamo fuerit,

5 Auctore ab illo ducit originem,
 Qui Formiarum moenia dicitur
 Princeps, et innantem Maricae
 Litoribus tenuisse Lirim
 Late tyrannus) eras foliis nemus
 10 Multis, et alga litus inutili
 Demissa tempestas ab Euro
 Sternet; aquae nisi fallit augur

v. 5. Vulg. *Ducis*.

scire hodie non possumus, neque flocci quidem interest. Vide, si libet, Nie-
 Heinsium ad Claudian. IV. Cons. Honor. vers. 155.

5. *Auctore ab illo ducis originem*] *Ducis* habent omnes ubique libri,
 tam scripti quam editi. Ego vero iam olim praevideram corrigendum esse
ducit, priusquam in Danielis Heinsii notulam incidissem. Certe is iam ab
 annis prope centum emendavit hunc locum; neque tamen ullus postea ex
 Editoribus aut secutus est eius correctionem, aut omnino mentione dignatus
 est. Quid est, si haec non infelicitas est? In toto Horatio vix iterum
 tertiumve bene coniecit vir magnus quidem, sed iratis Musis hic operatus:
 et tamen una haec capitalis emendatio probatorem non invenit. Quod eo,
 opinor, accidit, quia (quod iure mireris) ne verbulo quidem rationem ullam
 castigationis suae reddidit. Nos eius vicem illud, ut possumus, explicare
 conabimur. Vide itaque totum locum, ut libri cum nunc exhibent: „*Aeli*,
vetusto nobilis ab Lamo, (Quando et priores hinc Lamias ferunt Deno-
 minatos, et nepotum Per memores genus omne fastos) Auctore ab illo
ducis originem Qui Formiarum moenia dicitur Princeps, et innantem
Maricae Litoribus tenuisse Lirim Late tyrannus. Cras foliis nemus Multis
— Dum potes, aridum Compone lignum; eras genium mero Curabis.“
 Considera nunc, sodes, oeconomiam carminis: Tu, *Aeli Lamia*, a vetusto
Lamo denominata; tu, inquam, *originem ducis a Lamo illo Formiarum*
rege: eras magna pluvia erit: ligna sicca, dum licet hodie, sub tecto re-
 pone: eras enim domi bibes otiosus, quia ob pluviam foras exire non po-
 teris. Nonne iam vides absurdum et ineptum esse, quod in medio incul-
 catur? Adeone directo et in os laudandus erat ob nobilitatem *Lamia*, ut
 rem leviculam de lignis inferret? *Oh! tu antiquis regibus oriundus es:*
cura, obsecro, ut ligna componantur. Hoccine ut laudemus hodie, et
 tanquam pulchrum et decorum admiremur? Vah, quam indignaretur Hora-
 tius, si ad vivos redire posset. Quia tu Heinsii lectionem iam contemplare;
 ut nova lux exoriatur; ut novus color sententiae accedat: „*Aeli vetusto*
nobilis ab Lamo, (Quando et priores hinc Lamias ferunt Denominatos;
 et nepotum Per memores genus omne fastos Auctore ab illo ducit origi-
 nem, Qui Formiarum moenia dicitur Princeps, et innantem Maricae Li-
 toribus tenuisse Lirim Late tyrannus) eras foliis nemus“ etc. Ubi *genus*
omne est casu recto: et priores *Lamiae*, et *genus omne nepotum per*
longam fastorum seriem, ducit originem a Lamo illo, qui primus For-
miis regnavit. Sic autem ordo et constructio est: *Aeli*, inquit, *Lamia*,
eras pluvia erit tempestas; cura, ut ligna habeas in parato, quia domi
manendum. Non illa putida iam interveniunt; neque enim *ῥιπογονίεως*
 et ex professo, sed obiter et per parenthesis inferuntur, quae ad *genus* et
 nobilitatem *Lamiae* spectant. Ceterum totum huius emendationis laudem
 sibi servet Heinsius; mihi forte aliunde supererit, quo nomen pretiumque
 hominis de Horatio non male meriti nancisci et tueri possim.

7. *Et innantem Maricae*] Nescio quid velit Heinsius, qui in utraque
 sua editione *Maricae* rescribi iubet: nisi forte a Typographo mendum est,
 quod auctoris oculos effugerit. Certe praeter omnes Codices, ita habet et

Annosa cornix. dum potis, aridum
 Compone lignum: eras genium mero
 15 Curabis, et porco bimestri,
 Cum famulis operum solutis.

XVIII.

AD FAUNUM.

Faune, Nympharum fugientum amator,
 Per meos finis et aprica rura
 Lenis incedas, abeasque parvis
 Aequus alumnis:
 5 Si tener pleno cadit haedus anno,
 Larga nec desunt Veneris sodali
 Vina craterae; vetus ara multo
 Fumat odore.
 Ludit herboso pecus omne campo,
 10 Cum tibi Nonae redeunt Decembres:
 Festus in pratis vacat otioso
 Cum bove pagus:

v. 13. Vulg. *Potes*.

Servius ad Virgil. Aen. VII. 47. Ceterum *Lirim* non *Lirin* edidimus, cum
 editiones veteres secuti, tum et codices scriptos. Nam in Italicis nomini-
 bus amant potius terminationem Latinam; ut Virgilius, [Aen. VII. 715]
 „*Qui Tiberim Fabarumque bibunt*“: [Georg. I. 499] „*Qui Tuscum Tiberim,*
et Romana palatia servas.“

13. *Dum potes*] Tres veterissimi nostri, Leidensis, Graevianus, et a prima
 manu Reginensis, *potis*, non *potes*. Sine dubio ab Horatii incede: unde
 enim bonis illis Librariis nummum tam rarae notae? *Dum potis, ἔως*
ἔξιστην, ἔως δευτέρων ἑσπέρων, Virgilius Aen. III. 670. „*Ferum ubi nulla*
datur dextram adfectare potestas, Nec potis Ionios fluctus aequare se-
quendo.“ Arnobius saepe, ut lib. I. [c. 31] „*De quo (deo) nihil dici et*
exprimi mortalium potis est significatione verborum.“ et II. [c. 13]
 „*Quantum fieri potis est.*“ [c. 50] „*Neque enim contrarium insitum esse*
contrario potis est.“ et VI. [c. 9] „*Si quid fieri potis est iniuriosius,*
contumeliosius, durius.“ Vide Interpretes ad Lucretium et Catullum.

12. *Cum bove pagus*] *Pagus* habet Editio Veneta, at Loscheriana
pardus. „*Festus in pratis vacat otioso Cum bove pardus. Inter audaces*
lupus errat agnos.“ Et sane mirum est, ut per omnes fere Codices gras-
 satus sit ille *pardus*. Ita Petrensis noster, Regiae Societatis, Magdalenensis,
 Vigorniensis, Battelianus, a manu secunda Reginensis, et pro varia lectione
 Leidensis, Graevianus et Colbertinus. Vide autem, et rido Monachorum
 ingenium. Quia illud sequebatur de *Lupo inter agnos innocuo*, faceti
 homines commutarunt *Pagus* in *Pardus*, ex Esaias capitulo XI, vers. 6.
 „*Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hodo accubabit: vitulus et*
leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos.“ Nullus
 dubita, quin ex sacro hoc fonte derivata sit ea lectio; et miror equidem
 neminem ex Interpretibus hoc animadvertisse. Quamquam autem insulse
 admodum et pene impie huc translata sit ea scriptura; mirifice tamen pla-
 cuit commentum, et ex quo primum excogitatum est, membranas fere omnes
 pervolvitavit, ut iam vidisti. Eia vero: unde in Italia *Pardus*, qui extra

Inter audaces lupus errat agnos:
Spargit agrestis tibi silva frondes:
15 Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pedē terram.

XIX.

AD TELEPHUM.

Quantum distet ab Inacho
Codrus, pro patria non timidus mori,
Narras, et genus Aeaci,
Et pugnata sacro bella sub Ilio:
5 Quo Chium pretio cadum
Mercentur, quis aquam temperet ignibus,
Quo praebente domum, et quota
Pelignis caream frigoribus, taces.
Da Lunae propere novae,
10 Da noctis mediae, da, puer, auguris
Murenae: tribus aut novem
Miscentor cyathis pocula commodis.

v. 12. Vulg. *Miscentur.*

Africam Asiamque non nascitur? quid porro est pardus *festus* et *vacans*, hoc est, feriatius et operum solutus? An *pardi* ad agros colendos et opus rusticum adhibentur? Recte vero *Festus pagus* cum antiquioribus codicibus, ut Ovidius *Fast.* I. 667. „*Illice, da requiem terrae, semente peracta: Da requiem, terram qui coluere, viris.* Pagus agat festum: pagum *lustrate, coloni: Et date paganis annua liba sociis.* Porro illud non omittendum, male rem gerere hic Interpretes, cum per totum carmen *σι τῶν ζώων ἢ ἀπὸ κοινῆς* a communi singulis sententiis praepouunt: *Propitius sis, O Faune; si haedus, et vinum, et ara rite tibi adsint.* Haecenus recte habet, sed pergunt et continuant; *si pecus ludit, si festus pagus est, si lupus inter agnos, si silva spargit frondes, si fossor saltat.* Quae omnia prava et inepta sunt. Vide enim: „*Inter audaces lupus errat agnos:* Lenis esto, O Faune, si pietate mea ita merui, si sacra tibi sollempnia feci, *si lupus inter agnos errat innocuus.* Quid? an hoc Horatii meritum erat? immo Fauni beneficium. Quamobrem, post versiculum octavum *Fumal odore*, pleno puncto, ut in nostra editione, distinctio facienda est: et quae deinceps sequuntur, sunt Fauni laudes; *Tibi pecus ludit, Tu facis, ut lupus erret ete.* Idem de Fauno praedicat *Carm.* I. 17.

7. *Quo praebente domum et quota*] Quota habent et scripti et editi: neque loco movendum est. *Quota hora* ad cenam veniam? octava, an nona, vel quando? *Invenal.* I. 49. „*Exul ab octava Marius bibit, et fruitur diis Iratis.*“ Noster *Epist.* I. 7, 71. „*Post nonam venies: nunc i, rem strenuus auge:*“ Poterat tamen, si Manuscripti acceperunt, aequè comode legi *quotus*, ut *Epist.* I. 5, 30. „*Tu quotus esse velis, rescribe.*“ et *Martialis* XIV, 217. „*Dic, quotus et quanti cupias cenare; nec unum Addideris verbum: cena parata tibi est.*“

12. *Miscentur cyathis*] Recte hunc locum cepit Nic. Heimsius, qui in exemplaris sui margine, *Lego*, inquit, *Miscentor*. Quod et ante eum fecerat vir ingeniosus Ianus Rutgersius in *Lectionibus Venusinis* cap. VII. Posteriores tamen glande vesci maluerunt, quam repertas hic fruges agno-

Qui musas amat inpaes,
Ternos ter cyathos attonitus petet
15 Vates: tris prohibet supra
Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis iuncta sororibus.
Insanire iuvat: cur Berecynthiae
Cessant flamina tibiae?
20 Cur pendet tacita fistula cum lyra?
Parentis ego dexteras
Odi: sparge rosas: audiat invidus
Dementem strepitum Lycus,
Et vicina, seni non habilis Lyco.

score. Vide vero integrum locum; „*Da Lunae propere novae, Da Noctis mediae, da puer, auguris Murenae: tribus aut novem Miscentor cyathis pocula commodis.*“ Omnia hic pro imperio iubet, *Da, da, da, miscentor*, quasi Magister, aut, ut Plautus ait [*Stich.* V, 4, 20], *Strategus convivii.* Quo etiam ducit nos glossa codicis Batteliani, „*Miscentur, propinentur.*“ Certe iacet languetque illud *miscentur*: neque vero puer *iniussus* tres vel novem cyathos miscere ausus fuerit. Illud quoque recte Rutgersius, „*cyathis commodis*, id est, plenis.“ *Tribus autem cyathis* cave intelligas *tribus poculis*, quod ineptam orationem efficeret. *Cyathus* quippe hic *mensura* est, non poculum, ut saepe apud Graecos Latinosque, praesertim medicos. *Miscantur*, inquit, pocula capientia vel tres vel novem cyathos, *χορηγία ἢ ἰσθὴς ἢ λυρία ζωδῶν*, quae uno spiritu a potioribus exhauriantur. Neque enim cyatho novies hausto compositio finita erat, ut male hic vulgo intelligunt; quippe *Carm.* III, 8, 14. centum cyathi deplendi erant, „*Sume, Maecenas, cyathos amici Sospitis centum*“; imo trecenti et plures apud Ovidium in *Fastis*, loco ibi citato. Ceterum, non male codex Magdalenensis, „*Murenae: aut tribus aut novem.*“ ut *Carm.* proximo [v. 15], „*Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa Raptus ab Ida.*“ atque alibi passim. Saepissime prius *Aul* a Librariis omissum est; ubicumque scilicet versus ratio sinebat: ut suis locis indicabimus. *Aul* tres, inquit, aut novem cyathi uno haustu ebibantur: utrum vultis? Vos poetae, Musarum clientes, *novem*, credo, petetis: alii potius *tres* ad numerum Gratiarum. Digna autem sunt, quae hic ponantur, verba Ausonii Praefat. ad *Griphum.* „*In expeditione, quod tempus, ut scis, licentiae militaris est, super mensam meam facta est invitatio; non illa de Rubrii convivio, ut Graeco more biberetur; sed illa de Flacci Ecloga, in qua propter mediam Noctem, et novam Lunam, et Murenae auguratum, Ternos ter cyathos attonitus petit vates.*“

17. *Nudis iuncta sororibus*] *Iuncta* habent et Editiones, et Scripti, quod sciam, omnes. Theodorus tamen Marcellius, „*Melius*“ inquit, „*habent Membranae, Nudis iuncta sororibus*“: vinculum enim sive nodus *Gratiarum est, ut mox Carm.* XXI [v. 22], „*Segnesque nodum solvere Gratiae.*“ Ubi vereor equidem, ne quod ipse cupiit, id in membranis vidisse sibi visus sit. Sed esto, ut codex aliquis habuerit *iuncta*; facilis enim est lapsus in tam obscuro discrimine: tamen et inepta lectio est, et plumbeum Marcellii argumentum. Nam et *nodo* et *vinculo iunctus* dicitur, aequè ac *vinculus*. Plinius *Hist.* XI, 67. [§ 177] „*Cervix, ad circumspectum, articulorum nodis iungitur.*“ Plinius alter *Epist.* X, 11. „*Rosianum Geminum, domine, aretissimo vinculo necum tua in me beneficium iunxerunt.*“ Ita *iungi et copulari*, Cicero aliique. Quare recte habet *iuncta*; ut *Carm.* I [4 v. 6], „*Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes.*“

24. *Et vicina seni non habilis Lyco*] Codex Blandinius Cruquii omnium

vetustissimus *habili*; ceteri cum editionibus priscis, *habilis*. Illud *habili* placuit sagacissimo Rutgersio; ut Lyeus inhabilis dicatur uxori, senex nempe iuenculae. Neque vero negandum est, etsi *habilis* sit nomen relativum et quasi reciprocum, illud tamen ex duobus *inhabile* plerumque dici, cuius culpa vel vitio *habilitas* mutua impeditur. Quandoquidem igitur per Lyci senectutem stetit, quo minus alter alteri *habiles* essent; non illa Lyeo, sed Lyeus illi *non habilis* dicendus fuit. Ita Virgil. Georg. III. 62. „*Cetera nec feturae habilis, nec commoda Baccho*“*); Martialis XIII. 22. „*Non habilis cyathis, et inutilis uva Lyaeo*“: suo scilicet vitio *non habilis*. Ovidius Amor. I. 8. [v. 40] „*Forsitan immundae, Tatio regnante, Sabiniae* Noluere *habiles pluribus esse viris*“: id est, sua illuvie *non habiles*. Valer. Flaccus VII. 231. „*Fas mihi non habiles, fas et tibi linquere Colchos*“: nempe ob caeli inclementiam et incolarum barbariem nobis *inhabiles*. At quia praestantissimus Nic. Heinsius *stabiles* ibi legit, non *habiles*, cum ad Ovidii Pont. II. 9 [v. 29], tum ad ipsum Valerium; pretium operae erit locum integrum describere: ubi Circe, sive Venus sub Circe imagine, sic suadet Medae, ut Colchos relinquat. „*Omnibus hunc potius communem animantibus orbem, Communes et crede deos: patriam inde vocato, Qua redit itque dies: nec nos dis nata malignis Luserit hoc crudo semper sub frigore messis: Fas mihi non stabiles fas et tibi linquere Colchos.*“ Ita praefertur in Heinsii editione posthuma: temerarie sane, et infeliciter. Quid enim *Messis* ad Medeam et Circeam? an agriculturalum uxores erant? quid autem *messis* sub *frigore*? *messis* quidem et *frigus* plane contraria sunt, [Virgil. Ecl. 5. 70] „*Ante focum, si frigus erit; si messis, in umbra.*“ Tum illa, *Luserit, crudo, stabiles*, omnia nituntur solâ coniecturâ. Equidem ex variis Codicum scripturis, quas apud ipsum Heinsium videre est, sic locum restituerim; „*nec nos, ô nata, malignus Cluserit Arctoo semper sub frigore Phasis: Fas mihi non habiles, fas et tibi linquere Colchos.*“ Clarâ per se sententiâ: *O nata*, (ita Circe Medeam compellat, quippe soror Aetæae, Medæae patris: unde paullo post vers. 242. Medea eam *Matrem* vicissim vocat) *Omne*, inquit, *solum patriam voca: neque angustus invidisque hic Phasis sub gelida Arcto semper nos cluserit; quin potius alias regiones petimus magis habiles, magis aptas nobis, et accommodas.* Nihil ingenio hic permisimus; nisi quod pro *hoc uno*, quod Scripti exhibent, *Arctoo* dedimus. *Sub Arctoo frigore*, ut Lucanus X. 250. „*Frigore ab Arctoo medium revocata sub acem.*“ et VIII. 363. „*Omnis in Arctois populus quicumque pruinis nascitur.*“ Vel, si ita mavis, retinere licet *hoc uno*, et sic versum refringere: „*Cluserit hoc uno semper sub cardine Phasis*“: ut Ovid. Pont. II. 10. [v. 45] „*Ipsae quidem extremi cum sim sub cardine mundi.*“ et Silius IV. [v. 781] „*io, conitur, quocumque in cardine mundi Bella moves.*“ Possis quoque *hoc mundi pro hoc uno*. Sed haec obiter. Nunc ut ad Nostrum revertamur: quamquam, ut vidisti, usitatius sit, ut ex duobus id quod vitio laborat, *inhabile* alteri dicatur; tamen in illa lectione „*Et vicina seni non habili Lyco*“, id erit incommodi, quod *vicina* nullo tum modo *uxorem* significet: quod Rutgersianae correctionis est unicum fundamentum. Ille quidem ex Iuvenali id conatur, Sat. VI. 509. de mala uxore; „*Nulla viri cura interea, nec mentio fiet Damnorum, vivit tamquam vicina marito.*“ Sed tuam fidem, vir clarissime! an quia *tamquam vicina* vivit rei familiaris neglegens uxor, ideo *vicina* absolute *uxorem* significaverit? quid si simili sententia dixeris, *tamquam vipera, vel canis*? an ea nomina per se *posita uxorem* notabunt? Quin omnino *vicina* apud Horatium est *vicina nobis*; adeo ut *strepitum audire* possit ex vicinia: et cum addit, *non habilis seni Lyco*, inde demum colligimus, uxorem eam fuisse Lyci. Reete igitur se habet fere omnium codicum scriptura, „*Et vicina, seni non habilis Lyco*“:

* [Georg. III. 62; „*Cetera nec feturae habilis, nec fortis aratrix*“: ib. IV. 129; „*Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho*“.]

25 Spissa te nitidum coma,
Puro te similem, Telephe, vespero,
Tempestiva petit Rhode:
Me lentus Glyceræ torret amor meae.

XX.

AD PYRRHUM.

Non vides quanto moveas periculo,
Pyrrhe, Gaetulæ catulos leacnae?
Dura post paullo fugies inaudax
Proelia raptor:

v. 27. Vulg. Petit *Chloe*.

non habilis, hoc est non apta, non par, non conveniens; relativorum enim, ut dixi, reciproca significatio est: si Lyeus uxori non *habilis* est; tum vicissim uxor non *habilis* est Lyeo. Potes et *non habilis* explicare, non tractabilis; quae a seno marito regi et gubernari non potest: [Euripides Phoenice, fragm. 1 Dind.] *ἑσπώρα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γονί. Viro enim seni nupta, non uxor, sed domina est.* Patereulus II. 113. „*Cum eum (exercitum) maiorem, quam ut temperari possit, neque habilem gubernaculo cerneret, dimittere statuit.*“ Porro Aeron, quem ad partes suas trahere conatur Rutgersius, in mendo cubat: „*uxor quae seni puella inhabili coniuncta esset: unde et zelum eius ostendit, dum inhabilem dicit.*“ Pro *inhabilem* recte Cruquii Aeron, et MStus Regiae Societatis *invidum*. Tum autem pro *inhabili* corrigendum esse *inhabilis* ipse ordo et compositio satis ostendit.

27. *Tempestiva petit Chloe*] Ita Veneta et Loscheri, unde in sequentes editiones est propagatum. At bona pars membranarum, non *Chloe*, sed *Rhode*. Sic ex nostris Leidensis, Reginensis, Petrensus, Regiae Societatis, Vigorniensis: Colbertinus autem cum Lambini quibusdam, *Rhoda*. Sine dubio vera lectio est: unde enim Librariis in mentem venire potuit? At *Chloe* ex Carm. I. 23. III. 7, 9, 26. huc traducta est, quia *Rhode* aliunde iis ignota erat. *Rhode* Libertinarum cognomen non semel occurrit: Marmora Felsinea p. 415. D. M. T. OCTAVIUS. THALLUS. ET. VIBIA. RHODE. Gruterus. p. 716, 6. ULP. RHODE. Idem p. 475, 5. TITIA. RHOPE. MATER. corrige ibi, RHODE. Act. Apostol. XII. 13. *προσῆλθε παιδισκίᾳ ἑπακοῦσαι, ὁρᾶται ΡΟΔΗ*. Menander [pag. 87 Meineke]: *Ἄλλ' ἔστι τόλμης καὶ βίον ταύτ' ὄργανα, Εὐρημέν' ἀνθρώποις ἀναδέσσει, ΡΟΔΗ, Εἰς κατεγύλωτα τῷ βίῳ πεπλασμένα.*

1. *Non vides quanto moveas periculo*] Silent hic interpretes; sed Bodleianus Noster, pro *periculo*, *tumultu* habet; et pro varia Scriptura Leidensis, Reginensis, et Colbertinus. Neque aliter codex Henrici Stephani, ut in Praefatione sua monuit. Utrumque probe. *Quanto tumultu moveas*, hoc est, quantum tumultum excites, dum moves. Sic infra Carm. III. 27, 17. „*Sed vides quanto trepidet tumultu Pronus Orión.*“ ubi omnia fere paria sunt et plane gemina. Sed non levis suspicio est, ex posteriore hoc versu traductum esse a Studioso quodam illud *tumultu*: quare nihil muto: nam et Diomedes p. 524. habet *Periculo*.

3. *Dura post paullo*] Primariae Editiones, Loscheri et Veneta, *Post paulum*, non *Postpaullo*. Atque ita Graevianus noster, Galei, et Magdalenensis. Sed recte habet, ut nunc editum. Ita Noster alibi bis vel ter: ita Sallustius, Caesar, Tacitus, aliique. Vide Gronovium ad Livii XXII. 60 [§ 16]. Porro versum 14, „*Sparsum odoratis humerum capillis*“, ad se

- 5 Cum per obstantis iuvenum catervas
Ibit insignem repetens Nearchum:
Grande certamen, tibi praeda cedat
Maior, an illi.
Interim, dum tu celeris sagittas
10 Promis, haec dentis acuit timendos,
Arbiter pugnae posuisse nudo
Sub pede palmam
Fertur, et leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis:
15 Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa
Raptus ab Ida.

XXI.

AD AMPHORAM.

- O nata mecum consule Manlio,
Seu tu querelas, sive geris iocos,
Seu rixam et insanos amores,
Seu facilem, pia testa, somnum:
5 Quocumque lectum nomine Massicum
Servas, moveri digna bono die;
Descende, Corvino iubente
Promere languidiora vina.

transtulit Ovidius Fast. II, 309. „Ibat odoratis humeros perfusa capillis
Maeonis, aurato conspicienda sinu.“

5. *Quocumque lectum nomine Massicum*] Vix alius est locus, in quo infelicis se gesserint Interpretes: expendamus modo sententiam integram: „O nata mecum Consule Manlio“: ubi disertis verbis narrat vinum, quod iam poturus erat, pressum et diffusum esse, Consule Manlio Torquato, quo anno et ipse natus est. Id enim in more erat, ut festo et bono die eadem vini emerent biberentque eiusdem qua ipsi actatis; ut et Epod. XIII, 6. „Tu vina Torquato move Consule pressa meo.“ Sequitur hic deinde, „Seu tu querelas, sive geris iocos, Seu rixam et insanos amores, Seu facilem, pia testa, somnum“: quae omnia plana sunt, nisi quod epitheton illud non placeat, *pia testa*. Quomodo enim *pia*, si querelas forte vel rixam gesserit? Hoc tamen patienter admiserunt nimis aequi Interpretes. Tu vero verba accipe, quasi sic interpungerentur, „Seu facilem, pia, Testa, somnum.“ *Pia* enim non omnibus illis conditionibus ex aequo communicandum est, sed ad ultimam illam restringendum. *Pia* quidem, si *facilem somnum* attuleris; sin *querelas aut rixas, impia* potius. Iam sequitur porro: „*Quocumque lectum nomine Massicum Servas, moveri digna bono die*“: hoc est, ut nunc dierum explicatur, cuiuscumque Consulis nomen et annum feras. Quid audio? nonne iam dixerat, *O nata mecum Consule Manlio*? quomodo ergo nunc, *Quocumque Consule nata*? quae haec inconstantia est, et inepta vacillatio? At, inquit, corrigere quodammodo errorem videtur: temere enim affirmare visus est, Manlio Consule natam fuisse. Utinam vero ipsi suas chartulas corrigere vellent, neque tam frigidas excusationes Horatio commodare. Certe non placuerunt celeberrimo Daciero: sed et ipse suo acumine ludum risumque praebet, cum prius de *amphora*

Non ille, quamquam Socraticis madet
10 Sermonibus, te neglegit horridus.

v. 10. Vulg. *Negliget*.

interpretatur, posterius de *vino*: adeo, ut *testa* quidem a figulo facta sit, Manlio Consule: vinum autem testae infusum, consule alio nescio quo. Quid, amabo? an tanti erat sine vino amphora, ut quo anno a rota exierit, memoratu fuerit dignum? Certe non Testae, sed Vini aetas inseribi solebat cadis: ut Galenus [vol. XIV p. 25 Kühn], a Marcello hic citatus, *Οἶνον τῶν Φαλακρίων ἐκείνου τὴν ἡλικίαν ἀναγνώσκων ἐπιγεγραμμένῃ τοῖς κεραμίσι*. Quid quod novis testis nova vina condebant, ut ineptum sit alio consule natam dicere Testam, alio Massicum. Sin aliter; unde tum noster aetatem Testae scire potuisset? Quanto his meliora protulit Scholiastes Aeron, si bene momenti obtemperassent: „*Quocumque nomine; ex omnibus supradictis, sive ad iocos, sive ad querelas, et cetera*.“ Nihil verius: aut enim haec verborum sententia est, aut nulla est. Dixerat: *seu querelas, sive iocos, seu amores, sive somnum geris, o Testa*; deinde infert; *quocumque ex his nomine Massicum servas, digna certe ob vetustatem et pretium bono die moveri, descende. Quocumque nomine, hoc est, quocumque titulo, quacumque conditione*. Sic *eo nomine* passim occurrit. Tacitus Annal. XIV, 59. [extr.] „*Decretae eo nomine supplicationes*“; id est, *eo titulo, ea causa*. Suetonius Galba, 16. „*Subinde iaculavit, Legere se militem, non emere consuesse: atque eo quidem nomine omnes, qui ubique erant, exacerbavit*.“ Fateor equidem exempla haec non ex omni parte similia esse verbis Horatii: neque quicquam legisse memini, quod ad amussim iis respondeat. Nam Catulli illud Epig. XXXV. [v. 21] ad Dianam, „*Sis quocumque placet tibi Sancta nomine*“, aperte et proprie dictum est; seu *Lucinae*, ait, nomine, seu *Triciae*, seu *Lunae*, sive quocumque alio vocari mavis. Verum utcumque verba Flacci procedant, stentve cadantve: illud certum et compertum maneat, non aliam esse sententiam, quam quae ab Acone prodita est. Quod si quid in verbis mutatum velis; est in promptu et ad manum, quod commode substitui possit. Compellat enim *Testam* hic Noster, tamquam si *Dea* quaequam fuerit, ut vere observavit Dacierius; seu *geris querelas, sive iocos*, vel aliud quid: unde ego sic potius, quod sequitur, intulisses, verbis quidem aliis, sed sensu eodem; „*Quocumque factum numine Massicum Servas, moveri digna bono die. Quocumque nomine factum, hoc est, quacumque potestate praeditum, sive quae querelas excitet, sive quae amores etc.* Et iusta, ni fallor, metaphora est, et ad audacem Flacci indolem accommodata. Paucis tamen, opinor, probabitur, quia coniecturae nomine nunc venit: quod si e Manuscripto aliquo alio modo prodiret, quibus plausibus exciperetur!

10. *Te negligit horridus*] *Neglegit* habent Editiones, et codices plerique: at Leidensis noster veterrimus cum Petrensi, *neglegit*. Quamquam non multum interest, tamen ex duobus hoc potius Horatii esse crediderim. *Non negligit te Corvino*; hoc est, non negligere solet; sed interdum genialiter se mero invitat. Inde et excusatio: quod et ita Cato ille Censorius saepe solebat. At rogas, quomodo *neglegit* sive negligere solet Testam, quam nondum viderat? Atqui hoc nihil est: animadvertis enim, iam de hac *testa* ita loqui Nostrum, quasi si de *vino* generatim loquatur. Tu *admovebis*, ait, leno tormentum; non *admovebis*: tu *retegis* curas sapientium: „*Tu spem reducis mentibus ancillis Viresque, et addis cornua pauperi*.“ Quid autem? an *ancillae* illi et *pauperes* cenaturi erant apud Horatium, ut vino ex hac *Testa* depromto curas metusque cluerent? nullus dixeris. Quamobrem, ut iam dixi, non de una hac *testa*, sed in universum de *vino* loquitur: quod non observatum bonis Librariis fraudi fuit, ut locum corrumperent.

Narratur et prisca Catonis

Saepe mero incalescere virtus.

Tu lenis tormentum ingenio admoves

Plerumque duro: tu sapientium

15 Curas et arcanum iocoso

Consilium retegis Lyaco:

Tu spem reducis mentibus anxii,

Viresque; et addis cornua pauperi,

Post te nec iratos trementi

20 Regum apices, neque militum arma.

v. 12. Vulg. *Caluisse*. 19. *Neque*.

12. *Saepe mero caluisse*] *Caluisse* praefertur editiones omnes, neque aliter, quod sciam, Membranae. Et ferri quidem potest: sic enim Ovidius Fast. III, 531. „*Sole tamen vinoque calent.*“ et Statius Theb. V, 263. „*siquando profundo Nubigenae caluere mero.*“ Tamen et ex coniectura prius emendaveram, et postea a vetere Grammatico Mario Victorino p. 2606. sic clare citatum repperi, „*Narratur et prisca Catonis Saepe mero incalescere virtus.*“ Omnino melius: nam et versus sic suavius ad aures accidit, et ea germanae Latinitatis dictio est. Livius I, 57. [§ 8] „*Incaluerant vino.*“ Idem XXXIX, 42. [§ 10] „*Forte epulantibus iis, cum iam vino incalescent.*“ Tacitus Annal. XI, 37. „*Claudius domum regressus, et tempestivis epulis [delentis], ubi vino incalevit.*“ Idem Hist. IV, 29. „*simul epulantes, ut quisque vino incaleverat, ad pugnam temeritate inani ferebantur.*“ Curtius, V, 22. [c. 7 § 5] „*Omnes incaleverant mero: itaque surgunt temulentum ad incendendam urbem, cui armati pepercerant.*“ Martial. IV, 66. [v. 12] „*Incalevit quoties saucia vena mero.*“ Deinde et illud vide: si *caluisse* legis, tum *virtus Catonis* erit *περιφραστῆς ipse Cato*; ut hoc dicat duntaxat, Catonem saepe largiore vino usum esse: at in altera lectione maius aliquid meliusque dicit, *virtutem* nempe eius *incalescere*, sive *excitatum et auctam esse*: quae et vini et Catonis amplior laus est. Ita Lucan. VI, 240. „*Incalevit virtus; atque una caede reflectus, Solvat, ait, poenas.*“ etc. Ovidius Pont. III, 4. [v. 30] „*Plausibus ex ipsis populi laetique favore Ingenium quodvis incalescere potest.*“ Porro illud quod sequitur,

13. „Tu lenis tormentum ingenio admoves Plerumque duro“ Interpretes ad Catones et severiores illos referunt; ut rigida atque aspera ingenia leniri vino et emolliiri dicantur. Neque repugno, quin hoc voluerit Horatius. Nam et revera ea vini vis est, et eo sensu *ingenium durum* dixit Terentius, Phorm. III, 2. [v. 12] „*Adeo esse ingenio duro te atque inexcitabili?*“ et contra, *ingenium lenis*, Heautont. I, 1. [v. 99] „*Ingenio te esse in liberos leni puto.*“ Poterit tamen et alia esse verborum sententia, quae non ad Catones, sed ad poetas, atque adeo ipsam Horatium spectet. Quippe *ingenio duro* esse dicitur seu poeta seu orator, qui arida et difficili vena est, qui non *εὐφρενός*, non pollens inventionem et copia. Seneca Epist. LVIII [§ 7], ubi negat *τὸ ὄν* Latine verti posse: „*Magis damnabilis angustias Romanas, si scieris unam syllabam esse, quam mutare non possum, τὸ ὄν.* Duri tibi videbor ingenii; in medio positum; posse sic transferri, Quod est.“ Ita dura memoria dicitur eodem plane sensu. Quintil. Inst. XI, 2. [§ 48] „*Si vero aut memoria naturam durior erit, aut non suffragabitur tempus, etiam inutile erit ad omnia te verba alligare.*“ Sic et Noster *dura natura* de Lucilio, Serm. I, 10, 57. „*Quaerere, num illius, num rerum dura negavit Versiculos natura magis factos et cunctos Mollius.*“ Iam ergo, eiusmodi ingenium, durum plerumque et siccum, ubi

Te Liber, et, si laeta aderit, Venus,
Segnesque nodum solvere Gratiae,
Vivaeque producent lucernae,
Dum rediens fugat astra Phoebus.

XXII.

IN DIANAM.

Montium custos nemorumque, Virgo,
Quae laborantis utero puellas
Ter vocata audis, adimisque leto,
Diva triformis;

5 Imminens villae tua pinus esto,
Quam per exactos ego lactus annos,
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

XXIII.

AD PHIDYLEN.

Caelo supinas si tuleris manus,
Nascente Luna, rustica Phidyle;

Si ture placaris et horna

Fruge Lares, avidaque porca;

5 Nec pestilentem sentiet Africum

Fecunda vitis, nec sterilem seges

Robiginem, aut dulces alumni

Pomifero grave tempus anno.

liberore vino immaduit, facile, fluens, copiosum fieri narrant; et hoc illud est *lene tormentum*, quod obstructam ingenii venam laxat atque aperit. Ovidius Metam. VII, 432. „*agitant convivia patres, Et medium vulgus; nec non et carmina*, vino Ingenium faciente, *canunt.*“ Vide Nostrum Epist. I, 19. Ceterum digna sunt, quae hic adscribantur, verba Maecenatis ex opere quod Symposium inscripsit, apud Servium Virgil. Aen. VIII, 310. „*Physici dicunt ex vino mobiliores oculos fieri: Hoc etiam Maecenas in Symposio, ubi Virgilius et Horatius interfuerunt, cum ex persona Messallae de vino loqueretur, aut id e m vinor (forte legendum, ait; Id et in vino est;) ministrat faciles oculos. pulchriora reddit omnia, et dulcis inventae reducit bona.*“ Quom locum eo libentius adduxi, tum quod Noster et Virgilius ibi nominantur, tum quod accuratissimi Meibomii in vita Maecenatis diligentiam effugerit.

XXIII, 2. *Nascente Luna, rustica Phidyle*] Editiones principes Veneta et Loscheri, *Philyre*. Sed codices, praesertim vetustiores, *Phidyle*, vel *Phidile*. Tu vide, annon reponendum sit, „*Nascente Luna, rustica Phidyli*“: ut sita recto *Phidyli*, *Φειδύλις*, eadem forma, qua *Thestylis, Xystylis, Erotylis, Archylis* apud Terentium [v. Bentl. ad Andr. III, 2, 1], ut ad Ciceronis Tusculanas [III c. 12] correximus; *Hedyli* apud Martialem, ut iam corrigemus, I, 46. [v. 1 et 4] „*Cum dicis, Propero, fac si facis, Hedyli*“ — „*Hedyli, si properas, dic mihi, ne properem.*“ Ubi Ramiresius *Aedila*, Gruterus et Scriverius *Hedyli*; ille nomine errans, hi sexu. Quemadmodum autem ab

Nam quae nivali pascitur Alcido
 10 Devota quereus inter et ilices,
 Aut crescit Albanis in herbis,
 Victima pontificum securim
 Cervice tinguet: te nihil attinet
 Tentare multa caede bidentium,
 15 Parvos coronantem marino
 Rore Deos fragilique myrto.
 Inmunis aram si tetigit manus;
 Non sumtuosa blandior hostia
 Mollivit aversos Penatis,
 20 Farre pio, et saliente mica.

v. 12. Vulg. *Secures*. 19. *Mollibit*.

Ἰδύλος femininum sit *Hedytis*, ita a *Φειδύλος* erit *Phidydis*. Fatendum tamen est, si illud *Phidyte* analogiam servet, gratius libentiusque in Creticum pedem hoc carmen exire, quam in Daetylum.

12. *Pontificum securis*] Pulmanni codex, et Gifanii, quem vide in Indice Lucretii v. *Tinguere*, habent *securim*: atque ita ex nostris Graevianus, Reginensis, Bodleianus, et a prima manu Magdalenensis. Hoc placet, vel ob euphoniā; ne ter continenter in S exeant versus, *ilices, herbis, securis*, quod studiose cavere solet Noster. Prudentius quidem Apotheos, 461, „pontificum festis ferienda securibus illic Agmina vaccarum steterant“: Sed ibi erant plures *vaccæ*; hic *victima* in singulari. Virgil. Aen. II, 223. „*Quales mugitus, fugit cum saucius aram Taurus, et incertam excussit cervicem securim*.“

19. *Mollibit aversos Penates*] Loscherus quidem *Mollibit*, et ex eo recentiores editiones. At Veneta *Mollivit*, atque ita bona pars Codicum, ut ex Cruquianis tres, Bersmanni duo, Pulmanni et Gifanii unus, ex meis Magdalenensis, et a prima manu Reginensis, cum Acone Manuscripto. Certe nemo unus illius aevi Futuros quartae coniugationis in IBO protulit. Quod si ab Horatio hoc praeter morem factum fuisset, sine dubio Grammaticorum veterum quispiam, ut insolitam, adnotasset. Atqui altum apud eos silentium est; quia nimirum in suis codicibus *mollivit* tum legebant. Atque hoc profecto non mos solum loquendi, sed et ipsa sententia postulat: „*Immunis aram si tetigit manus; Non sumtuosa blandior hostia Mollivit aversos Penates, Farre pio et saliente mica*.“ Ubi Praeteritum ponitur in significatione Praesentis, vel potius Perpetui temporis: qualia passim occurrunt apud Graecos Latinosque. Noster Carm. III, 29, 16. „*Plerumque gratiae divitibus vices, Mundaeque parvo sub lare pauperum Cenae sine aulaeis et ostro Sollicitam explicuere frontem*.“ Perpetui, inquam, hoc temporis est, perinde ac si dixisset, *explicant, explicuerunt, explicabunt*. Sic Epist. I, 2, 48. „*Non domus aut fundus, non aeris aceruus et auri Aegroti domini deduxit corpore febres*.“ et alibi: sed verbo monere hoc satis est: plena enim sunt omnia. Ergo sententiose haec proferuntur; neque ad Phidylen duntaxat, sed ad omnes pertinent: „*Immunis aram si tetigit manus*“, *immunis*, non a scelere, ut male aliquot interpretes: quamquam Ovidius in Epist. Hypermetrae [Her. XIV, 8], „*Non piget immunes caedis habere manus*“: nusquam enim reperitur ea vox, *ἀτάκως* et per se posita, pro *experte scelere*: sed *immunis manus*, vacua numeris, sine dono et sumtu; ut Epist. I, 14, 33. „*Quem scis immunem Cinaræ placuisse rapaci*.“ et Carm. IV, [12, 23]. „*non ego te meis Immunem meditor tingere poculis*.“ Si autem hic valet *etsi*, ut bene Theodorus Marcellius:

XXIV.

Intactis opulentior
 Thesauris Arabum et divitis Indiae,
 Caementis licet occupes
 Tyrrhenum omne tuis, et mare Apulicum:
 5 Si figit adamantinos

*Etsi vacua manus aram tetigit: Esto ut vacua manus aram tetigerit: quid tum? quid inde incommodi? „Non sumtuosa blandior hostia Mollivit aversos penates Farre pio et saliente mica“ ubi ordo est, sumtuosa hostia non mollivit penates blandior farre pio, sive, blandius quam far. Ita recte uterque Scholiastes sumtuosa hostia nominativi casus esse monuerunt: quos tamen perperam hic deserunt posteriores, et miras turbellas tum in sententia, tum inter se concitant. Quid autem? an quia versus syllabam longam efflagitat? atqui iidem patienter brevem ferunt, Carm. III, 5, 17. „*Si non perirēt immiserabilis*.“ et praeterea brevis syllaba producit, quia *blandior* a duabus consonantibus incipit; ut apud Catullum passim, et Martialem V, 69 [v. 3]. „*Quid gladium demens Romana stringis in ora*.“ Iam autem, non cum *manus*, sed cum *hostia* coniungi illud *blandior*, vel Ovidius solus evineet, ubi Nostrum imitatus est, Past. V, 300. „*Saepe deos aliquis peccando fecit iniquos: Et pro peccatis*“) hostia blanda fuit.“*

5. *Si figit adamantinos*] Difficilis et intricata sententia est, ut mirum sit, neminem ex Interpretibus vel verbo significasse, se non satis liquido poetæ mentem percipere. *Arabas*, ait, et *Indos dicitis antecedas licet, et utrumque mare aedificiis tuis occupes*: quid tum postea? „*Si figit adamantinos Summis verticibus dira necessitas Clavos: non animum metu, Non mortis laqueis expedit caput*“: hoc est, si necessitas figit clavos summis verticibus, in metu eris, et morieris. Pulchre sane philosophatur. Quid enim? quid si non figat clavos necessitas, nonne morietur nihilo minus? Dura vero interpretum illa, quae hoc concoquere poterunt. Porro, quid sibi illa volunt *summis verticibus*? Respondebunt, *verticibus hominum*; ut necessitatis clavus in divitis huius caput adigatur. Fallitur ergo Horatius: nam ego spondere ausim, cui clavus per cerebrum adactus sit, omni metu liberum et expeditum futurum. At subtilior ceteris Dacierius aedificiorum vertices intelligit; *si necessitas figit clavos summis verticibus aedificiorum, quae Tyrrheni et Apulici maris littora summovent*. Miror equidem, quid Necessitati negotii sit in calminibus aedium. Sed quid deinde? nimirum dives, qui ea extruxit, *consternabitur et morietur*. Itane vero? quin magis, opinor, laeto et tranquillo animo fuerit: nam ominandum potius erat, si clavo suo trabali aedificia fixisset necessitas, ea omnium firmissima fore neque umquam ruitura. Tu vide, annon *vertices ipsorum clavorum* interpretandum sit: *figit clavos summis verticibus*, sive, usque ad summos vertices, summa ipsorum capita. *Clavulos capitulos* habes apud Varronem de Re Rust. II, 9. [§ 15] Deinde totum locum sic corrigere, et distinguere poteris: „*Intactis opulentior Thesauris Arabum, et divitis Indiae, Caementis licet occupes Tyrrhenum omne tuis, et mare Apulicum*; (Sic *figit adamantinos Summis verticibus dira necessitas Clavos non animum metu, Non mortis laqueis expedit caput*.“ Licet, inquit, utroque littore villas nobilissimas aedifices, omniumque sis ditissimus; non eo pacto aut vitam a metu immunem agere, aut mortem effugere poteris: sic rerum fato constitutum est, ita natura comparatum, sic clavos figit necessitas, summis verticibus, ut nulla vi evelli possint. Eandem sententiam habes Carm. II, 18, 17. „*Tu secunda marmora*“ etc. et Epist. I, 2, 47.

*] [scr. delicta.]

- Summis verticibus dira Necessitas
 Clavos; non animum metu,
 Non mortis laqueis expedit caput.
 Campestris melius Scythae,
 10 Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
 Vivunt, et rigidi Getae;
 Inmetata quibus iugera liberas
 Fruges et Cererem ferunt;
 Nec cultura placet longior annua:
 15 Defunctumque laboribus
 Aequali recreat sorte vicarius.
 Illic matre carentibus
 Privignis mulier temperat innocens:
 Nec dotata regit virum
 20 Coniunx, nec nitido fidit adultero.
 Dos est magna parentium
 Virtus, et metuens alterius viri
 Certo foedere castitas:
 Et peccare nefas, aut pretium est mori.
 25 O quis, quis volet impias
 Caedes, et rabiem tollere civicam?

v. 25. Vulg. *O quisquis.*

„Non domus et fundus, non aeris acervus et auri Aegroti domini deducit corpore febres, Non animo curas.“ Porro et Scholiastae veteres sic olim legisse, non *si*, satis indicat eorum enarratio: „*Quamvis*“, aiunt, „*nulla possideas, non tamen sincera voluptate his frui potes*: quippe cum necessitate mortis astricta sit humana conditio, nec possis inde te ullo remedio aut praemio redimere.“ Rectissime: at illa quippe cum non *si*, sed *sic* exprimunt, prout nos emendavimus.

6. *Dira necessitas*] Et editi et scripti *Dira*; tamen vel reclamantibus iis rescripserim *dura*: quod proprium Necessitatis epitheton est, ut Graecis *στένὴ ἀνάγκη, ζῆλον, σκληρόν*. Quintilianus Declam. XII. [c. 15] „*Fames animi tormentum, corporis latus, magistra peccandi, durissima necessitatum, deformissima malorum.*“ Arnobius lib. III. [c. 21] „*At rogo, quae ratio est, quae tam dura necessitas, quae causa*“ etc. Noster Carm. I, 24, 19. „*Durum: sed levius fit patientia, Quicquid corrigere est nefas*“: hoc est, quicquid *necesso* est. *Durum* et *dirum* in MStis ubique fere confunduntur; ut mirum sit tam prave et perverse hic congruere in peiore scriptura.

24. *Aut pretium est mori*] Codex inter Pulmannianos optimus; *pretium emori*: cui accedit Battelianus noster et Bersmanni unus, *pretium mori*. Qua lectione admissa distinguendus est locus: „*Dos est magna parentium Virtus, et metuens alterius viri Certo foedere castitas, Et peccare nefas, aut pretium mori.*“ ut omnia ad *dos est* referantur. Non incommode: quamquam et vulgata lectio non est culpanda.

25. *O quisquis volet impias*] Nihil moror et scriptos et editos, qui prava conspiratione *quisquis* hic exhibent, „*O quisquis volet impias Caedes et rabiem tollere civicam.*“ *Quisquis volet*: quasi vero *multi* essent, qui id facere possent; quasi rem factu facillimam poeta designaret; cum ex sequentibus appareat, magis optandum fuisse, quam sperandum, ut ab ullo mortalium id fieri posset. Quid autem, *o quisquis*? siquidem, stante hac

- Si quaeret pater urbium
 Subscribi statuis; indomitam audeat
 Refrenare licentiam,
 30 Clarus postgenitis: quatenus, heu nefas,
 Virtutem incolumem odimus,
 Sublatam ex oculis quaerimus invidi.
 Quid tristes querimoniae,
 Si non supplicio culpa reciditur?
 35 Quid leges sine moribus
 Vanae proficiunt; si neque fervidis
 Pars inclusa caloribus
 Mundi, nec Boreae finitimum latus.

lectione, exclamatio illa putida est, neque ullum habet pathos. Sed cave, Horatio id vitio veritas, sed obesis Librariis, qui nequiverunt capere elegantissimam constructionem, „*O quis, quis volet impias Caedes, et rabiem tollere civicam?*“ O ubi est, si usquam est, qui perditissimos saeculi mores corrigere volet? Repetitio illa *quis, quis* mirificam vim et affectum addit sententiae, ut alibi Carm. IV, 13, 18. „*quid habes illius, illius, Quae spirabat amores?*“ Epod. IV, 20. „*Hoc, hoc tribuno militum.*“ [V, 53] „*Nunc, nunc adeste; nunc in hostiles domos Iram atque numen vertite.*“ et VII, 1. „*Quo, quo scelesti ruitis?*“ Serm. II, 7, 92. „*liber, liber sum, dic age: non quis.*“ Porro et Diomedem, Grammaticum veterem, non aliter olim legisse, quamquam hodie corruptus habetur, locus ipse evincet pag. 317. „*Pronomen finitum, vocativum habere non potest; quia nemo dicit, O ego; nisi O exclamatio sit, ut apud Horatium, O quis volet.*“ Scripsit, inquam, Diomedes, *O quis, quis volet*, et prius quoque vocativo casu proferri putavit. Quippe si legisset, *O quisquis volet*, inepte prorsus exemplum hoc ad partes citasset: quia *quisquis* foret nominativus et referretur ad *volet*: non vocativus cum *O* copulandus. Fallit tamen acumen Grammatici; nam utrumque *quis* est casus nominativi.

27. *Si quaeret pater urbium*] Praeter aliorum codicum aliquot, ex meis Graevianus, Magdalenensis, Battelianus habent *quaerit*, non *quaeret*. Utrumlibet legeris, perinde est. Noster Carm. IV, 1, 12. „*Si torrere iecur quaeris idoneum.*“ Ovidius Epist. Hypsipyles [Her. VI] v. 123. „*Si quaeris, cui sint similes: cognosceris illis.*“ Contra, Terentius Heeyra I, 2. [v. 1] „*Senex si quaeret me; modo isse dicito.*“ et Noster Ep. I, 8, 3. „*Si quaeret quid agam.*“ Quare receptam hactenus lectionem non sollicitabimus.

30. *Clarus postgenitis*] Gulielmus Canterus in suo codice se *carus* reperisse memorat; quod magis probant Lambinus, Faber, Dacierius alique; quia mox sequitur *Odimus*, cui *carus* apte opponitur: „*Carus postgenitis: quatenus heu nefas, Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quaerimus invidi.*“ Nos vero cum editis vetustis, et manuscriptis, praeter Canterianum, omnibus *clarus* retinemus. Quid enim? nonne itidem sequitur, *invidi*? Atqui tam bella antithesis est inter *clarus* et *invidi*, quam inter *carus* et *odimus*. Quid enim est *invidus*, nisi obtractator alienae claritatis? Cicero pro Flacco [c. 1 § 2]; „*Aut beneficii huius obtractator, aut virtutis hostis, aut laudis invidus fuisse*“: Pro Murena [c. 9 § 20]; „*Quibus Lucullus tantum laudis impertit, quantum neque ambitiosus imperator neque invidus tribuere alteri in communicanda gloria debuit.*“ Tacitus in Agricola; cap. I, „*Clarorum virorum facta moresque posteris tradere (habes hic clarus postgenitis antiquitus usitatum, — quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est ignorantiam recti et invidiam.*“ Cicero pro Cornelio Balbo, 6. [§ 16] „*Mors enim cum extinxisset invidiam,*

Durataeque gelu nives

40 Mercatorem abigunt? horrida callidi

Vincunt aequora navitae.

Magnum pauperies opprobrium, iubet

v. 39. Vulg. Solo nives.

*res eius gestae sempiterna nominis gloria nitentur.*³² Seneca de Tranquillitate XIV [extr.], de Iulio Cano. „Dabimus te in omnem memoriam, clarissimum caput, *Caianae caedis magna portio.*“ Quare recte habet *clarus*, neque audiendi sunt, qui *carus* substitutum eunt. Clarus, inquit, post obitum: quoniam vivorum laudi et gloriae invidemus, obtrectamus, detrahimus. Nihil verius.

39. *Durataeque solo nives*] Numquam mihi placuit *solo*, quamvis omnes ubique codices lectioni huic suffragantur. Primo enim, otiose videtur additum, neque quaequam sententiae confert. Ubi enim, nisi in *solo*, iacebunt nives? an periculum erat, ne sub terris, vel in caelo aut mari duratas esse crederemus? Utique satis esset *duratae nives*, omissa *solo*: ut Livius XXI, 36. [extr.] „*Ut pleraque, velut pedica capta, haerent in durata et alte concreta glacie*“; et Seneca de Provid. IV, [§ 14] „*Super durata glacie stagna persultant.*“ Idem Nat. Quaest. IV, 5. [§ 3] „*Minus algere aiunt pedes eorum, qui fixam et duram nivem calcant, quam eorum, qui teneram et labefactam.*“ Avienus Fabula XXIX, [v. 2] „*Cunctaque durato stringeret arva gelu.*“ Ovidius in Nuce. [v. 64] „*Duratum renovat non mihi fossor humum.*“ Deinde, ex linguae Latinae indole *duratae solo*, non *super solo* (ut hic vulgo accipiunt), sed *a solo* tamquam causa et instrumento duritiae, interpretari oportet: quo nihil magis absurdum. Certe quotiescumque *duratus* ablativum post se trahit, ibi causam significari iam monitus deprehendes. Ita Curtius III, 6. [c. 2 § 16] *Hastis igne duratis*. IX, 32. [c. 10 § 10] *Piscibus sole duratis*. Plin. Hist. VII, 2. [§ 22] *Solis vapore durari*. Quintil. Institut. VIII, 2. [§ 3] „*Duratos muria pisces.*“ Livius XXI, 11. [§ 8] *Caementa calce durata*. Sil. Ital. XI [v. 484] *Bellis durata virorum Pectora*. Auctor Moreti [v. 56]: *Durati sale terga suis*. Quamobrem, aut valde fallor, aut sic potius scripsit Horatius, „*Durataeque gelu nives.*“ Non adeo magna mutatio est, quin maiorem saepe admisserint dormitantes Librarii. Potuit etiam *gelo* antiquitus scriptum esse, quod ad vulgatam propius accedit: quippe *gelus geli*, et *gelum geli* olim in usu erat, apud Aecium, Afranium, Lucretium, Varroem. Iam autem et sententia, credo, commodior est; et verba ipsa adeo trita sunt apud optimos quosque Scriptores, ut vix credibile sit, non sponte sua et *αἰρουμένων* sub Horatii calamum venisse. Rem ipsam habes apud Curtium V, 21. [c. 6 § 13] „*Ventum erat ad iter perpetuis obsitum nivibus, quas frigoris vis gelu adstrinxerat.*“ et VII, 12. [c. 3 § 5] „*Altae nives premunt terram, gelu et perpetuo rigore constrictae.*“ Ubi bis vides *nives gelu constrictas*, ut hic Noster, *nives gelu duratas*. Verba autem saepius occurrunt; Virgil. Aen. IX, 604. „*Durum ab stirpe genus: natos ad flumina primum Defrimus, saevoque gelu duramus et undis.*“ Statius Achill. II, 392. „*Et ferri properatus amor, durataque multo Sole geluque cutis.*“ Valer. Flaccus II, 157. „*Iam lacte ferino, iam veniet durata gelu.*“ Gellius XVII, 8. [§ 16] „*Cur fluviorum atque fontium aquae gelu durentur, mare autem incongelabile sit.*“ [Eumenii] Panegyricus ad Constantinum [c. 6 § 4]; „*Quid immanem multitudinem, quam duratus gelu Rhenus abuserat?*“ Ammianus Marcell. XV, 12. [§ 3] „*Ad militandum omnis aetas (Gallorum) aptissima, gelu duratis artibus et labore assiduo.*“ Ita eodem sensu *duratus frigore, pruinis, glacie, rigore*. Columella lib. X. [v. 86] „*Densaque iam pluvius, durataque summa pruinis Aequora dulcis humi.*“ Ovid. Pont. IV, 9. [v. 85] „*Mentiar, an coeant duratus frigore pontus.*“ Silius Ital. III.

Quidvis et facere et pati,

Virtutisque viam deserere arduae.

45 Vel nos in Capitolium,

Quo clamor vocat et turba faventium,

Vel nos in mare proximum

Gemmas et lapides aurum et inutile,

Summi materiem mali,

50 Mittamus. scelerum si bene poenitet,

Eradenda cupidinis

Pravi sunt elementa, et tenerae nimis

v. 44. Vulg. Deserit. 49. Materiam.

[v. 518] „*Tum qua durati concreto frigore collis.*“ Val. Maximus III, 3. [Ext. § 6] „*Modo Caucasi montis glaciali rigore corpora sua durantes.*“ Gellius XIX, 5. [§ 6] „*Cum aqua frigore aeris duratur et coit.*“ Plinius Paneg. 12. [§ 3] „*Quum Danubius ripas gelu iungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat.*“ Marcellinus XXX, 3. [§ 3] „*Durata pruinis itinera penetrari non posse firmantes.*“ Verum *) omnem rem conficit insignis Iulii Firmici locus, Astrolog. I, 4. de Zonis: „*Harum zonarum quae media est, corusci solis incensa luminibus, et sempiterni ardoris adustione torrida, ignito colore perpetui ruboris inficitur: duae vero quae extremas mundi continent partes, dextris laevisque lateribus inhaerentes, caeruleo colore signatae, atris semper nubibus (lege imbribus) inundantur, et concreta (lege concretas) glacie et sempiternis pruinis, et duratis gelu nivibus obsidentur.*“ Quippe ut priora illa manifeste de Virgilio sumta sunt, Georg. I, 233. „*Quinque tenent caelum zonae, quarum una corusco Semper sole rubens, et torrida semper ab igni: Quam circum extremae dextra laevaque trahuntur, Caeruleae glacie concretas atque imbribus atris:*“ ita postrema ista *Duratis gelu nivibus* ex hoc Horatii loco clare petita sunt. I nunc, et nega nobis *εὐτοχία* adfuisse; quamvis, cum illa scriberemus, haec Firmici verba de memoria exciderant. Nam certe hinc tam compertum est de nostra emendatione, quam si ex mille annorum codice nunc erueretur. *)

44. *Deserit arduae*] Vide modo sententiam integram; „*Magnum pauperies opprobrium, iubet Quidvis et facere et pati. Virtutisque viam deserit arduae.*“ Quod tolerabile quidem est, praesertim lectori non nimis difficili et fastidioso. Sed vide, quanto melius sic concipi possit. „*Virtutisque viam deserere arduae.*“ Non enim paupertas *deserit*, sed iubet homines avaros *quidvis facere patique et deserere* viam virtutis. Utique ipsi homines deserunt; ut Noster alibi Epist. I, 16, 67. „*Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui Semper in augenda festinat et obruitur re.*“ Lactantius Institut. VII, 1. [§ 12] ex hoc loco Flacci; „*Et virtutis viam deserunt, cuius acerbitate offenduntur.*“ *Deserere* hic in *deserit* mutarunt Librarii, pari plane errore ac Carm. I, 1, 6. *evehere* mutarunt in *evchit*. Neque vero tenellas aures offendat littera R saepius repetita, *deserere arduae*: sic enim infra III, 28, 7. „*Parcis deripere horreo*“; et Virgilius aliquanto durius Aen. IV, 350. „*et nos fas cetera quaerere regna.*“

49. *Summi materiem mali*] Prima Veneta *materiem*; Loscherus autem *materiam*, quod in sequentibus editionibus plerumque obtinuit. Alterum tamen praefertur et plures et potiores Manuscripti; ut ex nostris Leidensis, Graevianus, Reginensis, Zulichemianus, Battalianus, cum aliis. Recte; quippe dulcius hic sonat E vocalis, quam A ter repetita.

*) [Haec Verum — erueretur Bentleius in Addendis ed. a. 1711 dedit.]

Mentes asperioribus
 Firmandae studiis. nescit equo rudis
 55 Haerere ingenuus puer
 Venarique timet; ludere doctior,
 Seu Graeco iubeas trocho,
 Seu malis vetita legibus alea:

v. 54. Vulg. *Formandae*.

54. *Formandae studiis*] Et in editis et in scriptis, quod sciam, omnibus habetur *formandae*; neque quisquam interpretum vel levisimam suspicionem habuit mendii latentis: „*Et tenerae nimis Mentes asperioribus Formandae studiis*“: Recte enim dicitur *mentes formandae*, ut alibi Noster Epist. II, 1, 128. „*Mox etiam pectus praeceptis format amicis*.“ Quintil. Instit. I, 1. [prooem. § 14] de Philosophis: „*Ad formandos animos instituendasque vitae leges regressi*.“ ibidem II, 16 [§ 10] „*Quin ipsa vitae praecepta, etiamsi natura sunt honesta, plus tamen ad formandas mentes valent, quoties*“ etc. Seneca Epist. XVI. [§ 3] „*Animum format Philosophia et fabricat, vitam disponit*.“ Quin, quod amplius est, *tenerae mentes* peculiari ratione *formari* dicuntur; ut Seneca Epist. XXXIV. [§ 1] „*Qui ingenia educaverunt, et quae tenera formaverunt, adulta subito vident*.“ Idem Ep. XXV. [§ 1] „*Respice aetatem eius duram et intractabilem: non potest reformari: tenera finguntur*.“ Statius Achil. I, 477. „*cuius ab ortu Cruda rudimenta et teneros formaverat annos*.“ Marius Victor, poeta Christianus, Praefat. [v. 107] „*Dum teneros formare animos et corda paramus Ad verae virtutis iter puerilibus annis*.“ Persius III, 23. „*Udum et molle lutum es: nunc, nunc properandus, et acri Fingendus sine fine rota*.“ Iuvenalis VII, 237. „*Exigit, ut mores teneros seu pollice ducat, Ut si quis cera cultum facit*.“ Tamen, utrumque haec sint, nihilo scius, ipsius sententiae vi et necessitate ductus, aio affirmoque sic ab Horatii manu fuisse scriptum, „*et tenerae nimis Mentes asperioribus firmandae studiis*.“ Hanc emendationem postulat illud *nimis*. Quid enim? quorsum *nimis tenerae*, si *formandae* sunt? cum, quo teneriores sint, eo facilius fingi et formari possint. Certe si in eo vitium est, quod *nimis tenerae* sint mentes; tum eiusmodi remedium quaerendum est, quo *firmari, durari, roborari* queant. Quo etiam pertinet illud *asperioribus*; cui longe aptius respondet *firmandae*, quam *formandae*: quippe et *mollibus studiis formari* poterit animus; *firmari*, non nisi *asperis*. Atque ita noster alibi Carm. IV, 4, 34. „*Doctrina sed vim promovet insitam, Rectique cultus pectora roborant*.“ et Serm. I, 4, 119. „*simul ac duraverit aetas Membra animumque tuum*.“ Virgil. in Ciri, 42. „*Sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes, Nunc primum teneros firmamus robore nervos*.“ Ovid. Pont. I, 3. [v. 27] „*Cum bene firmarunt animum praecepta iacentem*.“ Lucanus V, 797. „*nam cetera damna Durata iam mente malis firmaque tulerunt*.“ Auctor de Morte Drusi, 198. „*Duravitque animum, destituitque preces*.“ Ovid. Remed. Amor. 245. „*Si nisi firmata properabis mente reverti*.“ et Fast. I, 497. „*Vocibus Evander firmata mente parentis*.“ Statius Silv. I, 2. [v. 92] „*Ipsa ego te tantos stupui durasse per aestus, Firmavique animos*.“ Quintil. Declam. XVII. [c. 13] „*Alia sunt adversa, quae de continuatione sui patientiam parant, quae durant assiduitate firmantque animum*“). Minucius Felix [c. 36 § 3]: „*Animus enim, ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur*.“ Seneca Consol. ad Helviam cap. 13. [§ 2] „*Cum semel animum virtus induravit, undique invulnerabilem praestat*.“ Epist. CXVII. [§ 21] „*Dic, quibus animum labantem studiis firmem*.“ Idem de Tranquill. c. 1. [§ 3] „*Non est quod dicas, omnium virtutum*

*) [ser. mentem.]

Cum periura patris fides
 60 Consortem socium fallat et hospites,
 Indignoque pecuniam
 Haeredi properet. scilicet improbae
 Crescunt divitiae: tamen
 Curtae nescio quid semper abest rei.

XXV.

AD BACCHUM.

Quo me, Bacche, rapis tui
 Plenum? quae nemora, aut quos agor in specus,
 Velox mente nova? quibus
 Antris egregii Caesaris audiar

v. 60. Vulg. *Hospitem*.

tenera esse principia, tempore ipsis duramentum et robur accedere.“ Seneca alter Controv. IV [lib. IX Burs.], Praefat. [p. 243, 8 Burs.] „*Nec ante in oratorem corroborantur, quam multis perdomiti contumeliis puerilem animum [scolasticis] deliciis languidum vero labore durarunt*.“

60. *Consortem s. f. et hospitem*] Editio Veneta *hospites*, atque ita melior pars Codicum, ut omnes Blandinii apud Cruquium, et ex meis Leidensis, Graevianus, Colbertinus, cum multis aliis. Quare hic sequamur potius vetustiores; cum aut nihil omnino intersit, *hospitem* an *hospites* legas: aut hoc potius praefendum; tum ob varietatem numeri, tum quia *plures* uni homini *hospites*, etsi *unus* forte consors aut socius. Ceterum, si unueret codex aliquis Manuscriptus, sic potius legerim, „*Consortem, et socium fallat, et hospites*.“ Aliud enim *Consors*, aliud *Socius*. Consortes erant cohaerentes, qui haereditatem non dividebant, sed quicquid ex ea capiebatur, in commune conferebant: Socii, qui in quovis negotio aut re pecuniaria, contractum inibant, ut lucrum ex ea re vel damnum inter se commune foret. Haec nota sunt, neque pluribus doceri postulant. Ergo ut omnis *Consors* fortasse etiam *Socius* dici potuit; ita non vice versa omnis *Socius, Consors*. Quare haud, opinor, sine vitio *consortem socium* iunctim hic legamus. *Fallere autem socium*, etiam qui non *Consors* in hereditate fuerit, magno olim in crimine ponebatur. Cicero pro Roscio Amerino cap. 40. [§ 116] „*In rebus minoribus socium fallere turpissimum est*.“ et mox; „*Recte igitur maiores eum, qui socium fefellisset, in virorum honorum numero non putarunt haberi oportere. At vero T. Roscius non unum rei pecuniariae socium fefellit*.“ etc. Idem pro Roscio Comoedo cap. 6. [§ 16] „*Aequum enim perfidiosum et nefarium est, fidem frangere, quae continet vitam; et pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit; et socium fallere, qui se in negotio coniunxit*.“ Noster Epist. II, 1, 122. „*Non fraudem socio, puerove incogitat ullam Pupillo*.“

2. *Quae nemora aut quos*] Ita recte habent Veneta et Loscheriana cum melioribus et pluribus Membranis. Neque aliter citat Servius ad Aen. VII, 568. et Priscianus pag. 713. Postea tamen in plerasque editiones irrepsit in, „*Quo me Bacche rapis tui Plenum? quae in nemora aut quos agor in specus*.“ Crediderunt scilicet, in priore membro praepositionem subaudiri non posse; et recte quidem dicit, *quae in nemora aut quos specus*; sed non vicissim, *quae nemora aut quos in specus*. Frustra: nam elegantius fere in priore membro omittitur praepositio, quam in posteriore. Virgilius Aen. VI, 692. „*Quas ego te terras et quanta per aequora vectum Accipio*.“ Statius Theb. VIII, 384. „*Stat medius campis etiam nunc cu-*

Thracen, ac pede barbaro
 Lustratam Rhodopen; ac mihi devio
 Rivos et vacuum nemus
 Mirari libet. ó Naiadum potens,
 15 Baccharumque valentium
 Proceras manibus vertere fraxinos.

v. 12. Vulg. *Ut mihi*. 13. *Ripas*.

nos post naufragium in litus eiectos. Phyllis autem haec Edona est celebris illa Demophontis amica, Edonorum Regina, quae suspendio vitam finivit, et sepulta est in loco, qui mox *Εννία ὄδοι* dictus est, postea Amphipolis: unde hic Antipatro vocatur, *Ἦγιον sepulchrum Phyllidos*. Caeterum in loco Horatii, quem nunc tractamus, dubitari potest, utrum casu recto *Edonis Euias*, an ablativo *Edonis iugis* sit construendum. Sed posterius placet: tum quod, ut iam dixi, illud *iugis* epitheto dignandum sit, tum quod ita plane Ovidius sit locutus, *Trist. IV. 1. [v. 41] „Utque suum Bacchis non sentit saucia vulnus. Dum stupet Edonis exultata iugis.“* Quid rei est? et ipse, credo, obstupescis: nam totidem, ut vides, verbis Horatium expressit Naso, ut saepe alias; „*Non secus in iugis Edonis stupet Euias.*“ I nunc, et, si priora illa surdis auribus accepisti, tandem aliquando vel invitus emendationem agnosce.

12. *Ut mihi devio*] Ita omnes Editiones *Ut mihi*, et pleraeque membranae; sed in tribus Cruquii codicibus erat, *ac mihi*: nimirum ut haec cum superioribus connectantur, „*Non secus in iugis Edonis stupet Euias — ac mihi devio Ripas et vacuum nemus Mirari libet.*“ *Non secus ac*, ut Noster in *Arte Poet.* 149. „*et in medias res Non secus ac notas auditorem rapit.*“ et *Carm. II. 3. 2. „Aequam memento rebus in arduis Servare mentem, non secus ac bonis“* etc. ubi plures itidem Codices mendose habent *in*. *Virgil. Georg. III. 346. „Non secus ac patris acer Romanus in armis.“* *Aen. XII. 856. „Non secus ac nervo per nubem impulsu sagitta.“* Et sic alii passim: nihil enim vulgatus. Neque aliter hic olim legebat Aeron Scholiastes: cum sic locum enarrat, „*non aliter Baccha prospiciens Hebrum delectatur, quam ego videntis memora.*“ Quippe *non aliter* quam ad amussim respondent lectioni illi *non secus ac*: quam alteri praeferebant esse nullus dubita. Ubi cumque enim occurrit *Non secus* vel *haud secus*, semper aliquid aut ante se aut post se habet, cum quo instituitur comparatio. Nihil autem hic praecedit apud Flaccum, cui referas *non secus*. Ergo adnectendum est illis quae sequuntur, *Non secus stupet* (miratur) *Euias, ac ego nunc miror*. Adde huc, quod elegantior haec constructio est, quam ut a crassis Librariis confingi potuerit.

13. *Ripas et vacuum nemus*] *Ripas* hic exhibent et Editiones veteres et quotquot extant membranae. Primus, ut perhibent, Muretus introduxit *rupes*, quod postea multi secuti sunt. Et merito quidem displicuit illud *ripas*: nusquam enim, ubi sanus locus est, repereris absolute sic positum, nulla mentione fluminis vel aquarum habita. Neque tamen cum Mureto substituerim *rupes*; licet alibi habeat Noster *Carm. II. 19. 1. „Bacchum in remotis carmina rupibus Vidi docentem.“* Sed in hunc potius modum rescripserim, „*ac mihi devio Rivos, et vacuum nemus mirari libet.*“ *Rivi* et *nemus* apte iunguntur: ut *Epist. I. 10. 6. „Ego laudo ruris amaeni Rivos, et musco circumlita saxa, nemusque.“* *Rivos* autem et *ripas* saepissime a Librariis confunduntur, ut *Carm. IV. 2. 31. „vidique Tiburis ripas,“* pro *rivos*, ut ibi pluribus ostendam. *Rivos* autem commodissime, ubi *Bacchus* et *Naiades*, rivorum nymphae. Sic apud Euripidem, in convalle Cithaeronis *rivis vrida* considerant *Bacchae*, vers. 1049. [1040] *Ἦν δ' ἄρτος ὑψιζήνων Ὑλασι διαβρονον Πέλασαι σασίαζον, ἔρθε*

Nil parvum, aut humili modo,
 Nil mortale loquar. dulce periculum est,
 O Lenaeae, sequi Deum
 20 Cingentem viridi tempora pampino.

XXVI.
 AD VENEREM.

Vixi puellis nuper idoneus,
 Et militavi non sine gloria:
 Nunc arma defunctumque bello
 Barbiton hic paries habebit,

Μαινάδες Κάθητρο. et 1091. [1082] *Ἠσαί τε Βάχχαι· διὰ δὲ ΧΕΙΜΑΡΡΟΥ γάπη; Ἀγυῶν τ' ἐπιθῶν, θεοῖ προσαῖον ἰμμανεῖς*. Idem Cyclope vers. 63. „*Ὁὐ τιάδῃ Βρόμιος, οὐ τιάδῃ χοροί, Βάχχαι τε θυροσφοροί. Ὁὐ τεμπέων ἀλαλεγοί, ΚΡΗΝΑΙΣΙ παρ' ἔδραστοίς.*“ Quin etiam, quia *mirari* se profitetur, poteris *rivos lactis, mellis, vini*, vel *aquarum* intelligere, qui sponte et miraculo profluebant, percusso a Bacchis solo; ut *II. 19. 10. „Vinique fontem, lactis et uberes Cantare rivos.“* Eurip. *Bacch.*, 142. „*Ἦνικε fontem, lactis et uberes Cantare rivos.*“ *Eurip. Bacch.*, 142. *Ἦν δὲ γάλακτι πέδον, Ἦν δ' οἶνον, Ἦν δὲ μελισσῶν νέκταρι*, et 703. [694] *Θύραον δὲ τις λαβοῦσ' ἔπαισεν εἰς πέτρων, Ὅθεν δροσώδης ὙΛΑΤΟΣ ἐκπῆδ' ὀπίς. Ἄλλη δὲ γάρθηκ' εἰς πέδον καθήκε γῆς, καὶ τῆδε χορὴν ἔξαινε' ΟἶΝΟΥ θεός. Ὅσως δὲ λευκοῦ πόματος πόθος παρῆν, Ἀχαιοὶ δακτύλοισι διαμῶσαι γρόνα, ΓΑΛΑΚΤΟΣ ἰσοῦς ἔχον.* et vers. 764. [755] *Ἦλῶν δ' ἐχώρον, ἔδην ἐκίθησαν πόδα, ΚΡΗΝΑΣ ἐπ' αἰτάς, ἄς ἀνῆκ ἀντάς θεός*, sic ibi legendum, *χορὴν ἐπ' αἰτάς*; non ut vulgo habetur, *χορὴν ἐπ' αἰτάς*, et minus Graece, et inaeoneinne, cum statim repetatur *αἰτάς*. Porro versus hic 16, pro *fraxinos* codex noster vetustissimus Graevianus *fraxinus* praefert, quasi quartae esset declinationis, de qua re vide nos ad *Carm. II. 15. 6.*

19. *O Lenaeae, sequi deum*] Ita scripti editique: sed videamus locum integrum, „*dulce periculum est, O Lenaeae, sequi deum, Cingentem viridi tempora pampino.*“ ubi veteres Scholiastae, „*Ambigue dictum,*“ inquirunt, „*utrum sibi tantum cingentem, an quoscumque suo numine reptere consuevit.*“ Imo vero, non ideo ambiguum est, quod nescias utrum velit *cingentem sibi, an suis Mystis*: posterius enim hoc nullo modo ex verbis auctoris excolpi potest. Sed id vere ambiguum est, utrumne sic construendum sit, *Dulce est sequi Deum cingentem etc.*, an, *Dulce est cingentem tempora pampino, sequi Deum*. Quippe et *Bacchus* ipse, et omnis *Bacchantium* chorus, caput *pampino* coronabant, ut vel pueris notum. Ceterum, utrolibet ordine verba construxeris, illud interim inepte et putide videtur positum, „*O Lenaeae, sequi deum*“: nam perinde est ac si dixeris, *Dulce est, O Bacche, sequi Bacchum*. Certe iam olim viderunt Librarii, necessum esse ut *Te* quovis modo in versum recipiantur: unde Petrensis noster et *Vigorniensis*, etiam metri dispendio, praeferebat, „*O Lenaeae sequi te deum.*“ sed et aliud est, quod minima mutatione multo melius venustiusque reddi poterit; nempe si *deum* in *ducem* reflexeris, „*Dulce periculum est Te, Lenaeae, sequi ducem, Cingentem viridi tempora pampino.*“ *Bacchus* enim erat *dux* Thiasorum; et quo ipse ducebat vocabatur, *Bacchae* sequebantur: Euripides *Bacchis* 194. [187] *Ὁ θεός ἀμοχρεῖ κείσε νῶν ΠΗΣΕΤΑΙ*. et 410. [405] *Ἐκείσ' Αἴε με, βρόμιε, βρόμιε*. 517. [559] *Σίβηται σ' ἔβιος, ἤξει τε χορείων, Εἰλισσόμενας τε Μαινάδας ΑΣΕΙ*. Porro, Codex Galei bonae notae, pro *Lenaeae* habet *hae*, quod quid sibi velit aliis divinandum relinquo.

5 Laevum marinae qui Veneris latus
Custodit. hic, hic ponite lucida
Funalia, et vectis, et arcus
Oppositis foribus minaces.
O quae beatam Diva tenes Cyprum, et
10 Memphin carentem Sithonia nive,
Regina, sublimi flagello
Tange Chloen semel arrogantem.

XXVII.

AD GALATEAM.

Impios parrae recinentis omen
Ducat, et praegnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino,
Foetaque volpes.

7. *Et arcus*] Arma nominat, quibus aedes amicarum expugnare solitus est: „hic, hic ponite lucida Funalia, et vectes, et arcus Oppositis foribus minaces.“ ubi illud libenter didicerim, quo sine *Arcus* adhiberi possent ad fores effringendas. Silent hic Interpretes, quasi nihil in nuce duri esset: ut nos hoc omnino non capere candidè profiteamur. In margine codicis Reginensis sic reperiri, „*Arcus, quibus ianitores terreant.*“ At Noster suos arcus ipsis *ianitis*, non *ianitoribus*, minaces esse dicit. Cur autem ianitores terreantur, si post fores *oppositas* tuti consistant? Quid, quod sagittae non erant arma amantibus apta: cum sine caedis periculo mitti non possent. Quamobrem vide, ne forte sic scripserit Horatius, „*Funalia, et vectis, seuresque Oppositis foribus minaces.*“ ubi *Que* primo omissum erat a Librariis; utpote ultra metrum excurrans, et sequenti versui adiungendum: qui sollemnis eorum error est, cum apud Hunc, tum apud Virgilium. Postea, cum alii deesse viderent coniunctionem; pro *vectis seures*, non adeo magna mutatione, *vectis et arcus* ex coniectura commenti sunt. Iam autem *seures* cum *veclibus* et *funalibus* commissatores ebrios secum portare solitos, quibus domos amicarum expugnent, testis est Theocritus in *Pharmacutria* [II, 128] *Ἐὶ δ' ἄλλε μ' ὠθίει, καὶ ἂ θύρα εἴρει μοχλῶ, Πάντως καὶ ΠΕΛΕΚΕΙΣ καὶ ΑἰΜΗΛΙΑΣ ἤρθον ἐφ' ἡμίας.* Plautus *Bacch.* V, 1. [v. 31] „*iube sis, actutum aperiri fores, Nisi mavollis fores et postes comminui securibus.*“ Lucilius apud Nonium v. *Anceps*. [p. 245, 10 Merc.] „*Nemo hos ancipites ferro effringat cardines.*“ ubi legendum, *ancipiti*. Idem ibidem: „*Vecte atque ancipiti ferro effringam cardines.*“ ubi *ancipiti ferro* est *bipenni, securi*. Virgil. *Aen.* II, 480. „*Ipsa inter primos corrupta dura bipenni Limina perrumpit, postesque a cardine vellit.*“ Porro versu 9 pro *tenes Cyprum* male praefertur vetusti quidam codices *regis*, ut ex nostris Graevianus, Reginensis, Battelianus, et Galei; nam *regis, Regina* putidum plane est. Recte vero iidem cum Leidensi et editione Veneta, *Memphin*, non *Memphin*.

4. *Foetaque volpes*] Olim a Librariis turbatum est in hoc vocabulo *Foeta*. Blandinius unus apud Cruquium, *Poetaque*, alter *Fertaque*: Leidensis noster pro varia Lectione *Foetaque*: Graevianus *Foetaque* et in margine *Foetaque*. Nicolaus Heinsius in ora exemplaris sui, „*Forte,*“ inquit, „*Foetaque volpes.*“ Nolle hoc a viro illustri profectum. *Forda* enim de *bove, caeca*, peculiariter dicitur; non de *vulpe* aut aliqua fera. Ovid. *Fast.* IV, 630. „*Pontifices forda sacra litate bove. Forda ferens bos est,*

5 Rumpit et serpens iter institutum,
Si per obliquom similis sagittae
Terruit mannos. ego cui timebo
Providus auspex,
Antequam stantis repetat paludes
10 Imbrium divina avis imminentum,
Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu.

v. 5. Vulg. *Rumpat*.

foecundaque, dicta ferendo.“ Columella VI, 24. [§ 3] „*ubi post unum coitum fonda non admittit taurum*“; et mox [§ 4] „*Ne fonda simul operis et uteri gravelet onere.*“ Deinde, *Fonda* est *gravida, praegnans*: Varro de *Ling. Lat.* VI, [§ 15] „*Bos fonda, quae fert in ventre.*“ Festus; „*Fordicidius boves fonda, id est, gravidae immolabantur.*“ Varro iterum de *Re Rust.* II, 5. [§ 6] „*Quae sterilis est vacca, Taura appellata: quae praegnans, Horda.*“ Festus; „*Horda, praegnans.*“ Atqui iam ante dixerat Noster, *Praegnans canis*; neque statim repetere voluisset, *Fonda* hoc est, *praegnans vulpes*. Non adeo duro et sicco ingenio erat, quin Epitheton variare posset. Servemus igitur receptam in omnibus editis et plerisque Scriptis lectionem *Foetaque volpes*: neque tamen interpretemur *Gravida* cum *Aerone*; quippe eo pacto in idem, quod iam fugimus, vitium recideremus: sed *enixa, partu liberata, onere levata*: vide Servium [Aen. I, 51; II, 238; VIII, 630] et Nonium Marcellum [p. 312, 6 Merc.].

5. *Rumpat et serpens*] Non iniuria questi sunt Interpretes de huius carminis difficultate: et novissime celeberrimus Daerius, qui prae aliis hic sapere sibi visus est, longissime omnium a vero aberravit. Videamus, siquid nos, tot aliis frustra expertis, meliore cum successu conemur. Dixerat initio, *Impios ducant* mala auspicia, *parra, canis, lupa, volpes*; *Impios*, inquam, ducant; non te, O Galatea: sic vers. 21. *Hostium avores puerique* malis tempestatibus conficientur, non tu; Virgilius utrumque coniunxit, *Georg.* III, 513. „*Di meliora piis, erroremque hostibus illum.*“ Tum continuo infert Noster, „*Rumpat et serpens iter institutum*“; hoc est, *rumpat* impiorum iter. Atqui hoc prorsus contrarium est illi, quod iam praecesserat. Bene enim erit Impiis, si rampant iter infauste susceptum: si domum redeant, ubi contra auspicia se exire intellexerint. Quin potius *ducat*, ut supra, dicendum hic fuerit, non *rumpat*. Sed nodum hunc solvit Graevianus codex insigni vetustate, qui clare hic exhibet, „*Rumpit et serpens iter institutum.*“ Vera profecto haec lectio est, et digna quae fusius paulo explicetur. Galateam alloquitur Noster, amicam, ut videtur, suam; quae Romam relinquere, et ad aliam terram navigare constituerat: Lente tamen, inquit, festina: et vide prius, ne malis avibus iter aspicias. Neque enim tam destinato es, opinor, ad navigandum animo, ut parra, vel cane, vel lupa, vel vulpe occursante, pergas inceptum: Impios potius et hostes tam sinistra auspicia ducant. Quin et serpens, per viam oblique traiciens, *rumpere solet* iter institutum. Equidem neminem, *cuius saluti limeo*, ego providus auspex navem conscendere paterer; priusquam oscinem corvum ab oriente crocitantem bono et liquido augurio suscitassem. Siste itaque paulisper; dum omnia capimus. Et profecto fausta concinuerunt aves. Salvis auspiciis abire poteris, et *ubicumque manis*, feliciter vitam agere. Nec *laevus picus*, neque *vaga cornix* velat te ire quo libet. Sed illud interim non vides, quod omnibus auspiciis maius est? non vides, inquam, anni tempestatem navigationi adversam? Iam *pronus cadit Orion*, triste sidus, et nautis infestum: ille iam procellas meditatur et generat; quamvis adhuc mare tranquillum et *Iapyx albus* tibi blandiantur. Equidem

Sis licet felix ubicumque mavis,
 Et memor nostri, Galatea, vivas:
 15 Teque nec laevus vetat ire picus,
 Nec vaga cornix.
 Sed vides quanto trepidet tumultu
 Pronus Orion? ego quid sit ater
 Hadriae, novi, sinus; et quid albus
 20 Peccet Iapyx.
 Hostium uxores puerique caecos
 Sentiant motus orientis austru, et
 Aequoris nigri fremitum, et trementis
 Verbere ripas.

v. 15. Vulg. *Vetel.*

expertus novi, quid infidus Hadria, quid primus *Orientis Austris* sibilus molliatur. Cave itaque te committas tam subdolae maris pellaciae. Sic enim et *Europa credit* latus Tauro, planitie aequoris et caeli temperie primum delinita: mox ubi sensit se in mediis fluctibus deprensam, tum sero metu expuluit, et in inutiles questus erupit. Habes iam totum huius carminis filium; neque, opinor, vel de sententia vel de emendatione dubitandi locus est.

13. *Sis licet felix, ubicumque mavis*] *Mavis* habent editiones veteres, et scripti quos vidimus cuncti. Codex tamen Henrico Stephano visus *navis* praetulit, unde Ianus Rutgersius rescribere voluit, „*Sis licet felix, ubicumque* nabis.“ Quod et probavit Nic. Heinsius in libri sui margine: atque addit insuper aliud, „*Sis licet felix, ubicumque* amabis.“ Nollem tam febriculosas coniecturas viris magnis excidisse. Nihil muta. *Poteris*, inquit, addicentibus auspiciis, felix degere, ubicumque *mavis*, quacumque terra tibi erit cordi. *Mavis*, ut Serm. I, 4, 21. „*At tu conclusas hircinis foliibus auras, Ut mavis, imitare.*“ Persius, Sat. IV. [v. 45] „*Ut mavis, da verba, et decipe nervos.*“

15. *Teque nec laevus vetat ire picus*] Lambinus fide codicis Vaticani *vetat* exhibuit, et recte explicavit: cum ceteri tam scripti quam editi *perperam* habuerint *vetel*. Nec displicuit res Torrentio; sed nimia suorum exemplarium reverentia ductus, nihil mutare ausus est. Nobis et ratio et res ipsa eum codicibus potiores sunt, praesertim accedente Vaticani veteris suffragio. *Vetel* enim ex vicinis verbis, *sis, vivas*, reflexerunt Librarii; ut supra v. 5. *rumpat* interpolarent, quia praecesserat *ducant*. Sententia autem hic clare elucescet, ex iis quae ibi diximus.

22. *Sentiant motus orientis Austris*] Hanc omnium codicum Lectionem primus immutavit Muretus, qui ex simili loco, Carm. III, 1, vers. 28, *orientis hoedi* hic substituit, atque inde in plures editiones labem propagavit. Iam ante dixerat Noster; cum Galatea navem conscensura esset, *prorum* fuisse *Orionem*: quo sidere in occasum vergente, imperitissimus sit oportet rerum caelestium, qui tum demum *oriri hoedum* opinetur: quod et pulchre adnotavit eruditissimus Dacerius. Contra verissimum est, *Orione* prono *Austrum* nasci, ut alibi Carm. I, 28, 21. „*Me quoque devexi rapidus comes Orionis Illyricis Notus obruit undis.*“ recte igitur habet recepta in codicibus lectio: quamquam nove dictum videatur, *orientis Austris, pro nascentis, surgentis, venientis*, ut alii loqui amant. Virgil. Eclog. V, 82. „*Nam neque me tantum venientis sibilus Austris*“: cui verbo si Flacci codex aliquis faveret, etiam ipse accederem.

23. *Et trementes Verbere ripas*] Codex Regiae Societatis, „*Et trementis Verbera ripae.*“ Non placet. Quippe *ripae verbera* ea potius es-

25 Sic et Europe niveum doloso
 Credidit tauro latus; at scitentem
 Beluis pontum mediasque fraudes
 Palluit audax.
 Nuper in pratis studiosa florum, et
 30 Debitae Nymphis opifex coronae,
 Nocte sublustri nihil astra praeter
 Vidit et undas.
 Quae simul centum tetigit potentem
 Oppidis Creten, Pater o relictum
 35 Filiae nomen, pietasque, dixit,
 Vieta furore!

v. 26. Vulg. *Et scant.*

sent, quae ripa *dat*, quam quae *palitur*; ut Noster alibi [Carm. III, 12, 3], „*Patruae verbera linguae,*“ et Virgilius [Aen. XII, 876], „*Alarum verbera,*“ et [Georg. I, 309] „*Stupea torquentem Balaearis verbera fundae.*“ Quamquam eo sensu Valerius Flaccus *Litoris ictus* vocavit, quos litori fluctus infligunt, I, 330. „*quotiens rauceos ad litoris ictus Deficiam?*“ Id audaculum librarium decepit, quod pro veteris scripturae ratione, *tremetis* casu accusativo (prout a manu prima habet codex Reginensis et Editio princeps Veneta) genitivus singularis ei videretur. Ceterum, etsi facile concesserim ripas marinas *tremere* pulsu undarum; ut Seneca Hippol. v. 1013. „*sava cum fluctu tremunt, Et caeva summum spuma Leucaten ferit.*“ Vix tamen illud aequa aere acceperim, ut in alto (quemadmodum hic) navigantes talem litorum tremorem sentire possint. Quare vide, annon facili mutatione *gementes* potius scripserit Horatius: siquidem *gemitum* litorum vel e longinquo sentiunt qui navibus praeterevehuntur; tremorem vero nemo, nisi qui terra in ipso litore consistit. Quintilianus Declam. 6. [c. 5] „*Navigat ergo per horridos fluctus, et gementia litora, et spumantes scopulos.*“ Noster Carm. II, 20, 14. „*Visam gementis litora Bospori.*“ Sophocles Antig. v. 603. [592] ΣΤΟΝ Ω θρέμονσι δ' ἀμφιπέλαγες ἀκραί. Silius Ital. XV. [v. 156] „*Et spumante ruens per saxa gementia fluctu.*“ Virgil. XII, 334. „*gemit ultima pulsu Thraca pedum.*“ Seneca Agamemn. 468. „*Tractuque longo litus ac petrae gemunt.*“ Claudianus Cons. Mallii v. 205. „*quicquid Tyrrhena tunditur unda, Fel gemit Ionia.*“ Idem Bello Gildonico 220. „*Assiduoque gemens undarum verbera nutat.*“

26. *Et scitentem Beluis pontum*] Non moror, quin siquis hoc bene se habere dicat, iudicio suo per me fruatur. Melius tamen, opinor, erit, si *at pro et* legeris; cum inter bina haec orationis membra Antitheton esse debeat. Europa, inquit, in littore ludibunda se *audacter* tauro commisit; *at* mox in medias undas abrepta tum demum *metu* expuluit.

34. *Oppidis Creten, Pater o relictum Filiae nomen*] Codex noster Vigorniensis, „*Oppidis Cretam, O pater, o relictum.*“ Quam lectionem si admiseris, tum *filiae* erit casus genitivi; *O pater, o nomen filiae a me relictum*. Sed omnes vetustiores Graevianus, Reginensis etc. *Creten, Pater o. Pater o*, ut illud Statii Silv. II, 7. [v. 41] „*Et dixit, Puer o dicite Musis, Longaevos cito transiture vates.*“ Atque hoc pacto *filiae* erit casus dativi: *O pater, nomen relictum mihi filiae, sive a me filia*. Utrovis modo bene sibi constat oratio. Posteriori favet locus Ovidii Torrentio Dacerioque citatus; ubi Ariadne loquitur, Heroid. X. [v. 70] „*Nam pater et tellus iusto regnata parenti, Proditum sunt facta nomina cara meo.*“ hoc est, *prodidi patrem et patriam, duo caritatis nomina*. Tibullus III, 4. [v. 61] „*Ah crudele genus, nec fidum femina nomen.*“ Priori

Unde, quo veni? levis una mors est
 Virginum culpae. vigilansne ploro
 Turpe commissum? an vitio carentem
 10 Ludit imago
 Vana, quae porta fugiens eburna
 Somnium ducit? meliusne fluctus
 Ire per longos fuit, an recentis
 Carpere flores?

v. 39. Vulg. *Vitis*.

astipulantur illa Ovidii Metam. VIII, 464. „*pugnant materque sororque, Et diversa trahunt unum duo nomina pectus.*“ et mox ibidem v. 508. „*Nunc animum pietas maternaque nomina frangunt.*“ ubi duo nomina matris et sororis sunt ipsius Althaeae nomina et officia; sicut hic nomen filiae est ipsius Europae. Idem Metam. I, 474. „*Protinus alter amat, fugit altera nomen amantis.*“ Nonius in v. *Sanctitudo*. [p. 174, 8 Merc.] „*Afranius suspecta: Tuam maiestatem, et nominis matronae sanctitudinem.*“ Idem v. *Deintegrare, diminuere*. [p. 101, 23] „*Caecilius: Nomen virginis, nisi mirum est, deintegravit.*“ In dubio sunt illa Hermiones ad Orestem, Heroid. VIII, 29. „*Vir precor, uxori; frater succurre sorori; Instant officio nomina bina tuo.*“ Nescias enim, utra ea sint nomina, virne et frater, an uxor et soror: priora tamen magis placent, quia continuo praecesserat illud, „*Et si non esses vir mihi, frater eras.*“ Quamobrem, si haec magis tibi sedet sententia, ut filiae casu genitivo proferatur; tum aut cum Vigorniensis codice legendum fuerit, „*Quae, simul centum tetigit potentem Oppidis Cretam;*“ O pater, O relictum Filiae nomen, Pietasque, dixit, Victa furore!“ aut propius ad reliquorum exemplarium fidem, „*Oppidis Creten; Pater o, relictum o Filiae nomen!*“ hoc est, O filiae officium, quod ego deserui et prodidi, ut Noster Epist. II, 2. v. 67. „*relictis Omnibus officiis.*“ Quod si receptam potius lectionem amplecteris, „*pater o relictum Filiae nomen!*“ ea demum surget sententia, O pater, quem ego filia reliqui, a cuius domo aufugi; ut postea v. 49. „*Impudens liqui patrios penates.*“ Et Moschus de re eadem, in *Europa* [I], v. 142. *Οἱμοί, ἐγὼ μέγα δὲ τι δασύμορος, ἢ ἂν τε δῶμα Πατρὸς ἀπαρηλοιοῦσα, καὶ ἰσπομένη βοῖ τῶδε*. Tu vero, utriusque interpretationi, me volente, accede: tantummodo illud memineris, sic construenda et distinguenda esse sequentia, ut *Pietas furore victa* intelligatur. Quamquam enim, ut plerique hic volunt interpretes, *Europa ipsa furore victa* non incommode alias dici possit; ut Dido apud Virgilium Aen. IV, 474. „*Ergo ubi concepit furias evicta dolore:*“ et alia in Culice, v. 109. „*quo quondam victa furore Venit Nyctelium fugiens Cadmois Agaue!*“ praestat tamen, ne manca hic destituatur oratio (sic enim supplere conantur, *Pietas, filiae relicta*) et ut simul argutior concinniorque sensus exurgat, *Pietatem*, quam parenti praestare debuit Europa, *furore et temeritate victam* interpretari: quomodo saepius Ovidius; ut Metam. XV, 173. „*Ergo ne pietas sit victa cupidine ventris.*“ Et ibidem XIII. [v. 663] „*Victa metu pietas consortia pectora poenae Dedit.*“ Heroid. XIII. [v. 124] „*Spes bona sollicito victa timore cadit.*“ Et ibidem XV. [v. 176] „*Sit procul insano victus amore timor.*“ Amor. III, 10. [v. 29] „*Hinc pudor, ex alia parte traherat amor:*“ Victus amore pudor.“

39. *An vitium carentem Ludit imago*] Quibusnam obsecro, *vitium?* tamen omnes, quod sciam, codices huic lectioni patrocinantur; nisi quod Reginensis vitiose habeat, *vectus*. Sed quantumvis ille reclamant, sine dubio corrigendum est *vitio*. *Vigilans ne*, inquit *ploro turpe commissum* sive concubitum? an potius hoc somnium est, et adhuc pudicitiam salvam habeo? *Vitium* est *stuprum*: ut passim apud Plautum et Terentium, *Virgini vitium*

45 Si quis infamem mihi nunc iuvenicum
 Dedat iratae, lacerare ferro et
 Frangere enitar modo multum amati
 Cornua monstri.
 Impudens liqui patrios penatis:
 50 Impudens Orcum moror. ô Deorum
 Si quis haec audis, utinam inter errem
 Nuda leones.
 Antequam turpis macies decentis
 Occupet malas, teneraeque succus
 55 Defluat praedae, speciosa quaero
 Pascere tigris.
 Vilis Europe, pater urguet absens,
 Quid mori cessas? potes haec ab orno
 Pendulum zona bene te secuta e-
 60 lidere collum.

v. 48. Vulg. *Tauri*. 60. *Laedere*.

oblatum, Pudicitiae vitium allatum. Gellius II, 23. [§ 16] „*Ex eo vitio gravida mensibus caecis parturit.*“ Scholiastes Acron ad locum, „*An sum sine vitio, et hoc potius somnio?*“ Pluralem numerum in hoc sensu adhibitum nunquam invenies. Quin, ubi sententia non eadem est, amant *vitio carentem* singulari numero efferre. Iuvenalis XIV, 69. „*Illud non agitas, ut sanctam filius omni Adspiciat sine labe domum,*“ vitioque carentem.“ Seneca Consol. ad Marc. c. XXIII. [§ 3] „*Victorem omnium voluptatum animum, emendatum, carentem vitio.*“

48. *Cornua tauri*] Ita Loscherus exhibuit 1498; quod a Cruquio, Lambino et Torrentio arreptum plerasque iam editiones occupavit. At princeps Veneta 1478, cum melioribus codicibus Cruquii et Pulmanni, ut et nostris Leidensi, Graeviano, Reginensi, Magdal. Galei, Regiae Societatis etc. multo elegantius praeferebat, *cornua monstri*. Iam enim paullo antea, *infamem iuvenicum* habes, et mox versu 72. *laceranda reddet Cornua taurus*: ut non sine fastidio et nausea tam putidam *tauri* repetitionem ferre possis. Ideo autem *Monstri*, quia fictus ille Taurus, ut primum Cretam appulit, resumpsit continuo effigiem humanam, et sic Europam vitia-vit. Cave enim cum interpretibus credas, sub tauri imagine id perpetratum esse. Moschus in *Europa* [I] v. 159. *φαίνεται μὲν δὲ Κρήτη, Ζεὺς δὲ πάλω ἐπίτην ἀνέλαιετο μοσχῆν, Ἀἴαε δὲ οἱ μίτην, καὶ οἱ λέγος ἐννοῦν ὠρατ.* Ovidius Fast. V. v. 615. „*Litoribus tacitis stabat sine cornibus ullis Iuppiter; inque deum de bove versus erat.*“ Sic et Lucianus in dialogo Zephyri et Noti [Evol. Analogy. 15 extr.]. *Ταῦτα ἐκ Φοινίκης ἄρχοι τῆς Κρήτης ἐγένετο· λαὶ δὲ βίβη τῆ νήσῳ, ὁ μὲν ταῦρος οὐκ ἐτι ἐφαίνετο· ἐπιλαβόμενος δὲ τῆς χειρὸς ὁ Ζεὺς αὐτῆν ἐπὶ τὴν Ἑβρώτην ἐς τὸ Δίκταϊον ἄντρον, ἐρηθρῶσαν καὶ κἀτω ὄρωσαν.* Simul autem atque insulam Cretam attingit, taurus quidem non amplius comparabat. Iuppiter vero, manu Europae arrepta, deduxit eam in Dictaeum antrum erubescens oculisque in terram deiecit.

60. *Laedere collum*] Ita nostra Exemplaria summo consensu: tamen *laedere collum*, pro *elidere, oblidere, frangere* nemo veterum dixit. Quare omnino legendum eum quibusdam Lambini codicibus, „*Pendulum zona bene te secuta e-Lidere collum.*“ ut Carm. I, 2, 19. „*Labitur ripa, laeve non probante, u-Xorius amnis.*“ et II, 16, 7. „*Grosche, non gemmis, neque purpura ve-Nale, nec auro.*“ Atque sic in ora sui libri correxerat prae-

Sive te rupes, et acuta leto
 Saxa delectant; age, te procellae
 Crede veloci: nisi herile mavis
 Carpere pensum
 65 Regius sanguis, dominaeque tradi
 Barbarae pellex. Aderat querenti
 Perfidum ridens Venus, et remisso
 Filius arcu:
 Mox, ubi lusit satis, Abstineto,
 70 Dixit, irarum calidaeque rixae;
 Cum tibi invisus laceranda reddet
 Cornua taurus.

v. 71. Forte, *Iam* tibi.

stantissimus Nic. Heinsius: Idem ad Ovidii Fast. IV. v. 371. „Reddendum, inquit, id verbum (*elidere*) Horatio opinor lib. III. od. XXVII. ubi nunc *laedere collum* circumfertur. Naso Metam. XIV. [v. 738] *Atque onus infelicis elisa fauce pendit*. Lucanus libro II. [v. 154] *Hic laqueo fauces elisaeque guttura fregit*. Haec Heinsius: quibus adde Metam. XII. [v. 142] *Vincta trahit galeae, quae presso subdita mento* Elidunt fauces.“ et Heroid. IX. [v. 85] „*Scilicet immanes elisis faucibus hydros*.“ et in Ibide v. 569. „*Utque loquax in equo est elisus guttur acerno, Sic tibi claudatur pollice vocis iter*.“ Seneca Herc. Fur. 221. „*Et tumida tenera guttura elidens manu*.“ Seneca de Providentia c. 6. [§ 9] „*Sive fauces nodus elisit, sive spiramentum aqua praeculsi*“: Idem Quaest. Nat. VI. 28. „*Liuent corpora, et non aliter quam per vim elisae fauces tument*.“ Lactantius de Mort. Persecut. c. XXX. [extr.] „*Ita eliso et fracto superbissimo gutture vitam detestabilem finivit*.“ Hieronymus contra Iovinianum lib. II. [p. 207, 30 ed. Ben.] „*Ibique Diogenes per noctem eliso gutture, non tam mori se ait, quam febrem morte excludere*“: ubi corrigendum opinor, *eludere*. Seneca Hercule Octavo v. 1235. „*Hinc ego lacertis colla Nemeaei mali Elisa pressi*“: ut ex codice Mediceo recte edidit Gronovius pater; cum antea *spolia* per omnes libros grassaretur. Prudentius Peristeph. [X] v. 1108. „*Elidit illic fure collum martyris Lictor nefandus*.“

71. *Cum tibi invisus Abstineto*, inquit, *irarum et rixae*, cum invisus taurus laceranda tibi reddet cornua. Equidem cum bona eruditissimi Dacertii venia fatebor hic tarditatem meam, qui nihil tam pulchrum et egregium in his verbis deprehendere valeo, quae ille tantopere admiratur. *Tum* abstinere irarum, cum taurus rodierit. Quid interea, quaeso, faciet, dum redit ille? an in aestu et fermento tantisper relinquenda erit? Iam nunc, opinor, pacanda potius et consolanda erat misella virgo, prae moerore et ira vix sui compos. *Abstineto* vero irarum, cum Taurus lacerandum se praebuerit. Metuendum scilicet erat, ne si vehementius tum commota esset, deum sub bove latitantem obruncaret! Haecine ceu pulchre et decore dicta laudibus prosequimur? non, si sapimus. Editio Veneta anno 1490, *dum tibi invisus*; non ut alii, *cum*. Doctissimus vir Georg. Fabricius 1555 sic edendum curavit, *non tibi invisus*; sed nulla, quantum coniecere licet, codicum auctoritate. Utcumque sit; facilis erat in illa vocula librorum lapsus; quia, ut iam saepe monitum, literae versuum initiales plerumque omittuntur. Mihi quidem totus locus sic constituendus videtur: „*Mox ubi lusit satis, Abstineto, Dixit, irarum calidaeque rixae: Iam tibi iniussus laceranda reddet Cornua taurus*.“ Respondet Venus ad ea, quae superius ab Europa prolata sunt, „*Siquis insamen mihi nunc invenum Dedat iratae; lacerare ferro et Frangere enitar modo multum amati Cornua*

Uxor invicti Iovis esse nescis?
 Mitte singultus; bene ferre magnam
 75 Disce fortunam: tua sectus orbis
 Nomina ducet.

XXVIII.

AD LYDEN.

Festo quid potius die
 Neptuni facias? prome reconditum,
 Lyde, strenua Caecubum;
 Munitaeque adhibe vim sapientiae.
 5 Inclinare meridiem
 Sentis; ac veluti stet volucris dies,
 Parcís deripere horreo
 Cessantem Bibuli consulis amphoram.
 Nos cantabimus invicem
 10 Neptunum, et viridis Nereidum comas:
 Tu curva recines Iyra
 Latonam, et celeris spicula Cynthiae:
 Summo carmine, quae Cnidon
 Fulgentisque tenet Cycladas, et Paphum

v. 2. Vulg. *Faciam*. 14. *Paphon*.

monstri.“ Quid, inquit, irata optas, ut dedat tibi aliquis taurum ferro lacerandum et cornibus truncandum? Quin noli adeo excandescere, quod inultum hoc abstulerit. Ecce tibi *iniussus* et sponte sua se tradet, pro libitu tractandum et puniendum. Vetus enim et exercitatus est amator, et saevientis dominae verbera laetus lubensque patietur: prorsus ad praeceptum et votum magistrorum Amoris, [Propert. III (IV), 6 (8), 5] „*Tu vero nostros audax invade capillos, Et mea formosis unguibus ora nota*.“ Et [Ovid. Art. Am. II, 451]. „*Ille ego sim, cuius laniet furiosa capillos: Ille ego sim, teneras cui petat ungue genas*.“ Haec, nisi fallor, non illepida Ironia est, nec Venusino nostro indigna. *Iniussus* autem levi vel nulla mutatione reposui, pro *invisus*; quod durius acerbisque vocabulum est, quam ut aut tauro modo multum amato, aut Veneri iocanti conveniat. *Iniussus* vero idem quod *sponte et ultro*: ut Noster Epod. XVI, 49. „*Illic iniussae venient ad mulcra capellae*.“ Virgil. Georg. I, 55. „*Arborum fetus alibi, atque iniussa virescunt Gramina*.“

2. *Festo quid potius die Neptuni faciam*] Apparet hanc Lyden non ancillam, sed amicam fuisse Flacci; atque adeo in Lydae domo, non in Flacci, comissionem hanc habitam esse. Quare omnino ineptum est, quod omnes hic editiones exhibent, *Quid faciam*: quasi ipse ex suo penu *Caecubum* praebere. Tu vero, vel centum codicibus invitit, non cunctanter *reponere*, „*Festo quid potius die Neptuni facias? prome reconditum, Lyde, strenua Caecubum*.“ Equidem miror tot interpretum aciem tam conspiciendum mendam effugere potuisse.

14. *Cycladas et Paphon*] Codices nostri Leidensis, Zulichem. Regi-nensis, Petrensis, Magdal. et alii cum melioribus Torrentii, *Paphum*. Quod placet, ut evitetur *ὑποιστέλιον* in fine versuum, *Cnidon, Paphon*.

- 15 Iunctis visit oloribus,
Dicitur, merita Nox quoque naenia.

XXIX.

AD MAECENATEM.

- Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado,
Cum flore, Maecenas, rosarum, et
Pressa tuis balanus capillis
5 Iamdudum apud me est. eripe te morae:
Ne semper udum Tibur et Aesulae
Declive contempleris arvum, et
Telegoni iuga parricidae.
Fastidiosam desere copiam, et
10 Molem propinquam nubibus arduis:
Omitte mirari beatae
Fumum et opes strepitumque Romae.
Plerumque gratae divitibus vices,
Mundaeque parvo sub lare pauperum
15 Cenae, sine aulacis et ostro,
Sollicitam explicuere frontem.
Iam clarus occultum Andromedae pater
Ostendit ignem; iam Procyon furit,
Et stella vesani Leonis,
20 Sole dies referente siccos.
Iam pastor umbras cum grege languido
Rivumque fessus quaerit, et horridi
Dumeta Silvani: caretque
Ripa vagis taciturna ventis.
25 Tu civitatem quis deceat status
Curas, et Urbi sollicitus times,
Quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent, Tanaisque discors.

v. 17. Vulg. *Andromedes*.

17. *Andromedes Pater*] Editiones veteres, cum codicibus Cruquii et Lambini et Nostris, *Andromedae*. Recte. Vide Nic. Heinsium ad Ovidii Heroid. XVIII. v. 149.

22. *Et horridi dumeta Silvani*] Battelianus, Bodleianus alter, cum duobus Lambini, et Pulmanni, *horrida dumeta*: ut Seneca Hercule Oetaeo v. 135. „*Ad Trachina vocor, saxa rigentia, Et dumeta iugis horrida torridis.*“ Sed meliores codices *Horridi*, quod sequimur. Martialis. X. 92. [v. 6] „*Et semidocta villici manu structas Tonantis aras, horridique Silvani.*“

28. *Tanaisque discors*] Non satis expediunt Interpretes, cur Tanais *discors* vocetur. An quia Europam ab Asia disterneret? Sed, cur ea de causa *secum ipse discors* sit, non video: neque enim *terminus discors*

- Prudens futuri temporis exitum
30 Caliginosa nocte premit Deus;
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. quod adest, memento
Componere aequus: caetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
35 Cum pace delabentis Etruseum
In mare, nunc lapides adesos
Stirpisque raptas et pecus et domos
Volventis una, non sine montium
Clamore vicinaeque silvae;
40 Cum fera diluvies quietos
Iuritat annis. ille potens sui
Laetusque deget, cui licet in diem
Dixisse, Vixi: cras vel atra
Nube polum Pater occupato,

dicitur, quia fines et limites discernit. An ideo *discors*, quia populi, per quos fluit, intestinis discordiis plerumque vexantur; aut forte tunc temporis cum *Bactrianis* bellum gererent? Atqui utrumque hoc quam maxime repugnat rationibus Flacci. Neque enim Maecenas *sollicite timere* potuit, quid contra Romanos *pararent* ii, qui domestico bello satis superque occupati erant. Quin potius eam ipsam ob rem timor omnis abiiciendus erat; ut noster alibi Carm. III. 8. 17. „*Mille civiles super urbe curas; Medus infestis sibi luctuosus Dissidet armis.*“ Equidem non tam explicandum hunc locum, quam suum poetae verbum, a librariis parum intellectum, restituendum esse putaverim. Aut fallor enim, aut sic scripsit Horatius; „*Quid Seres et regnata Cyro Bactra parent, Tanaisque discors.*“ Ideo autem *discors*, quia neque ad Europam, nec ad Asiam pertineat, inter utramque medius, et quasi extra sortem positus. Ovidius Amorum II. 12. [v. 11] „*At mea seposita est, et ab omni milite discors Gloria: nec titulum muneris alter habet.*“ Ita edidit illustris Heinsius ex codice optimo Puteaneo; cum ceteri omnes, ut hic, *discors* habuerint. Glossarium vetus: *Dissortes, διαζωσθέντες. Dissortium, διαζωστικὸς, διάστασις.* Sed de hoc vocabulo vide ipsum Heinsium fuse disserentem ad Sabinum Epist. I. v. 35.

34. *Nunc medio alveo Cum pace delabentis*] Quod Lambinus ex suis notavit, id in nostris Graeviano et Galeano invenimus, *medio aequore*, cui adscriptum erat *alveo* pro varia lectione. In ceteris habetur *alveo*, fere cum *aequore* superscripto. Placet *Alveo*, quod Editiones secutae sunt. Curtius lib. V. c. 13. [c. 4 § 8] „*Quippe obumbratus annis presso in solum dilabitur alveo*“; ubi corrige ex nostro *delabitur*. Ovidius Amor. II. 13. [v. 9] „*Quaque coler Nilus lato delapsus ab alveo Per septem portus in maris exit aquas.*“ ubi corrigendum *in alveo*; ex melioribus codicibus Heinsio visis: et praeterea ex coniectura, *Per septem portas*, id est, *ostia*, ut poetae passim.

43. *Cui licet in diem Dixisse vixi*] Ambiguum est, utrum velit poeta: *divisse, in diem vixi*; an *in diem dixisse, Vixi*. Prior constructio plerisque interpretibus placuit; ut ille *sui potens laetusque degere* hic dicatur, qui *in diem vivit*, sive ultra unum et praesentem diem nihil conetur aut consulat. Quintilianus Declam. XIII. [c. 17] „*Non ut ferae volucres, non praesentis modo cibi memores, in diem vivunt apes; duraturus hiemi reponitur victus, et repletis vere cellis tutus annus est.*“ Cicero II. de Oratore [c. 40 § 169]: „*Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia in*

- 45 Vel sole puro; non tamen inritum,
Quodeunque retro est, efficiet; neque
Diffinget, infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.
Fortuna saevo laeta negotio, et
50 Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem. si celeris quatit
Pennas; resigno quae dedit, et mea
55 Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quaero.
Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseris preces
Decurrere, et votis pacisci,
60 Ne Cypriae Tyriaeque merces
Addant avaro divitias mari.
Tum me biremis praesidio scaphae
Tutum per Aegaeos tumultus
Aura ferat, geminusque Pollux.
v. 62. Vulg. *Tunc*. 64. *Feret*.

semperiternum tempus spectare debent. Plinius Epist. V, 5. [§ 4] „*Nam qui voluptatibus dediti quasi in diem vivunt, vivendi causas quotidie finiunt.*“ Et sic alii saepe. Vide Casaubonum ad Persii Sat. III. [v. 62] pag. 270. Sed in hac constructione illud, si aciem intenderis, clare videbis; non omnino *vixi*, sed *vivo* diei oportuisse: „*ille potens sui Lactusque deget, cui licet, in diem, Dixisse, vivo: cras vel atra*“ etc. Quare rectius est, ut posteriorem constructionem sequamur; unde etiam sanior fortiorque sententia nascetur. Ille liber hilaris deget, qui *in diem* sive singulis diebus dixisse potest, *Vixi. In diem enim est quotidie*, quod alias *in dies* dicere solent. Noster Serm. II, 6, 47. „*Per totum hoc tempus subiectior in diem et horam Invidias.*“ Plinius Hist. Nat. VII, 2. [§ 32] „*Et singula quidem quae facit in dies ac prope horas quis enumerare valeat?*“ Iuvenal. Sat. VI. [v. 183] „*Horreat, inque diem septenis oderit horis.*“ *Vixi* autem, hoc est, satis iam hodie vixi; de crastino Deus constituat, ut volet. Martialis Epig. I, 15 [v. 11] „*Non est, crede mihi, sapientis dicere, Vivam: Sera nimis vita est crastina; vive hodie.*“ Dido apud Virgil. Aen. IV, 653. „*Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi.*“ Seneca de Beneficiis V, 17. [§ 5] „*Quis extremo die dicere audeat, Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi? quis non recusans, quis non gemens exit?*“ Idem Epist. XII. [§ 9] „*In somnum ituri, lacti hilaresque dicamus, Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi: crastinum si adiecerit deus, lacti recipiamus. Ille beatissimus est, et securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine expectat. Quisquis dixit, vixi, quotidie ad lucrum surgit.*“

64. *Aura ferat geminusque Pollux* Neque interpretes ceteri, nec ipse Dacrius qui reprehendit ceteros, quicquam hinc extundunt, quod *Venusina lucerna dignum* sit. Corrigendus nimirum locus est, priusquam recte explicari possit. Lege ergo: „*Tum me biremis praesidio scaphae Tutum per Aegaeos tumultus Aura ferat geminusque Pollux.*“ *Tum* libri meliores cum editione Loscheri, non *tunc*: *ferat* autem clare habet codex Galei cum Bodleianis duobus. Si fortuna, inquit, quae dedit, auferre volet: aequo

XXX.

- Exegi monumentum aere perennius,
Regalique situ pyramidum altius;
Quod non imber edax, non Aquilo inpotens
Possit diruere, aut innumerabilis
5 Annorum series et fuga temporum.
Non omnis moriar; multaque pars mei
Vitabit Libitinam. usque ego postera
Crescam laude recens; dum Capitolium
Seandet cum tacita virgine pontifex.
10 Dicar, qua violens obstrepit Aufidus,
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens,

animo et libens resigno. Neque si forte in navi magna tempestate depreusus fuero, ea causa (quod alii solent) deos precibus et votis fatigabo, ut argentum et pretiosae merces salvae evadant; me vero in tali tempore *quid sentire putas, quid credis, amice, precari? Tum me biremis etc.* Equidem de reulis meis minime sollicitus, satis habeo, si vel in *scapha* nudus ad littus appellam, meribus cum ipsa navi naufragio pereuntibus. Iuvenalis Sat. XII. [v. 37] de amico suo, qui in simili periculo pretiosissimas res non invitus in mare proiecit: „*Fundite quae mea sunt, dicebat, cuncta, Catullus; Praecipitare volens etiam pulcherrima, vestem Purpuream — Sed quis nunc alius, quae mundi in parte, quis audent Argento praeferre caput, rebusque salutem?*“ Ideo autem *scaphae praesidio*, quia olim, ut hodie, in tales usus *scaphae* navibus adiunctae erant: ut eleganter Statius Silv. I, 4 [v. 120] „*immensae veluti connexa carinae Cymba minor, cum saevit hiems, pro parte furentes Parva receptat aquas, et eodem volvitur austro.*“

11. *Et qua pauper aquae* Iam diu est, cum ab aliis recte emendati sunt hi versus: „*Dicar, qua violens obstrepit Aufidus, Et qua Daunus aquae pauper agrestium Regnavit populorum, ex humili potens, Princeps Aetolium carmen ad Italos Deduxisse modos.*“ ubi veteres editiones *Regnator* circumferbant; cum tamen Porphyrio, Servius, et codices Cruquiani sine dubio veram lectionem exhibeant, *Regnavit populorum*; quibus accedunt ex nostris Galeanus, Leidensis, et a prima manu Reginensis. Unum est, in quo plerique interpretes hic lapsi sunt, alterum in quo omnes. Quippe *Daunum aquae pauperem* fluvium quendam intelligunt: cum rex fuerit Apuliae, regionis aridae et situlosae; isque ea causa *pauper aquae* eleganter dicatur, ut Silius Italicus lib. III. [v. 303] „*Tum ebalybis pauper, Bamarcae cruda iuventus, Contenti parca durasse hastilia flamma.*“ Apuleius in Floridis [p. 19 Oud.]: „*Et frugum pauperes Hygraeos, et odorum divites Arabas.*“ Deinde illa verba, *ex humili potens*, perperam de ipso Horatio accipiunt et veteres Enarratores et novi. „*Gloriatur,*“ aiunt, „*se libertino patre ad tantam claritatem studiis pervenisse.*“ Quod de Cicerone similiter Vomanus in Epigrammate [Anthol. Burm. II, 167, 2], „*Doctrinae antistes, rerum mirabilis auctor Yllius, existens nobilis ex humili.*“ et Noster de se Epist. I, 20, 20. „*Me libertino natum patre et in tenui re, Maiores pennas nido extendisse loqueris; Me primis Urbis belli placuisse domique.*“ At pace tantorum virorum, quantumvis studiorum gloria et principum amicitia Noster floruerit; numquam, si bene eum novi, tam invidioso verbo *potentem* se dixisset. Quid enim? an qui uno agello in

Princeps Aeolium carmen ad Italos
 Deduxisse modos. sume superbiam
 15 Quaesitam meritis, et mihi Delphica
 Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

Sabinis contentus, *iure perhorruit Late conspicuum tollere verticem* (Carm. III, 16, 18.) quemque Maecenas suorum in numero habere dignatus est, „*duntaxat ad hoc quem tollere rheda Vellet iter faciens, et cui concredere nugae*“ (Sat. II, 6, 43), suo ipse praeconio se *potentem* esse venditaret? Imo vero de rege Dauno, non de se ea protulit Horatius, „*Et qua Daunus aquae pauper agrestium Regnavit populorum, ex humili potens*“: Daunus scilicet, qui primus apud Apulos regnum cepessivit, et proinde ex homine privato Princeps, ex exule Tyrannus, ex humili potens est factus. Festus Pompeius: „*Daunia, Apulia appellatur a Dauno Illyricae gentis claro viro; qui eam, propter domesticam seditionem excedens patria, occupavit*“ Iuvenalis Sat. III. v. 39. „*Quales ex humili magna ad fastigia rerum Extollit, quoties voluit Fortuna iocari*“.

15. *Et mihi Delphica Lauro*] Tam bona occasione corrigendus est obiter deploratus Ovidii locus, Pont. II, 5. [v. 67] ubi comparat inter se Oratoris et Poetae studia: „*Distat opus nostrum; sed fontibus exit ab isdem: Artis et ingenuae cultor uterque sumus. Thyrsus enim vobis, gestata est Laureae nobis: Sed tamen ambobus debet inesse calor.*“ Utiq; *meis numeris tua dat facundia nervos: Sic venit a nobis in tua verba nitor*“ ubi medium distichon, tanquam spurium, obelo confodit ingeniosissimus Nic. Heinsius, *καχοφωνία* enim illa *vobis, nobis, ambobus* mire offendit aures: et ubi, quaeso, oratoribus *gestatur Thyrsus*? Sed tres libri vetustissimi apud Heinsium sic verba exhibent: „*Delphica non aequae gustata est Laureae nobis*“ Pro nobis reponere *vobis*, Oratoribus scilicet: et sic satis commoda erit sententia. *Lauream enim Delphicam gestabant*, qui Poetae nomen et gloriam nacti erant; ut de se Noster hoc ipso in loco, „*et mihi Delphica Lauro cinge volens, Melpomene, comam*“ Verum altius in Nasone latet mendum; quo levi manu sublato, spondere ausim versum sanum integrumque, et auctore Ovidio dignissimum: „*Delphica non aequae gustata est Laureae vobis; Sed tamen ambobus debet inesse calor*“ Vos, inquit, Oratores non aequae gustastis laurum, ac nos Poetae; neque parem inde ac nos entusiasmum concepistis: tamen et vobis, aequae ac nobis, calor quidem, quamvis non furor, inesse debet. Notissimum est, ex mersu Lauri Vates et Poetas entheos fieri: Iuvenalis Sat. VII, 19. „*Nemo tamen studiis indignum ferre laborem Cogitur post haec, nec illi quicumque canoris Eloquium vocale modis, Laurumque momordit*“.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER IV.

I.

AD VENEREM.

Intermissa, Venus, diu
 Rursus bella moves? parce precor, precor.
 Non sum qualis eram bonae
 Sub regno Cinarae. desine, dulcium
 5 Mater saeva Cupidinum,
 Circa lustra decem flectere mollibus
 Iam durum imperiis: abi
 Quo blandae iuvenum te revocant preces.
 Tempestivius in domum
 10 Pauli, purpureis ales oloribus,
 Commissabere Maximi;
 Si torrere iecur quaeris idoneum.
 Namque et nobilis, et decens,
 Et pro sollicitis non tacitus reis,

v. 9. Vulg. *Domo*.

1. *Intermissa Venus diu*] Puerilem hic errorem admiserunt Interpretes; cum in his verbis, „*Intermissa Venus diu, Rursus bella moves?*“ *intermissa* ad *Venus* referunt. Quod, cum *Venus* deam hic, non rem venerem notet, ne Latine quidem dici potest. Tu vero, si sapis, *intermissa* cum *bella* coniungens sic locum distingue; „*Intermissa, Venus, diu Rursus bella moves?*“ ut ordo sit, *O Venus, rursus moves bella diu intermissa?* Petronius p. 379. Edit. Variorum [c. 109 pr.]: „*Haec ut turbato clamore mulier effudit; haesit paullisper acies, revocataeque ad pacem manus intermisere bellum*“.

9. *Tempestivius in domo*] Graevianus, Reginensis, Battelianus, Galei, Bodleiani duo, Lambini aliquot et Pulmanni, *domum*. Quod recipiendum puto. *Comissari in domum*; ut Gellius IV, 14. [§ 5] „*Apud eos dixit comissatorem Mancinum ad aedes suas venisse*“ Livius XL, 7. [§ 5] „*Quin comissatum ad fratrem imus*“ Theocritus Idyll. III. v. 1. *Κωμάσθω ποτι τὴν Αμαρνήλιδα*. Noster de eadem re, Carm. I, 30, 4. „*Sperne dilectam Cypron, et vocantis Thure te multo Glycerae decoram Transfer in aedem*“.

- 15 Et centum puer artium,
Late signa feret militiae tuae:
Et, quandoque potentior
Largi muneribus riserit aemuli,
Albanos prope te laeus
20 Ponet marmorcam sub trabe citrea.
Illic plurima naribus
Duces tura; lyraque et Berecyntia
Delectabere tibia
Mixtis carminibus non sine fistula.
25 Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
In morem Salium ter quatient humum.
Me nec femina, nec puer
30 Iam, nec spes animi credula mutui,

v. 18. Vulg. *Largis*. 22, 23. *Lyrae, Berecyntiae, Tibiae*.

18. *Largis muneribus riserit aemuli*] Torrentiani duo et unus Bersmanni, *largi*; atque ita nostri, Vigorniensis, Regiae Societatis, et a manu secunda Graevianus. Recte. Quamquam enim optime dicitur *largis muneribus*; ut Apuleio Metam. XI. [p. 265, 4 Elm., p. 788 Oud.] „*Donec muneribus largis completa navis pelago redderetur*“; et Boetio de Consol. II. Metr. 2. [v. 17] „*Largis cum potius muneribus fluens Sitis ardescit habendi*“; dulcior tamen compositio erit, si *largi* legeris; tum et sententia fortior. *Largus* est liberalis, vel prodigus. Cicero de Officiis II, 16. [princ.] „*Omnino duo sunt genera largorum; quorum alteri prodigi, alteri liberales*.“ Maius autem quid denotant *largi aemuli munera*, quippe quae ille prodigus iterum iterumque ingerere solet; quam *largi munera aemuli*, fortasse avari, et semel tantum atque invito animo donata.

22. *Lyraeque et Berecyntiae Delectabere tibiae*] Codex Cruquii Blandinius omnium vetustissimus cum Lambini quibusdam et Bersmanni uno, „*Lyraque et Berecyntia Delectabere tibia, Mixtis carminibus, non sine fistula*.“ Atque haec lectio potior est, iudice Nic. Heinsio, cuius calculo et ipse accedo. „*Delectabere*“, inquit, „*lyra et tibia, carminibus mixtis*“; qualis verborum constructio Poëtis valde familiaris est. Virgil. Aen. X [v. 871], et XII [v. 667]: „*aestuat ingens lmo in corde pudor, mixtoque insaniam luctu*.“ Lucretius VI, 377. „*Ancipiti quoniam bello turbatur utrimque, hinc flammis, illinc ventis, humoreque mixto*.“ Valerius Flaccus, V, 100. „*Carmina quinetiam visos placantia manes Odrysius dux vite movet, mixtoque sonantem Percutit ore lyram*.“ Prudentius Psychom. 350. „*Exstimulans animos, nunc probris, nunc prece mixta*.“ In vulgata lectione intricatior paullo constructio est: *delectabere carminibus, mixtis lyrae et tibiae*. *Mixtis lyrae* autem, ut Ovid. Ep. Parid. [Hor. XVI, 6] „*Laetitiae mixtos non habitura metus*.“ Verum et hoc modo *mixtis lyrae* libentius, credo, dixisset Noster, quam *mixtis lyrae*: ut Virgil. Aen. VIII [v. 510] „*Gnatum exhortaret, ni mixtus matre Sabella hinc partem patriae traheret*“ et XII [v. 68] „*vel mixta rubent ubi lita multa Alba rosa*“ et iterum [v. 838], „*Hinc genus Ausonio mixtum quod sanguine surget*“ et XI [v. 634] „*permixti caede virorum Semanimes voluntur equi*.“ Caeterum v. 28. pro *quatient* codices magnae vetustatis Graevianus et Reginensis, *quatiant*.

- Nec certare iuvat mero,
Nec vincere novis tempora floribus.
Sed cur heu! Ligurine, cur
Manat rara meas lacrima per genas?
35 Cur facunda parum decoro
Inter verba cadit lingua silentio?
Nocturnis ego somniis
Iam captum teneo, iam volucrem sequor
Te per gramina Martii
40 Campi, te per aquas, dure, volubilis.

II.

AD ANTONIUM IULUM.

- Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
5 Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet, immensusque ruit profundo
Pindarus ore;
Laurea donandus Apollinari,
10 Seu per audacis nova dithyrambos
Verba devolvit, numerisque fertur
Lege solutis:
Seu Deos, regesve canit Deorum
Sanguinem, per quos cecidere iusta
v. 13. Vulg. *Regesque*.

37. *Nocturnis te ego somniis*] Illud *te*, quod editiones Lambini et Torrentii obsedit, atque inde in plures derivatum est, non comparet in vetustis aut Cruquiana. Neque agnoscunt scripta fere exemplaria. Graevianus, cum Bodleiano altero; „*Nocturnis ego te somniis*.“ Reginensis, „*Nocturnis te somniis*.“ Apparet in paucos codices ex notis interlinearibus irrepsisse: in ceteris nec vola eius nec vestigium est.

6. *Velut amnis, imbres Quem super notas aluere ripas*] Frustra codices omnium veterrimi Blandinius Cruquii, Leidensis et Graevianus, *Cum super notas saltare ripas, vel saluere*. Seneca Herc. Fur. v. 933. „*nullus hiberna nive Nutritus agros annis eversos trahat*.“ Statius Achill. II, 429. „*rapidissimus ibat Imbribus assiduis pastus nivibusque solatis Sperchius*.“ Lucretius, I, 282. „*Flumine abundant, quod magnis imbris auget Montibus ex altis magnus decursus aquarum*.“ Recte igitur se habet recepta lectio *aluere*.

13. *Seu Deos regesque canit*] Ita editi ubique; sed repono ex Lambini quibusdam, duobus Bersmanni, et Nostris Graeviano, Colbertino, Galeano et Bodleiano altero, *regesve*, ut infra v. 17. „*Sive quos Elea*“ — et v. 21. „*Flebili sponsae iuvenemve raptum*.“ Neque enim uno carminis genere et *Deos* et *Reges* sive Heroas cecinit Pindarus, sed illos in ἑραοῖς et παῖσιν, hos in αἰσίοις. Noster Carm. I, 12, 1. „*Quem virum, aut heroa*

- 15 Morte Centauri, cecidit tremendae
Flamma Chimaerae:
Sive, quos Elea domum reducit
Palma caelestis, pugilemve equumve
Dicit, et centum potiore signis
20 Munere donat:
Flebili sponsae iuvenemve raptum
Plorat, et vires animumque moresque
Aureos educit in astra, nigroque
Invidet Orco.
25 Multa Dircaeam levat aura eycenum,
Tendit, Antoni, quotiens in altos
Nubium tractus: ego, apis Matiuae
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem,
30 Plurimum circa nemus uvidique

lyra vel acri Tibia sumis celebrare, Clio, Quem Deum? ipse Pindarus Olymp. II. [v. 1] *Ἀραξιδόμου γγίς τῦνοι, τίνα θεῶν, τίς ἕρως, τίνα δ' ἄφρα κελιδόουεν.*

17. *Sive quos Elea* Mala interpunctio libros omnes hic contaminavit: tu ita distingue: „*Sive, quos Elea domum reducit Palma caelestis, pugilemve equumve Dicit:*“ hoc est, *sive dicit pugilem aut equum, quos Elea palma nobilitat.* Cave, illud quos alio referas, ut vulgo faciunt. *Pugilem et equum* etiam alibi coniunxit: ut in Arte Poetica v. 84. „*Et pugilem victorem, et equum certamine primum:*“ et Carmine sequenti v. 4. „*Illum non labor Isthmum Clarabit pugilem, non equus impiger Cebra ducet Achaico.*“ Dio Chrysostomus De Regno II. [p. 74 Reiske] *Τὰ μὲν οὖν ἄλλα ποιήματα ἔγωγε ἠγάπησα, τὰ μὲν ἀμισητικὰ αἰσίων, τὰ δὲ ἰσοτικὰ, τὰ δὲ ἐγκώμια ΑΘΛΗΤΩΝ ΤΕ ΚΑΙ ἸΠΠΩΝ νικούντων.* Ergo hic et *Equum* dicit caelestem fieri, palma adepti. Equus enim victor et *encomio* et *corona* honestabatur. Plutarchus Symposiacōn II, 5. [p. 639] *Καὶ τῶν ζῶων μόνον τῶ ἸΠΠῶ μισθωσία ΣΤΕΦΑΝΟΥ καὶ ἀγῶνος ἴστων, οὗ μόνος καὶ πέφυκε καὶ ἡσκηται μαζούεντος παρῖνας καὶ συμπλοκῆν.* Theocritus Idyll. XVI, 46. *εἰμῶς δὲ καὶ ἀπὸς Ἑλλάδος ἸΠΠΟΙ Οἱ σπρίων ἐξ ἰσῶν ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΙ ἰψῶν ἰσῶν.* Quae duo loca iam occupata video ab Illustrissimo Viro, cui nostra actas nec parem quemquam in literis nec secundum habet, Ezechiele Spanhemio; observationibus ad Callimachum p. 716 [ad Hymn. Cerer. v. 110]. Ceterum corrigendum puto Ovidium, in Tristibus IV, 10. v. 95. „*Postque meos ortus Pisaea vinetus oliva Abstulerat decies praemia victor eques.*“ Nullus dubito, quin Naso sic scripserit, „*Abstulerat decies praemia victor equus.*“

23. *Aureos educit in astra* Reducit vel redducit plerique habent codices, etiam vetusti, ut ex nostris Leidensis, et a prima manu Reginensis. Sed ferri nullo modo potest tam inficeta repetitio: cum paullo ante v. 17. iam semel habuimus, „*Sive quos Elea domum reducit.*“ Quare cum Editione prima et Graeviano codice antiquissimo et aliis nonnullis retineamus *educit. Educit in astra ex orco*; ut infra Carm. VIII v. 25. „*Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum Virtus, et favor et lingua potentium Vatum divitibus consecrat insulis.*“ Seneca Herc. Fur. 95. „*discordem Deam Educam, et imo Ditis e regno extraham.*“

29. *Per laborem Plurimum, circa nemus* Sic olim et hodie distinguit quiquid est Interpretum: ut *plurimum* referatur ad *laborem*; mihi contra

- Tiburis rivos operosa parvus
Carmina fingo.
Concines maiore poeta plectro
Caesarem, quandoque trahet ferocis
35 Per sacrum clivum merita decorus
Fronde Sygambros:
Quo nihil maius meliusve terris
Fata donavere bonique Divi,
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
40 Tempora priscum.
Concines laetosque dies, et Urbis
Publicum ludum super impetrato
Fortis Augusti reditu, forumque
Litibus orbum.
45 Tum meae (si quid loquor audiendum)
Vocis accedet bona pars; et, O sol
Pulcher, ô laudande, canam, recepto
Caesare felix.

v. 31. Vulg. *Ripas.* 45. *Loquar.*

videtur convenientius, ut ad *nemus* pertineat. *Carpentis per laborem*, hoc est, laboriose carpentis. Salustius in Catil. c. 7. [§ 4] „*Inventus in castris per laborem usu militiam discibat.*“ Ita loqui amant scriptores Latini, *per dolum, per iram, per otium, per iocum, per necessitatem, per vim*; numquam addito epitheto. Tum autem illud, *Plurimum circa nemus*, multo opinor nitidius et *ποικιλωτέρων* erit, quam *circa nemus* nude arideque prolatum. Ovidius Metam. XIV, 361. „*Plurima qua silva est, et equo loca pervia non sunt.*“ Virgil. Aen. I. [v. 419] „*Jamque ascendebant collem, qui plurimus urbi Iminet.*“ Statius Theb. I. [v. 114] „*abrupta qua plurimus arce Cithaeron Occurrit caelo.*“ Plurimum vero esse nemus circa Tibur, vel ex carmine sequenti satis constat [v. 10]. „*Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt, Et spissae nemorum comae.*“ adde Statium Silv. I, 3. [v. 17] de villa Tiburtina Vopisei. „*nemora alta citatis Incubere vadis; fallax responsat imago Frondibus; et longas eadem fugit umbra per undas.*“ ubi obiter lege, „*et longas eadem fugit unda per umbras.*“ Recte igitur *plurimum nemus*: potuisset tamen magis apposite, ut comparatio cum *ape Matina* per omnia responderet: *florum circa nemus*: quod et a vulgata lectione non nimis abhorret. Lucretius III, 11. „*Floriferis ut apes in saltibus omnia libant.*“ Virgil. Aen. I, 430. „*Qualis apes aestate nova per florea curra Evertet sub sole labor.*“ Val. Flaccus V, 344. „*Florea per verni qualis toga ducit* Hymetti, *Aut Sicula sub rape choros.*“

31. *Uvidique Tiburis ripas* Omnes quidem, quot vidi, scripti editique *ripas*: satis tamen inficete; cum nusquam, opinor, *ripas* reperias, quin ibidem vel fluvii vel aquarum mentio fiat. Crediderim a Librariis corruptam esse lectionem, qui *Tiburis* hic pro *anne Tiberi* perperam acceperint. Et tamen alias *ripis* pro *riis*, et vicissim, frequenter abutuntur exscriptores. Lege vero, vel ipsis omnibus invitis, „*Plurimum circa nemus, uvidique Tiburis rivos.*“ Noster Carm. I, 7, 13. „*Et praecipit Anio, et Tiburni lucus, et ada Mobilibus pomaria rivis.*“ Rivi autem *apibus* gratissimi; ut Virgil. Georg. IV, 19. „*At liquidi fontes, et stagna virentia musco Adsint, et tenuis fugiens per gramina rivus.*“

45. *Si quid loquar audiendum* Graevianus, Reginensis, Magdalenensis,

Isque dum procedit, Io triumphe,
 50 Non semel dicemus, Io triumphe,
 Civitas omnis; dabimusque Divis
 Tura benignis.

v. 49. Vulg. *Taque; Procedis.*

Bodleyanus cum quibusdam Lambini, sine dubio rectius; „*Tum meae, (si-
 quid loquor audiendum) Focis accedet bona pars: siquid loquor;* hoc
 est, siquid loqui soleo Romanorum auribus dignum: quippe iam diu tres
 Carminum libros emiserat, qui avidissime ab omnibus legebantur.

49. *Taque dum procedis, Io Triumphhe*] Loscheri editio cum codicibus
 quibusdam inferioris aetatis, *Taque*: at prima Veneta cum scriptis omnibus
 vetustioribus, *Teque*. Si illud sequeris; tum quaestio continuo movetur,
 quoniam illud *Tu* referri debeat. Sunt qui ad *solem* spectare credant; ut
 fiat, „*Dum tu, O Sol sive dies pulcher procedis*“: quale Virgilio illud
 Eclog. IX. [v. 47] „*Ecce Dionaei processit Caesaris astrum*“ et Aen. III.
 [v. 356] „*Iamque dies alterque dies processit*“ Verum hi faciles sibi
 lectores et minime morosos videntur expectasse. Quid enim? an a mane
 ad vesperam, *dum dies procedit*, usque ad ravam clamandum erat, *Io
 triumphe*? Quod si maxime his *Solem* significare vellet Noster; certe non
dum tu procedis, sed *dum ille procedit*, dicendum fuisset, ut orationis
 seriem contemplanti sole ipso clarius patebit. *Tum*, inquit, *canam, o sol
 pulcher*; quae sunt ipsa verba Carminis, quod tum canturum se polli-
 cetur, et *materialiter* (ut Grammatici loquuntur) hic sumi debent. Minime
 autem iam nunc *Solem* alloquitur; neque ullo modo *tu procedis de Sole*
 intelligi queant, quem nullis adhuc verbis compellavit. Verum alii potius
 ad Antonium Iulium, cui carmen hoc inscribitur, referenda haec opinantur;
 adeo ut *dum Antonius procedat*, civitas omnis *Io triumphe* iterare debuerit.
 Sed quo obscuro nomine *procedet* Antonius? an ut qui triumphum ipse
 agat? nihil minus: spectant enim haec omnia ad Augusti triumphum de
 Sicambriis, quem aliquando futuram esse vaticinatur hic Noster. An in alieno
 quidem triumpho, sed tamen, utpote vir clarus et magnis honoribus functus,
 inter primos *procedet*, omnibus conspicendus? Sed et hoc nihil est: ne-
 mini enim, praeterquam ipsi Triumphanti, *civitas omnis* *Io Triumphhe* ac-
 cinebat. Ovidius Amor. I. 2. [v. 33] de Cupidine triumphante: „*Omnia te
 metuent: ad te sua brachia tendens Fulgus, Io, magna voce, Triumphhe
 canet*“ Idem in Trist. IV. 2. [v. 47] „*Hos super in curru, Caesar, victore
 veheris Purpureus, populi rite per ora tui: Quaque ibis, manibus cir-
 cumplaudere tuorum, Undique iactato flore tegente vias: Tempora Phoebae
 lauro cingetur, loque, Miles, Io, magna voce, Triumphhe, canet*“
 Idem Amor. I. 7. [v. 35] „*I nunc, magnificos victor molire triumphos,
 Cinge comam lauro, votaque redde Iovi. Quaeque tuos currus comitatriae
 turba sequetur, Clamet, Io forti victa puella viro*“ Neque *Sol* igitur recte
 procedit, neque *Antonius*: restat, ut ad illos demum Interpretes nos con-
 vertamus, quibus Poeta ad ipsum Triumphum conversus hoc dicere videtur.
Dum tu, Io (sive *o Triumphhe, procedis*: ut in Epodo IX, 21. Triumphum
 tanquam Deum alloquitur: „*Io Triumphhe, tu moraris aureos Currus et
 intactas boves: Io Triumphhe, nec Ingurthino parem Bello reportasti du-
 cem*“ Atque hanc expositionem necessario sequuntur illi, qui cum meliore
 codicum parte *Teque* praeferunt. Verum et hic, si penitus excusseris, nihil
 sani reperies. Si *Taque* magis tibi arridet, tum haec inde orietur con-
 structio: *Dumque tu, Io* (id est, *o Triumphhe, procedis; non semel di-
 cemus* haec verba, *Io Triumphhe*. Quis vero hoc iis condonabit, ut
 alio sensu exponant prius *Io Triumphhe*, alio posterius? quis in cultissimo
 poeta tale portentum admittet? Quod si navis alteram lectionem *Teque*;
 iam illa exhibet sententia: *Dumque, o Triumphhe, procedis, non semel te*

Te decem tauri totidemque vaccae,
 Me tener solvet vitulus, relicta
 55 Matre qui largis iuvenescit herbis
 In mea vota;

dicemus, sive carmine celebrabimus, *o Triumphhe*. Ubi, ut mittam illud *o
 Triumphhe* iam inepte prorsus et putide repetitum; ut mittam iam *civitatem
 omnem*, puerosque patresque, carmina in Triumphum illum scripturos, id-
 que *non semel*; quo nihil fingi potest absurdus: illud unice hanc inter-
 pretationem evertit, quod procul omni dubio cum Noster ait, *dicemus
 Io triumphe*; illa ipsa verba sic proferri et acclamari velit: quemadmodum
 et Naso locis iam citatis; „*Miles, Io, magna voce, Triumphhe, canet*“
 „*Fulgus, Io, magna voce, Triumphhe, canet*“ „*Clamet, Io forti victa
 puella viro*“ et Tibullus II, 5. [v. 118] „*lauro devinctus agresti Miles,
 Io, magna voce, Triumphhe, canet*“ Quin et eam ob causam addit, *non
 semel dicemus*; nimirum quia eandem hic acclamationem bis positam
 habes, „*Taque dum procedis, Io triumphe, Non semel dicemus, Io tri-
 umphe*“; ut Ovidius in Arte Am. II. v. 1. „*Dicite, Io Paean, et Io, bis
 dicite, Paean*“ Satis, opinor, superque iam refutata sunt, quaeumque ad
 colorem aliquem huic loco inducendum protulerunt Interpretes: et tamen
 unicum illud, quod iam dicturus sum, vel per se sufficeret ad utramvis
 lectionem, seu *Taque* sive *Teque*, funditus subruendam. Dico enim, et
 omnes in bonis scriptoribus tritos et subactos mecum habeo sentientes, non
 aliter accipi posse, „*Taque*“, vel „*Teque dum procedis, Io triumphe*“,
 et illud altero abhinc commate, „*Te decem tauri totidemque vaccae*“,
 quam de una eademque persona. Nihil enim intervenit, quo *Taque* et *Te*
 ad diversas spectare lector moneatur. Cum autem posterius illud ad Anto-
 nium Iulium referri, et res ipsa clamitet, et omnes ubique consentiant; prius
 vero ad eundem Antonium nullo pacto pertinere posse iam supra proba-
 verim; id restat, ut prioris loci lectionem mendosam esse necesse sit: et
 proinde de emendatione vel certa vel commoda iam serio sit cogitandum.
 Atque hunc in finem coniectura nos sua impertire vir insignis Daniel Hein-
 sius, qui fidentius pro more suo pronunciat, sic ab Horatio certissima
 fuisse scriptum, „*Duxque dum procedit, Io triumphe*“ „*Quis enim,*“ in-
 quit, „*praeter Imperatorem in triumpho procedit, cum in Capitolium
 vehitur? cui nisi Imperatori triumphus clamatur? cuius denique gratia
 populus rem sacram facit, nisi eius qui triumphat?*“ Bene quidem haec:
 et profecto rem ipsam quasi per nebulam vidit; in verbis eruendis hallu-
 cinatus est. Quippe levior, ni fallor, cicatrice sanari poterit hoc ulcus.
 Dixerat Noster, „*et, O Sol Pulcher, o laudande, canam, recepto Caesare
 felice*“: quibus illa iam subiunge ex correctione nostra: „*Isque dum pro-
 cedit, Io Triumphhe, Non semel dicemus, Io Triumphhe*“ *Isque*, is est
Caesar. Enimvero hoc vocabulum adeo commode rem et sententiam con-
 ficit, adeo parum recedit a lectione vulgata, adeo notum denique et re-
 ceptum est omnibus poetis, quotiescumque persona aliqua iam semel suo
 nomine appellata rursus indicatur; ut suo iure pro sincera hic lectione
 omnino sit admittendum. Virgilius Aen. IV, 203. „*Protinus ad regem
 cursum detorquet Iarham* — *Isque amens animi, et ramore accensus amaro*“
 et V, 708. „*Tum senior Nautae* — *Isque his Aeneam solatus vocibus infit*“
 et VI, 684. „*At pater Anchises penitus convulso viro* — *Isque ubi ten-
 dentem adversum per gramina vidit Aenean*“ et IX, 549. „*quorum pri-
 maeve Helenor* — *Isque ubi se Turni media inter millia vidit*“ et XI, 702.
 „*Apenninicae bellator filius Auni* — *Isque ubi se nullo iam cursu eva-
 dere pugna*“ Porro recte in Triumpho Caesar procedere dicitur; ut Virgil.
 XI, 94. „*Postquam omnis longe comitum processerat ordo*“ Ovid. Fast.
 IV. [v. 295] „*Omnis eques, mixtaque gravis cum plebe Senatus Obvius*

Fronte curvatos imitatus ignis
Tertium lunae referentis ortum,
Qua notam duxit, niveus videri,
60 Cetera fulvus.

III.

AD MELPOMENEN.

Quem tu, Melpomene, semel
Nascentem placido lumine videris,
Illum non labor Isthmius
Clarabit pugilem; non equus impiger
5 Curru ducet Achaico
Victorem, neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quod regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio:
10 Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt,

*ad Tusci fluminis ora venit. Procedunt pariter matres nataeque nurus-
que.*

58. *Tertium lunae referentis ortum*] *Orbem* in nonnullis codicibus repererunt Interpretes; ut et nos in decem ex nostris. Reginensis tamen et Regiae Societatis *ortum*; quod in Leidensi, Graeviano, Batteliano pro varia lectione ponitur. Si illud sequeris, tum tertium *mensum* intelliges; quod nihil facit ad poetae sententiam. Gellius I, 20. [§ 6] „*Quod et Luna orbem saum lustrat septem et viginti diebus.*“ Ovid. Fast. II, 175. „*Luna novum decies implet cornibus orbem.*“ Idem Metam. II, 453. „*Orbe resurgant lunaria cornua nono.*“ Tibullus II, 4. [v. 17] „*et qualis, ut orbem Complevit, versis Luna recurrit equis.*“ Propertius II, 16. [v. 21] „*Septima iam plene deducitur orbita lunae.*“ Quamobrem cum libris editis retinendum est omnino *tertium ortum*, hoc est, diem tertium. Virgilius Georg. I, 431. „*vento semper rubet aurca Phoebæ: Sive ortu in quarto (namque is certissimus auctor) Pura, neque obtusis per caelum cornibus ibit.*“ Val. Flaccus II, 367. „*Et lunam quarto densam videt inbribus ortu Thespiades.*“

59. *Qua notam duxit*] In codice Regiae Societatis *traxit*, ut Ovid. Fast. I, 596. „*Ille Numantina traxit ab urbe notam.*“ Statius Theb. VII, 302. „*ac primae genitorem in flore iuventae Consequitur,* traxitque notas, *et miscuit annos.*“ Tamen et *notam duxit* aequae, si non magis, elegans locutio est, et omnium fere codicum suffragiis nititur. Propertius I, 5. [v. 16] „*Et timor informem ducet in ore notam.*“ Plura vide apud Nicolaum Heinsium Notis ad Ovidii Fast. VI, 649. Ita *ducere colorem, livorem*. Virgil. Ecol. IX, 49. „*Duceret apricis in collibus uva colorem.*“ Iuvenalis II, 81. „*Uvaeque conspecta livorem ducit ab uva.*“ Seneca Herc. Fur. 347. „*ducet e genere inelyto Novitas colorem nostra.*“

10. *Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt*] Sic clare habent veterimi codices Graevianus, Reginensis cum aliis: Leidensis *Profluunt*. Editio prima Veneta *Perfluunt*, quod nollem clarissimos viros Fabricium et Daccium calculo suo probavisse. Velleius Patereulus II, 106. „*Ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundorumque fines praefluit.*“ Noster infra Carm. XIV, 26. de Aufido. „*Qui regna Dauni praefluit Appuli.*“ Livius I, 45. [§ 6] „*Infima valle praefluit Tiberis.*“ Sic *praeflubi, praeechi*. Lucanus

Et spissae nemorum comae,
Fingent Aeolio carmine nobilem.
Romae principis urbium
Dignatur suboles inter amabilis
15 Vatum ponere me choros:
Et iam dente minus mordeor invido.
O testudinis aureae
Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas;
O mutis quoque piscibus
20 Donatura cyei, si libeat, sonum:
Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae:
Quod spiro et placeo (si placeo) tuum est.

IV.

DRUSI LAUDES.

Qualem ministrum fulminis alitem
(Cui rex Deorum regnum in avis vagas
Permisis, expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flavo)
5 Olim iuventas, et patrius vigor
Nido laborum propulit inscium;
Vernique, iam nimbis remotis,
Insolitos docuere nisus

VI, 76. „*Quoque modo Romae praeclapsus moenia Tiberis In mare descendit.*“ et X, 308. de Nilo: „*Inde plagas Phoebi damnum non passus aquarum Praeveheris.*“ Vide Gronovium patrem ad Livii XXIX, 32. [§ 8]. 23. *Romanae fidicen Lyrae*] Respexit huc Ovidius Trist. IV, 10. [v. 49] „*Et tenuit nostras numerosus Horatius aures; Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.*“ Quod si in mentem praestantissimo Nic. Heinsio venisset, numquam ex coniectura tentasset ibi reponere, *Aeolia lyra*. Quamquam et hoc solertissimo viri ingenio minime indignum; sic enim de Rufo homine Romano Ovidius Pont. IV, 16. [v. 28] „*Pindaricae fidicen tu quoque, Rufo, Lyrae.*“

7. *Vernique iam nimbis remotis*] Vir incomparabilis Iulius Caesar Scaliger sic in Hypercritico suo [p. 887] hunc locum trutinæ castigat: „*Vernique iam nimbis remotis Insolitos docuere nisus Venti paventem.*“ „*Iam adultum,*“ inquit, „*aquilae pullum describit, eum attribuit ei iuventutem; praeterea cum demittit in ignos et in dracones. Quare non potest hic veris facere mentionem: nam primo inenute vere aquila parit: incubat tricenis diebus: viz. sexto mense (Augusto) ad venationem apti sunt pulli: quippe Septembri etiam sunt invalidiusculi.*“ Quae cum veris similia sint et tanti viri fide tradita: (nam Aldrovandus etc. nihil hic nos docent) videamus quo pacto Torrentius Dacciusque Flacci partes tutentur. *De adulto*, aiunt, *vere loquitur Horatius*, iam remotis nimbis, *hoc est, inenute aestate: totum enim ver imbriferum est*. Mirifica sane defensio. Si enim *totum ver* imbriferum sive nimbosum est, quomodo nimbis iam remotis venti adhuc *verni* dicuntur? Aut nihil videmus, aut *aestivi* potius

Venti paventem; mox in ovilia
 10 Demisit hostem vividus impetus;
 Nunc in reluctantis dracones
 Egit amor dapis atque pugnae:
 Qualemve lactis caprea pascuis
 Intenta, fulvae matris ab ubere
 15 Iam lacte depulsum leonem,
 Dente novo peritura, vidit:

dicendi erant. Quanto rectius fuerat non dissimulasse complurium codicum lectionem, quae et Scaligeri experientiae non refragatur, et Horatium tamen ab omni culpa praestat immunem: „Vernisque iam nimbis remotis, Insolitos docere nisus Venti paventem.“ Ita vetustissimus noster Leidensis, et Colbertinus, et Bodleianus alter, et unus Bersmanni: ita Petrensis, cui verni pro varia lectione additum: ita optimi libri Graevianus et Reginensis, in quibus litera S erasa adhuc cernitur. Ut ne dubitandum quidem sit, quin idem in nonnullis suis codicibus Interpretes invenerint: etsi id memoriae tradere non operae pretium videbatur. Profecto non aliter legisse Scholiastam veterem facile odorari poterant: „vernique.“ ait, „aut ruit imbriferum ver.“ Atqui exemplum illud ex Virgil. Georg. I, 313. petitum scripturae isti prorsus repugnat: hic enim ver imbriferum sive nimbosus est, illic verni sunt venti, remotis nimbis. Sine dubio scripsit Scholiastes; „vernisque nimbis“ ut, Ruit imbriferum ver.“ Iam enim id exemplum adeo apposite citatur, ut nihil magis. Quippe in Italo caelo ver imbribus et nimbis plerumque infestum est. Iuvenalis Sat. IV, 87. „Cum quo de pluvius, aut aestibus, aut nimbo Vere locuturi fatum pondebat amici.“ Seneca Nat. Quaest. IV, 4. „Quare vere, iam frigore infracto, granda cadat? Cum ver coepit, maior inclinatio aëris sequitur, et calidior caelo matora sunt stillicidia. Ideo, ut ait Virgilius noster, Cum ruit imbriferum ver, vehementior immutatio est aëris undique patefacti et solventis se, ipso tempore (forte, ipso tempore) adiuvante. Ob hoc nimbi graves magis castique quam pertinaces deferuntur.“ Statius Silv. IV, 4. [v. 12] „Iam terras volucrumque polum fuga veris aquosi Larat.“ Virgil. Georg. III, 429. „Vere madent ado terrae ac pluvialibus Austris.“ Lucanus V, 415. „Profida nubiferi vetat inconstantia veris.“ Recte igitur habet vetustiorum codicum lectio, vernis nimbis remotis, quam bene sane explicavit manus antiqua in ora Codicis Graeviani; „vernali tempore transacto, quo pluviae sciant aves.“ In recepta vero lectione, verni venti, iam nimbis remotis; ubi nimbi hiberni necessario intelligi debent, non video quid pro Flacco adversus Scaligerum reponi possit. Ceterum, si cui illud is ter repetitum delicatulas aures offendat; is primum sic cogitet, ineptum esse Euphoniae consulere cum totius sententiae dispendio; tum postea contempletur hos versus, Virgilli et Nasonis; ubi verba singula litera S terminantur. Aen. XII, 708. „Ingentis genitos diversis partibus orbis.“ Metam. VII, 540. „Lanigeris gregibus balatus dantibus aegros.“

10. [Vividus impetus] Codex Regiae Societatis, fervidus. Non placet. Statius de Equo Domitiani [Silv. I, 1, 48]: „Cui rigidis stant colla iubis, vivisque per armos Impetus.“

15. [Iam lacte depulsum] Mihi quidem semper visum est illud Lacte otiosum et superfluum. Leonem, inquit, iam depulsum lacte ab ubere fulvae matris. Atqui satis erat alterutrum, aut lacte depulsum, aut ab ubere depulsum. Virgil. Eclog. VII. [v. 15] „Depulsos a lacte domi quae clauderet agros.“ Prudentius Peristeph. X, 663. „unum de caterva infantium Parvum, nec olim lacte depulsum.“ Suetonius in Tiberio c. 44. „Infantes firmiores, nec dum tamen lacte depulsos.“ Virgil. Georg. III, 187.

Videre Raetis bella sub Alpibus
 Drusum gerentem Vindelici; quibus
 Mos unde deductus per omne
 20 Tempus Amazonia securi
 v. 17. Vulg. Rhaeti

„Atque haec iam primo depulsus ab ubere matris Audeat.“ Varro de Re Rust. II, 4. [§ 16] „Porci depulsi a mamma a quibusdam Delici appellantur.“ Ibidem II, 2. [§ 17] „Cum depulsi sunt agni a matribus, diligentia adhibenda est.“ Vides utramvis dictionem satis per se valere; sed utramque simul nemo, quod sciam, neque adeo sine verbosae garulitatis nota adhibere poterit. Nam quod viri clarissimi Xylander et Chabotius adiective hoc accipiunt, lacte ubere sive copioso, id absurdus est, quam ut refelli mereatur. Equidem crediderim vocabulum lacte ex glossa huc irrepsisse; et extraxisse aliud quid, quod iam indagandum est. Vide an forte sic scripserit Noster; „fulvae matris ab ubere iam mane depulsum leonem Dente novo peritura vidit.“ hoc est, eo primum mane a lacte depulsum: atque inde ait dente novo. Mane autem esurientes leones praedam quaeritant, ut Statius Theb. VII, 670. „Qualis ubi primam leo mane cubilibus altis Erexit rabiem, et saevo speculatur ab antro Aut cervum, aut nondum bellantem fronte iuvenum.“ an potius hunc in modum; „Iam sponte depulsum leonem.“ Id enim generosae ferae proprium, ut non expectet dum a matre depellatur; sed sponte se a mamma abigat, suarum virium iam conscia. Sic et aquilam pullum paullo ante non mater (ut scriptores narrant fieri solere) sed iuventus et patrius vigor de nido propulerunt. Iterum Statius Theb. IX, 740. „Et leo, cui parva mater Getula creentos Suggestit ipsa cibos, cum primum crescere sensit Colla iubis, torvusque novos respexit ad unguis, Indignatur ali; tandemque effusus apertos Liber amat campos.“ Equidem ut non temere contemderim sic ab Horatio profectum esse; ita libere dicam, non deterius, immo melius aliquanto hoc esse, quam quod vulgo iam circumfertur.

17. [Videre Rhaeti bella] Locus hic ab omnibus interpretibus diu multumque vexatus sub nostrum etiam stilum venire iam debet. In Editionibus vetustis sic concepitur: „Videre Rhaeti bella sub Alpibus Drusum gerentem Vindelici“: neque aliter in recentioribus plerisque; adeo ut gens illa a Druso victa uno nomine appellata fuerit Rhaeti Vindelici. Ita quidem iam olim accepisse videntur Aeron et Porphyrius: quorum hic, „Scripta est“, inquit, „haec elogia in Neranem Drusum; qui Rhetos Vindelicos bello vicit“: ille, „Talem“, ait, „Drusum videre Rheti Vindelici, barbarorum gentes.“ Servius quoque ad Virgil. Aen. I, 247. „Atque intima tutus Regna Liburnorum Ideo tutus, quia Rhaetii Vindelici ipsi sunt Liburni, saevissimi admodum populi, contra quos missus est Drusus. Illi autem ab Amazonibus originem ducunt, ut etiam Horatius dicit, Quibus Mos unde deductus per omne Tempus Amazonia securi Deatras obarmet, quaerere distuli.“ Codex Graevianus in margine: „Rethi Vindelici Norici Baioarii unum sunt.“ Atque hanc interpretationem cum plerique alii iam sequuntur, tum et ipse Velserus in Libris Rerum Vindelicarum [p. 3 ed. a. 1594]. Nondum tamen a nobis sic extorquebunt, unum populum coagmentato nomine Rhaetos Vindelicos vocari, quos inter se diversos fuisse tot boni auctores tradiderunt. Velleius Patereulus II, 39. „Rhaetiam autem et Vindelicos et Noricos [Pannoniamque] et Scordiscos novas imperio nostro subiunxit provincias.“ Et II, 95. „Quippe uterque (Tiberius et Drusus) divisit partibus Raetos Vindelicosque adgressi.“ Et 104. „Ego tecum, imperator, in Armenia, ego in Rhaetia fui; ego a te in Vindeliciis, ego in Pannonia, ego in Germania donatus sum.“ Et 122. „Vindeliorum Rhaetorumque victor, curru urbem ingredi.“ Suetonius Aug. c. 21.

Dextras obarmet, quaerere distuli:
Nec scire fas est omnia: sed diu

„*Domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam — item Rhaetiam, et Vindelicos, ac Salassos gentes Inalpinas.*“ Idem Tib. c. 9. „*Exin Rhaeticum Vindelicumque bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit: Rhaetico atque Vindelico gentes Alpinas, Pannonico Breucos et Dalmatas subegit.*“ Plinius Nat. Hist. III, 24. [§ 133] „*His (Norice) contermini Rhaeti et Vindelici, omnes in civitates nullas divisi.*“ Tacitus Annal. II, 17. „*Ni Rhaetorum Vindelicorumque [et Gallicae] cohortes signa obiecissent.*“ Eutropius de Augusto [VII, 9]: „*Romano adiecit imperio, Illyricum, Raetiam, Vindelicos, et Salassos in Alpibus.*“ Ita Graeci similiter, Strabo, Ptolomaeus, Agathemerus ΠΑΤΟΥΣ ΚΑΙ ΟΥΝΙΕ ΑΙΚΟΥΣ semper distinguunt. Quid iam de Servio et Scholiastis fiet, scilicet sane copius, si cum istis comparentur? Profecto non aliunde quam ex hoc ipso loco sic in menda cubante, commentum illud de Rhaetis Vindelicis hausserunt. Quod et ex parte vidit celeberrimus Dacérius: atque ideo lectionem aliam revocatum iit, cui editiones codicesque aliquot et in iis Battelianus noster astipulantur. „*Videre Rhaeti bella sub Alpibus Drusum gerentem et Vindelici.*“ Multa tamen huic emendationi adversa sunt: nullus liber paulo vetustior coniunctionem et agnoscat: tum et Historia ipsa refragatur. Non enim et Rhaeti et Vindelici videre Drusum bellantem; quippe Drusus Vindelicos tantum, Rhaetos Tiberinus aggressus est. Patereulus loco iam laudato: „*Quippe uterque (Tiberius et Drusus) divisit partibus Raetos Vindelicosque adgressi, nullis urbium et castellorum oppugnationibus, nec non directa quoque acie feliciter sancti, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum eorum sanguine perdomuerunt.*“ Quae verba toti huic carmini quasi Commentarii vicem esse possunt. Noster ipse infra Carm. XIV, v. 14. „*Maior Nerorum mox grave praelium Commisit, immanesque Raetos Auspiciis pepulit secundis.*“ Quid ergo? vides in utraque lectione plane aquam haerere: neque sane id mirum, neutra enim vera est. Nos iam olim certam huius loci scripturam ex coniectura invenimus. „*Videre Raetis bella sub Alpibus Drusum gerentem Vindelici.*“ atque ad hanc nos deduxit Horatiani stili indoles: noveram enim Nostrum numquam illud *sub Alpibus* sic inornate et nude prolaturum fuisse. Memineram etiam Alpes, ut pro variis regionibus varia sortitae erant nomina, ita et Rhaetias appellatas esse. Tacitus Hist. I, 70. „*Ipsae paululum cunctatas, nam Rhaeticis iugis in Noricum flecteret.*“ Claudianus de IV Cons. Honorii, 442. „*Aspera nubiferas qua Rhaetia porrigit Alpes.*“ Iterum Tacitus de Mor. Germ. c. 1. „*Rhenus Rhaeticarum Alpium inaccessu ac praecipiti vertice ortus.*“ Porro Raetis Noster suo more pro Raetibus; ut alibi Venena Coleba, Mauris iaculis, Sulpiciis horreis, Aemilium ludam, Italo caelo. Denique sub Alpibus Rhaetibus Vindelici Drusum viderunt; quia Rhaeti Vindelici contermini. Haecenus ex coniectura progressi sumus; postea sagacissimum virum Nic. Heinsium nobiscum facere didicimus; qui in ora exemplaris sui, forte, inquit, Rhaetis. Accesserunt huc ad partes codex optimus Torrentii et veterrimus noster Graevianus, qui Retii habent; quod in Retis scribarum errore fluxisse videatur: et magis adhuc Reginensis, in quo Reti nunc habetur, litera quadam quae sequebatur erasa. Tandem in impresso codice ex Bibliotheca celeberrimi viri Petri Francii, cui variae aliquot lectiones ex libris scriptis adnotabantur, reperimus manuscriptum exemplar Rottendorphi Retis exhibere: neque parum laetati sumus divinationem nostram membranarum auctoritate firmari: quod et in aliis multis olim eventuram auguramur, siquis post operam nostram meliores codices hic illic latitantes diligenter excusserit.

Lateque victrices catervae
Consiliis iuvenis repressae
25 Sensere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita sanctis sub penetralibus

v. 24. Vulg. Revictae. 26. Faustis.

24. *Consiliis iuvenis revictae*] Quod Lambinus in nonnullis emendatis codicibus reperisse se narrat, *repressae*; id ego in veterrimo Graeviano vidi, ubi primo erat *revictae*, et postea sex posterioribus literis per puncta subnotata (ut solet) deletis, superscriptum manu et atramento iisdem *repressae*. Et quantavis sane pretii ea lectio est: nam vulgo recepta vix nobis placere potest, si vel aurem vel nasum adhibemus: „*sed diu Lateque victrices catervae Consiliis iuvenis revictae Sensere, quid mens rite, quid indoles*“ etc. Imo vero *repressae*, ut et legit Scholiastes Porphyrius: „*Consiliis,*“ ait, „*iuvenis repressae eo pertinet, quod late victrices dixerat.*“ Nihil verius dici potuit. Qui antea longe lateque grassabantur, iam repressi, cohibiti, et intra fines suos compulsi sunt. Cicero de Provinciis Consularibus c. 12. [§ 31] „*Nationes eas, quae numero hominum ac multitudine ipsa poterant in provincias nostras redundare, ita ab eodem esse partim recisas, partim repressas; ut Asia, quae imperium nostrum ante terminabat, nunc tribus novis provinciis ipsa cingatur.*“ Et mox c. 13 [§ 32] „*Ipsae ille C. Marius influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit, non ipse ad eorum urbes sedesque penetravit.*“ Claudianus de Bello Getico, v. 400. „*Hoc monitu pariter nascentia bella repressit.*“ Val. Maximus VI, 9, 6. de Sylla. „*Mithridatem compescuit, socialis belli fluctus repressit.*“ Illud deinde nota, *consiliis iuvenis*: nam et eo longe aptius referas *repressae*, quam *revictae*. Suetonius in Tiberio c. 37. [extr.] „*Reges infestos suspectosque comminationibus magis et querelis, quam vi, repressit.*“ Contra, quam insula sodes repetitio est, *Victrices revictae?* quam qui non odit, is et amatae suae polypum deperat. Sed *repressae*, inquit, multo minus dicit, quam par est: parum enim fuisse reprimere barbaros. Quid? non satis hoc, quod repressit *iuvenis*, non dux veteranus; quod *consiliis*, non praелиis multo suorum sanguine factis; quod *diu lateque victrices catervae*, non hostem numero spernendum et prioribus damnis fractum? Atqui *revictae* multo minus dicit, imo nihil dicit omnino. Nam *revictus* nihil aliud notat, quam *refutatus, convictus*; neque umquam de bellis et praелиis, sed de calumniis, criminibus, et iudiciis usurpatur. Ovidius Fast. VI, 432. de Minerva. „*Ex quo iudicio forma revicta suo est.*“ Gellius V, 2. [VII 2 § 13] „*Qui, cum in culpa et maleficio revicti sunt, per fugiunt ad fati necessitatem.*“ Ita Cicero [pro Arch. c. 6 princ.], *iudicio revinci*; Livius [XL, 16 § 3], *crimen revictum*: Lucretius IV, 489. „*An poterunt oculos aures reprehendere? an aures Tactus? an hunc porro lactum sapor arguet oris? An confutabunt nares? oculive revinctae?*“ Vides, opinor, veram huius vocabuli notionem; ab Horatii certe sententia prorsus alienam. Nam quod ex Lucretio citant, I, 586. „*nam si primordia rerum Commutari aliqua possent ratione revicta*“; et V, 410. „*Inde cadunt vires aliqua ratione revictae*“: hoc est, *victae, labefactae, tentatae*: id uti lubricum sane incertumque est, cum variant ibi codices manuscripti; ita quantumvis sit sincerum, tamen non nisi a iudiciis tralatum esse videatur; ut illud de iisdem Primordiis, lib. I, 530. „*Nec ratione quae alia tentata labare*“: quale illud Nostri Epist. I, 18, 80. „*Ut penitus notum si tentent crimina*“: et proinde illud *revictae* longe infra Horatii sensum, et Drusi laudes sit existimandum.

26. *Nutrita faustis sub penetralibus*] Scholiastes Porphyrius ad locum:

Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Neronis.
Fortes creantur fortibus et bonis:
3) Est in iuvenis, est in equis patrum

„Quia non potest Drusum laudare nunc, ut filium Augusti: ab eo educatum institutumque dicit.“ Bene sane: verum illud demoror, cum in eo iam sit Noster, ut institutionem et disciplinam laudet familiae Augustae, asseratque pene plus doctrinae et cultui Drusum, quam naturae et indoli debuisset; quo tandem consilio *fausta penetralia* dixerit. Nullum profecto epitheton vel data opera seligere potuit magis alienum. Quorsum enim *disciplina et cultus*; si *fortunae* et *faustitati* adscribenda erant omnia? Haec quidem se mutuo subvertunt, neque in uno eodemque loco possunt consistere. Sed cave credas Horatium huius culpae affinem esse; quanquam omnes quos viderim codices scripti editique in lectione hac conspirent. Auctor enim sponsorque esse ausim, sic a poetae manu locum profectum esse: „*Sensere, quid mens rite, quid indoles Nutrita sanctis sub penetralibus.*“ Lippus aliquis librarius iam a multis saeculis hanc labem inexit, literarum similitudine deceptus. Quippe *f* et *n* quam simillimas esse *f* et *n* nemo non videt: in vetustis autem membranis *et* et *st*, ubi uno calami ductu scribuntur, vix inter se dignosci posse fide optima affirmare possum. Ceterum *sanctis penetralibus* nullum in omni Latio aptius vocabulum est, ubi de educatione et moribus, velut hoc in loco, agitur. Cicero Philippica II. c. 27. [§ 68] „*O audaciam immanem! tu etiam ingredi illam domum (Pompeii) ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare?*“ et mox c. 28. [§ 69] „*Quid enim illa domus viderat nisi pudicum, nisi ex optimo more et sanctissima disciplina?*“ Iuvenalis Sat. XIV, 68. „*Illud non agitas, ut sanctam filius omni Aspicat sine labe domum, vitioque carentem?*“ Columella, lib. X. [v. 279] „*Casta fides colitur nobis, sanctique penates.*“ Porcius Latro declam. in Catilinam. [c. 14] „*Nec Druso sanctissimi sui penates, nec Saturnino ius sacrosanctae dignitatis auxilium est.*“ Valerius Max. VI, 5, 1 [5 pr.] „*Tempus est Iustitiae quoque sancta penetralia adire.*“ Idem II, 7, 6. „*Tu, Postumi dictator, A. Postumium, quem ad generis penetraliumque sacrorum successionem propagandum genueras.*“ Idem IX, 15, 3. [15, 2] de domo Octaviae sororis Augusti loquens: „*Ut eodem tempore sanctissimi penates, et veri sanguinis memoria spoliarentur, et falsi sordida contagione inquinarentur.*“ Tacitus Annal. V, 1. de Livia Augusti uxore, Drusi huius matre: „*sanctitate domus priscum in morem, comis ultra quam antiquis feminis probatum.*“ Peculiari vero ratione penetralia Augusti sancta vocabantur; cum quia ipsum domini cognomen *sanctum* significat, ut Glossae Philoxeni; *Augustus, ἸΕΡΟΣ, sanctus.* Ovid. Fast. I, 607. „*Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes: hic socium summo cum Iove nomen habet. Sancta vocant angusta patres: angusta vocantur Tempa, sacerdotum rite dicata manu.*“ Tum praeterea, quia in ipso palatio duo templa erant, Vestae et Apollini dedicata. Idem Metam. XV, 864. „*Vestaque Caesareos inter sacrata penates, Et cum Caesareu tu Phoebe domestice Vesta.*“ Vides iam quam multis nominibus sancta dici mererentur *penetralia* domus Palatinae; tum ob sanctam disciplinam, tum ob sanctum Augusti nomen, tum ob sancta Deorum templa ibi edificata, ut de vera huius loci restitutione vix amplius, opinor, dubitare possis.

29. *Fortes creantur fortibus et bonis*] In principe editione Veneta et maiore parte membranarum alia distinctio est; „*Fortes creantur fortibus: et bonis Est in iuvenis, est in equis patrum Virtus*“: quam viri insignes

Virtus; neque inbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant:
35 Utrumque defecere mores,

v. 31. Vulg. Nec.

Stephanus, Xylander, aliique amplectuntur. Quibus accedit fere praestantissimus Nic. Heinsius, sic reponens ex coniectura; „*Fortes creantur fortibus; ut bonis Est in iuvenis*“ etc. Multis tamen nominibus tam interpunctio illa, quam emendatio displicet. Principio enim, *fortibus et bonis* receptissima apud auctores formula nullo modo hic dividi et distrahi debet. Noster Epist. I, 9, 13. „*Scribe tui gregis hunc, et fortem crede bonumque.*“ Gellius, XV, 2. [§ 3] „*Tamquam Plato laudes ebrietalis scripsisset, utilemque esse cam bonis ac fortibus viris censuisset.*“ Cicero Epist. Fam. III, 11. [§ 3] „*Quae quidem, etiam in summa honorum ac fortium civium copia, tueri tales viros deberet.*“ Ibidem V, 19. [§ 1] „*Id quod omnes fortes ac boni viri scire debent.*“ Idem in Verrem III, 69. [§ 162] „*Quem ego, iudices, quamvis bonum fortemque facile paterer evadere.*“ Ita Cicero alibi sexies, credo, deciesve diversis locis. Deinde et sententiae ipsi vim ac iniuriam faciunt, qui *bonis* referunt ad *iuvenis* et *equis*. Ea vero iam paucis explicanda est: quia plerosque interpretes perperam haec cepisse video. Disserit hic noster de commodis bonae educationis. Verum est, inquit, et concedimus, Fortes et bonos sibi similes procreare: generosum equum etiam pullum generosum gignere: neque ex aquilis columbas, verum aquilas nasci: doctrina tamen et institutio naturalem indolem roborant promoventque; et quaecumque eae deficiant, quantumvis bene nata in culpas et vitia prolabantur. Haec argumenti vis est, et orationis series: ubi iam forte per te vides in *Fortes creantur fortibus* verbum postremum casu dativo, non ablativo, proferri; et proinde activam hic significationem efficere. Non enim id vult, *Fortes non nisi a fortibus creari*; verum *Fortes parentes non nisi fortes filios creare*. Quamobrem, si sequentia sic ordinas, *Virtus patrum est in bonis iuvenis et in bonis equis*; corrumpis plane sententiam, quae aliud quid et maius designat: *Virtus scilicet patrum est universe et generaliter in iuvenis et equis*: virtus animalis generosi numquam deficit et degenerat in sobole. Illud igitur interpretes nostros fefellit, et devios abripuit, quod passive et casu ablativo acciperent illud *Fortibus*: *fortes* scilicet *filios non nisi a fortibus parentibus gigni*. Hoc enim posito, recte tum et commode sequeretur illud, *Est in bonis iuvenis patrum virtus*, sive *boni pulli non nisi ab equis bonis generantur*. Sed hunc, ut iam diximus, sensum tum argumenti vis et series respuit, tum et sequentia prorsus refutant, „*neque inbellem feroces Progenerant aquilae columbam*“: quippe eo pacto, inversis verbis dicendum fuerit, „*neque inbelles feroces Progenerant aquilam columbae*.“ Verum haec, quae alicuius forte sunt subtilitatis, hactenus: nam ut sagaci et vigilantiori lectori satis diximus, ita tardo aut supino nimium.

36. *Dedecorant bene nata culpae*] Diversam ab hac lectionem secuti sunt Scholiastae veteres: „*indecorant*“, aiunt, „*id est, indecora faciunt, ac per hoc dedecorant significat.*“ Eandem et codices aliquot adhuc servant, Lambini tres, et Fulmanni unus; ex nostris Graevianus veterrimus, Galei, Bodleianus, a prima manu Magdalenensis, et pro varia lectione Battellianus. Et mihi quidem vera videtur haec scriptura; licet alibi nusquam ea vox iam reperiat. Unde enim bonis illis Librariis subnasci potuit: nisi in exemplaribus suis ita scriptam invenissent? Certe rite et legitime

- Dedecorant bene nata culpa.
 Quid debeas, ô Roma, Neronibus,
 Testis Metaurum flumen, et Hasdrubal
 Devictus, et pulcher fugatis
 40 Ille dies Latio tenebris,
 Qui primus alma risit adorea;
 Dirus per urbis Afer ut Italas,
 Ceu flamma per taedas, vel eurus
 Per Siculas equitavit undas.
 45 Post hoc secundis usque laboribus
 Romana pubes crevit, et inpio
 Vastata Poenorum tumultu
 Fana Deos habuere rectos.
 Dixitque tandem perfidus Hannibal;
 50 CERVI, luporum praeda rapacium,
 Sectamur ultro, quos opimus
 Fallere et effugere est triumphus.
 Gens, quae cremato fortis ab Illo
 lactata Tuscis aequoribus sacra
 55 Natosque maturosque patres
 Pertulit Ausonias ad urbis,
 Duris ut ilex tonsa bipennibus
 Nigrae feraci frondis in Algido,
 Per damna, per caedis, ab ipso
 60 Ducit opes animumque ferro.

formata est: ut enim a *dedecore*, *dedecora*: ita ab *indecore* *indecoro* deduci potest. Accius in Athamante apud Nonium [p. 489, l. Mere.]: „*Cuius sit vita indecoris, mortem effugere turpem haut convenit.*“ Virgilius XII, 679. „*nec me indecorem, germana, videbis.*“ qui et alibi quater eo vocabulo usus est: Claudianus in Rufinum III [lib. I], 58. „*At nos indecores longo torpebimus aëvo.*“ Tamen vetus Enarrator Iuvenalis ad Sat. XIV. v. 1. citat in hoc Nostrî loco *dedecorant*: sed et ibi consulendae erant membranae.

60. *Ducit opes animumque ferro*] Magdalenensis noster et Bodleianus *animosque*: ita prorsus apud Virgilium Aen. II, 799. „*Undique convenero animis opibusque parati.*“ et Statium Silv. III, l. [v. 166] „*Macte animis opibusque, meos imitate labores.*“ Tamen plures hic et antiquiores sequimur, in quibus est *animumque*; ut Caesar de Bello Gallico VII, 76. „*Omnesque et animo et opibus in id bellum incumbere.*“ Sane Noster varietatem numeri videtur studio consecutus esse, ut supra Carm. IV, 2, 22. „*et vires animumque moresque Aureos educit in astra.*“ ubi potuit pariter *animosque*; uti sane a prima manu exhibet codex Petrensis: neque aliter Virgilius Aen. III, 617. „*Ipse pater Danaïs animos viresque secundas Sufficit.*“ Valerius Flaccus I, 243. „*Fos quoque nunc vires animosque adferre paternos.*“ Idem IV, 621. „*Sed te non animis, nec solis viribus aequum.*“ Maluit tamen *vires animumque*, et varietatis et Euphoniae gratia: ut Virgilius quoque Aen. IX, 717. „*Hic Mars armipotens vires animumque Latinis Addidit.*“ et ibidem 764. „*Iuno vires animumque ministrat.*“ Statius Silv.

- Non Hydra secto corpore firmior
 Vinci dolentem crevit in Herculem;
 Monstrumve submittere Colchi
 Maius, Echioniaeve Thebae.
 65 Merses profundo, pulchrior evenit:
 Luctere, multa proruit integrum
 Cum laude victorem; geritque
 Proelia coniugibus loquenda.
 Carthagini iam non ego nuntios
 70 Mittam superbos: occidit, occidit
 Spes omnis, et fortuna nostri
 Nominis, Hasdrubale interemto.
 Nil Claudiae non perficiunt manus;
 Quas et benigno numine Iuppiter
 75 Defendit, et curae sagaces
 Expediunt per acuta belli.

V.

AD AUGUSTUM.

- Divis orte bonis, optime Romulae
 Custos gentis, abes iam nimium diu:
 Maturum reditum pollicitus Patrum
 Sancto concilio, redi.
 5 Lucem redde tuae, dux bone, patriae:
 Instar veris enim voltus ubi tuus

v. 66. Vulg. *Proruet.* 67. *Geretque.* 73. *Perficiunt.*

I, 4. [v. 22] „*Ipse veni, viresque novas animumque ministra.*“ et Theb. VIII, 522. „*Tum magis atque magis vires animusque recedunt.*“ Severus in Aetna. [v. 613] „*Tum vero, ut cuique est animus viresque, rapina Tutari conantur opes.*“ Caesar de Bello Civ. I, 64. „*Quorum aut animus aut vires videbantur sustinere non posse.*“ Cicero in Partit. Orat. c. 35. [§ 119] „*Si aut vires, aut animum, aut copias, aut opes abfuisse demonstrabit.*“ Livius IV, 19. [§ 1] „*A Cornelius Cossus, animo ac viribus par.*“ XXIII, 17. [§ 5] „*Ceterum Acerantis plus animi quam virium erat.*“ XXIV, 8. [§ 4] „*T. Manlius fidem et animo et viribus.*“ Seneca Suasoria V. [§ 4, p. 25, 23 Burs.] „*Fractus est et animo et viribus.*“

65. *Merses profundo, pulchrior evenit*] In Graeviano et Regiae societatis recte *morses*: ceteri fere nostri cum Lambini aliquot et Crauii *mersus*; quod nullo modo ferri potest. Oportuit enim *mersa*, non *mersus*; cum referatur ad *gens quae cremato fortis ab Illo*, Mox v. 66, et 67. Galei codex, *proruit et geritque*; quorum prius etiam in veterissimo Graeviano est, posterius in Zulichemiano. Utrumque placet; ut respondeant *et evenit*. Et certe hic tempus praesens, Hasdrubale iam tum victo et occiso, fortiores et praesentiores vires arguit. Denique et in v. 73. „*Nil Claudiae non perficiunt manus.*“ praestat, opinor, cum vetustissimo omnium Blandinio, et altero inter Pulmannianos optimo, et quibusdam Lambini, reponere *perficiunt*.

Adfulsit populo; gratior it dies,
 Et soles melius nitent.
 Ut mater iuvenem, quem notus invido
 10 Flatu Carpathii trans maris aequora
 Cunctantem spatio longius annuo
 Dulci distinet a domo,
 Votis omnibusque et precibus vocat;
 Curvo nec faciem litore demovet:
 15 Sic desiderii ieta fidelibus
 Quaerit patria Caesarem.

Gens Claudia, inquit, per omnes aetates rebus gestis clarissima, nihil non perfecit, quodeumque aggreditur.

9. *Quem Notus invido Flatu*] Tres apud Torrentium fidelissimi, ut ait, codices *invido* habent; quod sollemne est Noti epitheton: ut Noster alibi Epos. X. 19. „*Ionius udo cum remugiens sinus Noto carinam ruperit.*“ Statius Silv. I. 6. [v. 78] „*quas udo Numidae rapuere*“) *sub Austro.*“ et iterum II. 4. [v. 28] „*Nec quas humenti Numidae rapuere sub Austro.*“ Virgil. Georg. I. 417. „*et Iuppiter uvidus Austris.*“ Avienus in Arateis [v. 1464]: „*nam crassus desuper aer Cornua caeca premit, notus uvidus aëra cogit.*“ Melior tamen est recepta lectio, quam et in omnibus Nostris invenimus, „*quem notus invido Flatu Carpathii trans maris aequora Dulci distinet a domo.*“ *Uvido* enim perpetuum et generale hic adiectivum esset, nihilque adderet sensui praeter poeticam dignitatem: at illud *invido* non ornat modo, sed et auget sententiam; neque de communi petitum est, sed ex ipso loci solo enascitur. Sic Hero Leandro, apud Ovidium [Heroid. 19], v. 21. „*Aut mare prospiciens, odioso concita vento Corripio verbis aequora paene tuis.*“ et ibidem, 120. „*Quoque minus ventas, invida pugnat hiems.*“ Statius Silv. V. 1. v. 149. „*sic plena maligno Afflantur vineta noto: sic alta senescit lumbre seges nimio: rapidae sic obvia puppi Invidet, et velis adnubilat aura secundis.*“

13. *Votis omnibusque et precibus vocat*] Turbant hic codices Manuscripti: Reginensis; „*Votis omnibusque et precibus advocat.*“ Galeanus: „*Votis omnibus et cum precibus vocat.*“ Ceteri fore, „*Votis omnibusque et precibus vocat.*“ Editio Veneta 1478. „*Votis omnibus atque precibus vocat.*“ Altera 1490 „*Votis omnibus hunc et precibus vocat.*“ Illud omnibus speciosum est satis. Caesar de Bello Gall. VI. 31. „*Cativolcus omnibus precibus detestatus Ambiorigem.*“ Ibidem VII. 26. „*Fientesque projectae ad pedes suorum, omnibus precibus petierunt.*“ et 78. „*Cum ad munitiones accessissent, fientes, omnibus precibus orabant.*“ Seneca Oedip. v. 205. „*Adest potitus omnibus votis Creon.*“ Quintilianus Declam. VI. [c. 5] „*Et, ut cupiditas fecerat blandum, obsecravit omnibus precibus.*“ Cicero Caesari, in Epist. ad Atticum IX. 11. [§ 3] „*Quamobrem a te peto, vel potius omnibus precibus oro et obtestor.*“ Idem pro Cn. Plancio c. 10. [§ 20] „*Quod Marium linquentem terram eam, quam servaverat, lacrimis votisque omnibus prosequi sunt:*“ ubi tamen doctissimus et mihi, dum vixit, amicissimus Graevius ὁ μισθολογῆς ex membranarum Erfurtensibus edidit, „*terram, quam servaverat, votis, omnibus, lacrimisque prosequi sunt.*“ Recte hoc et pro solito suo iudicio vir celeberrimus. Quin et in Nostro sola illa sana est lectio, quae nunc ubique fere obtinet, et ex Aerone, codice Leidensi et aliis stabilitur: „*Votis omnibusque et precibus vocat.*“ Livius Lib. I. in Praefatione. [§ 13] „*Cum bonis potius omnibus, votisque, et precativibus Deorum Dearumque (si ut poetis, nobis quoque mos*

[*) Item hunc v. ad Epos. X. 19. affert; nec. tegunt.]

Tutus bos etenim rura perambulat:
 Nutrit farra Ceres, almaque Faustitas:
 Pacatum volitant per mare navitae:
 20 Culpari metuit fides:

v. 18. Vulg. Nutrit rura.

esset) libentius inciperemus.“ Ausonius Epist. XXIV. [v. 120] ex manifesta Nostri imitatione, „*Accurre, o nostrum decus, o mea maxima cura, Votis, omnibusque bonis, precibusque vocatus Adpropera.*“

18. *Nutrit rura Ceres*] Vide modo totum distichon: „*Tutus bos etenim rura perambulat: Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas.*“ et deinde tecum cogita, eequam gratiam et venerem habeat ista repetitio. Mihi quidem *rura rura* rus merum et librariorum stuporem sapere videtur: quod et censuit excellenti vir ingenio Tanaquillus Faber; et proinde priorem versum sic voluit refigere: „*Tutus bos etenim prata perambulat.*“ Et ne dubium quidem est, quin, si ita libitum fuerit, sic scribere potuerit Noster, ut Carm. III. 18. 11. „*Festus in pratis vacat otioso Cum bove pagus.*“ Seneca Here. Fur. v. 141. „*Ludit prato liber aperto Nondum rapta fronte iuvenens.*“ Verum ut in vitio detegendo sagax, ita in medicina facienda infelix fuit Tanaquillus: sanus enim et sincerus est prior versiculus; neque incrustatione est opus. In posteriore illo latet ulcus, „*Nutrit rura Ceres almaque Faustitas:*“ Quid enim, amabo, est *nutrire rura*? *Rura* sunt arva, prata, campi, saltus, etc. pro varia terrarum forma et situ. Quis vero mortalium *nutriri* dixit res eiusmodi? Nihil *nutriri* dicitur, ne per metaphoram quidem, nisi quod augeri et incrementum capere potest, ut *arbores, segetes, fructus*; ut *odium, amor, bellum, incendium*, et id genus alia. Quis malum igitur *Ceres rura nutriri* poterit? an illa rus exiguum aut modicum reddet ingens, quale milvus pervolare nequeat? Quod si rura ipsa non *creverunt*, neque proinde *nutriuntur*. Quid multa? numquam ab Horatio hoc profectum est, neque a quoquam veterum; sed a caecotientibus librariis. Olim enim turbatum fuisse in hoc loco codex Graevii indicio est, in quo hodie sic habetur, *Nutrit. rura Ceres*, et superne scriptum est alia manu *ru*. Illud vero ingenue monendum est (ne lector plus aequo fortasse faveat coniecturae nostrae) unicam modo literam erasam esse, ut ex spatio constat: adeo ut a primo forte exaratum fuerit *nutritura*. Sed utcumque hoc sit; vix dubito, quin sic locus exierit ab Horatii manu: „*Tutus bos etenim rura perambulat: Nutrit farra Ceres, almaque Faustitas.*“ Omnia enim mirifice conveniunt, sive ad scripturam respicias, seu ad sententiam. Recte enim dixeris, *nutrit farra*, ut Ovidius Fast. IV. 913. Robiginem alloquens, „*Tu sata sideribus caeli nutrita secundis Crescere, dum fiant saleibus apta, sinas.*“ sic et *grandia farra*: quae autem grandescunt, *nutriuntur*: Servius ad Georg. I. 101. *carmen rusticorum antiquum* memorat, „*Mihernio pulvere, verno luto, grandia farra, Camille, metes.*“ Idem habes apud Macrobius Saturn. V. 20 [extr.]. Contra *vegrandia farra* sunt parva et exigua. Ovid. Fast. III. 445. „*Nunc vocor ad nomen: vegrandia farra colonae, Quae male creverunt; vescaque parva vocant.*“ Recte itidem *Nutrit farra Ceres*: ea enim sub Cereris tutela sunt. Ovid. Fast. I. 672. „*Placentur matres frugum Tellusque Ceresque Farre suo, gravidae visceribus suis.*“ et mox v. 679. easdem sic alloquitur, „*Nos date perpetuos teneris sementibus Auctus.*“ et ibidem II. 519. „*Farra tamen veteres iaciebant, farra metebant: Primitias Cereris farra resecta dabant.*“ Atque inde explicandum est illud, *almaque Faustitas*; quod nove protulit Horatius, neque alibi hodie reperitur. *Faustitas* enim est *prosperitas*, et ad fruges sive *farra*, non ad *rura*, referri debet; ut

- Nullis polluitur casta domus stupris:
 Mos et lex maculosum edomuit nefas:
 Laudantur simili prole puerperae:
 Culpam poena premit comes.
 25 Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
 Quis Germania quos horrida parturit
 Foetus? incolumi Caesare, quis ferae
 Bellum curet Hiberiae?
 Condit quisque diem collibus in suis,
 30 Et vitem viduas ducit ad arbores:
 Hinc ad vina venit laetus, et alteris
 Te mensis adhibet Deum:
 Te multa prece, te prosequitur mero
 Defuso pateris; et Laribus tuum
 35 Miscet numen, uti Graecia Castoris
 Et magni memor Herculis.
 LONGAS ô utinam, dux bone, ferias
 Praestes Hesperiae; dicimus integro
 Siccî mane die, dicimus uvidi,
 40 Cum sol Oceano subest.

v. 31. Vulg. *Redit*.

ipse carmine sequenti v. 39, „*Rite crescentem face Noctilucam, Prosperam frugum.*“ Contra, in vulgato illo, *Nutrit rura Ceres*, etiamsi bene Latine dici possent *rura nutrirî*, non tamen id *Cereris* munus esset: non enim illa omnem *ruris* proventum nutrit et tuctur; non vites, non olivas, non poma; sed farra tantum et fruges: ut de vera huius loci emendatione vix ambigendum esse videatur.

31. *Hinc ad vina redit laetus*] Veteres quidem editiones habent *redit*; idque locum semel possessum sola Interpretum verecundia tenuit. Vetustissimi enim nostri Graevianus et Reginensis cum Bodleiano, et Lambini quibusdam, et ex Pulmannianis optimo, „*Hinc ad vina venit.*“ Quod et altero suavius est, et tutius ab exceptione. Nam qui *redit ad vina*, iam tum antea vino se invitasse videatur. At hic venit siccus sobriusque ab opere rustico.

37. *Longas o utinam, dux bone, ferias*] Idem Codices optimae notae Graevianus et Reginensis, cum duobus Bersmanni, et Vigorniensis nostro sequioris aetatis, „*Longas o utinam, rex bone, ferias.*“ quod fortasse non contemnendum. Iam enim praecesserat *dux bone*, versu quinto: „*Lucem radde tuae, dux bone, patriae*“: neque satis scio an decenter et sine omni fastidio hic repeti possit. Quorsum autem tum maxime *dux bonus* dicatur, cum *longas ferias* praestet: quando illud ad bellicam laudem, hoc ad pacem atque otium pertinet? Scimus quidem Augustum, ut et sequentes Imperatores, Regum nomen aversatum esse: at hic non tam potentiae, quam familiaritatis appellatio erit; ut Epist. I, 7, 37. etiam Maecenatem *regem* vocat, „*rexque paterque Audisti coram; nec verbo parcius absens*“: ubi *Rex* est patronus, potens amicus. Porro *Rex bone*, nota formula est, et aliis usitata. Virgil. Aen. XI, 344. de Latino. „*Rem nulli obscuram, nostrae nec vocis egentem Consulis, o bone rex.*“ Statius Theb. II, 460. de Eteocle. „*ast horum miseret, quas sanguine viles Proicis excidio, bone rex.*“ Quamobrem de

VI.

AD APOLLINEM.

- Dive, quem proles Niobeae magnae
 Vindicem linguae, Tityosque raptor
 Sensit, et Troiae prope victor altae
 Phthius Achilles,
 5 Ceteris maior, tibi miles inpar;
 Filius quamvis Thetidis marinae
 Dardanas turris quateret tremenda
 Cuspide pugnax.
 Ille, mordaci velut ieta ferro
 10 Pinus, aut impulsa cupressus euro,
 Procidit late, posuitque collum in
 Pulvere Teucro.
 Ille non inclusus equo Minervae
 Sacra mentito, male feriatos
 15 Troas et laetam Priami choreis
 Falleret aulam;
 Sed palam captis gravis, heu nefas heu!
 Nescios fari pueros Achivis
 Ureret flammis, etiam latentem
 20 Matris in alvo:

v. 19. Vulg. *Latentes*.

hoc loco ampliandum esse existimo, dum vetustiores codices hinc illinc eruantur.

17. *Sed palam captis gravis*] Editiones Italicae veteres *captis*; at Germanica Loscheri *captos*: quorum illud iam vulgo obtinuit; sed neutrum placet. Sive enim *gravis* absolute, sive *gravis captis*, hoc est, iratus, infestus, elegeris: vix mediocri poetae famam impleveris. Mire variant hic membranae; Reginenses cum aliis *captis*; Petreses pro varia lectione *captos*; a Regiae societatis codice vox illa, quaecumque fuerit, exulat; ut et a Graeviano, ubi tamen superne adscriptum est *captis*. Et sane suspicio est iam olim vocabulum dissyllabum ex versu excidisse; et pro vario sequentium librorum captu variis modis substitutum esse. Nam Magdalenensis et Bodleiani duo, cum Lambini aliquot et uno Torrentii, *victor*: quod admitti forte mereretur, vel ob locum Virgilii Georg. III, 83. [IV, 84] „*dum gravis aulos, Aut hos versa fuga victor dare terga subegit*“: cui non absimile est illud Accii in Philocteta [fragm. 1 v. 4 Ribb.]: „*Gravis Dardaniis gentibus ultor Laertiade*“ nisi iam supra habuissimus, „*Et Troiae prope victor altae*“; et mox, ex plurimorum quidem codicum lectione, „*Ni tuis victus*“ Galeanus vero noster habet, *raptor*; ut Plautus Epidico Act. II. Sc. 2. [v. 115] „*Auro opulentus, magnus miles, Rhodius, raptor hostium*“ et Virgil. Aen. II, 374. „*alii rapiunt incensa feruntque Pergama*“ sed versu secundo vox eadem tum recurret, *Tityosque raptor*.

19. *Etiam latentes Matris in alvo*] Ita iam passim circumfertur post Lambinum, et Cruquium, qui sic in suis ediderunt, dissimulata veterum codicum scriptura: quorum plerique cum omnibus antiquitus impressis *laten-*

Ni tuis flexus Venerisque gratae
Vocibus Divom pater adnuisset
Rebus Aeneae potiore ductos
Alite muros.

25 Doctor argutae fidicen Thaliae
Phoebe, qui Xantho lavis amne erinis,
Daunia defende decus Camenae,
Levis Agyieu.

v. 21. Valg. *Victus*.

tem habent. Ita Torrentius, Pulmannus Bersmannusque in suis invenerunt: ita ipse in Graeviano, Leidensi, Zulich, Magd. Petrensi, Galei, Vigorn. Quidni itaque recipiatur: pronum enim fuit librariis pluralem hic ex singulari facere, quia praecesserat *nescios fari pueros*: contra ex plurali singularem facere et varietatis gratiam captare supra eorum captum erat. Expressit autem noster Homeri locum Iliad. Z. v. 60. *μηδ' ΟΥΤΙΝΑ γαστέρι μήτηρ Κοῦρον λόγια φίλοι, μηδ' ΟΣ φέροι: ἀλλ' ἕμα ΠΑΝΤΕΣ ἴλιον ἔξαπολοῖατ', ἀκηδαιότε καὶ ἀθαρτοί.* Ceterum unus Torrentii, et Palmanni alter *iacentem*: sed bene habet vox recepta. Seneca Epist. CXXIV. [§ 8] „*Siquis diceret illum in materno utero latentem, tenerum et imperfectum et informem.*“ et paullo post [§ 8], „*Qui maternorum viscerum latens onus est.*“ Tacitus Hist. II, 13. „*Cum per cruciatu interrogarent, ubi filium occuleret; illa uterum ostendens, latere respondit.*“

21. *Ni tuis victus* Sine membranarum ope nemo hanc lectionem in dubium vocaverit: *vocibus* enim sive *precibus victus* passim occurrit. Livius XXIII, 8. [§ 4] „*Victus patris precibus lacrimisque.*“ et XLII, 22. [§ 7] „*Praetor Popilliae familiae precibus victus.*“ Tacitus Annal. IV, 57. „*Augustus precibus uxoris evictus.*“ Noster Epod. ult. v. 43. „*Castor Fraterque magni Castoris victi prece.*“ Sed Blandinae membranae Cruquii, omnium antiquissimae, suggerunt *flexus*: „*Ni tuis flexus Venerisque gratae Vocibus Divom pater adnuisset.*“ Valerius Flaccus III, 615. „*Ergo animum flexus dietis instantis.*“ Virgil. Georg. IV, 399. „*Nam sine vi non ulla dabil praecepta, neque illum Orando flectes.*“ ubi codex Mediceus apud Pierium, *Orando vinces*; ut nostri hic habent *victus*. Ovidius Epist. Helenae. [Her. 17, 92] „*His ego blanditiis, si peccatura fuisset, Flecterer.*“ Utram igitur lectionem praefereamus; cum utraque proba sit? Mihi quidem *flexus* arridet magis, cum ob venerandam Blandinii codicis auctoritatem, tum ob vocem quae sequitur, *Adnuisset*. Qui enim *adnuil*, eo ipso *flectitur*; et venuste continuatur metaphora. Quid quod Ovidius hunc ipsum locum videtur imitatus, Art. Amat. I, 441. „*Hectora donavit Priamo prece motus Achilles*: Flectitur iratus voce rogante deus.“ et Corippus Africanus lib. I. [v. 172, p. 158 col. 2 l. 8 a fin. ed. Pisaur] „*Vocibus his flexus cessit.*“

25. *Doctor argutae fidicen Thaliae* Apollo *doctor* est Musarum et Poetarum: quis negat? Lucanus in Panegyrico [v. 156]: „*Sive chelyn digitis et cherno verbera pulsas, Dulcis Apollinea sequitur testudine cantus: Et te credibile est Phoebos didicisse magistro.*“ Quin et Musae Poetaeque *arguti* sunt, ut Graecis *Μοῦσαι λεγῖται*: Noster Epist. II, 2, 90. „*Qui minus arguto vexat furor iste poetas?*“ Martialis Epigr. VI, 34. [v. 7] „*Nolo quot arguto dedit exorata Catullo Lesbica.*“ et VIII, 73. [v. 7] „*Fama est arguti Nemesi formosa Tibulli.*“ Bene itaque habent *Doctor Argutae*, neque temere sunt de loco movenda, quem a primis Typographiae initibus in editionibus cunctis possederunt. Manuscripti tamen hic variant. In tribus suis invenit Torrentius *ductor Argivae*: atque equidem *ductor* ipse quo-

Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
30 Carminis, nomenque dedit poetae.
Virginum primae puerique claris
Patribus orti,
Deliae tutela Deae, fugacis
Lyncas et cervos cohibentis arcu,
35 Lesbium servate pedem meique
Pollicis ictum;
Rite Latonae puerum canentes,
Rite crescentem face Noctilucam,
Prosperam frugum, celeremque pronos
40 Volvere mensis.
Nupta iam dices; Ego Dis amicum,
Sacculo festas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horati.

que reperi in Reginensi et Vigornensi; *Argivae* autem Leidensis et Graevianus in margine exhibent pro varia lectione. Unde quadruplicem iam habemus scripturae differentiam,

<i>Doctor argutae</i>	} <i>fidicen Thaliae.</i>
<i>Ductor argutae</i>	
<i>Doctor Argivae</i>	
<i>Ductor Argivae</i>	

Quaenam autem ex his quattuor una vera et sincera sit, coniectando assequi, res lubrica est et aleano plena. Placuit optimo Torrentio, quam ex libris suis protulit, *Ductor Argivae*. Et *ductor* quidem *Thaliae*, ut erudite ipse explicat, erit *Apollo ΜΟΥΣΑΓΕΤΗΣ Musarum ductor*, quod Phoebi cognomen apud Graecos notissimum est. Et sic Euripidi in *Medea* v. 425. *Phoebus est ductor carminum, Φαῖβος Αἰγιόγῳ ΜΕΛΕΩΝ.* Id tamen non nihil offleat huic lectioni, quod continuo iam praecesserat, *meliore ductos Alite muros.* *Ductos* enim et *doctor* sic proxime posita ingratum quiddam sonant, ut et bene animadvertit Dacertius. *Doctor* itaque, si cui ea vox magis arridet, eadem prorsus notione substitui potest. Quippe *Μουσάγης* verti poterit *Doctol Musarum*; ut *χοραγός* sive *ἡγεμὼν χοροῦ, duc chori* est idem qui *χοροδιδάσκαλος, chori doctor et magister*. Hesychius: *Χοραγός, διδάσκαλος, ἑξαρχος.* Pollux IX, 5. [§ 41] *Ἐξάλων δὲ διδασκαλεῖον καὶ χορὸν* (lege *χορηγίον*) *ἤπαιε καὶ τὸν διδάσκαλον, χορηγὸν καὶ τὸ διδάσκειν, χορηγεῖν.* Quod ad *Argivae* attinet, id sane mirifice placet; et *Argivae Thaliae* perinde fuerit, ac si *Graecae Musae* dixisset: ut Carm. II, 16, 38. „*Spiritum Graecae tenuem Camenae.*“ IV, 8, 20. „*Calabrae Pierides.*“ IV, 9, 7. „*Caeo Camenae.*“ Ovidius Trist. II [v. 364]. „*Praecipit Lyrici Tota musa senis.*“ Martialis, XII, 94. [95 v. 5] „*Fila lyrae novi Calabris exulta Camenis.*“ Ausonius Epist. XII. [v. 1] „*ΕΛΛΑΔΙΚΗΣ μετέχων ΜΟΥΣΗΣ* Latinaeque Camenae.“ Virgilius Eclog. VI. [v. 2] „*Nostra nec erubuit silvas habitare Thalia.*“ ubi Servius, „*Nostra, id est, Romana.*“ Atque his iam constitutis, vide quam pulchra et venusta sententia effulgeat, „*Doctor Argivae fidicen Thaliae, Phoebe, qui Xantho lavis amne erines, Daunia defende decus Camenae, Levis Agyieu.*“ Tu, inquit, qui *Alcaonem et Sapphonem* tuo numine afflatus divina olim carmina pangere docuisti, mihi quoque, qui in *Daunia* natus primus Itatorum illos imitatus sum, eundem iam spiritum et artem et honorem imperti. Porro sub *Argivorum*

VII.
AD TORQUATUM.

- Diffugere nives: redeunt iam gramina campis,
Arboribusque comae:
Mutat terra vices; et decrescuntia ripas
Flumina praetereunt:
5 Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres, monet annus, et alnum
Quae rapit hora diem.
Frigora mitescunt zephyris: ver proterit aestas,
10 Interitura, simul
Pomifer autumnus fruges effuderit: et mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant caelestia lunae:
Nos ubi decidimus
15 Quo pater Aeneas, quo Tullus, dives et Ancus,
Pulvis et umbra sumus.

v. 15. Vulg. *Pius* Aen.

nomine omnes Graecos, atque adeo *Lesbios*, comprehendi posse, facile ex multis poetarum locis probaveris. Virgil. Aen. I, 44. „*Pallasne exurere classem Argivum?*“ et II, 254. „*Et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat.*“ Propert. II, 19. [v. 79] „*Vidistis quandam Argiva prodire figura, Vidistis nostras: utraque forma sapit.*“ Martial. IV, 55. [v. 4] „*Argivas generatus inter urbes, Thebas carmine cantet et Mycenae — Nos Celtis genitos et ex Iberis Nostrae nomina duriora terrae Grato non pudeat referre versu.*“ ubi *Argivi* clare designant Graecos quoscumque; et proinde *Argiva Thalia* eadem erit ac *Graeca*; et ex opposito respondebit *Camenaë Dauniae* sive *Romanae*.

7. *Et alnum Quae rapit Hora diem*] Duo *Torrentiani album*; et similiter *Franckeranus*; et *Graevianus* pro varia lectione. Sed *dies albus* esset *hilaris, laetus, faustus*, ut *Graecis* *Αυξή ημερα, ηδεια και αγαθη*. Quod ad *Horatii mentem* nihil facit: non enim quaelibet *hora* diem hilarem et candidum solem vehit. *Silius Italicus* lib. XV. [v. 53] „*Sed current albusque dies, horaeque serenaë, Et molli dabitur victu sperare senectam.*“ Quare retinendum est cum editis *Alnum*, perpetuum *Diei* epitheton. Virgil. Eclog. VIII. [v. 17] „*Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer, alnum.*“ et Aen. V, 64. „*si nona diem mortalibus alnum Aurora extulerit.*“ *Boetius* in *Consol.* IV, 6. [v. 15] „*Vesper seras nunciat umbras, Revehitque diem Lucifer alnum.*“ Ceterum *Vigorniensis* noster absurde *polum* pro *diem* ingerit.

15. *Quo pius Aeneas*] Ita iam in editis ubique circumfertur: verum aliud suggerit melior pars membranarum. Codex antiquissimus *Blandinius*, „*Quo pater Aeneas*“: atque ita nostri *Reginensis*, *Battelianus*, *Magdalenensis*, *Bodleiani* duo, et a prima manu *Graevianus*; neque aliter unus *Torrentianus* et *Lambini* aliquot. Quod vel ob solam *Blandinii auctoritatem* reddendum est. Et sane *Pater Aeneas* vices aut amplius apud *Virgilium* occurrit: idque ex more, quia *Pater* erat gentis *Romanae*, unde *Aeneadae* vocabantur. *Ennius* *Annal.* I. [v. 53 *Vahl.*] „*Te nunc sancta precor Venus et genetricis Patris nostri.*“ Neque vero opus est, ut *pius* ideo assumatur, quo ostendat

- Quis scit an adiciant hodiernae crastina summae
Tempora Di superi?
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
20 Quae dederis animo.
Cum semel occideris, et de te splendida Minos
Fecerit arbitria;
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.
25 Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum:
Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

VIII.
AD CENSORINUM.

- Donarem pateras grataque commodus,
Censorine, meis aera sodalibus:
Donarem tripodas, praemia fortium
Graiorum: neque tu pessima munerum
5 Ferres, divite me scilicet artium
Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas:
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.

nec pietatem neque divitias adversus mortem valere. Eandem enim sententiam sine ullo epitheto posuit *Epist.* I, 6, 27. „*Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus.*“ Illud vero de *pietate* mox habemus versu 23. „*Non, Torquate, genus, non te facundia, non te Restituet pietas.*“ Quod et ipsum maximo est argumento, reiiciendum esse *to pius*; ne in tam brevi carmine bis eadem sententia putide repetatur. Quin et illud demiror, quo nomine sive *Tullum* sive *Ancum divitem* appellaverit: quando uterque scriptoribus aliis inter antiquae paupertatis exempla memoretur. *Juvenalis* *Sat.* V, v. 57. de puero formoso: „*Flos Asiae ante ipsum, pretio maiore paratus, Quam fuit et Tulli census pugnacis, et Anci.*“ *Claudianus* de *Bello Gildonico* v. 110 [v. 109] „*Ipsa nocet moles, utinam remeare liceret Ad veteres fines, et moenia pauperis Anci.*“ Cur igitur hic *dives* sit, sane nequeo conicere: nisi forte *liberiorum* facinus est, et sic a primo erat scriptum, „*Quo pater Aeneas, quo Tullus, pauper et Ancus.*“

16. *Pulvis et umbra sumus*] *Battelianus* noster, „*Pulvis et ossa sumus.*“ ut *Ausonius* *Epitaph.* XXXVII. [v. 2] „*Mulus in aeternum sum cinis, ossa, nihil.*“ Idem tamen *Epitaph.* XVII. [v. 2] lectionem receptam confirmat, manifesta imitatione: „*Nastes Amphimachusque Nomionis inelyta proles, Ductores quondam, pulvis et umbra sumus.*“

19. *Cuncta manus avidas*] Meo quidem iudicio suavior esset compositio, si sic legeretur, „*Cuncta manus avidi fugient heredis, amico Quae dederis animo.*“ Ita *Sat.* II, 3, v. 151. „*Ni tua custodis, avidus iam haec auferet heres.*“ Sed membranae, quarum adhuc notitia est, repugnant: aliae sunt e tenebris erudendae.

Sed non haec mihi vis; nec tibi talium
 10 Res est aut animus deliciarum egenus.
 Gaudes carminibus: carmina possumus
 Donare, et pretium dicere muneri.
 Non incisa notis marmora publicis,
 Per quae spiritus et vita redit bonis
 15 Post mortem ducibus; non celeres fugae
 Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae;
 Non incendia Carthaginis impiae,

v. 9. Vulg. *Non tibi.*

9. *Non tibi talium*] Blandinius antiquissimus cum Graeviano nostro, Reginensi, et melioribus aliis, nec. Quod etsi leve est, non ideo tamen neglegendum.

12. *Pretium dicere muneri*] Editio Veneta *muneri*, Germanica Loscheri *muneris*. Inde in sequentibus pro vario Interpretum iudicio nunc hoc, nunc illud obtinuit et adhuc obtinet. Sed melioris notae Codices, in quibus Leidensis noster et Graevianus cum aliis *muneri*; atque id sine dubio rectius. *Pretium dicere muneri*, i. e. *statuere, ponere*. Terent. Prolog. Hecyrae [v. 41]: „*Si numquam avarae pretium statui arti meae.*“ Seneca Epist. 87. [§ 18] „*Quis pleno sacculo ullum pretium ponit, nisi quod pecuniae in eo conditae numerus efficit?*“ Sic *dicere alicui diem, nomen, mulctam* etc.

17. *Non incendia Carthaginis*] Omnino meretur hic locus, vel ipsius Horatii causa, cuius honos et doctrina hic maxime periclitantur, diligenter expendi. „*Non celeres fugae Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae; Non incendia Carthaginis impiae, Eius qui domita nomen ab Africa Lucratus rediit, clarius indicant Laudes, quam Calabriae Pierides.*“ ubi, ut hodie quidem exhibent omnes ubique codices, hoc clare dicitur: „*Non Hannibal ex Italia fugatus, et retro in Libyam pulsus, non Carthago incensa, clarius indicant laudes Scipionis Africani, quam Musa Ennii Calabri, qui belli Punici historiam versibus condidit.*“ In quibus horribilis sane hallucinatio est, quae vix in illum hominem de media plebe cadere potuit. Primo enim *Hannibalis fugam et Carthaginis incendium* uni et eidem Scipioni adscribit. Atqui Hannibalem ex Italia retraxit P. Cornelius P. F. Scipio, anno ab Urbe condita DL; idemque diem suum obiit circa annum DLXVI. Carthaginem vero incendit P. Cornelius Scipio Aemilianus, filius quidem L. Pauli Aemilii naturalis, nepos vero superioris Scipionis adoptivus, A. U. C. DCVII, plus annis XL ab alterius obitu. Deinde Ennium innotuit in poemate suo Carthaginis incendium attigisse: cum Ennius A. U. C. DLXXXIV. mortuus sit, neque Annales suos ultra annum DLXVII deduxerit. Quid cum illo facias, qui talia portenta admittit; qui avum a nepote, Punicum bellum secundum a tertio, nescit distinguere; qui dimidii saeculi intervallum susque deque habet? Tamen haec dissimulant plerique Interpretes, prae verecundia magis, ut crediderim, quam ignorantia: soli Chabotius Daceriusque ingenue et aperte culpam arguunt: in eo tantum iniurii, quod Horatio ipsi crimen impingant, non librariis potius omnia contaminantibus. Quid enim? an ille, re fere recente, tum id ignoraverit, quod hodie decimo et septimo post saeculo pueri decennes sciunt? *Fidem* hominum appellamus: apage tam vesanam suspicionem: nunquam hoc, o Flacce, de te credemus: *Ἄλλοις ἐπ' ἑθλοῖς εὐδ' ἀποθήσεις ψόγον*. Quid enim vultis, o boni? nullumne habuit amicorum (recitare enim his sua omnia ante editionem solebat) qui tam conspicuum errorem tollere posset

Eius qui domita nomen ab Africa
 Lucratus rediit, clarius indicant
 20 Laudes, quam Calabriae Pierides: neque
 Si chartae sileant quod bene feceris,
 Mercedem tuleris. quid foret Iliae
 Mavortisque puer, si taciturnitas
 Obstaret meritis invida Romuli?
 25 Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum
 Virtus, et favor, et lingua potentium
 Vatum divitibus consecrat insulis.
 Dignum laude virum Musa vetat mori:
 Caelo Musa beat. sic Iovis interest
 30 Optatis epulis inpiger Hercules:

aut vellet? qui tam reconditum arcanum proderet, duos fuisse Scipiones, cognomine Africanos? O rem ridiculam! sed interea quid fiet, dices; quo tandem pacto Venusinum tuum ex crimine evolves? Ego vero cum prisco Catone *Carthaginem delendam esse* censeo; et spurio illo versu abolito, sic ceteros continuandos esse, „*non celeres fugae, Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae, Eius qui domita nomen ab Africa.*“ Agnosco enim versum Monachalis plane genii et coloris. Praeter enim *ἀποθήσεις* crimen, cuius iam cum damnavimus, peccat insuper adversus carminis mensuram et modulationem. Quippe metri huius indoles et artificium requirit, ut syllaba ultima Choriambi, in qua caesura et pausa sit, vocem terminet: ut, „*Dona | rem pateras | grataque commodos Censo | rine meis | aera sodalibus.*“ Numquam ne semel quidem (sciens hoc affirmo) discessit ab hac regula Noster, in versu Asclepiadeo. Captum itaque tenemus tenebrionem, qui modorum et artis imperitus caesuram in medio voce constituit, „*Non in | cendia Car | thaginis impiae*“: quod quale sit flagitium, si deum animadvertent, qui aurem habent, et quibus olim nascentibus propitia Melpomene adfuit. Aliter autem se res habet (nequis forte hic erret ignarus) in versu proxime antecedente, „*Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae.*“ Non enim (ut prima fronte videri possit) mediam ibi vocem diffindit caesura. Quippe M litera cum vocali sua reicitur, et perinde est ac si sic scriberetur, „*Reice | laeque retrors | Hannibalis minae*“: cuiusmodi in toto opere sunt hi duntaxat, qui sequuntur, I, 21, 13. *Hic bellum lacrimos | um hic miseram famem.*“ 24. v. 14. „*Auditam moderer | e arboribus fidem.*“ III, 24, 52. „*Pravi sunt element | a et tenerae nimis.*“ 30. v. 1. „*Exegi monument | um aere perennius.*“ v. 7. *Vitabis Libitin | am usque ego postera.* v. 12. *Regnavit populor | um ex humili potens.*“ IV, 5, 22. „*Mos et lex maculos | um edomuit nefas.*“ Aliter porro res se habet in unico illo versiculo, Carm. II, 12, 25. „*Dum flagrantia de | torquet ad oscula*“: ubi caesura in mediam vocem incidere cuiuspiam videatur. Cuius licentiae arenam rationem, ne forte eandem veniam *Carthagini* dandam existimes, iam tibi aperiam. Dico igitur praepositionem *De* quasi separari a verbo *Torquet*: quippe quae non nativa vocabuli eius pars sit, sed adventitia et externa. Sine iniuria itaque divelli poterit per caesuram, et non incommode pausam sustinere. Quod et alio exemplo tibi confirmabo in versu Alcaico, qui Choriambi accessione ex Asclepiadeo nascitur; ut [I, 18, 1] „*Nullam | Vare sacra | vile prius | severis arborem.*“ Cum enim et huius metri suavitas in eo maxime consistat, ut bini illi Choriambi semper desinant in voce integra, ut iam vidisti; idque ubique diligenter caverit Flaccus (Graeci enim hic negligentiores erant) in uno duntaxat versiculo

Clarum Tyndaridae sidus ab infimis
 Quassas eripiunt aequoribus rates:
 Ornatus viridi tempora pampino
 Liber vota bonos ducit ad exitus.

IX.

AD LOLLIUM.

Ne forte credas interitura, quae
 Longe sonantem natus ad Aufidum
 Non ante volgas per artes
 Verba loquor socianda chordis;
 5 Non, si priores Maconius tenet
 Sedes Homerus, Pindaricae latent
 Ceaeque, et Alcaei minaces
 Stesichorique graves Camenae:
 Nec, si quid olim lusit Anacreon,
 10 Delevit aetas: spirat adhuc amor,
 Vivuntque commissi calores
 Aeoliae fidibus puellae.
 Non sola comtos arsit adulteri
 Crinis et aurum vestibus inlitum,
 15 Mirata regalisque cultus
 Et comites, Helene Lacaena:
 Primusve Teucer tela Cydonio
 Direxit arcu: non semel Ilios*)
 Vexata: non pugnavit ingens
 20 Idomeneus Sthenelusve solus
 Dicenda Musis proelia: non ferox
 Hector, vel acer Deiphobus gravis
 Excepit ictus pro pudicis
 Coniugibus puerisque primus:
 25 Vixere fortes ante Agamemnona
 Multi; sed omnes inlacrimabiles

praepositionem a suo verbo dissolvere ausus est, „Arca | nique fides | pro-
 diga per | lucidior vitro.“ Eandem itaque veniam et speravit et impetravit
 hic in *Perucidior*, quam illic in *Detorquet*; ut praepositio scilicet caesuram
 sustineat, tamquam a verbo divisa. Id quod frustra, opinor, expectasset;
 si invita *Lyca* et non sine auri vulnere illud absonum concinnisset,
 „Non incendia Car | thaginis impiae.“ Nullis enim fidiculis divelli pot-
 est ea syllaba; utpote non extrinsecus adducta, sed inhaerens et insita: et
 proinde ad pausam sustinendam inepta plane et inhabilis. Habent itaque
 suum sibi falsarius, et historiae et artis ignarissimus; neque candidis stellis
 maculam inspergat: quem si omnibus vestigiis indagare et comprehendere
 conati sumus; eruditus lector vel ipsius Horatii causa, cuius res hic agitur,
 votis suis favabit.

[*) Iliou, quod dederat in ed. a. 1711, in eiusdem ed. praef. reiecit Bentl.]

Urgentur ignotique longa
 Nocte, carent quia vate sacro.
 Paullum sepultae distat inertiae
 30 Celata virtus. non ego te meis
 Chartis inornatum silebo,
 Totve tuos patiar labores
 v. 31. Vulg. *Sileri*.

29. *Paullum sepultae distat inertiae Celata virtus*] Ego vero vix
 satis capio, quid sibi velit aut quomodo sententiam iuvet illud *Sepultae*:
 immo vereor, ne officiat magis quam prosit. Et inde opinor est, quod
 Scholiastae veteres sic enarrant, „Non laudata virtus similis est inertiae“;
 omisso illo emblemate *sepultae*. Et quidem illud probe intelligo, *celata*
virtus paullum distat inertiae: sin autem *sepulta* addidero, continuo sen-
 tentiae caligo nescio quae oboritur. Quid enim vis? an *sepultae* erit, ut
 vulgo interpretantur, extinctae, oblivione obrutae? Atqui *celata* virtus haud
 magis a viva et vigente inertia distat, quam ab extincta: quippe *virtus*
celata habet speciem *inertiae patentis*: sicut inertia bene dissimulata ha-
 bere possit larvam virtutis. Et ut illud addam; *inertia sepultae* recte
 quidem dici de ignavo homine et desidioso: verum ipsam *inertiam sepelire*
 erit hominis se erigentis et ad bonam frugem evigilantis. Ita *Somno vino-*
que sepultus scimus quid velit: at ipsum *somnum sepelire* perinde est ac
 abigere, excutere. Plaut. Most. V, 3. [2, v. 1] „Ubi somnum sepelivi omnem et
 obdormivi crapulam.“ Ergo hoc ad exemplum *sepulta inertia* valebit idem
 ac *excussa, depulsa*; quod loco huic alienum et prorsus contrarium est.
 Vide igitur, an levi immutatione sanior sic exeat versus; „*Paullum sepultae*
distat inertia Celata virtus.“ Ubi ordo est: *Virtus inertia* poetarum, scri-
 ptorum, testium *celata, paullum distat* virtuti *sepultae*. Atque hoc pacto
 novum sibi colorem sententia inducit, totique orationi, ni fallor, magis ac-
 commodatum. *Vivere*, inquit, *multi fortes ante bellum Troianum: sed*
ignoti iacent et longa nocte urgentur, eorumque *virtus aeterna* oblivione
sepulta est, *quia vate sacro carent*. Quin et viva *virtus inertia* et ne-
 glegentia scriptorum *celata paullum distat sepultae*. Quare ne *tot tuos*
labores similis olim carpat oblivio, non *silebo* etc. *Inertia celata*, ut
 Quintilianus Instit. 1, 1. [prooem. § 13]. „*Seidit deinde se studium*, et in-
 ertia factum est, *ut artes esse plures viderentur*.“ Terentius Prolog. Adelph.
 [v. 14] „*Furtivum factum existimetis, an locum Reprehensum, qui praeter-*
 itus negligentia st. Ita passim apud Classicos, ut et Iuriconsultos.

31. *Chartis inornatum sileri*] Editiones veteres, Venetae duae et Lo-
 scheri, sic locum hunc exhibent, „non ego te meis *Chartis inornatum* si-
 lebo, *Totve tuos patiar labores Impune, Lolli, carpere lividas Obliviones*.“
 Postea substituebat nescio quis *sileri*, atque id iam plerasque editiones oc-
 cupat. Ab utraque parte stant codices manuscripti. Graevianus noster,
 Zulich. Vigorn. Colbertinus, et a prima manu Magdalenensis, *sileri*. Contra,
 praeter plures Lambini (quem immerito hic mendacii postulat bonus Tor-
 rentius) et Pulmanni Canterique aliquot, *silebo* praefertur Leidensis noster,
 Regianensis, Battelianus, Petrensis, Regiae Societatis, Bodleianus, et Galeanus
 a manu prima. Cum itaque hinc et hinc aequis stent viribus testimonia;
 restat, ut quid ipsa res et ratio dicet, examinemus. Quod ad *silebo* attinet,
 nihil est quod vel morosissimus in eo culpet: sententia recte procedit, dictio
 poetis aliis et Flacco ipsi satis cognita; Carm. 1, 12, 21. „*neque te silebo*,
Liber.“ Ovid. Fast. III, 55. „Non ego te, *tantae nutriae Laurentia gentis*,
Nec taceam vestras, Faustule pauper, opes.“ Valerius Flac. VI, 135. „Non
 ego sanguineis gestantem tympana bellis *Thyrsagelen, cinctumque vagis*
post terga silebo Pellibus.“ Virgil. X, 793. „Non equidem nec te, *iuvenis*
memorande, silebo.“ Quod si *sileri* reponis, ut constructio sit, *Non ego*

- Impune, Lolli, carpere lividas
Oliviones, est animus tibi
35 Rerumque prudens, et secundis
Temporibus dubiisque rectus;
Vindex avarae fraudis, et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae:
Consulque non unius anni;
40 Sed, quotiens bonus atque fidus
Iudex honestum praetulit utili et
Reiecit alto dona nocentium
Vultu, et*) per obstantis caervas
Explicuit sua victor arma.

patiar te sileri inornatum meis chartis; vide modo, quam infectus et ineptus sensus enascitur. Non patiar, inquit, te sileri meis chartis. Quorsum, amabo, illud patiar? quid tantopere laborandum erat? Quasi vero Lollius interdixerit Flacco, ne quid de se scriberet: aut quasi Chartae eius invitae et reluctantes gesta Lollii referrent. Si illud modo dixisset, „Non patiar te chartis sileri; ut mox dicit, Non patiar tuos labores oblivione carpi; recte promississet se Lollii laudes scripturum aliorum poetarum negligentia praerititas. Nunc cum additum sit, meis chartis; illud vero significaret, se, repugnante et vetante vel Lollio, vel alio quopiam, id aggressurum esse. Quod cum absurdum sit et a vero abhorreat, apparet illa patiar et meis una consistere non posse. Revocanda igitur est altera lectio silebo; ut quem in primis editionibus locum habuit, etiam in novissimis consequatur.

39. *Consulque non unius anni*] Locus hic perdifficilis est, et varia hominum iudicia expertus. „Est tibi, inquit, animus, avarae fraudis vindex, non unius anni consul, bonus atque fidus iudex, qui reiecit nocentium dona alto vultu, et per obstantes caervas victor“. Haec omnia in periodi huius cursu de Lollii animo praedicantur: quorum praesertim illa, „Animus Consul, cum alto vultu“, celeberrimis viris Fabio et Dacero *κατάφατε* et male affectata videntur, neque ullam iustam excusationem habere posse. Videamus tamen, cum bona eorum venia, siquid contra pro Horatio dici possit. Et imprimis observandum, optimos quosque scriptores non aliter interdum de animo, quam de persona quopiam loqui: qualia illa sunt, *Animus contentor*: ut apud Salustium in Bello Jugurth. c. 64. [§ 1] „Tamen inerat contentor animus, et superbia, communi nobilitatis malum.“ Virgil. Aen. IX, 205. „Est hic, est animus lucis contentor, et istum Qui vita bene credat omi, quo tendis, honorem.“ et Senecam Epist. XXIV. [§ 8] „Cato generosum illum contentoremque omnis potentiae spiritum non emisit, sed cecit.“ *Animus victor*: plane ut hic apud Nostrum. Seneca Consol. ad Helviam c. II. [§ 2] „Ut pudeat animum, tot miseriarum victorem, aegre ferre unum vulnus in corpore tam cicatricoso.“ Et ad Marciam c. XXIII. [§ 3] „Cum videres victorem omnium caluptatum animum, emendatum, carentem vitio.“ Sulpicius Severus Epist. III. [§ 13, p. 148, 26 Halm] „Est tamen animus victor annorum, et videre nescius senectuti.“ Boëtius Praefat. in Arithmet. [prim., p. 3. 7 Friedlein] „Attuli non ignava opum pondera, quibus ad meritum nihil vilius, cum ea sibi victor animus calcata subiecit.“ Animus rector, et rex, et dominus. Seneca de Beneficiis I. 16. [§ 2] „Refert, quo ille rector (animus) impellat, a quo forma datur rebus.“ Ibidem V. 25. [§ 4] „Pancis animus sui rector optimus: proximi sunt, qui admoniti in viam redeunt.“ Idem Epist. CXIV. [§ 23] „Rex noster est animus, hoc incolunt, cetera manent in officio.“ Idem Nat.

*) [et reponi vultu Boetius praef.]

- 45 Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
50 Peiusque leto flagitium timet;
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

Quaest. VII, 24. [c. 25 § 2 Haase] „Quid tamen sit animus ille, rector dominusque nostri, non magis tibi quisquam expedit, quam ubi sit.“ Animus liberator. Livius I, 56. [§ 8] „Ut sub eius obtentu cognominis, liberator ille Populi Rom. animus (Iunius Brutus) latens opperiretur tempora sua.“ Animus aestimator, deprecator. Seneca De Ira III. 5. [§ 7] „At ille ingens animus et verus aestimator sui, non vindicat iniuriam, quia non sentit.“ Ibidem 28. [§ 1] „Ubique enim causae irarum supersunt, nisi deprecator animus accessit.“ Animus contemplator, admirator, corruptor, Seneca Consol. ad Helviam c. VIII. [§ 4] „Animus contemplator admiratorque mundi, pars eius magnificentissima.“ Tacitus Annal. III, 54. „Corruptus simul et corruptor, aeger ac flagrans animus.“ Animus carnifex, proscripitor. Plinius Hist. Nat. VII, 7. [§ 43] „His principiis nascuntur tyranni, his carnifex animus.“ Ibidem 12. [§ 56] „Ut ille proscripitor animus, modo et contumelia furens (M. Antonius) non aliud in censu magis ex fortuna sua duceret.“ Animus adulter. Aleimus Avitus, ad Sororem [lib. VI, 434, pag. 125 col. 1 sub fin. Pisaur.] „nec castam dicere carnem luce potest, animus quem si corrumpat adulter.“ Animus speculator, censor: Seneca de Ira III, 36. [§ 2] „Cum aut laudatus est animus, aut admonitus, et speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis.“ Salvianus contra Avaritiam lib. I. [c. 28 ed. a. 1688] „Sed fatisciente iam corpore, ubi exerebit districtio officium censor animus?“ Atque his, ut vides, titulis, eum personam quandam, animam signarunt, etiam in oratione soluta: quantillum autem hi distant ab illo Horatii? Si animus *Proscripitor, Carnifex, Censor* recte appellatur; quidni et *Consul*? Credo equidem, si haec exempla ad manum habuissent doctissimi socer generaque, parcius paullo et verecundius acturos fuisse. Nam quod exclamant, „Quid tandem illud est, Animus tuus reiecit alto vultu dona nocentium?“ sane nihil est, ut ait ille, quin male narrando possit depravari. Omittunt enim illud, quod interposuit Horatius, quo durities huius metaphoræ molitur et temperatur. *Quoties*, ait, *animus tuus, bonus atque fidus iudex, alto vultu reiecit dona nocentium*. Iam autem illud *vultu*, non ad *animus* proxime; sed ad *iudex* refertur. Quo verbo interveniente, quicquid de *iudice* dici solet, etiam de *animo* commode diceretur. Quale illud Boetii est, modo laudatum; „Cum ea sibi victor animus calcata subiecit.“ Non magis enim *calcare* quid potest animus, quam *vultu reicere*. Sed quia Victoris est calcare rebelles; ut Iudicis, reicere dona alto vultu; idcirco et *animus*, ubi semel Victor aut Iudex nominatur, ope sumtae metaphoræ ad omnia Victoris aut Iudicis munera cooptari potest. Quidni enim recte dicamus, Ille *carnifex* animus tot innocentium hominum fauces elisit, Ille *adulter* animus tot honestorum civium domos stupris polluit, et sic de ceteris. Atque haec praeter morem nostrum; ne Horatius, cuius honos nobis est cordi, *κατάφατε* postulatus sic sine patrono reus perageretur. Illud magis ex instituto monebimus, partem et post *utili* et post *vultu* neque in editionibus prisca neque in ullo codice nostro comparere; quod et Torrentius alique de suis memorant; et tamen quicumque primus ex coniectura eam addidit, recte et necessario id fecisse videtur.

X.

AD LIGURINUM.

O crudelis adhuc, et Veneris muneribus potens;
 Insuperata tuae cum veniet pluma superbiae,
 Et quae nunc humeris involitant, deciderint comae,
 Nunc et qui color est puniceae flore prior rosae,

2. *Pluma superbiae*] Nondum inter interpretes convenit, quid sibi in hoc loco velit *pluma*, „*Insuperata tuae cum veniet pluma superbiae*.“ *Pluma*, aiunt Scholiastae, est *prima barba*, *barba incipiens*; quos sequuntur Lambinus, Cruquius, Torrentius. At nemo quisquam poetarum translatione hac usus est, ut barbam vocaret *plumam*. Neque vero ratio ulla excogitari potest; cur si id vellet Horatius, non proprio et suo nomine *barbam* appellaverit, „*Insuperata tuae cum veniet barba superbiae*“: Non enim verbi humilitate offendi potuit, quod omnes fere poetae, etiam in carmine Epico, non sunt aspernati. Sed, quod maximum est, paullo infra in versu quinto *barbam* attingit; ubi, ait, „*in faciem verterit hispidam*“: ut putidum plane sit his eandem sententiam continuo inculcare: ut ne addam absurdum esse, quam *barbam* iam *plumam* hoc est *mollem* vocaverit, eandem e vestigio *hispidam* fieri. Quare alia via insistebat Theodorus Marcellus, ut *plumam* hic interpretaretur *canitiem*; quale illud ait Nasonis esse, Trist. IV, 8. [v. 1] „*Iam mea cyneceas imitantur tempora plumas*.“ Recte quidem cynecea pluma canitiem notat; quia cyeni sunt candidi: sed dic sodas, an omnis omnino pluma est alba? Quonam igitur pacto *pluma*, per se et nude posita, alborem denotabit? Vidit, opinor, hanc absurditatem eruditissimus Daeserius; at cum diversum quid investigaret, eo redactus est, ut, ne nihil diceret, omnibus his absurdiorum sensum comminisceretur. „*Cum pluma venit tuae superbiae; hoc est*,“ inquit, „*cum id quo superbiebas, avolarit et abierit; more loquendi Graecis et Orientalibus noto*.“ Quinam, amabo, illi sunt Graeci? ut de Orientalibus concedam; qui tamen ipsi non *plumam*, sed *pennas* sive *alas* eo sensu usurpant: et unde ii Horatio imitandi? Enimvero quid cum *pluma* illa fiet, nequeo divinare: sed cum tot alii de scopo aberraverint, vide modo, an nos propius collimemus. Quid si igitur totus locus sic concipiatur? „*Insuperata tuae cum veniet bruma superbiae; Et, quae nunc humeris involitant, deciderint comae; Nunc et qui color est puniceae flore prior rosae, Mutatus, Ligurine, in faciem verterit hispidam*.“ Passim apud Scriptores adolescentia *veri*, provecior aetas *auctumno* et *brumae* comparatur. Et praeterea *bruma* pro tempore adverso ponitur; ut Ovid. Epist. Oenones [Her. V, 34]: „*Illu dies fatum miserae mihi dixit: ab illa Pessima mutati coepit amoris hiems*.“ Ergo, *Cum veniet bruma, insuperata tuae superbiae*, perinde est ac si dixerit, *ubi natu grandior fueris: sive ubi calamitas superbiam tuam opprasset*. Pergit vero in metaphora ab *hieme* traducta: *Cum comae*, inquit, *deciderint*; quod ad utramvis aequae refertur, sive *brumam*, sive *aetatem*. Quippe ut *hieme arborum comae* decidunt, unde illud Carm. IV, 7, 1. „*Diffugere nives; redeunt iam gramina campis, Arboribusque comae*“: ita et postmodum *Ligurino exoleto comae* tondebuntur. Tum et illud demum, „*In faciem verterit hispidam*“, ad utramque pariter respicit. Ut enim in matura viri aetate *hispidam barbam* est, ita *hieme hispidam* est *agrorum facies*: ut Carm. II, 9, 1. „*Non semper imbres nubibus hispidos Manant in agros, nec glacies iners*.“ Quid iam videtur? nonne apte et consine quadrant omnia? Levis a codicibus variatio est, sententia aperta, metaphora pulcherrime continuata. Quamobrem rem ipsam fortasse divinando attingimus.

5 Mutatus, Ligurine, in faciem verterit hispidam:
 Dices heu! quotiens te in speculo videris alterum,
 Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
 Vel cur his animis incolumes non redeunt genae?

XI.

AD PHYLLIDEM.

Est mihi nonum superantis annum
 Plenus Albani cadus; est in horto,
 Phylli, nectendis apium coronis;
 Est ederae vis
 5 Multa, qua crinis religata fulges:
 Ridet argento domus: ara castis
 Vincita verbenis avet immolato
 Spargier agno:
 Cuncta festinat manus: huc et illuc
 10 Cursitant mixtae pueris puellae:

v. 5. Vulg. *Ligurinum*.

5. *Ligurinum in faciem*] Omnes editiones, et membranae, quas ipse viderim, sic locum hunc repraesentant, „*Nunc et qui color est puniceae flore prior rosae, Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam*.“ Tamen iam olim vidi necessario corrigendum esse, „*Mutatus, Ligurine, in faciem verterit hispidam*“: idque ex illis verbis personae secundae, *Dices, Videris*, etc. Nisi enim, *Ligurine*, legeris; nullus alius reliquus est, quem sic alloquatur. Postea vero didici, doctissimum Torrentium sic clare in duobus suis vetustissimis reperisse. *Verterit* autem, ut ipse recte explicat, idem hic est ac *versus fuerit*. Sic enim passim ea vox neutraliter et absolute usurpatur. Virgilius Georg. III, 365. „*Et totae solidam in glaciem vertere lacunae*.“ Suetonius Aug. c. 23. „*Si respublica in meliorem statum vertisset*.“ Tacitus Annal. VI, 46. [52] „*Ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibrium et contumelias verterent*.“ Ibidem XI, 37. „*Verterat pernicies in accusatorem*.“ Exortus tamen est, qui Torrentio sagacior neget posse dici, *Color* (roseus genarum) *vertit*, sive versus est, *in faciem hispidam*, sive barbam hirsutam. Mirum sane fastidium: cuius utinam rationem aliquam reddidisset. Idem vero eleganter dici credit, *Color mutatus Ligurinum vertit in faciem hispidam*. Haud vidi magis dispar sibi palatum. Qui modo tam nauseabundus erat, nunc ferrum ipsum aut siquid eo durius potest concoquere. „*Color*,“ inquit, „*vertit Ligurinum in faciem hispidam*“: ergo miser ille Ligurinus iam totus facies erat, totus barba: quanto infelicior amico illo Catulli [13, 14]; „*Quod tu cum olfacies; deos rogabis, Totum te faciant, Fabulle, nasum*.“

6. *Te speculo*] Ita Vincita antiqua Germanica Loacheri *te in speculo*: et similiter codices duo Blandini, Leidensis, Reginensis, et alii, Placet, vel propter illud Virgilii Eclog. II. [v. 25] „*Nec sum adeo informis: nuper me in littore vidi*.“

9. *Cuncta festinat manus*] Praestantissimus Nic. Heinsius in exemplaris sui margine, „*Malo*,“ inquit, *Festinant; Cuncta festinant manus*.“ Sane amavit illum loquendi morem Heinsius, et quaecumque data occasione sic in editionibus suis reposuit. Sic in Ovidii Fastis IV, 104. „*Deposita taurus sequitur fertitate iuvenam, Quem toti saltus, quem nemus omne*

Sordidum flammae trepidant rotantes
Vertice fumum.
Ut tamen noris quibus advoceris
Gaudiis; Idus tibi sunt agendae,
15 Qui dies mensem Veneris marinae
Findit Aprilem:

tremunt." et ibidem v. 156. „*Supplicibus verbis illam placate: sub illa Et forma, et mores, et bona fama manent.*" Ita ex unico codice Vossiano edidit; cum centum, credo, alii exhibuerint *tremunt, manet*. Sic passim et ubique plurales numeros introduxit, prorsus contra morem Horatianum, ut fuse ostendimus in Notis ad Carm. I, 24, 8. Neque melius ei successit haec Flacci emendatio: proba enim codicum lectio est, „*Cuncta festinat manus*": ut Carm. III, 6, 9. „*Iam bis Moneses et Pacori manus Non auspicatos contudit impetus*": et Serm. I, 4, 141. „*Multa poetarum veniet manus, auxilio quae Sit mihi*": ubi nullus erroris metus aut suspicio est: nam locum priorem versus ipse tutatur; in posteriore si *venient* reposueris; tum et dicendum fuerit, „*auxilio qui sint mihi.*"

11. *Flammae trepidant*] Ita omnes scripti editique cum veteribus Scholiastis, „*Sordidum flammae trepidant rotantes Vertice fumum.*" ubi *trepidant* erit, aut *tremulo motu feruntur*, ut Virgil. Eclog. VIII. [v. 105] „*Aspice, corripuit tremulis altaria flammis*": (verum isti sensui exprimendo verbum *rotantes* satis per se suffecerit) aut potius *festinant*; ut id voluerit Noster, *cunctam manum, mixtas pueris puellas, etiam ipsas flammis, festinare?* Sed vix crediderim tam inanem et frigidam figuram tam severo iudicio placere potuisse. Quare vide, annon forte legendum sit, „*Sordidum flammae crepitant rotantes Vertice fumum.*" Certe ea vox et sententiae novum aliquid addit, et poetis aliis in simili descriptione mirifice placuit. Virgil. Georg. I, 85. „*Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis.*" Aen. VII, 74. „*Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari.*" Lucretius VI. [v. 154] „*Nec res ulla magis, quam Phoebi Delphica laurus, Terribili sonitu flamma crepitante crematur.*" Tibullus II, 5. [v. 81] „*Ut succensa sacris crepitet bene laurea flammis.*" Nemesianus Eclog. IV. [v. 65] „*Incendens vivo crepitantes sulfure lauros.*" Propertius, IV, 3. [v. 58] „*Et crepat ad veteres herba Sabina focos.*" Plinius Hist. II, 22. [§ 82] „*Ergo ut e flagranti ligno carbo cum crepitu, sic a sidere caelestis ignis expulitur.*" Ovidius Fast. IV. [v. 781] „*Moxque per ardentes stipulae crepitantia acervos.*" Prudentius Peristeph. III, 13. „*Cum crepitante pyra trepidos Terruit aspera Carnificos.*" et v. 156. „*Flamma crepans volat in faciem.*" Silius Italicus lib. IV. [v. 683] „*Uritur omne nemus, lucosque effusus in altos Immissis crepitat victor Vulcanus habentis.*" Ibidem lib. V. [v. 571] „*stipula crepitabat inani Ignis iners, cassamque dabat sine robore flammam.*" Idem lib. XVII. [v. 107] „*Ipsius ingenti regis tentoria saltu Lugubre increpitans late circumvolat ardor.*" Idem lib. XIV. [v. 310] „*Perque altam molem et toties crescentia lecta Scandit oceanis rapidisque vorat crepitantia flammis Robora.*" Ita doctissimus Modius ex membranis, in Lect. Novantiq. cap. 44. cum antea circumferretur *trepidantia*. Saepius enim eae voces a Librariis confunduntur; ut in hoc Flacci loco credo evenisse. Idem Silius lib. XVI. [v. 30] „*nam concitus Hanno Adventabat agens crepitantibus agmina cetris.*" et hic etiam ante Modium Lect. Novant. c. 19. libri vulgati *trepidantibus*. Prudentius Peristeph. VI, 100. „*Haec inter rapidis focos crepantes Intraant passibus, et mimantur ipsis Flammaram trepidantibus caminis.*" Ita codices potiores apud Nic. Heinsium: ceteri *crepitantibus*. Sed notandum, ideo hic recte habere *trepidantibus*, quia praecessit *minantur*: ipsi enim camini prae meta et terrore *trepidare* hic finguntur. Quo modo et apud Senecam Oedipo v. 383. „*Neque ipsa,*

Iure sollemnis mihi, sanctiorque
Pene natali proprio; quod ex hac
Luce Maecenas meus adfluentis
21 Ordinat annos.
Telephum, quem tu petis, occupavit
Non tuae sortis iuvenem puella
Dives et lasciva, tenetque grata
Compede vinetum.
25 Terret ambustus Phaëthon avaras
Spes: et exemplum grave praebet ales
Pegasus, terrenum equitem gravatus
Bellerophon tenet.
Semper ut te digna sequere; et, ult ra
30 Quam licet sperare nefas putando,
Disparem vites. age, iam meorum
Finis amorum,
(Non enim posthac alia calebo
Femina) condisce modos, amanda
35 Voce quos reddas: minuuntur atrae
Carmine curae.

XII.

AD VIRGILIUM.

Iam veris comites, quae mare temperant,
Impellunt animae linthea Thraciae:
Iam nec prata rigent, nec fluvii strepunt
Hiberna nive turgidi:
5 Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis, et Cecropiae domus
Aeternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.

quae te pepulit, armenti gravis Vox est, nec usquam territi resonant greges: Immugit aris ignis, et trepidant foci." et Thyeste v. 767. [768] *impositas duper Transibit ignis, inque trepidantes focos Bis ter regestus, et pati iussus moram Invitus ardet.* Ita recte Gronovius pater ex vetustissimo Mediceo: cum recentiores habuerint *Crepitant*, et *Crepitantes*: nimirum ipsi hic foci prae horrore diri sacrificii *trepidabant*. Cum autem nihil eiusmodi culinam Flacci perterrefecerit, ubi Maecenatis natalis luculento foco et laeto strepitu tum celebrabatur; mox quidem iudicio melius fuerit, ut *crepitent* ibi flammae, quam ut *trepidant*.

35. *Minuuntur atrae Carmine curae*] Codex unus Beysmanni, et Aeron Regiae Societatis manuscriptus, *minuuntur*. Quod si placet, tum sententiosae dietum erit; ut illud Carm. II, 11, 17. „*dissipat Euius Curas edaces.*" Sin potius arridet, quod reliquae membranae praeserunt, *minuuntur*: tum ad solam Phyllida respiciet, quae adverso Telephi amore contristabatur. Atque hoc melius.

7. *Quod male barbaras*] Liber Regiae Societatis, *quae*: ut ad *avis* referatur. Sed praestat recepta lectio. Ideo aeternum opprobrium, *quod sive quia* male ulta est mariti libidines.

- Dicunt in tenero gramine pinguium
 10 Custodes ovium carmina fistula;
 Delectantque Deum, cui pecus et nigrae
 Colles Arcadiae placent.
 Adduxere sitim tempora, Virgili:
 Sed pressum Calibus ducere Liberum
 15 Si gestis, iuvenum nobilium cliens,
 Nardo vina mereberis.
 Nardi parvus onyx eliciet cadum,
 Qui nunc Sulpiciis adcubat horreis,
 Spes donare novas largus, amaraque
 20 Curarum eluere efficax.
 Ad quae si properas gaudia, cum tua
 Velox merce veni: non ego te meis
 Immunem meditor tinguere poculis,
 Plena dives ut in domo.
 25 Verum pone moras et studium laeri;
 Nigrorumque memor dum licet ignium,
 Misce stultitiam consiliis brevem:
 Dulce est desipere in loco.

XIII.

AD LYCEN.

- Audivere, Lyce, Di mea vota, Di
 Audivere, Lyce, fis anus, et tamen
 Vis formosa videri.
 Ludisque et bibis impudens:

v. 11. Vulg. *Et nigri*. 16. *Merebere*.

11. *Nigri colles Arcadiae*] Battelianus pro varia lectione: *Delectantque Deum, cui pecus et nigrae Colles Arcadiae placent.* Eodem plane redit sententia, et compositio est elegantior.

16. *Nardo vina merebere*] Ita editiones praeae; unde locum semel occupatum hactenus tenuit. Sed Lambini et Bersmanni aliquot, cum veteri nostro Graeviano, Magdalenensi, et Bodleiano *mereberis*; atque ita Battelianus pro varia lectione. Quod quare non recipiatur, nihil video: libentius enim hunc versum pede Cretico, quam Daelylo, claudere solet Noster: et sane dulcius aurem ferit. Ceterum de versu praecedente inanem litem agitant Interpretes, „*Si gestis*, iuvenum nobilium *cliens*“: quorum alii Tiberium et Prusum et Marcellum, alii Caium et Lucium Caesares interpretantur. Frustra utrique: nam *nobiles iuvenes* quoscumque hic intelligit, qui, ut ubique usu venit, principem sui aevi poetarum clientem et sodalem sibi adscisciebant. Valerius Max. IX. 16. [1,6] „*Siquidem forum nostrum, et patris Curionis gravissimum supercilium, et filii sextertium sestertium aeris alieni asperit, contractum famosa iniuria nobilium iuvenum.*“ Et ibidem 17 [1,7], de Clodio: „*Noctes matronarum et adolescentium nobilium magna summa emtae.*“ Seneca de Clementia, I. 9. [§ 5] „*Ego sum nobilibus adolescentibus*) expositum caput, in quod mucrones acuunt.*“

*) [adulescentulis ed. Haare]

- 5 Et cantu tremulo pota Cupidinem
 Lentum sollicitas, ille virentis et
 Doctae psallere Chiae
 Pulchris excubat in genis.
 Inportunus enim transvolat aridas
 10 Quercus, et refugit te, quia luridi
 Dentis, te quia rugae
 Turpant et capitis nives.
 Nec Coae referunt iam tibi purpurae,
 Nec cari lapides tempora, quae semel
 15 Notis condita fastis
 Inclusit volueris dies.

v. 14. Vulg. *Clari*.

7. *Doctae psallere Chiae*] Reginensis notae optima codex clare habet, *Thiae*. Et *Thia* quidem dea est, Hyperionis uxor, mater Solis: Pindarus Isthm. V. [IV. v. 1.] *Μήτηρ ἑλίου πωλώουσι Θεία*, unde nos olim [Callimach. vol. I p. 554 Ernesti] insignem Catulli locum [66, 44] feliciter emendavimus, „*Ille quoque eversus mons est, quem maximum in oris Progenies Thiae clara supervehitur.*“ Inde et in nomen mulieris adoptari potuit. Sed *Chiae* tamen retinemus ceterorum codicum auctoritate; quae ab insula Chio nomen nacta sit, ut a Lesbo *Lesbia*, a Delo *Delia*. Gruterus in Inscrip. XV. 5. P. VINIA. CHIA. et DCXLII. 9. CAECILIAE. C. L. CHIAE. Porro illa quae sequuntur, „*Pulchris excubat in genis.*“ ex Sophoclis Antigona [v. 781] versa sunt, ut notaturum iam Interpretes, „*Ἐως ἀνίστατε μίχαν, ὅς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεανίδος ἐννεγείης.*“ Unde obiter mutilus Plutarchi locus suppleri et restitui potest, in Erotico Ed. Steph. p. 1353. [c. 17 princ.] *Σκόπει τοίνυν αἴθης, τοῖς Ἀρηίοις ἔργοις ὅσον ἔργος περιέστω, οὐκ ἀργὸς ὢν, ὡς Ἐδορεπίδης, οὐδὲ ἀστροεινός, οὐδ' ἐν μαλακαῖων ὢν παρειαῖς νεανίδων.* Corrige, *μαλακαῖων ENNEGYEYON παρειαῖς.*

14. *Nec clari lapides*] Ita Veneta vetus, et Loscheriana; unde locum in recentioribus plerisque servavit: monuerunt tamen Interpretes in bona codicum parte extare *cari*: inter quos est Blandinius vetustissimus, Graevianus noster et Reginensis. Et *clari* quidem facile defendi potest, cum ex re ipsa, tum ex aliis scriptoribus; Catullo Epig. LXX. [LXIX v. 4] „*Non illam rarae labefactes munere vestis, Non peruciduli deliciis lapidis.*“ Tibullo, II. 4. [v. 30] „*et Coa puellis Vestis, et e rubro lucida concha mari.*“ Seneca Epist. XC. [§ 45] „*Illi quidem non aurum, nec argenteum, nec perucidos lapides ima terrarum faece quaerebant.*“ Et Nat. Quaest. III. 25. [§ 12] „*Χρυσάλλων appellant Graeci hunc perucidum lapidem.*“ *Cari* tamen *lapides* aridit magis, ut membranae habent potiores; et Scholiastes Acron, qui *vestimentorum cultum et gemmarum pretia* interpretatur. Martialis X. 38. [v. 5] „*O non omnis et hora, quae notata est Caris littoris Indici lapillis.*“ et I. 110. [v. 4] *Issa est blandior omnibus puellis, Issa est carior Indici lapillis.*“ Ovid. Art. Amat. III. 129. „*Vos quoque non caris aures onerate lapillis, Quos legit in viridi decolor Indus aqua.*“ Claudianus Epist. ad Serenam [II, 14]: „*Ore legunt rubri germina maris.*“ Seneca de Beneficiis [VII, 9 § 4]: „*Non satis muliebris insaniam viros subiecerat, nisi bina ac terna patrimonium auribus [singulis] pendissent.*“ Ceterum quod Tanaguillus Faber ex coniectura maluit referent in versu proximo, id nos invenimus in Colbertino pro varia lectione. Sed nihil mutandum. Si *Referent purpurae et gemmae* legis: tum eas intelliges, quas Lyde possidere cuperet

Quo fugit Venus? heu! quove color? decens
 Quo motus? quid habes illius, illius
 Quae spirabat amores,
 20 Quae me surpuerat mihi?
 Felix post Cinaram, notaque et artium
 Gratarum facies: sed Cinarum brevis
 Annos fata dederunt,
 Servatura diu parem

aut posset; si *referunt*, tum eas quas iam possedit. Atque hoc verisimilius.

17. *Quove color decens*] Invaluit in omnibus editionibus ea interpunctio, ut *decens* ad *color* referatur: „*Quo fugit Venus? heu! quove color decens? Quo motus? quid habes illius, illius.*“ Quid vero sit *color decens* equidem nescio, qui *decorem* credideram in habitu, gestu, motu consistere: neque *quo sugerit* talis color, valde curandum; quem nescias an fuerit fucatus, et proinde facile reparari potuerit. Ab aliis id potius requiri solet, ut sit color *verus* et *ingenuus*, quam *decens*: Terent. Eunuch. II, 3. [v. 27] „*nova figura oris papae! Color verus, corpus solidum, et succi plenum*“: hoc est, *qui non de cura est ac de fuce, sed naturalis*; ut recte ibi Donatus. Propertius I, 4. [v. 13] „*Hanc sed forma mei pars est extrema furoris, Sicut maiora, quibus, Basse, perire iuvat*: Ingenuus color, et multus decus artibus“: ubi obiter corrigendum credo, *multis decor artibus*. Sed in Horatio alium plane colorem induet sententia, distinctione tantum mutata, in hunc modum, „*Quo fugit Venus? heu! quove color? decens Quo motus?*“ Enimvero non *omnis motus*, quod vulgata innuit lectio, iam Lycen reliquerat (quippe quae, invita licet Venere, *indebat, bibebat, et cantabat*), sed *motus decens*. Quod quale sit ex Quintiliano discas, Instit. I, 16. [c. 10 § 26] „*Corporis quoque decens et aptus motus, qui dicitur Eὐκράτεια, est necessarius.*“ et Tibullo IV, 2. [§ 8] „*Illam quicquid agit, quoquo vestigia movit, Componit furtim subsequiturque decor.*“ Ceterum, hac distinctione posita, constructio Virgilianae illi simillima erit, Aen. VI, 122. „*quid Thesea? magnum Quid memorem Alciden?*“

21. *Et artium Gratarum facies*] Planissima quidem haec prima fronte videntur, neque ullam difficultatem habere: „*Felix post Cinaram, notaque, et artium Gratarum facies.*“ *Felix facies*, quasi per exclamationem, ut illud Terentii, Eunuch. II, 3. [v. 5] „*O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres.*“ Ubi optime Donatus: „*Faciem modo, non partem corporis dicit, sed totam speciem, quae apparet et cernitur.*“ Quo modo et hic Horatius integram formam, non os et vultum intelligit, *Facies autem gratarum artium*; ut Carm. IV, 1, 15. „*Namque et nobilis, et decens, Et centum puer artium.*“ Eleganter Scholiastes Cruquii: „*Artium gratarum facies dicitur, quae oculis, nitu superciliorum, cervicis volubilitate, capitis gratia, totius denique corporis motu placet.*“ Quid videtur clarius? His tamen non contentus celeberrimus Dacierus, sic locum corrigere tentavit, „*Felix post Cinaram, notaque et artium Gratarum facie.*“ *Nota facie artium*, idem ait esse, ac *nota artibus*. Quis vero vel fando inaudivit, *facies artium, pro artes?* ubi loquor natus est iste mos loquendi? Vereor, ut ne faciem quidem correctionis hoc habeat. Neque vero correctione ulla hic opus; distinctione tantum iuvanda sententia est, hunc in modum: „*Felix post Cinaram, notaque et artium Gratarum facies.*“ Tollenda, inquam, interpunctio post *Notaque*; quae omnes omnino editiones huc usque obsedit et inquinavit. Quid enim esset *nota facies* per se positum? egregia vero laus Lycen, si

25 Cornicis vetulae temporibus Lycen:
 Possent ut iuvenes visere fervidi,
 Multo non sine risu,
 Dilapsam in cineres facem.

XIV.

AD AUGUSTUM.

Quae cura Patrum, quaeve Quiritium,
 Plenis honorum muneribus tuas,
 Auguste, virtutes in aevum
 Per titulos memoresque fastus
 5 Aeternet? ô, qua sol habitabilis
 Illustrat oras, maxime principum,
 Quem legis expertes Latinae
 Vindelici didicere nuper,
 Quid Marte posses. milite nam tuo
 10 Drusus Genaunos, implacidum genus,
 Breunosque velocis, et arces
 Alpibus inpositas tremendis
 Deiecit acer plus vice simplici.
 Maior Neronum mox grave proelium
 15 Commisit, immanisque Raetos
 Auspiciis pepulit secundis:
 Spectandus in certamine Martio
 Devota morti pectora liberae

nota omnibus, et Suburrarum meretricum tritissima erat. At sublato illo commate, vide quanta sensus elegantia est. *Felix, ait, facies post Cinaram, et nota eliam artium gratarum.* Noster Carm. II, 2, 6. *Vivet extento Proculcius aevo, Notus in fratres animi paterni.* Ita alii, *notus formae, notus militiae, notus operum*, hoc est, celebris ob formam etc. ut ad illum locum fusius ostendimus. *Et* autem valere *etiam* vel pueri sciunt; ut [Carm. II, 10, 17], „*Non si male nunc, et olim sic erit.*“ [Carm. III, 15, 8] „*Non siquid Pholoën satis. Et te, Chlori, decet.*“

28. *Dilapsam in cineres facem*] Variant hic codices scripti et olim editi, ut in illa praepositione ubique solent. Veneta *Dilapsam*, Loscheri *Delapsam*. Blandinius antiquissimus priorem lectionem servat, notante et probante Petro Nannio Miscell. III, 17. atque ita nostri Graevianus et Reginensis et Aco Manuscriptus. Leidensis *delatam* habet: plures *delapsam*. Neque melius inter Interpretes convenit, quorum alii hoc, alii illud sequuntur. Tamen de verborum vi et notione constat. *Dilabitur*, quod dissipatur; *delabitur*, quod decedit. Atqui fax extincta non decedit in cineres; quippe qui nulli subiacent. Fax enim accensa manu gestatur, et ambulantiibus vel currentibus inservit; non posita quiescit, instar lucernae. Nulli ergo suberunt cineres, in quos possit delabi. Recte ergo habet *Dilapsam in cineres*: consumpta enim fax, tota vertitur in cinerem, atque adeo dilabitur et dissipatur. Ceterum Graevianus noster cum uno Bersmanni, „*Dilapsam in cinerem facem*“: sic Ovidius Metam. II. [v. 216] „*Cumque suis totas populis incendia gentes In cinerem vertunt.*“ et in Epist. Penelopae [Heroid. I, 24]: „*Versa est in cinerem sospite Troia viro.*“

- Quantis fatigaret ruinis,
 20 Indomitus prope qualis undas
 Exercet Auster, Pleiadum choro
 Scindente nubes; inpiger hostium
 Vexare turmas, et frementem
 Mittere equum medios per ignis.
 25 Sic tauriformis volvitur Aufidus,
 Qua regna Dauni praefluit Appuli,
 Cum saevit, horrendamque cultis
 Diluviem minitatur agris;

v. 20. Vulg. *Indomitus*. 26. *Qui*. 28. *Meditatur*.

in quo loco sequiores codices habent *cineres*, ut hic nostri. Retinemus tamen *cineres*, ut vitetur *ζυζοφωρία rem facem*.

19. *Quantis fatigaret ruinis*] Graevianus noster et Reginensis corrupte, *fatigarat*. Nicolaus Heinsius in ora sui libri, „*Forse*,“ inquit, „*fatigarit*.“ Sed recepta lectio sana est. Eo ipso tempore *spectandus*, tum cum *fatigaret*. Si legeris *fatigarit*, tum hoc dices, *Nunc spectandus*, quantis ruinis olim fatigaverit. Quod priore illo deterius est.

20. *Indomitus prope qualis*] Tiberium victorem Austro comparat, Rhaetos undas. Vide itaque, quo consilio id protulit, „*Indomitus prope qualis undas Exercet Auster*.“ Scio equidem generali epitheto *mare indomitum* poetis dici, ut Ovidio Trist. I, 12. [11 v. 39] „*Claudit in indomito brumali luce profundo*.“ Tibullo II, 3. [v. 45] „*Claudit et indomitum moles mare*.“ et II, 5. [v. 80] „*Prodigia indomitis merge sub aequoribus*.“ Verum illud in hac comparatione displicet; quod Rhaetos, quos iam *ruinis fatigatos* dixerat, postea *indomitos* appellet. Quamobrem dubito, annon id, quod recepta lectio Rhaetis assignat, Tiberio potius tribuendum sit, hunc in modum: „*Devota morti pectora liberae Quantis fatigaret ruinis, Indomitus prope qualis undas Exercet Auster*.“ Quod et eo magis placet; quia geminus huic et germanus est Ovidii locus, Epistola Sapphus [Her. XV], v. 9. „*Uror, ut, indomitis ignem exercentibus Euris, Fertilis accensis messibus ardet ager*.“ Vides hic *indomitos Euros exercere ignem*, plane ut apud Flaccum ex nostra correctione *indomitus Auster exercet undas*. Et profecto cum haec scriberet Naso, verba ipsa, de quibus agimus, in mente habuit. Quin et Porphyrio ita olim, ut nunc nos, legisse censendus est. Sic enim *ταραππᾶσαι*, „*Qualis est Auster, cum ortu Virgiliarum seu Pleiadum concitatus exercet undas*“: ubi concitatus respondere videtur *rip indomitus*; *undas* vero epitheto caret. Porro Gallianus noster mendose praefert *indomitos*, quod forte ab *indomitus* natum esse videntur.

24. *Medios per ignes*] Mallem, si scripti codicis auctoritas accederet, „*inpiger hostium Vexare turmas, et frementem Mittere equum medios per enses*.“ *Enses* enim cum *hostium turmis* aptius coniunguntur videntur, quam *ignes*. Statius Theb. X, 709. [714] „*i. praedia misce Per Danaos acies, mediosque per obiectos enses*.“ Idem VII, 488. [487] „*excipiunt iussi, mediosque per enses Dant iter*.“ et ibidem 280. „*Macte animo iuvenis: medios parat ire per enses Nudaque pro caris opponere pectora muris*.“ Silius Ital. III, [v. 120] „*ruis ipsos acer in enses, Obiectasque caput telis*.“ Virgil. Aen. IX, 400. „*an sese medios moriturus in enses*“ *) *Inferat, et pulchram properet per vulnera mortem*.“ Idem Eclog. X, 45. „*Tela inter media, atque adversos delinet hostes*.“ et Aen. X, 237. „*muro fossisque tuetur Tela inter media, atque horrentis Marte Latinos*.“ XII,

*) [enae Servius, *hostes* Med. et Rom. codd. et Serv.]

- Ut barbarorum Claudius agmina
 30 Ferrata vasto diruit impetu,
 Primosque et extremos metendo
 Stravit humum, sine clade victor:
 Te copias, te consilium, et tuos
 Praebente Divos. nam tibi, quo die
 35 Portus Alexandria supplex
 Et vacuam patefecit aulam,

682. „*Perque hostes, per tela ruit*.“ et sic alibi, et Silius Ital. IV. [v. 461] „*fertur per tela, per hostes Intrepidus puer*.“ Quod si receptam lectionem servas, omnino praestat *veros ignes* intelligere, quam metaphorice cum interpretibus *medium pugnae fervorem*. Virgil. VII, 296. „*medias acies, mediosque per ignes Invenere viam*.“ et II, 164. [664] „*quod me per tela, per ignes Eripis*.“ Utrouque loquitur de Troiae incendio, sine metaphora. Noster Serm. II, 3, 56. „*Alterum et huic varium et nihilo sapientius, ignes Per medios fluviosque ruentis*.“ Silius Italicus XV. [v. 41] „*Ni fugis hos ritus, virtus te saeva iubebit Per medias volitare acies*, mediosque per ignes.“ qui alibi utrumque coniunxit, et *ignes et enses*; lib. XIV. [v. 175] „*Si tibi per medios ignes mediosque per enses Non dederit mea dextra viam*.“ Quamobrem, nisi fortasse veram hic historiam tangat Noster, quae in ore hominum tunc fuerit, Tiberium nempe in bello Rhaetico per hostilem ignem equo perrupisse; vix aliter scribere potuit, quam *medios per enses*.

26. *Qui regna Dauni*] Quin et hic etiam, si codex ullus astipuletur, libentius legerim, „*Sic tauriformis volvitur Aufidus, Qua regna Dauni praefluit Appuli*.“ ut et infra fortasse vers. 47. „*Te belluosus, qua remotis Obstrepit, Oceanus, Britannis*.“ Non enim Geographum hic agit, ut situs fluviorum quasi ex professo doceat. Catullus Epig. XI. [v. 7] „*Sive in extremos penetravit Indos, Sive qua septemgeminus colorat Aequora Nilus*.“ Tacitus Annal. II, 6. „*Rhenus servat nomen et violentiam cursus, qua Germaniam praevchitur*.“ Livius XXII, 2. [§ 2] „*Per paludem, qua fluvius Arnus per eos dies solito magis inundaverat*.“

28. *Diluviem meditatatur agris*] Ita Veneta editio princeps: sed Loescheri *minitatur*, quod omnes nostri codices praeter tres ex recentissimis sequuntur; neque aliter citat Nonius voce *Diluviem* [p. 203, 30 Merc.]. Utrumque probum est, ut nescias fere utri palmam des. Fallantur enim, qui verbum *minitari* leve quid et ludicrum notare, neque ad rei huius atrocitatem aut dignitatem carminis assurgere, putant. Livius II, 49. [§ 4] „*Ibant Veienti populo perniciem**) *minitantes*.“ Virgil. Aen. XII, 761. [762] „*terretque trementes Exoisurum urbem minitans*.“ Cicero bis vel ter [in Catil. II, 1 § 1; Philipp. XI, 14 § 37, XIII, 21 § 47]: *Urbi, vel patriae, ferro flammaque minitari*. Quin et hac lectione, melius, opinor, sibi constabit, et sui similis procedet sententia, „*Cum saevit horrendamque cultis Diluviem minitatur agris*.“ Aptissimo enim haec duo inter se coniunguntur, *saevire* et *minari*. Ovidius in Remediis Amoris v. 664. „*Horrebant saevis omnia verba minis*.“ Seneca Herc. Fur. v. 329. „*Sed ecce saevus, ac minus vultu gerens*.“ Statius Thebaide I, 187. „*Cernis, ut erectum torva sub fronte minetur Saevior assurgens demto consortis potestas*“ Paeuvius in Antiopa [fragm. IX Ribb.]: „*Minitabiliterque increpare dictis saevis incipit*.“ Recte denique *fluvii exundantes minitari* dicuntur; ut Claudianus de Mallii Cons. 237. „*Torrentes immane fremant, lassisque minatur Pontibus; involvant spumoso vortice silvas*.“ Contra, haud ita belle inter se conveniunt *saevire* et *meditari*: quippe *meditari* non est iam *saevientis*, sed iram potius

*) [scr. pestem]

Fortuna lustro prospera tertio
 Belli secundos reddidit exitus,
 Laudemque et optatum peractis
 40 Imperiis decus adrogavit,
 Te Cantaber non ante domabilis,
 Medusque et Indus, te profugus Scythes
 Miratur, ô tutela praesens
 Italiae dominaeque Romae.
 45 Te fontium qui celat origines
 Nilusque, et Ister, te rapidus Tigris,
 Te beluosus qui remotis
 Obstrepit Oceanus Britannis,
 Te non paventes funera Galliae,
 50 Duraeque tellus audit Hiberiae:

v. 49. Vulg. *Paventis*.

dissimulantis et subdole occultantis, quo violentius postea erumpat. Ideo et iam olim sub ferula criticorum vapulavit hic locus. Porphyrio: „*Male dicit, meditatatur diluivem; quia in ipso actu est; nec debet cogitare ac condiscere id, quod iam facit.*“ Excusare conatur Servius; ita tamen, ut antiquum loquendi morem fuisse, postea desiisse fateatur, ad hinc illa Virgilii loca Georg. III, 153. Aen. IV, 171. „*Inachiae Iuno pestem meditata iuvencae. Nec iam partem Dido meditatatur amorem.*“ *Meditata*, ait, *inferens et exercens, accipiamus; ut Horatius; Horrendamque cultis diluivem meditatatur agris; id est, infert, exercet. Nam in ipsa meditatione exercitum et actus est. Sciendum tamen est hoc hodie in usu non esse.*“ Meo tamen iudicio et frustra hoc accusat Porphyrio; et perperam defendit Servius. Neque enim aut apud Virgilium aut Nostrum *meditari* est *inferre*, et ipsam rem, quam meditatatur aliquis, agere, ut voluit Servius; sed cogitare, parare, designare; ut ubique alias; neque Ausidus iam *facit diluivem*, ut arguit Porphyrio. Eo enim posito, utrumque vocabulum aequè culpandum esset. Nemo enim *minitatur* id quod iam *facit*; non magis, quam *meditatatur*. Verum haec est, ni fallor, Horatii sententia: *Qualis*, inquit, *Ausidus* volvitur; *cum aquis per pluvias adauelis* saevit ac fervet; *et lantisper intra ripas se continens*, meditatatur sive minitatur *extra alveum exire, et late agros inundare*. Atque haec imago omnium effluacissima est ad Tiberii impetum exprimendum. Rapidissimus enim fuit amnis, dum alveo adhuc cohibetur mox exiturus; at postquam in patentes agros effusus stagnaverit, tum vero lentior et signior incedit. Quamobrem, ut iam dixi, non adeo facile est diiudicare, utra verior meliorve sit lectio. *Meditatur* agnoscunt Scholiastae veteres et Servius; at Nonius his antiquior et potiores Horatii codices, *Minitatur*. Equidem, etsi Interpretes fere dissentientes hic habeam, posterius verbum praefulerim; cum quia melius quadret cum *saevit*; tum quia praesentius quiddam fortiusque significet. *Minitatur* enim in praesens, *meditatatur* in longinquum. *Meditari* ergo diluivem etiam tenuis et sicco fere alveo potuerit Ausidus; *minitari*, non nisi plenus et fervens. Iam autem, quod aiunt ideo se malle *meditari*, quia audacior metaphora est, et humanum affectum fluvio communicat; in eo iudicium eorum desidero. Quippe et *minitari* aequè est affectus humanus; neque rei inanimatae nisi per translationem potest competere.

49. *Te non paventis*] Ita quidem editi omnes, et codices vetustiores. Ceterum in recentioribus duobus, uno Collegii Regii, et altero Episcopi

Te caede gaudentes Sygambri
 Conpositis venerantur armis.

XV.

AUGUSTI LAUDES.

Phoebus volentem proelia me loqui
 Victas et urbis increpuit lyra;
 Ne parva Tyrrhenum per aequor
 Vela darem. tua, Caesar, actas
 5 Fruges et agris rettulit uberes,
 Et signa nostro restituit Iovi
 Derepta Parthorum superbis
 Postibus, et vacuum duellis
 Ianum Quirini clausit, et ordinem
 10 Rectum evaganti frena licentiae
 Iniecit, emovitque culpas.
 Et veteres revocavit artis;
 Per quas Latinum nomen et Italiae
 Crevere vires, famaqué, et imperi
 15 Porrecta maiestas ad ortum
 Solis ab Hesperio cubili.

Norvicensis, ut et in Acrone Regiae Societatis manuscripto diversam lectionem reperi. „*Te non paventes funera Galliae, Duraeque tellus audit Hiberiae.*“ *Galliae* autem numero plurali passim apud scriptores occurrit. Suetonius in Julio c. 49. „*Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem.*“ ita Tacitus aliique saepissima. Constructio vero figurata erit, et plane Horatiana: *Galliae, et tellus Hiberiae* audit: ut Carm. I, 3, 3. „*Sic fratres Helenas, lucida sidera, Vestorumque regat pater.*“ Vide Nos Carm. I, 24, 8. et IV, 11, 9. Ineundior etiam forte erit variatio casuum, *Galliae non paventes, et Hiberiae tellus*; ut Carm. III, 6, 9. „*Iam bis Moneces et Pacori manus Non auspicatos contudit impetus.*“ Expectamus tamen, dum codex aliquis vetustior scripturam hanc confirmet.

9. *Ianum Quirini clausit*] Sic libri habent constanter; tamen viri doctissimi Passeratius et Gronovius pater corrigendum hic autumant, „*Ianum Quirinum clausit.*“ Sic enim aliis *Ianus* est *Quirinus*, non *Ianus Quirini*, ut Suetonio Aug. c. 22. „*Ianum Quirinum ter clausit.*“ Festo v. *optima* [p. 189 Müller]. „*Tertia spolia*, Iano Quirino agrum marem caedito.“ Macrobio Saturn. I, 9. [§ 15] „*In sacris quoque invocamus Ianum Geminum, Ianum Patrem, Ianum Iunonium, Ianum Consivium, Ianum Quirinum, Ianum Patuleium et Clusivium.*“ Atque haec quidem Gronovius ad dictum Suetonii locum; quibus adde illa Servii ad Aen. VII, 610. „*Alii Ianum Clusivium dicunt, alii Patuleium. Idem Iunonius — idem Quirinus, unde trabentum consulum aperire portas dicunt, eo habitu quo Quirinus fuit.*“ Veruntamen ut *Ianus Iunonius* recte etiam *Iunonis* diei poterit; ita nihil prohibet, quin *Ianus Quirinus* itidem *Quirini* dicatur. *Quirinus* enim hic nomen adiectivum videtur, ut Propert. IV, 10. [v. 11] „*Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirinis.*“ Quid, quod noster *zaxoqoviar* vitasse videtur in eadem terminatione, *Ianum Quirinum*.

15. *Ad ortum Solis*] Veneta prima, et Loscheri *ortus*, atque omnes fere codices nostri praeter Graevianum, qui a manu prima habet *ortum*.

Custode rerum Caesare, non furor
 Civilis aut vis exiget otium;
 Non ira, quae procutit ensis,
 20 Et miseris inimicat urbes.
 Non qui profundum Danubium bibunt,
 Edicta rumpunt Iulia; non Getae,
 Non Seres infidive Persae,
 Non Tanain prope flumen orti.
 25 Nosque et profestis lucibus et sacris,
 Inter iocosi munera Liberi,
 Cum prole matronisque nostris
 Rite Deos prius adprecati,
 Virtute functos more patrum duces,
 30 Lydis remixto carmine tibiis,
 Troiamque et Anchisen et alnae
 Progeniem Veneris canemus.

Utrumque suos auctores habet. Virgilius Georg. [III, 277] „non Eure, tuos, neque solis ad ortus.“ Plinius Nat. Hist. VII, 27. [§ 97] „Ad solis ortus missus.“ Prudentius Apotheos. v. 424. „Audiit adventum domini, quem solis Hiberi Vesper habet, roseos et qui novus excipit ortus.“ Ovidius Epist. Paridis [Her. XVI, 141]: „Nec tibi par usquam Phrygiâ, nec solis ab ortu.“ Sallustius Catil. c. 36. [§ 4] „Cui cum ad occasus ab ortu solis omnia domita armis parerent.“ Et Iugurth. c. 17. [§ 4] „Ab occidente fretum nostri maris et Oceani, ab ortu solis declivem latitudinem.“ Ac nos quidem, etsi melior pars membranarum ortus exhibeant, ortum tamen cum paucioribus probamus; ne toties sibi let litera S in maiestas ad ortus solis.

18. *Exiget otium*] Scholiastes Porphyrio: „Exiget; nunc, excludet: ut sit, quasi extra agat; ut Terentius, „Spectandae an exigendae sint vobis prius.“ Atque hanc lectionem sequuntur praeter aliquot Lambini Leidensis noster et Colbertinus, quibus in margine adscriptum *eximet* pro varia lectione. Contra, Graevianus et Reginensis *eximet* in ipso versu habent, et *exiget* ad oram ablegant. Ceteri omnes cum Acrone Manuscripto et editionibus praeiis *eximet* retinent; nulla diversae scripturae mentione facta. Utra iam harum retinenda erit? an *eximet otium*, hoc est, adimet, tollet? ut Ovidius Remed. Am. [v. 139] „Otia si tollas, periere cupidinis artes.“ Statius Silv. I, 2. v. 182. „Ergo age iunge toros, atque otia demo inventae.“ Ovid. Pont. I, 2. [v. 16] „Hostibus in mediis interque pericula versor, Tamquam cum patria pax sit adempta mihi.“ Verum illud officit, quod *eximere* de re molesta plerumque dicitur, ut *eximere curam, metum, famem, spinas, fastum*, atque alia eiusmodi quae intra corpus aut animum versantur; et proinde ex eo eximi, educi, extrahi, evelli possunt. *Otium* vero et *pacem* et caetera lacta, vel quae extra hominem consistunt, non tam *eximi* quam *adimi* dixerim. Rectius igitur legemus, „Civilis aut vis exiget otium,“ id est, excludet, expellet, exturbabit; ut Noster alibi, „Exactos tyrannos.“ Tacit. Annal. VI, 3. [VI, 9] „Hoc pretium Gallio meditationis tulit, statim curia, deinde Italia exactus.“ Et XIV, 28. „Vibius Secundus repetundarum damnatur, atque Italia exigitur.“ Plautus Capt. V, 4. [v. 4] „Ubi labore lassitudo est exigunda ex corpore.“ Vide plura apud Nonium Marcellum v. *Exigere* [p. 290 Merc.].

Q. HORATII FLACCI EPODON LIBER.

I.

AD MAECENATEM.

Ibis Liburnis inter alta navium,
 Amice, propugnacula,
 Paratus omne Caesaris periculum
 Subire, Maecenas, tuo?
 5 Quid nos, quibus te vita si superstite
 Iocunda; si contra, gravis?
 Utrumne iussi persequemur otium,
 Non dulce, ni tecum simul?

v. 5. Vulg. Vita Sit.

5. *Quibus te vita sit superstite*] Sic hodie post Venetam principem pleraeque editiones. At Germanica Loscheri aliam lectionem praefert, „*Quid nos? quibus te vita si superstite Iocunda; si contra, gravis.*“ Atque ita nostri Graevianus, Battelianus, Galei, Leidensis, et a prima manu Reginensis et Regiae Societatis. Eandem ex suis protulerunt Pulmannus et Torrentius et Barthius in Adversar. lib. XXXVII. c. 15. Neque aliter olim legit Scholiastes Porphyrio: „*Bis*, inquit, *posuit particulam* (male vulgo *periculum*) *si; semel abundat, melius enim sic loqueretur*, Quibus te superstite vita iocunda est; si contra, gravis est: ergo *verbum extrinsecus accipiendum est sit, ut plena fiat elocutio.*“ Sic et annotator Graevianus; „*Facit si*“: unde in Petrensi, Magdalenensi, et Bodleiano vox ea desideratur; et habetur tantum, *vita superstite*. Quid multa? Recipiendum est omnino *si*, cum ob tot codicum auctoritatem, tum ob singularem suam elegantiam. *Quibus vita, ait, iocunda; si te superstite vivitur; si contra, gravis.* Neque enim *vacat si* aut *abundat*, ut Enarratores crediderunt. Posterius si pro *si* ponitur; ut alii scriptores loqui amant, numquam Horatius Terent. Andr. I, 3. [v. 5] „*Si illum relinquo, eius vitae timeo: sin optator, huius minas.*“ Noster contra Epist. I, 5, l. „*Si potes Archiacis conviva recumbere lectis — Si melius quid habes, arcesse.*“ et Serm. I, 3. v. 5. „*Si peteret per amicitiam patris atque suam; non Nilum*) proficeret: si collibisset, ab ovo.*“ Carm. III, 29, 53. „*Laudo manentem* (hoc est, laudo, *si manet*) *si celeres quatit pennas, resigno quo dedit.*“ Atque ita semper Noster; in quibus locis *si* ponere aliis usitatius est. Ceterum illud, „*Ibis Liburnis inter alta navium,*“ per interrogationem efferendum putamus: id enim vehementius et παθητικώτερον.

*) [scr. Quisquam]

- An hunc laborem mente laturi, deceat
 10 Qua ferre non mollis viros?
 Feremus: et te vel per Alpium iuga
 Inhospitalem et Caucasum,
 Vel occidentis usque ad ultimum sinum
 Forti sequemur pectore.
 15 Roges, tuum labore quid iuvenem meo
 Inbellis ac firmus parum?
 Comes minore sim futurus in metu,
 Qui maior absentis habet:
 Ut adsidens implumibus pullis avis
 20 Serpentium adlabus timet
 Magis relictis; non uti sit auxilii
 Latura plus praesentibus.
 Libenter hoc et omne militabitur
 Bellum in tuae spem gratiae:
 25 Non ut iuvenis illigata pluribus
 Aratra nitantur mea;

v. 17. Vulg. *Sum*. 21. *Non ut adsit*. 26. *Meis*.

17. *Sum futurus in metu*] Lege ex emendatione praestantissimi Nic. Heinsii: „Comes minore sim futurus in metu.“ *sim*, ut respondeat *quod iuvenem*.

21. *Non, ut adsit, auxilii*] Vide modo seriem verborum: *Avis*, inquit, incubans magis timet pullis suis absentibus; *non latura plus auxilii praesentibus, ut adsit*; hoc est, *quamvis adsit*. Nonne iam sentis eandem rem bis dici? sine dubio alterutrum supervacuum est, aut *praesentibus*, aut, *ut adsit*. Satis per se rem exprimit, *Non latura plus auxilii, ut adsit*: demto *praesentibus*; vel, *Non latura plus auxilii praesentibus*; demtis, *ut adsit*. Haec tamen tot Interpretes patienter tulerunt; quia sic invenerant in editionibus priscais. At, si bonis suis uti novissent, meliora eos docere poterant codices scripti; quorum veterrimus Blandinius, et Pulmanni unus cum aliquot Lambini sic verba repraesentant, „*Magis relictis; non uti sit auxilii Latura plus praesentibus*.“ Quibus fere accedunt Graevianus noster et Galeanus cum sex aliis, qui *ut sit* exhibent, ex illo altero leviter corruptum. Et sententia et dictio clarissima est. *Plus timet pro pullis absentibus, non uti* (id est, *non quo, non quod*) *praesentibus plus auxilii latura sit*.

26. *Aratra nitantur meis*] Scabies mera et rubigo est, quae in omnibus fere editionibus lectio circumfertur, „*Non ut iuvenis illigata pluribus Aratra nitantur meis*.“ Omnino reponendum est ex codicibus Canteri, Lambini et Bersmanni, „*Non ut iuvenis illigata pluribus Aratra nitantur mea*.“ Sic et ex nostris habet Bodleianus, et pro varia lectione Battelianus. Verum quidem est, vetustiores membranas *meis* praeferre: sed perperam. Possessivum enim *meus* cum propiore nomine coniungi debet: neque vero in *meis pluribus iuvenis* — aut duplex adiectivum, aut prava et luxata collocatio tolerari potest. Porro *nitantur* Torrentii codices aliquot et unus Fabricii cum nostris Galeano et Magdalenensi *nectantur*. Sic Avienus Fabula XXXII. [v. 2] „*Haerentem luteo sub gurgite rusticus avem Liquerat, et nexos ad iuga tarda boves*.“ et XXVIII. [v. 5] „*Cautus et immenso cervicem innectit aratro*.“ Sed hoc in loco *illigata nectantur* esset *παρολογοῦν* et his idem dicere. Quare retinemus *nitantur*, sive, luctentur, gemant, in dura tellure proscindenda.

- Pecusve Calabris ante sidus fervidum
 Lucana mutet pascuis:
 Neque ut supini villa candens Tusculi
 30 Circaea tangat moenia.
 Satis superque me benignitas tua
 Ditavit: haud paravero,
 Quod aut avarus ut Chremes terra premam;
 Discinetus aut perdam ut nepos.
 v. 28. Vulg. *Pascua*. 29. *Nec ut superni*.

28. *Lucana mutet pascua*] Loscherus quidem *pascua* edidit; sed eo vetustior Veneta, „*Pecusve Calabris ante sidus fervidum Lucana mutet pascuis*.“ cui patrocinantur omnes Blandinii apud Cruquium, omnes Torrentii, plures Lambini, Pulmanni Bersmannique, et ex nostris Graevianus, Reginensis cum aliis quinque. Leidensis tamen magnae vetustatis cum Batteliano et Regiae Societatis *pascua*; ut ratione potius quam auctoritate decidi haec lis debeat. Nos ideo *pascuis* praefereimus, ne in tribus continuis Epodis eadem exeat terminatio, „*Aratra nitantur mea*.“ „*Lucana mutet pascua*.“ „*Circaea tangat moenia*.“ Quod vitium sedulo evitare solet Noster, ex reconditae artis praecepto. Ceterum figuratior erit locutio, *mutet Lucana Calabris pascuis*, et Horatio familiaris, ut hoc ipso in carmine, „*Roges, tuum labore quid iuvenem meo?*“ et Art. Poet. v. 273. „*si modo ego et vos Scimus inurbanum lepido seponere dicto*.“ et Serm. II, 4, 46. ex lectione codicis Regii, „*Ante meum nulli patuit quaesita palato*.“

29. *Nec ut superni*] Quantumvis conspiciantur codices scripti editique in propaganda hac lectione, „*Nec ut superni villa candens Tusculi Circaea tangat moenia*“, vix tamen extorquebunt, ut vocabulum *superni* pro vera Horatii sobole agnoscamus. *Supernus* enim nomen est relativum; semperque aliud quid secum trahit, cuius respectu superiorem locum occupare censetur: quod hic non fit. Quamobrem legendum potius existimo, „*Neque ut supini villa candens Tusculi*.“ Ideo enim *superni* volunt, quia Tusculum in colle positum erat. Atqui ob ipsam illam rationem legimus *Supini*; ut Noster Carm. III, 4, 23. „*seu mihi frigidum Praeneste, seu Tibur supinum, Seu liquidae placuere Baciae*.“ ubi Aeron Scholiastes: „*Supinum] montuosum, ut, Collesque supinos. situm autem civitatis descripsit, quia in ascensu montis est constituta*.“ Porphyrio: „*Supinum*“, inquit, „*Tibur, ad situm eius respiciens; nam in latere montis est constitutum*.“ Virgil. Georg. II, 276. „*Sin tumulis acclive solum, collesque supinos*.“ et III, 555. „*Aventesque sonant ripae, collesque supini*.“ Statius Theb. IV, 238. „*auget resupina maniplos Elis, depressae populus subit incola Pisae*.“ Dracontius Haxaëmero [I, 47]: „*Et colles tumidi cumulis iuga celsa supinant*.“ Tusculum autem situm erat in clivo leniter assurgente, ut affirmat accuratissimus Cluverius, testis oculatus. Talis autem locus proprie *supinus* dicitur; quippe non praecipit et praeruptus; sed moliter acclivis et ascensu facilis: unde etiam loca plana et undique aperta nonnumquam *supina* appellantur. Apuleius in Floridis [c. 10, pag. 41 Oud.]: „*Alibi montium vertices arduos extulit, atibi camporum supinam planitiem coaequavit*.“ Ammianus Marcellinus XVIII, 6. [§ 14] „*Et planities supina camporum*.“ Plinius Nat. Hist. IX, 1. [2] „*In mari autem iam late supino*.“ Male igitur Scholiastes Iuvenalis ad versum Satirae III, 192. „*Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce*.“ „*In praecipiti, ait, posita; ut Horatius, Clivumque supinum*.“ Immo vero, in declivi, non in praecipiti; neque hodie in Horatio ea verba reperiuntur. Iam autem *supini Tusculi* id absolute significat quod *superni* non nisi relative et comparate denotare potest.

II.

VITAE RUSTICAE LAUDES.

- Beatus ille, qui procul negotiis,
 Ut prisca gens mortalium,
 Paterna rura bobus exercet suis,
 Solutus omni fenore?
 5 Neque excitatur classico miles truci,
 Nec horret iratum mare;
 Forumque vitat, et superba civium
 Potentiorum limina.
 Ergo aut adulta vitium propagine
 10 Altas maritat populos;
 Aut in reducta valle mugientium
 Prospectat errantis greges;
 Inutilisve falce ramos amputans,
 Feliciores inserit;
 15 Aut pressa puris mella condit amphoris;
 Aut tondet infirmas ovis.

v. 5. Vulg. Nec. 13. Inutilesque.

13. *Inutilesque falce ramos*] Primus omnium vir doctissimus Georgius Fabricius anno MDLXX, et postea Henricus Stephanus alique, horum versuum ordinem inverterunt, in hunc modum: „Ergo aut adulta vitium propagine Altas maritat populos; Inutilesque falce ramos amputans, Feliciores inserit; Aut in reducta valle mugientium Prospectat errantes greges.“ Idque ex sola coniectura contra omnium codicum auctoritatem: nimirum, ne duo disticha illa de arborum cultu, alterum de maritatione, alterum de putatione et insitione, separentur, ut vulgo fit, ac divellantur, interveniente illo, „Aut in reducta valle mugientium Prospectat errantes greges.“ Quod utrum recte atque ordine ab iis factum sit necne, non cuiusvis est diiudicare. Posse quidem eiusmodi errores exscriptorum seorsim furtim irroperare, et nonnunquam re ipsa irrepisse, nemo dubitaverit, nisi qui in veteribus membranis hospes sit. Equidem sancte testari possum, me nullum Horatii codicem versavisse, qui non alicubi unum vel alterum versum de sede sua luxaverit, ex aliis tamen facile corrigendus, et plerumque a manu secunda in ordinem reductus. Nihilominus haud temere contra omnium codicum fidem versuum seriem invertendam esse, neque citra ultimam necessitatem, omnes cordati semper existimarunt. Videamus igitur, quid in lectione recepta tantopere culpandum sit, et quid tandem utilitatis apporet ista immutatio. Post versus, inquit, de maritatione vitis continuo sequi debent alteri de insitione, propter argumenti cognationem. Recte quidem, si eodem tempore vel continenter utrumque opus per rusticos fieret. Atqui *maritatio* fit mense Octobri, *putatio* et *insitio* mense Martio. Columella lib. XI, 2. [§ 79] „Per hos dies (mense Octobri) *ulni vitibus recte maritantur, ipsaeque [vites] in arbutis ac vineis recte propagantur.*“ Et ibidem [§ 23]: „Insitio quoque arborum atque vitium tepidis locis hoc tempore (mense Februario) commode administratur.“ Et paullo post [§ 26]: „Igitur a Calendis Martii eximia est vitium putatio usque in decimum Calendarum Aprilium; si tamen se gemmae nondum moveant: surculi quoque silentes ad insitionem nunc praecipue

- Vel cum decorum mitibus pomis caput
 Autumnus agris extulit.
 Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
 20 Certantem et uvam purpurae,
 Qua muneretur te, Priape, et te, pater
 Silvano tutor finium!
 Libet iacere modo sub antiqua ilice,
 Modo in tenaci gramine:
 25 Labuntur altis interim rivis aquae;
 Queruntur in silvis aves;
 Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
 Somnos quod invitet leves.

v. 18. Vulg. Arvis.

utiliterque leguntur; et ipsa insitio vitium atque arborum longe nunc est optima.“ Similia habes apud Catonem et Palladium. Quid tam magnum itaque, si in carmine separantur duobus versiculis, quae in opere ipso dividuntur toto quinque mensium intervallo? Deinde illud ipsum quod intervenit, quale tandem sit, videamus: „Aut in reducta valle mugientium Prospectat errantes greges.“ Enimvero nihil hic diutini operis est, sed brevis tantum intermissio et voluptas, *prospectus armentorum pascentium*; qui non modo inter maritationem et insitionem, sed etiam in ipsis intervenire potest et solet. Aut igitur valde fallimur, aut melius est tantisper manum abstinere, dum codex aliquis alicunde (quod numquam forte eveniet) mutationi isti patrocinetur. Nos interea lectionem vulgatam aliquantum adiuimus, pro *inutilesque* reponentes „Inutilesve falce ramos amputans“; prout caetera illa procedunt, *Ergo aut adulta, Aut in reducta, Aut pressa puris, Vel cum decorum.* Et similiter versu 35. „*Pavidumve leporem et advenam laqueo grauem.*“ pro „*pavidumque*“ substituitimus. Graevianus hic *Pavidum leporem* sine particula exhibet; et ubique fere in uno aut altero codice *que et ve* inter se commutantur.

18. *Autumnus arvis extulit*] Ita Loscherus et editio Veneta 1490 eum codicibus aliquot, quos inter Battelianus, Petrensis et Vigorniensis nostri. At editio prima 1478, cum omnibus fere Lambini et Cruquii, et Graeviano, Leidensi, Reginensi aliisque et numero et vetustate potioribus, „*Autumnus agris extulit*“: quod et agnoscit Scholiastes Porphyrio. Cur autem antiquiores et plures testes hic deseramus? Virgilius Georg. II, 10. [5] „*tibi pampineo gravidus auctumno Floret ager.*“ Tibullus I, 9. [v. 34] „*Non tibi si Bacchi cura Falernus ager.*“ Illud *arvis extulit* videtur natum ex Virgiliano loco Georg. II, 541. [341] „*Cum primum lucem pecudes haurere, virumque Ferrea progenies duris caput extulit arvis*“: ubi obiter corrigendum ex Lactantio [Inst. II, 10 § 16], *Terrea progenies*: quos Lucretius *Terrigenas* vocat, lib. V. v. 1410. „*Quam silvestre genus capiebat terrigenarum.*“ Quis enim omnium poetarum *ferream* hominum aetatem *primam* fuisse finxit? sed haec alibi fortasse fusius.

25. *Labuntur altis interim rivis aquae*] *Ripis* habent editiones veteres; sed manuscripti in diversa abeunt, alii *ripis*, alii *rivis* praeferentes, etiam antiquissimi. Placet *labitur ripis*: quippe *auctumno*, cum arescunt flumina, non *alti sunt rivis*, sed *altae ripae*. Noster Carm. I, 2, 19. de Tiberi: „*vagus et sinistra labitur ripa.*“ Lucretius III [II], 362. „*Fluminaque ulla queunt summis labentia ripis Oblectare animum, subitamque avertere curam.*“ Ovid. Amor. II, 17. [v. 31] „*Sed neque diversi ripa labuntur eadem Frigidus Eurotas populiferque Padus.*“ Quintilianus Instit. XII, 2. [§ 11] „*Ut vis annuum maior est altis ripis multoque gurgitis tractu*

- At cum tonantis annus hibernus Iovis
 30 Imbris nivesque comparat,
 Aut trudit acris hinc et hinc multa cane
 Apros in obstantis plagas;
 Aut amite levi rara tendit retia,
 Turdis edacibus dolos;
 35 Pavidumve leporem, et advenam laqueo gruem,
 Iocunda captat praemia.
 Quis non malarum, quas amor curas habet,
 Haec inter obliviscitur?
 Quod si pudica mulier in partem iuвет
 40 Domum atque dulcis liberos,
 Sabina qualis aut perusta solibus
 Pernicis uxor Appuli;
 Sacrum vetustis exstruat lignis focum,
 Lassi sub adventum viri;
 45 Claudensque textis cratibus laetum pecus,
 Distenta siccet ubera;
 Et horna dulci vina promens dolio,
 Dapes inemtas adparet;
 Non me Lucrina iuverint conchylia,
 50 Magisve rhombus aut scari,
 Si quos Eois intonata fluctibus
 Hiems ad hoc vertat mare.
 Non Afra avis descendat in ventrem meum,
 Non attagen Ionicus
 55 Iocundior, quam lecta de pinguissimis
 Oliva ramis arborum,
 Aut herba lapathi prata amantis, et gravi
 Malvae salubres corpori,
 Vel agna festis caesa Terminalibus,
 60 Vel hoedus ereptus lupo.
 Has inter epulas, ut iuvat pastas ovis
 Videre properantis domum!

v. 35. Vulg. *Pavidumque*.

fluentium, quam tenuis aquae et obiectu lapillorum resultantis. Valerius Flaccus IV, 102. „*inde per urbes Raptatur Graias, atque ardua flumina ripis.*“

52. *Ad hoc vertat mare*] Illustrissimus Nic. Heinsius in libri sui margine, *Forte, inquit, legendum. „Fol quos Eois intonata fluctibus Hiems ad hoc verrat mare.“* Sed praeterquam, quod omnes Flacci codices summo consensu *vertat* hic agnoscunt; etiam apud Priscianum bis ita legitur p. 863. et 930. neque variant ibi, quos consului, quatuor scripti. Ansam Heinsio correctionis illud videtur porrexisse, quod habetur Serm. II, 3. v. 235. „*tu pisces hiberno ex aequore verris.*“ Verum aliud longe est, piscatorem cum reti et everriculo pisces *ex mari verrere* (proprie enim hoc dictum est) aliud, *hiemem* et tempestatem pisces *ad mare verrere*. Talis enim locutio nullum, credo, habet auctorem. Quare nihil mutandum.

- Videre fessos vomerem inversum boves
 Collo trahentis languido;
 65 Positosque vernas, ditis examen domus,
 Circum reidentis Lares!
 Haec ubi locutus fenerator Alfius,
 Iam iam futurus rusticus,
 Omnem redegit Idibus pecuniam;
 70 Quaerit Calendis ponere.

v. 69. Vulg. *Relegit*.

69. *Omnem relegit Idibus pecuniam*] Haec lectio est editionis primae et codicum aliquot ex recentioribus. Placuit autem plerisque interpretibus, et, quod maius est, elegantissimo Nic. Heinsio ad Ovidii Fast. II, 540. „*Relegit*, aiunt, *pecuniam*, hoc est, *recollegit.*“ Et sane *colligere* in simili sensu reperias; ut apud Lentulum Epist. Ciceronis ad Fam. XII, 15. [§ 1] „*Ut et reliqua vectigalia exigorem, et quam deposui pecuniam colligerem*“; et Nostrum Epist. I, 10, 47. „*Imperat aut servit collecta pecunia cuique.*“ Sed ne unicum quidem exemplum, ubi *relegere pecuniam* dicitur, aut ipsi afferunt, aut egomet observavi. Male autem colligunt, ex eo quod *colligere pecuniam* recte dicatur, idcirco et *relegere* bene dici. Ex *colligo* enim notissimum compositum est *recollego*; neque *relego* et *recollego* eandem habent notionem. Revocanda est igitur Loscheriana olim lectio, „*Omnem redegit idibus pecuniam*“: quam firmant vetustissimi omnium Blandinii, et Torrentii plures potioresque, cum nostris Leidensi, Graeviano, Reginensi, Magdalenensi etc. Neque aliter Aeron in Regiae Societatis Bibliotheca MS etsi *recollegam* in paraphrasi habeat. Sic enim et Graevianus annotator; „*Redegit pecuniam; collegit.*“ Nimirum *redigere pecuniam* est, aut apud varios debitores collocatam exigere, cogere, colligere; aut domo vel mancipiis vel fundis divenditis aurum aut argentum recipere. Nihil usitatus est hac locutione: ut demirer equidem viros eruditos adeo transversos hic a vero abiisse. Plinius Epist. III, 9. [§ 13] „*Io, io, liber ad te venio: iam sestertium quadragies redegi, parte vendita Baeticorum.*“ Cicero Divinat. in Q. Caecilium, c. 17. [§ 56] „*Deinde bona vendit, pecuniam redigit.*“ et mox [§ 56], „*Cogit quaestorem suum pecuniam, quam ex Agonidis bonis redegisset, annumerare et reddere.*“ In Verr. [act. I] 1, 36. [§ 91] „*Reliqua vendidit, pecuniam exegit: cum enim ad H-S vicies quinque redegisse constaret.*“ et ibidem 38. [§ 96] „*Pecuniae redactae.*“ Contra Rullum [II] c. 36. [§ 98] „*Cum omnem pecuniam ex aerario echaussisset, ex vectigalibus redegisset.*“ Pro Flacco c. 36 [§ 89] „*Quid si ita omnis pecunia reddita est? si petita? si redacta?*“ Pro Rabirio c. 11. [§ 31] „*Solebne is dicere in eum, qui pecuniam redegit, qui in illum, cuius nomine ea pecunia redigeretur, non dixerit?*“ Philipp. V, 4. [§ 12] „*Tanta pecunia una in domo coacervata est, ut si hoc genus in unum redigatur, non sit pecunia Pop. Romano defutura.*“ Philipp. XIII, 5. [§ 10] „*Decrevistis tantam pecuniam Pompeio, quantum ex bonis patris, ex praediae dissipatione inimicus victor redegisset.*“ Livius II, 42. [§ 2] „*Quicquid captum ex hostibus est, vendidit Fabius Consul, ac redegit in publicum.*“ Idem XXVI, 49. [§ 6] „*Non de pondere auri argentique et redactae pecuniae convenit.*“ Et XXXVIII, 59. [§ 8] „*Tantum auri, quantum venditis omnibus bonis redigi non posset.*“ Quintilianus Declam. V. [argum.], „*Pater universis bonis in unum redactis profectus est.*“ Idem Declam. CCLXIX. [princ.] „*Si domum, si mancipia, si vendita esse omnia, si in pecuniam redacta constabit; superest ut deponendae pecuniae habuerim causam.*“ Eutropius lib. VIII. [c. 13] „*Instrumentum regii cultus distraxit, ac per duos conti-*

III.

AD MAECENATEM.

- Parentis olim si quis inopia manu
 Senile guttur fregerit;
 Edidit cicutis allium nocentius.
 O dura messorum ilia!
 5 Quid hoc veneni saevit in praecordiis?
 Num viperinus his cruor
 Incoctus herbis me fefellit, an malas
 Canidia tractavit dapes?
 Ut Argonautas praeter omnis candidum
 10 Medea mirata est ducem,
 Ignota tauris inligaturum iuga
 Perunxit hoc Iasonem:
 Hoc delibutis ulta donis pellicem,
 Serpente fugit alite.
 15 Nec tantus unquam siderum insedit vapor
 Siticulosae Apuliae:
 Nec munus humeris efficacis Herculis
 Inarsit aestuosius.
 At si quid unquam tale concupiveris,
 20 Iocose Maecenas, precor,
 Manum puella savio opponat tuo,
 Extrema et in sponda cubet.

IV.

AD MAENAM POMPEII LIBERTUM.

- Lupis et agnis quanta sortito obtigit,
 Tecum mihi discordia est,
 Hibericis peruste fumibus latus,
 Et crura dura compede.
 5 Licet superbus ambules pecunia,
 Fortuna non mutat genus.

nuos menses venditio habita est, multumque auri redactum." Digest. lib. III. tit. 5. sect. 35. „Non enim e vestigio in officio deliquit, si non protinus res suas distraxit ad pecuniam redigendam." Ibid. V. 3. 20. [§ 6] „Redactae ex pretio rerum venditarum pecuniae usuras non esse exigendas." X. 2. 26. „Pecuniam ex pretio redactam ei numerari, cui legata sit." X. 2. 38. „Hic committes pecunias ex rebus redactas singulis ministraverat." XX. 4. 2. „Quamvis ex ceteris pecuniam suam redigere possit." Asconius Pedianus ad Verr. [act. II] l. c. 20. [§ 52] „Quaestorem eum ad quem rediguntur pecuniae ex proscripti bonis, et a quo socii adnumerantur." Atque haec haec hactenus: quae eo fusius accumulavimus, ut vera lectio, quae toties vi et iniuria de loco suo pulsa est, tandem aliquando in sedibus propriis secura requiescat.

- Videsne, sacram metiente te viam
 Cum bis trium ulnarum toga,
 Ut ora vertat huc et huc euntium
 10 Liberrima indignatio?
 SECTUS flagellis hic triumviralibus
 Praeconis ad fastidium,
 Arat Falerni mille fundi iugera,
 Et Appiam marris terit?
 15 Sedilibusque magnus in primis eques,
 Othone contempto, sedet?

v. 8. Vulg. Bis ter uln.

8. *Cum bis ter ulnarum toga*] Numquam vidi nequiores lectionem tam impune omnes interpretes lusisse. Quid enim, amabo, est *bis ter ulnae*? quis omnium mortalium sic locutus est? Sine dubio legendum, „*Cum bis trium ulnarum toga*": hoc est, „*cum sex ulnarum toga*, (ut recte Porphyrio) *hanc autem iustae togae mensuram intelligendum est.*" Schoellastus Persii ad Satiram V. v. 14. „*Mensura togae iustae senas ulnas habebat.*" Isidorus Orig. XIX. 24. [§ 4] „*Mensura autem togae iustae, si sex ulnas habeat.*" Atqui *sex ulnae* sunt *bis tres*, non *bis ter ulnae*: quae mera est barbaries. Lactantius in carmine De Phoenice [v. 8]: „*Per bis sex ulnas eminent iste locus.*" Silius Ital. XVII. [v. 355] „*Perque bis octonos primus fuit Hannibal annos.*" Prudentius Apotheosi v. 1001. [996] „*Quam bis terna malis vevarunt sabbata nox.*" atque ita alii passim. Ceterum dia postquam hanc emendationem feceram, etiam *πολυμαθίατορος* Barthium in Adversariis LIV. 26. in eandem incidisse animadverti, quam proinde ei ingenue et libenter resigno.

16. *Othone contempto sedet*] Editio prima quae Venetiis prodit anno 1478, aliud quid profert: „*Sedilibusque magnus in primis eques Othone contento sedet*": Quod, si admittatur, ita erit explicandum; adeo divitem scilicet fuisse Maenam, ut res eius *suffecerit* et plene *satisfecerit* legi Othonis, qua sancitum, ut nemo spectaret in sedilibus equitum, qui quadringenta millia nummum in censu non haberet. Sed scripti codices ad unum omnes, et editiones reliquae *contempto* habent; veram quidem lectionem, sed hactenus perperam intellectam. „*Quomodo,*" inquit Iulius Scaliger [Poetic. p. 889], „*contemnebat Othonis legem? quae permittebat habenti quadringenta millia, sedere in quatuordecim*": siquidem Maena multo plus in redditibus habuit. Huic ut obiectioni occurrant Torrentius, Marcellus, Dacierius aliique, hoc comminiscuntur: *Lege* illa Othonis hoc inter alia fuisse cautum, nequis *Libertus* aut *Libertinus* in quatuordecim ordinibus sederet, quantumlibet dives esset. *Contempsit* itaque Othonem Maena, qui *Libertus* in iis gradibus spectare ausus est. Unde vero compertum hoc habent, lege ista *Libertis* aut eorum filiis honorem eum interdictum esse? Ex hoc ipso, aiunt, Horatii loco. Eia vero, ut errorem errore defendant. Nam hic ipse locus adhuc in obscuro est; neque lucem, quam non habet, alteri commodare potest; sed aliunde debet accipere. Tantum abest, ut *libertinis* lege Othonis Roscia hoc interdictum sit; ut ea ipsa lege tum primum iuberetur, ut quocumque patre natus, modo quadringenta sestertia possideret, in XIII gradibus spectare posset. Hoc clare ostendit locus ille Iuvenalis Sat. III. 152. „*Nil habet infelix paupertas durius in se, Quam quod ridiculos homines facit. Ecceat, inquit, Si pudor est, et de pulvino surgat equestri, Cuius res legi non sufficit; et sedent hic Lenonum pueri quocumque in fornice nati. Hic plaudat nitidi praekonis filius, inter Pinnirapi cultos iuvenes, iuvenesque tanistae: Sic libitum vano,*

Quid attinet tot ora navium gravi
 Rostrata duci pondere
 Contra latrones atque servilem manum?
 20 Hoc, hoc tribuno militum.

V.

IN CANIDIAM VENEFICAM.

At ô Deorum quicquid in caelo regit
 Terras et humanum genus,

qui nos distinxit, Othoni.“ Ubi vetus Scholiastes: „*Legi Othonis, qua iussit eos, qui quadringentorum sestertiorum haberent redditus, in numero Equitum esse.*“ Hinc patet vel *επίδοϋλον* Libertos, si ad CCCC millium censum semel pervenissent, eo ipso equites fuisse. Contra, per eandem legem ingenuos et ingenuis prognatos, si forte infra illum censum decidissent, plebi accenseri solitos, Noster ipse clare docet Epist. I, 1, 58. „*Est animus tibi, sunt mores et lingua fidesque: Si quadringentis sex septem millia desunt, Plebs eris. Roseia, dic sodes, melior lex, an puerorum Naenia?*“ Adhuc igitur quaerendum est, quid sibi ista velint, *Othone contento*: nullo enim fulta sunt tibicine, quae docti interpretes haecenus attulerunt. Neque longe ea de causa proficiscendum est: ecce enim tibi e media re et ipsis ex verbis nascentem explicationem, quae omnem, ut opinor, numerum absolvit: „*Sedilibusque magnus in primis eques, Othone contento, sedet.*“ Si iure, inquit, ut eques, in quattuordecim sedit Maena: cur additur *Othone contento*? Eam ipsam ob rationem. Quia iure ibi sedit. Vetuerat enim L. Roscius Otho, nequis infra CCCC M. censum in gradibus illis sederet. Quisquis igitur, ut Maena, supra illum censum longe evectus fuit, *contemnere* potuit Othonem, et legi eius impune oppedere. Quid redditus meos, Otho, rimaris et exploras; si forte lege tua damnatus de quattuordecim gradibus deturbandus sim? ego vero census meos bene novi, et te tuamque legem *ἀναΐξεν* iubeo. Jam tandem, opinor, perspicias, qua fiducia fretus Maena Othonem contemserit. Sed ea *contemnendi* significatio latuit hic interpretes. Simile tamen quid Iuvenalis [X, 123] habet de Marco Tullio, qui „*Antonî gladios potuit contemnere, si sic Omnia dirisset.*“

17. *Tot ora navium gravi* Iulius Scaliger in Hypercritico [p. 889] hunc locum sic castigat, *Quid attinet tot ora navium gravi Rostrata duci pondere?* „*Nescio*“, ait, „*an ora dicamus navium recte, quia et rostrum: nam sano rostrum trirēibus est, os non est.*“ Mussant hic Interpretes, quamquam alias libenter adversus Scaligerum insurgunt. Equidem fatebor me apud neminem Postarum *os navis* reperisse: neque tam insolentem metaphoram excusare, nedum admirari possum. Vide tamen, annon forte in librarios transverenda sit siquae est culpa, qui oscitanter pro *aera* legerint *ora*. „*Quid attinet tot aera navium gravi Rostrata duci pondere.*“ Ut *aera rostrata* idem sit ac *rostra aerata*: ut illud Virgilii [A. IX, 122 et X, 223], „*Quot prius aerae steterant ad litora prorae.*“ Rostra enim aere munita fuisse notissimum est; unde Gracilis naves *χαλκίμυζολοι αθενίροστρον* vocatae sunt. *Aera* autem *navium*, ut Virgilius Aen. XI, 329. „*facet omnis ad undam Materies: ipsi numerumque modicumque carinis Praecipiant: nos aera, manus, navalia demus.*“

1. *At o deorum quicquid in caelo regit* Apud Diomedem p. 527. et Priscianum p. 1105. sic locus hic adducitur, „*At o deorum quisquis in caelo regis*“: quale illud Senecae in Oedipode v. 248. „*Quisquis deorum regna placatus vides.*“ et Ovidii Metam. I, 32. „*Sic ubi dispositam,*

Quid iste fert tumultus? et quid omnium
 Voltus in unum me truces?
 5 Per liberos te, si vocata partubus
 Lucina veris adfuit,
 Per hoc inane purpurae decus precor,
 Per improbatum haec Iovem:
 Quid ut noverca me intueris, aut uti
 10 Petita ferro belua?
 Ut haec tremente questus ore constitit
 Insignibus raptis puer,
 Inpube corpus, quale posset in pia
 Mollire Thracum pectora:
 15 Canidia brevibus implicata viperis
 Crinis et incontum caput,
 Iubet sepulcris caprificos erutas,
 Iubet cupressus funebris,
 Et uncta turpis ova ranae sanguine,
 20 Plumamque nocturnae strigis,
 v. 11. Vulg. *Trementi.*

quisquis fuit ille deorum, *Congeriem scenit, sectamque in membra redegit.*“ Verum illud *quisquis* omnes membranae aversantur, summo consensu exhibentes *quicquid*: atque hoc melius est. *Quisquis* enim unum aliquem deorum notat, *quicquid* simul omnes. Noster Serm. I, 6, 1. „*Non quia, Maecenas, Lydorum quicquid Etruscos incoluit fines, nemo generosior est te.*“ et Livius XXIII, 9. [§ 3] „*Paucae horae sunt, intra quas iurantes per quicquid deorum est, dextrae dextras iungentes, fidem abstrinximus.*“ Quae duo loca a doctissimo Lambino apposite citata sunt. De altero illo, *regis* legendum sit an *regit*, magna codicum dissensio est. Pauci quidem ex nostris atque ii recentiores *Regit*: plures et potiores *Regis*, ut Leidensis, Reginensis, a manu prima Graevianus et Magdalenensis, alique cum Aerone manuscripto. Contra, Blandinii omnes apud Cruquium *regit*; atque ita citatur Servio ad Aen. VII, 363. et IX, 144; quin et Donato ad Terentii Andriam Act. IV. Sc. 1. [v. 42] in veteribus editionibus ann. 1483, 1488, 1503: nam recentiores hic male habent *quisquis* et *regis*. Quid igitur fiet? et cuius parti accedemus? Torrentio quidem *Regis* magis ablanditur: mihi fixum firmumque est, *Regit* ab Horatio profectum esse. Non enim puer ille, quicumque erat, deos hic precatur; sed Canidiam et socias alloquitur; ut ex ipso carmine patet. Alioqui, si deos hic procrearetur, tum versu quarto, *omnium vultus truces* de deorum vultibus accipiendum foret; quod ab omni sensu alienum. Lego igitur, „*At o deorum quicquid in caelo regit.*“ Neque vero invocatio deorum est; sed exclamatio duntaxat, et obtestatio: qualia ista, *Di boni, Di magni, Proh Iuppiter, proh deum atque hominum fidem.* Per omnes, ait, deos, per quicquid deorum in caelo est, quid tumultus iste sibi vult?

11. *Ut haec trementi questus ore* Trementi habent quotquot vidi codices, et Priscianus p. 707. Legerim tamen potius, „*Ut haec tremente questus ore constitit*“: ut purus sit Iambicus, qualis iste proxime antecedens, „*Quid ut noverca me intueris, aut uti.*“ Nam ablativos hosce in te desinere apud Nostrum, fuisse ostendi ad Carm. I, 25. v. 17. ubi et ter ore tremente ex Nasone laudavi: cui et Tibullum adde, III, 5. [4 v. 32] „*Inficitur teneras ore rubente genas.*“ et [v. 40], „*Folices cantus ore sonante dedit.*“

Herbasque, quas Ioleos atque Hiberia
Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta ieiunae canis,
Flammis aduri Colchicis.
25 At expedita Sagana per totam domum
Spargens Avernalis aquas,
Horret capillis ut marinus asperis
Echinus, aut Laurens aper.

v. 28. Vulg. *Currens* aper.

28. *Echinus aut currens aper*] Aeron Scholiastes: „*Currens, furens: ut, Inhorruit armos.*“ Quod varia potius lectio, quam interpretatio videatur: „*Echinus, aut furens aper.*“ Sic et Apuleius *Metam.* VIII. [p. 203, 12 Elm.] „*Nec diu et furens aper eum invadit iacentem.*“ Sane, quid *currens* aper hic faciat, nullus video. Non enim dum *currit*, sed cum *stat* et pugnae se aptat, setis maxime inhorrescit. Id quod Virgilius optime expressit, *Aen.* X, 710. „*Ac velut ille canum morsu de montibus altis Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos Defendit, multosque palus Laurentia, silva Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est, Substitit, infremuitque feroc, et inhorruit armos.*“ Sic et Homerus, *στάριτα καὶ μένοια, σταυλὴν ἐπὶ καὶ μένοια ἀπυρρὰν, non currentem, setas erigere facit.* *Iliad.* N. v. 471. *Ἄλλ' ἔμειν', ὡς ὅτε τις σῆς οὐρεῖαν ἄλλι πεποισῶς, ὅστε ΜΕΝΕΙ κολοσσυρῶν ἐπερχόμενον πολὺν ἀνδρῶν Χώρῳ ἐν οἰσπόλῳ, ΦΡΙΣΣΕΙ δὲ τε νότον ἔπειθεν.* et *Odys.* T. v. 446. *Ἐνθα δ' ἄρ' ἐν λοχμῇ πικρῇ κατέκειτο μέγας σῆς ὃ δ' ἀντίος ἐκ ἐσλόχοιο ΦΡΙΞΑΣ εὐ λοφίῳ, πρὸ δ' ὀφθαλμοῖσι δεδορκῶς, ΣΤΗ ὃ αὐτῶν σπεδάθεν.* et similiter Silius Italicus lib. I. [v. 422] „*Cum silvam oecursu venantium perdidit, hirsu Horrescit saevus dorso, et postrema capessit Praelia, candentem mandens aper ore cruorem.*“ Quamobrem *furens* libentius apud Nostrum legerim, quam *currens*: sed neutrum placet. Aliud enim melius veriusque suppeditat acutissimi Nic. Heinsii coniectura, „*Horret capillis ut marinus asperis Echinus, aut Laurens aper.*“ Sic enim is in libri sui margine; „*Forte legendum, Laurens. vide notas ad Nasonis Fastos II.*“ Nihil ingeniosius, nihil certius dici potest. *Laurens aper*, perpetuum epitheton poetis Italici. Praeter illum Virgilii locum iam citatum alia tibi indicat ipse Heinsius ad *Fast.* II. v. 23 [v. 231] „*Sicut aper silvis longe Laurentibus actus, Fulmineo celeres dissipat ore canes.*“ ubi plures codices *perperam, latratibus.* Idem *Metam.* XIV. [v. 342] „*Exierat tectis Laurens Peneus in agros, Indigenas fixurus apros.*“ Horatius *Serm.* II, 4. v. 40. „*Umbra et ligna nutritus glande, rotundas Curvat aper lauceis carnem vitantis inertelem: Nam Laurens malus est, ulois et arundine pinguis.*“ *Martialis IX.* 49. [v. 5] „*Inter quae rari Laurentem ponderis aprum Misimus.*“ et X, 45. [v. 4] „*Alia Laurentis cum tibi demus aprum.*“ et *Catalecta Vet. Poet.* [Scalig. p. 231, *Burm.* *Anth.* II, 257, *Meyer* ep. 253, v. 3] „*Vite Sabino, Lacon sulco, sue cognita Laurens.*“ Atque haec Heinsius: quibus nihil addam, praeterquam quod Virgilii versus supra laudatos [*Aen.* X, 710] in transitu corrigam: „*Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos Defendit, multosque palus Laurentia, silva Pastus arundinea etc.*“ ubi Servius: „*Pastus, pro pastum: nam supra ait Quom: Ergo Antiptosis est.*“ Recte quidem animadvertit *pastum* hic dici oportere, non *pastus*. Quid ergo? an ideo barbarismi absolvit Virgilium, quia *Antiptosis* nominat? Quae, malum, illa *Antiptosis*? aut unde ei tantum ius, ut communem loquendi morem pro libitu subvertat? Sed praeterea illud vide, quem *multos annos Vesulus defendit, multosque palus Laurentia defendit*, quam inane, verbosum, invariaturum, et a Virgilii more et genio prorsus alienum.

Abacta nulla Veia conscientia,
30 Ligonibus duris humum
Exhauriebat, ingemens laboribus:
Quo posset infossus puer
Longo die bis terque mutatae dapis
Inemori spectaculo;
35 Cum promineret ore, quantum exstant aqua
Suspensa mento corpora:
Exesa uti medulla, et aridum iecur
Amoris esset poculum;

v. 33. Vulg. *Terve.* 37. *Exsucta.*

Sine dubio igitur locus corruptus est, et, nisi valde decipior, sic restitui debet: „*Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos Defendit, multosque palus Laurentia silva Pascit arundinea.*“ vel *pavit*. Neque vero in re adeo clara plura verba consumam: sed aliud potius mendum in versu hunc locum proxime antecedente [702] tollam: nescio enim quo fato pagina illa Virgilii iam ante Servii aetatem supra alias corrupta erat: „*Nec non Euathen Phrygium, Paradisque Mimanta Aequalem comitemque, una quem nocte Theano In lucem genitori Amyco dedit, et face praegnans Cisseis regina Parim creat: urbe paterna Occubat: ignarum Laurens habet ora Mimanta.*“ ubi iterum Servius: „*Urbe paterna occubat: subaudis, Paris. Quod ut non diceret, metri est necessitate compulsus: nam deest Qui: ut sit, Qui urbe paterna occubat.*“ Recte et hic notavit Servius deesse nominativum verbo *occubat*: sed nulla *metri necessitas* potestam excusare possit: si id re ipsa omiserit. Quin et illud quam redundans et supervacuum, Theano in lucem dedit, et Cisseis creat? ut ne dicam, inconcinne tempora mutari. *dedit, et creat*. Quid multa? sic credo olim fuisse a manu Virgilii. „*una quem nocte Theano In lucem, genitori Amyco, dedit, et face praegnans Cisseis regina Parim. Paris urbe paterna Occubat: ignarum Laurens habet ora Mimanta.*“ *Una, ait, nocte Theano Mimanta, et Hecuba Parim in lucem dedit.* At quam dispari fato? *Paris* in urbe patria sepultus est; *Mimas* in terra longinqua ignotus iacet. Oscitantes librarii (quod sollemne eorum peccatum est) verbum bis positum, semel tantum scripserunt: inde alii ad versum fulciendum ineptum illud *creal* supposuerunt.

33. *Bis terve mutatae dapis*] Ab Aldo, ut opinor, defluxit haec lectio in omnes, quae postea prodierunt, editiones. Sed veteres ante annum MD, et codices nostri ad unum omnes cum Porphyrio Scholiasta, „*Longo die bis terque mutatae dapis Inemori spectaculo.*“ Quae duo contraria plane sunt; nam *bis terque* significat *saepe*; *bis terve*, *raro*. Cicero *Epist.* ad *Fam.* II, 1. [§ 1] „*A te vero bis terve, summum, et eas perbreves litteras accepi.*“ *Noster Art. Poet.* 440. „*melius te posse verbum Bis terque expertum frustra.*“ Recte igitur hic, *Bis terque mutatae*: nam, ut optime Porphyrio, „*Ut magis incitaretur puer, ait illi opponi opulas et saepe mutari.*“ Contra, apud Nostrum *Art. Poet.* v. 358. ubi editiones habent, „*Sic mihi qui multum cessat, fit Choerilus ille, Quem bis terque bonum cum risu miror.*“ corrigendum ex codice Regio, „*Quem bis terve bonum.*“ *Raro* enim Choerilum, bis fortasse vel ter, bonum fuisse significat.

37. *Exsucta uti medulla*] Mire variant hic codices scripti: maior enim meliorque pars *Exsecta* vel *Exsecta* cum editione Veneta, et Scholiastis. Graevianus noster *Exsecta* cum interpretatione, *extracta*, Lambini quidam, et Bersmanni unus, *Exsucta*. Battelianus pro varia lectione, *Exugta*; Divaeus Cruquii, *Exsecta*. Torrentianus unus, *Ecusta*; ut a prima manu Mag-

Interminato cum semel fixae cibo

40 Intabuissent pupulae.

Non defuisse masculae libidinis

Ariminensem Foliam,

Et otiosa credidit Neapolis,

Et omne vicinum oppidum:

dalenensis. Bersmanni unus, *Exulta*, Barthii (in Advers. XXXVII, 15.) *Esulta*, Zulichemianus, una litera erasa, *Exu...ta*, Loscheri editio, *Eceerta*, et pro varia lectione Bodleianus. Et plures quidem ex his satis commodae et probabiles sunt; ut tanto sit difficilius, quatenam ex omnibus pro vera et sincera admittenda sit, statuere. Primo enim *Exsucta* magnis auctoritatibus defendi potest: Iuvenalis Sat. VIII, 90. „*Ossa vides regum vacuis exsucta medullis*“: ubi Scholiastes, *Exhausta a rectoribus*. Ammianus Marcellinus XXX, 4. [§ 13] „*In quas (litium foveas) si captus ceciderit quisquam, non nisi per multa caeliet lustra, adusque ipsas medullas exsuctus*“ Quintilianus Institut. XII, 10. [§ 14] „*Unde nunc quoque (Atticorum imitatores) aridi, et exsucti, et exsanguis*“ Gellius XX, 8. [§ 3] „*Luna nunc videlicet senescit; ea re ostrea quoque, sicut quaedam alia, tenuis exsuctaque est*“ Quamquam in duobus postremis locis corrigendum forte est *exsucti* et *exsueca*, hoc est, *sine succo*. Onomasticon vetus Vulcanii: *Exsuecum, ἔξυουον*. Neque vero illud *Exusta*, quod duo codices praeferebant, suis auctoribus caret. Manilius lib. I. [v. 879] „*Aut gravibus morbis et lenta corpora tabe Corripit exustis letalis flamma medullas*“ Petronius [c. 121 v. 106]: „*neque enim minor ira rebellat Pectore in hoc, leviorque exurit flamma medullas*“ Seneca Hercule Octaeto v. 1220. „*quis, fervida Plaga revulsus, cancer infans meos Urit medullas*“ Quin et exigua mutatione refingere etiam poteris, „*Exhausta uti medulla et aridum iecur*“: quod verbum iam ante habuisti in Scholiaste Iuvenalis, tamquam interpretamentum *roū exsucta*. Ita enim Seneca Hercule Octaeto v. 1227. „*Exedit artus penitus, et totas malum Hauserit medullas*“ Paulinus de Vita S. Martini lib. II. [v. 672, vol. VI p. 14 col. 1 med. Pisaur.] „*Arentis penetrat praesens benedictio venas, Et rigat exhaustas verborum rore medullas*“ et lib. V. [v. 829, p. 29 col. 2 l. 10 Pis.] „*Nec prius absistit, iugi cruciata labore, Proterere exhaustis arentia membra medullis*“: hoc est, imminutis, siccatis, consumptis. Quintilianus Declam. XII, [c. 9] de his qui magna fame cogente carnes humanas comdebant: „*Nunc occurrunt effusa praecordia, et lividae carnes, et expressum dentibus tabum, et exhaustae ossibus medullae*“ Verum hoc in loco *exhaustae* idem notat ac *extractae*; quo sensu plane convenit cum illa altera lectione, „*Exsecta uti medulla*“ Quae, etsi plurimum et antiquiorum codicum testimonio nitatur, ideo tamen hic minus aridit, quia deserit plane et destituit sententiam. Longo, inquit, ieiunio encandus erat puer, ut *medulla exsecta* et arefactum iecur potionem amatoriam facerent. Atqui *medulla exsecari* et extrahi ex corpore pleno et pingui facilius et uberius posset, quam longa fame emaciato. Quare requiritur hic *epitheton*, quod diuturnae illius inediae causam roddat, quale illud est quod sequitur, *aridum iecur*: quo *medulla quoque exsiccata* pariter intelligi possit. Atque huic sensui longe aptius conveniunt illa, quae iam attigimus, *exsucta, exusta, exhausta*, quam *exsecta*. Nihil tamen tam ex omni parte quadrat, quam quod magnus Heinsius divinavit, in ora sui exemplaris, „*Lege*, inquit, *exesa vel exesta; ad versum, Est mollis flamma medullas*“ Ubi refert nos ad Annotationes suas in Virgilium, quae iam magno rei literariae damno furto surreptae, pro nefas, intercederunt. Verum et antea in Notis ad Ovidium coniecturam hanc proposuerat, Metam. XIV. v. 208. „*Horat. Epod. V. Exesa uti medulla, et aridum iecur Amoris esset poculum*“ Ita; ait, „*scribo*. Nam vulgati *exerta*. Lambinus,

45 Quae sidera excantata voce Thessala

Lunamque caelo deripit.

Hic inresectum saeva dente livido

Camidia rodens pollicem,

Quid dixit? aut quid tacuit? O rebus meis

50 Non infideles arbitrae,

Nox, et Diana, quae silentium regis,

Arcana cum fiunt sacra;

Nunc, nunc adeste: nunc in hostilis domos

Iram atque numen vertite:

„*Faernus, Cruquius, Torrentius, Exsucta*, ut in illo Iuvenalis Sat. VIII. [v. 90] „*Ossa vides regum vacuis exsucta medullis*“. Sed ibi allegorice locutus est. Scripti fere omnes *Exsecta* vel *Ececta*. Nisi *exesta* dixerit „*Horatius, ut comesto patrimonio* Sallustius, quod ex illo a Grammaticis „*citatur*. Et sane archaismos huiusmodi multos in Epodis Horatius adhibuit. *Estrices* etiam dicit in Casina [IV, 1, 20] Plautus, et *ursas hominum ambestrices* Ammianus Marcellinus lib. XIX. [XXIX, 3, 9]. „*Siccum dixit medullam* Propertius II, 12. [v. 17] quae *exesta* est Horatio. „*Valerius Flaccus* lib. IV. [v. 470] „*Exedit labor, et miseris festina se-nectus*“. Castigandus eiusdem locus lib. V. [v. 365] „*Robur cura ducis, magnique edere labores*“. Ineptissime et contra auctoris mentem *dedere* „*nunc legitur*. Apud eundem Valerium libro III. v. 694. „*multisque viri, cunctantia corda Est dolor*“, ubi *fert dolor* nunc legitur, minus bene. „*Quomodo et apud Nasonem* Pont. I, 1. [v. 69] „*Estur ut occulta vitata, lavedine navis*, multi codices *fertur* agnoscunt. *Odiis urbem exedere* „*apud Maronem* Aen. V. [v. 785]. *Exedi cura, macerare, inedia, ira, dolore*, familiare est optimis auctoribus. *Exest angor* apud Lucretium [III, 1006 (993)] „*Haec ibi vir illustrissimus*. Nos archaismis illis valere iussis, retinemus hic *exesa*, quod praeter loca Heinsio citata confirmant amplius, Catullus in coma Berenices [LXVI, 23], „*Quam penitus maestas exedit flamma medullas*“ ut olim emendavimus notis ad Callimachum [I. p. 583 Ernesti]: vulgo, *Cum penitus*. Idem Epigr. XXXVI. [XXXV, 15] „*ec eo misellae Ignes interiorem edunt medullam*“ et iterum LVI. [LV, 30] „*Defessus tamen omnibus medullis, Et multis languoribus peresus*“ Corippus Africanus lib. II. [v. 253, p. 162 col. 1 med. Pisaur.] „*Et contracta rigent arentibus ossa medullis*“ Paulinus de vita Martini lib. I [v. 318, p. 8 col. 2 Pis.] „*Huic febris totas penitus depasta medullas*“ et mox ibidem [v. 343], „*Et cutis exesis dudum iam lurida membris*“ et lib. IV. [v. 100, p. 18 col. 2 extr. Pisaur.] „*Exesis penitus vehementi febre medullis*“ Silius XIV. [v. 605] „*membrisque cutis legit ossa peresis*“ Statius Silv. II, 1. [v. 155] „*quod non mors lenta iacentis Exedit puerilo decus*“ Seneca, ut supra, [Here. Oct. 1226] „*Exedit artus penitus, et totas malum Hauserit medullas*“ Seneca Epist. CXIV. [§ 25] „*Cum vero magis ac magis vires morbus exedit, et in medullas nervosque descendere deliciae*“ Quintilianus Declam. XII. [c. 7] de fame confectis loquens: „*Figura tibi exosos vultus, decrescentem populum, iam praemortuas vires*“ S. Hieronymus Epist. ad Heliodorum [p. 11 post med. Ben.] „*Super nudam metuis humum exesa ieiunii membra collidere*“ Seneca Epist. CXII. [§ 2] „*Si vetus et exesa est vitis, si infirma gracilisque, aut non recipiet surculum, aut non alet*“ Silius lib. II. [v. 466] „*iam lumina retro Exesis fugere genis*“ Noster Carn. III, 4, 75. „*nec peredit Impositam celer ignis Aetnam*“ Silius XII. [v. 142] „*Mulciber immugit, lacerataque viscera terrae Mandit, et exosos labefactat murmure montes*“ et ibidem [v. 153] „*Depasti flammis scopuli*“ et lib. XIV. [v. 56] „*Nam Lipare, vastis subter depasta*

- 55 Formidolosis dum latēnt silvis ferae,
Dulci sopore languidae:
Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent Suburanae canes,
Nardo perunctum, quale non perfectius
60 Meae laborarint manus.
Quid accidit? cur dira barbarae minus
Venena Medae valent?
Quibus superbam fugit ulta pellicem,
Magni Creontis filiam;
65 Cum palla, tabo munus inbutum, novam
Incendio nuptam abstulit.
Atqui nec herba nec latens in asperis
Radix fefellit me locis.
Indormit unctis omnium cubilibus
70 Oblivione pellicum.
Alia! solutus ambulat veneficae
Scientioris carmine.
Non usitatis, Vare, potionibus
(O multa fleturum caput!)
75 Ad me recurre: nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus:
Maius parabo: maius infundam tibi
Fastidienti poculum.
Priusque caelum sidet inferius mari,
80 Tellure porrecta*) super,
Quam non amore sic mei flagres, uti
Bitumen atris ignibus.

v. 71. Vulg. *Ab, ah. 81. Meo.*

vaminis, Sulfureum vomit exoso de vertice fumum. Ita *adedit ignis* familiare bonis auctoribus; de quo vide ipsum Heinsium ad Ovidii Amores I, 15. [v. 41].

55. *Formidolosis dum latēnt silvis ferae*] Loscheri editio *Formidolosis silvis*; cui accedunt Torrentii aliquot, Blandinii veteres (ut ex verbis Cruquii patet, quamvis secus sit editum) Leidensis et Reginensis nostri, et Battelianus pro varia lectione. Ceteri cum editione prima *formidolosae ferae*. Utram iam lectionem mavis? *Formidolosis* ambigue significat, et qui formidat, et qui formidatur: quorum neutrum convenit *feris*, dum *sopore languidae* sunt. Placet igitur *formidolosis*, ut perpetuum sit silvarum epitheton. Virgil. Georg. IV, 468. „*Et caligantem nigra formidine lucum.*“ et Aen. I, 169. „*tum silvis scena coruscis Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.*“ Statius Theb. V, 587. „*sou tu pavidu ferus incola luci, Sive deus.*“ Lucanus III, 411. „*Arboribus suus horror inest.*“

63. *Quibus superbam fugit ulta pellicem*] Editiones veteres cum Acrone Scholiaste, et dimidia parte codicum, in quibus Reginensis et Leidensis nostri, „*Quibus superba fugit.*“ ita et apud Senecam Chorus Medeam *superbam* vocat, v. 855. „*Vultus citatus ira Riget, et caput feroci Qua-*

*) [Porrecta pro Proiecta Bentleyus praefat. reponi iussit]

- Sub haec puer iam non ut ante mollibus
Lenire verbis impias;
85 Sed dubius unde rumperet silentium,
Misit Thyesteas preces.
VENENA, magnum fas nefasque, non valent
Convertere humanam vicem.
Diris agam vos: dira detestatio
90 Nulla expiatur victima.
Quin, ubi perire iussus exspiravero,
Nocturnus occurram furor;
Petamque voltus umbra curvis unguibus;
Quae vis Deorum est Manium:
95 Et inquietis adsidens praecordiis,
Pavore somnos auferam.
Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens
Contundet obsecaenas anus.
Post insepulta membra different lupi
100 Et Esquilinae alites.
Neque hoc parentis heu mihi superstites
Effugerit spectaculum.

tiens superba motu, Regi minatur ultro. Rectius tamen *superbam pellicem* cum Blandiniis aliisque legeris: Dulcior enim compositio est, et epitheton aptissimum. Auctor Octaviae v. 125. „*Adice his superbam pellicem, nostrae domus Spoliis nitentem.*“

87. *Venena magnum*] Durissimus locus, neque quocumque modo veritas et executias, sententiam commodam praebens: „*Venena, magnum fas nefasque, non valent Convertere humanam vicem.*“ Scio equidem, ut conati sint explicare veteres novique Interpretes; sed, siquid video, laterem laverunt. Neque rectius Rutgersio processit, qui sic corrigebat: „*Venena, magicum fas nefasque, non valent.*“ „hoc est, ait, *Venena, quae totum magorum fas et nefas sunt.*“ Nihil vidi infelicitius: neque enim verba eum sensum, quem concipit, admittunt; neque sensus ipse ullam hic venerem aut elegantiam habet. Multa quidem ipse nequicquam tentavi, quae piget hic referre: tamen ne omnino asymbolus veniam, dicam aliquid; quod, etsi ne mihi quidem placeat, Rutgersiano haud deterius fore credo. Ergo ecce tibi correctionem, qualiscumque est, „*Venena magica fas nefasque non valent*, Non vertere humanas vices.“ *Venena*, ait, *magica*: id enim epitheton necessarium hic videtur: quippe *venena*, per se et absolute posita, non possunt rem magicam denotare. Valerius Flaccus VII, 327. „*Utque procul magicis spirantia tecta venenis, Et saevae patuere fores.*“ *Ea vero*, inquit, *non valent vertere fas et nefas*. Ita Virgilius loquitur Georg. I, 505. „*Quippe ubi fas versum atque nefas; tot bella per orbem, Tam multae scelerum facies.*“ Seneca de Ira II, 8. [c. 9 § 2 Haase] „*Numquid enim singuli aut pauci rupere legem? undique, velut signo dato, ad fas nefasque miscendum coorti sunt.*“ Negat itaque *venena magica*, quamvis possint „*Sistere aquam fluvii, et vertere sidera retro, Vertere et in tacitos juvenilia corpora pisces, Fulminis et rapidi carmine vertere iter,*“ et alia id genus portenta facere; negat, inquam, naturam iusti et iniusti posse itidem *vertere*. Sed obiciēs fortasse cum Lambino et Dacierio, rem aliter se habere, et *veneficia* re ipsa fas nefasque *vertere*, ut *bella et scelera* vertunt apud Virgilium. Verum illud viri docti non animadvertentur,

VI.

IN CASSIUM SEVERUM.

- Quid inmerentis hospites vexas, canis,
 Ignavus adversum lupos?
 Quin huc inanis, si potes, vertis minas,
 Et me remorsurum petis?
 5 Nam qualis aut Molossus aut fulvus Lacon,
 Amica vis pastoribus,
 Agam per altas aure sublata nivis,
 Quaecumque praecedet fera.
 Tu cum timenda voce complesti nemus,
 10 Proiectum odoraris cibum.
 Cave, cave: namque in malos asperrimus
 Parata tollo cornua:
 Qualis Lycambae spretus infido gener,
 Aut acer hostis Bupallo.
 15 An si quis atro dente me petiverit,
 Inultus ut flebo puer?

VII.

AD POPULUM ROMANUM.

- Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
 Aptantur enses conditi?
 Parumne campis atque Neptuno super
 Fusum est Latini sanguinis?

diversis nominibus utrumque verum esse, et quod vertant fas et nefas, et quod non vertant. Vertant quidem, quod ad ipsas veneficas attinet: quippe quibus, ut Senecae verbis utar Controv. II. [§ 8, p. 71, 2 Burs.] *omne fas nefasque lusus est*; quae, ut Tacitus loquitur Hist. II, 56. *in omne fas nefasque avidae sunt et venales*; Quae fas atque nefas exiguo sine libidinum Discernunt avidae; ut de Thracibus Noster Carm. I, 18, 10. Atque ita explicat Servius Virgilii illud [Georg. I, 505, Quippe ubi fas verum atque nefas] „Apud homines scilicet, qui sperant licita, appetentes illicita.“ Non tamen vertunt quoad naturam rerum, et divinam providentiam: ut Virgilius Aen. I, 547. „Si genus humanum et mortalia temeris arma: At sperate deos memores fandi atque nefandi.“ quemadmodum et puer hic humana ope destitutus ad deos ultores se convertit: „Diris agam vos: dira detestatio Nulla expiatur victima.“ Postremo negat veneficia vertere vices humanas, sive effugere posse poenam, quae claudo licet pede scelestos tandem consequitur. *Vices*, ut optime hic Porphyrio, *appellantur poenae, quae in sceleratos reverteruntur*: ut Noster Carm. I, 28, 32. „fors et Debilita iura, vicesque superbae Te maneant ipsum: precibus non linguar inultis, Teque piacula nulla resolvent.“ et Ovidius Trist. III, 11. [v. 67] „Humanaeque memor sortis, quae tollit eosdem Et premit: incertus ipse verere vices.“ Atque haec quidem ideo diximus, ne nihil diceremus. Frustra tamen, opinor, labor omnis impenditur: et fortasse locum spurium et interpolatum curamus, qui sola spongia sanari poterit, nulla alia medicina.

- 5 Non ut superbas invidiae Carthaginis
 Romanus arcis ureret;
 Intactus aut Britannus ut descenderet
 Sacra catenatus via:
 Sed ut, secundum vota Parthorum, sua
 10 Urbs haec periret dextera.
 Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus;
 Numquam nisi in dispar feris.
 Furorne caecos, an rapit vis acrior,
 An culpa? responsum date.

v. 12. Vulg. *Unquam*. 13. *Caecus*.

12. *Unquam nisi in dispar feris*] Ita prima Veneta Editio et Loescheri, cum codicibus melioris notae, in quibus Graevianus et Reginensis Nostri. Leidensis *feras*, unde Nicol. Heinsius ex coniectura, „*Unquam nisi in dispari in fera*.“ Petrensis Noster, „*Unquam nisi in disparibus feris*.“ Editio Veneta anni 1490. „*Numquam nisi in disparibus feris*.“ Miror equidem tot viros eruditos, et praesertim acutissimum Heinsium, non vidisse veritatem adeo in aperto et rudo positam. Quippe sine dubio scripsit Noster; „*Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus*; Numquam, nisi in dispar, feris.“ Cur, inquit, o Romani, non adversus Poenos aut Britannos, sed civis contra civem arma geritis? *ne lupis quidem et leonibus hic mos est, qui numquam feri et saevi sunt, nisi in animal dispar*. Lupus enim in lupum, et leo in leonem mitis est et innocuus. *In dispar*; ut Cicero Tuscul. V, 13. [§ 38] „*Atque earum (bestiarum) quaeque suum tenens munus, cum in disparis animantium vitam transire non possit, manet in lege naturae*.“ Eleganter Iuvenalis Sat. XV, [v. 159] „*Sed iam serpentum maior concordia: parcat Cognatis maculis similis fera: quando leoni Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam Expiravit aper maioris dentibus apris? Indica tigris agit rabida cum tigride pacem Perpetuam: saevis inter se convenit ursis*.“ Plinius Hist. Nat. VII, 1. [§ 5] „*Denique cetera animantia in suo genere probe degunt: congregari videmus et stare contra dissimilia: leonum feritas inter se non dimicat: serpentium morsus non petit serpentes: ne maris quidem beluae ac pisces, nisi in diversa genera, saeviunt*.“ Seneca Epist. 95. [§ 31] „*Non pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno? bella gerere, gerendaque liberis tradere? cum inter se etiam mutis ac feris pax sit*.“ Una omnium locorum sententia est: sed quo Horatii argumento utitur, ne Romanus contra Romanum; eodem illi φιλοσοφώτερον utuntur, ne Homo contra Hominem bella gerat.

13. *Furorne caecus*] Recte quidem *furor caecus*; ut Senecae Herc. Furente v. 991. „*quo se caecus impedit furor?*“ et Thyeste, 27. „*mentes caecus instiget furor*.“ et Oedipode 590. „*Tum torva Erinys sonuit, et caecus Furor*.“ Sed elegans tamen lectio est, quam servat codex Regiae Societatis cum duobus Torrentii, „*Furorne caecos, an rapit vis acrior, An culpa? responsum date*.“ Atque ita plane citat Scholiastes Porphyrio in Editione Veneta MCCCCXC; in recentioribus male mutatum est *caecos in caecus*. Vix dubites, quin ab Horatii manu fuerit; unde enim librariorum tam non vulgarem constructionem? contra, receptam lectionem ex hac procedere proclive iis fuit. *Furorne rapit caecos?* ut Virgil. Aen. II, 357. „*quos improba ventris Eccegit caecos rabies*.“ Statius Theb. III, 630. „*arma Quo rapitis? quae vos Furiarum verbera caecos Exagitant?*“ Noster Serm. II, 3. v. 44. „*Quem mala stultitia et quaecumque inscitia veri Caecum agit*.“ Livius XXVIII, 22. [§ 14] „*Cum caefei urere in vul-*

- 15 Tacent: et albus ora pallor inficit;
 Mentisque percussae stupent.
 Sic est: acerba fata Romanos agunt,
 Scelusque fraternae necis;
 Ut innerentis fluxit in terram Remi
 20 Sacer nepotibus cruor.

VIII.

IN ANUM LIBIDINOSAM.

- Rogare longo putidam te saeculo,
 Vires quid enervet meas?
 Cum sit tibi dens ater, et rugis vetus
 Frontem senectus exaret;
 5 Hietque turpis inter aridas nates
 Podex, velut crudae bovis.
 Sed incitat me pectus, et mammae putres,
 Equina quales ubera;
 Venterque mollis, et femur tumentibus
 10 Exile suris additum.
 Esto beata: funus atque imagines
 Ducant triumphales tuum:
 Nec sit marita quae rotundioribus
 Onusta baccis ambulet.
 15 Quid, quod libelli Stoici inter sericos
 Iacere pulvillos amant?

VII. v. 15. Vulg. *Ora pallor albus.*

nera ac ferrum audaci vecordia ruent. Ceterum illud interpretes nostros sollicitos habet, quid proprie notent, et quomodo inter se differant *furor, vis acrior, et culpa.* Tu, si sapis, sic explicabis et distingues: „*Furor*ne caecos, an rapit vis acrior, *An culpa?*“ hoc est, *utrumne furore et vecordia in bellum civile ruitis, an vi et ira deorum acti, an scientes prudentes et vestra culpa?* Ita Ciris fere apud Virgilium dubitat, utrum fato an casu an culpa in amorem incidit: versu 455. „*Vel fato fuerit nobis haec debita pestis, Vel casu incepto, merita vel denique culpa.*“ ubi obiter corrigendum, *Vel casu in certo. Vis acrior* eadem est, quae *Vis maior.* Gaius in Digest. XIX. Tit. 2. leg. 25. sect. 6. „*Vis maior, quam Graeci θεοῦ βίαι, id est vim divinam, appellant, non debet conductori damnosa esse.*“ Vegetius I, 24. „*Sed ubi vis acrior imminet hostium, tum legitima fossa ambitum convenit munire castrorum.*“ Porro *vis illa maior* opponitur *culpa*: ut hic, *An rapit vis acrior, an culpa?* Digest. XIII, 7, 13. „*Venit in hac actione et dolus et culpa, venit et custodia, vis maior non venit.*“ Ibid. XIII, 7, 30. „*Culpam dumtaxat et praestandam, non vim maiorem.* Tandem autem respondet Horatius, „*Sic est: acerba fata Romanos agunt*“: hoc est, *vi maiore, divina ira, et fatali necessitate haec eveniunt.* Errant hic interpretes.

15. *Et ora pallor albus inficit*] Recte hoc quidem: sed elegantius tamen Editio Loscheri, alio verborum ordine, „*Tacent, et albus ora pallor inficit.*“ Quod et firmant codices nostri Reginensis et Regiae societatis, cum Acrone et edito et manuscripto. Quidni ergo recipiamus?

- Inliterati num minus nervi rigent?
 Minusve languet fascinum?
 Quod ut superbo provoces ab inguine,
 20 Ore adlaborandum est tibi.

IX.

AD MAECENATEM.

- Quando ô repostum Caecubum ad festas dapes,
 Victore lactus Caesare,
 Tecum sub alta (sic Iovi gratum) domo,
 Beate Maecenas, bibam?
 5 Sonante mixtis tibiis carmen lyra,
 Hac Dorium, illis Barbarum:
 Ut nuper; actus cum freto Neptunius
 Dux fugit ustis navibus,
 Minatus Urbi vincla, quae detraxerat
 10 Servis amicus perfidis.
 Romanus (eheu posteri negabitis)
 Emancipatus feminae
 Fert vallum et arma miles, et spadonibus
 Servire rugosis potest:
 15 Interque signa turpe militaria
 Sol aspicit conopium.

v. 1. Vulg. Quando repost. 5. *Mictum.*

17. *Inliterati num minus nervi*] Infeliceiter hunc locum tentavit Nic. Heinsius, hic in libri sui margine, et ad Ovidii Amor. III, 7. v. 67. et infeliciose multo Daceries. Accedo ad Guiceti sententiam, qui notis ad Terentii Andriam IV, 1. [v. 31, p. 34 ed. a. 1657] sic corrigebat: „*Illiterati num minus nervi rigent? Magisve languet fascinum?*“ vel, *illiteratis.* Cur autem si interrogos; non dicam: haud immemor verborum Quintiliani in Institutionibus I, 13. [c. 8 § 6] „*Utiles Tragoediae, alunt et Lyrici: si tamen in his non auctores modo, sed etiam partes operis elogeris. Nam et Graeci licenter multa; et Horatium in quibusdam non lim interpretari.*“

1. *Quando repostum*] Lego ex coniectura elegantissimi Nic. Heinsii: „*Quando O repostum Caecubum ad festas dapes.*“ Illud O facile a praecedente absorberi poterat, et a librariis omitti: restitutum vero mirificam vim et vehementiam sententiae impertit.

5. *Sonante mictum tibiis*] Duo codices notae optimae apud Lambinum habent, „*Sonante mixtis tibiis carmen lyra*“: quod ut ei non displicet, ita mihi quidem prae vulgata placet. Vide nos ad Carm. IV, 1. v. 22. Siquis tamen *mictum* hic maluerit, non admodum pugnabo.

16. *Sol aspicit conopium*] Ita quidem codices: sed scribendum potius *conopium.* Graeci scilicet utrumque habuerunt, *κωνόπιον* et *κωνόπιον*; ut *κρηόπιον* et *κρηόπιον*, *φωμόπιον* et *φωμόπιον*, *κικλόπιον* et *κικλόπιον* et similia. Ergo cum producta est penultima syllaba, scribendum *conopeum*; ut apud Iuvenalem Sat. VI [v. 80] „*Ut testudineo tibi, Lentule, conopeo*“: eum correpta est, *conopium*; ut hic et apud Pro-

Ad hoc frementis verterunt bis mille equos
Galli, canentes Caesarem:
Hostiliumque navium portu latent
20 Puppae sinistrorsum citae.

v. 17. Vulg. Ad hunc.

peritium III, 9. [v. 45] „*Foedaque Tarpeio conopia tendere sacco.*“ Atque hoc placuit etiam sagacissimo Nic. Heinio.

17. *Ad hunc frementis*] Locus difficillimus: *Ad hunc frementis verterunt bis mille equos Galli, canentes Caesarem.* Loscherus et sequentium plerique *ad hunc*, ut Graevianus, et Reginensis nostri cum sex aliis. Editio Veneta *adhuc*, ut Leidensis a prima manu, Bodleianus, et Servius ad Aen. VI, 613. Cruquiani aliquot cum duobus Pulmanni et Zulicheriano ac Vigornensi, *ad huc*. In tanta varietate, omnium pessime rem gerunt, qui *Ad hunc* retineant, et interpretantur *contra Antonium*. Neque enim *Hunc* de Antonio accipere possis, qui nusquam antea hic nominatur, aut describitur: neque *Ad hunc verterunt equos* perinde est ac *adversus hunc*. Omnino enim hic indicatur Gallos hosce fuisse transfugas, et ad Augustum ab Antonio equos vertisse: ut proinde *ab hoc* dicendum fuerit, non *ad hunc*. Servius loco iam laudato: „*Si culpae eos, qui contra fidem datae veniae dimicarunt, tangit Augustum. Nam transierunt ad eum ab Antonio duo millia equitum, per quos est victoriam consecutus; ut Horatius, Adhuc frementis*“ etc. Velleius Paterculus de bello Actiense loquens II, 84. [§ 2] „*Hinc ad Antonium nemo, illinc ad Caesarem quotidie aliquid transfugiebat.*“ Neque multo feliciter se expediunt, qui alteram lectionem sequuntur, „*At huc frementis verterunt bis mille equos.*“ *Huc*, inquit, id est, *ad nos, ad Caesaris partes*. Recte quidem; si curmen hoc in castris Caesarianis praesens scripsisset Noster: is vero tum Romae erat cum Maecenate urbi praefecto. Iam autem quae reliqua est lectio *adhuc*, nullum hactenus factorem invenit; neque sane ullum hic sensum parit. Ea tamen, ni fallor, omnium proxime ad veram scripturam accedit: sic enim legendum arbitror: „*Interque signa turpe militaria Sol aspiciit conopium.*“ *Ad hoc frementis verterunt bis mille equos Galli, canentes Caesarem.* *Ad hoc*, id est, *ad hoc conopium, ad hoc turpe spectaculum*: vel forte, *ad haec*: hoc est, *ad has res*, nempe quod feminae et eunuchis parendum esset, quod inter signa conopeum viseretur, prae indignatione transfugerunt. Noster Epist. I, 19, 45. „*ad haec ego naribus uti Formido.*“ i. e. *ad haec verba*. Naso Pont. I, 3. [v. 9] „*Et iam deficiens, sic ad tua verba revici, Ut solat infuso vena redire mero.*“ Rem vero ipsam optime enarrat Porphyrio; atque ita quidem, ut plane, uti nos nunc legimus, legisse olim videatur. „*Significat,*“ ait, „*equitum Gallorum duo millia ab Antonii partibus ad Caesarem transfugisse: quorum ideo mentio facta est, ut Romanos, qui sub Praepositis spadonibus aequo animo militarent, magis oneraret per comparationem Gallorum, qui hoc dedignati ad Caesarem se contulerunt.*“ Vix est, ut aut aliter scripserit Horatius, aut legerit Porphyrio.

20. *Puppae sinistrorsum citae*] Etiam hic locus omnium interpretum ingenia exercuit, et posthac fortasse exercebit. Neque enim promittere audeamus, nos expositione nostra omnium dubitationibus satisfacturos: idque, quia rerum bello Actiaco gestarum tenuem hodie notitiam habemus. Ut enim nullus iam extat auctor, qui illud equitum Gallorum transfugium memoret, praeter ipsum Horatium: ita et hoc loco rem aliquam tangi existimo, de qua hodie nihil aliunde compertum habemus. Quare laudem aliquam, aut veniam saltem, merebimur: si tentando et divinando aut verum ipsum aut veri quid simillimum eruere poterimus. Aceingamur itaque ad ipsa verba paulatim evolvenda: „*Interque signa turpe militaria Sol aspi-*

cit conopium. Ad hoc frementis verterunt bis mille equos Galli, canentes Caesarem: Hostiliumque navium portu latent Puppae, sinistrorsum citae.“ Ubi primo id novissima emendatione (*ad hoc*) consecuti videmur, ut poetae mentem iam eminus etiam hic odorari valeamus. Vix enim aliter esse potest, quin ut disticho priore *terra*, ita hic *mari* defectionem ab Antonio significet. *Ad hoc*, inquit, Galli defecerunt; *ad hoc* hostiles naves latuerunt in portu, sinistram versus actae. Quod quale sit, mox videbimus. *Puppae*, ait, *navium portu latent*: id more sollemni; puppae enim in littore stantebantur, quo naves expeditis rectis proris et portu exirent; neque opus esset inhibendo remis eas convertere. Notum illud Virgilio [Aen. III, 277 et VI, 901]: „*Ancora de proa iacitur: stant litore puppae.*“ *Citae* autem participium est a *cio* prima correpta; ut contra a *cio citus* primam producit; ab eo *conceitus*, ab hoc *conceitus* deducitur. Cum itaque *puppae navium citae* fuisse dicit: necesse est, ut intelligamus naves retrorsum fuisse actas, ita ut puppae praecederent, prorae sequerentur: quod Graeci *ἠντιπρὸν ἠντιπρὸν*, *puppae ciere*; Latini *inhibere remis* et *retro naves inhibere* dicunt. Id quod plerumque fieri solebat, quoties aut iam classe hostium propinqua navale praelium detrectarent, aut post congressionem fugam pararent. Ita Themistocles apud Iustinum II, 12. Ionas ad defectionem his verbis sollicitat. „*Quin vos in haec nostra castra ex ista obsidione transitis? (sive transfugitis) Aut si hoc parum tulit est; ut vos commisso praelio ite cessim, inhibere remis, et a bello discedite.*“ Ergo hoc tandem in Horatii verbis habemus; Naves aliquot hostium ex praelio vel paullo ante praelium recessisse, et in portu aliquo se condidisse. Iam autem quid *sinistrorsum* hic denotet, non satis liquido apparet. Nescias enim, an forte nautica fuerit locutio, et perinde sit ac *retrorsum inhibere*. Quod si admittatur, iam nulla reliqua erit difficultas. Tutius tamen est hic significatione communi *sinistrorsum* accipere; quia de illa, quae rei nauticae propria fuerit, nihil nunc constat. Ergo *sinistrorsum citae* erunt sinistram partem versus remigio actae. Auctori autem haec Romae scribenti, et pugnae locum in oculis habenti, ad sinistram erant litora Epiri, et promontorium Actium. Quidni ergo sic totum locum interpretemur; ut Antonii aliquot naves ab eo desciscentes retrorsum in puppam remigando fugam capessiverint, et in portum aliquem Actio propinquum ad sinistram se receperint. Nam quod vetus Scholiastes et recentiorum plerique *sinistrorsum* Alexandriam versus exponant, et de navibus Antonium ipsum vehentibus accipiant; id vero cum sequentibus pugnat, neque hic potest consistere. Nesciebat enim tum Horatius, Antonium Alexandriam petiturum, nedum iam tum in *portu* Alexandrino *latere*. Sic enim mox loquitur; „*Aut ille centum nobilem Cretam urbibus Ventis iturus non suis; Exercitatus aut petil Syrtis noto, Aut fertur incerto mari.*“ Quare; aut valde fallor, aut melius est de parte classis Antonianae, quae ab illo transfugerit aut pugnam detrectaverit, verba haec accipere. At dices fortasse, quis Historicorum memoriae id tradidit? Nemo quidem, qui nunc extat: at quot sunt deperditi? quis autem Gallorum equitum defectionem disertis verbis memorat praeter ipsum Horatium? Nam Servius ex Horatio solo habuit, quod ea de re narrat. Satis est, si verba ipsa, quae iam executimus, eo nos recta via ducunt, ut defectionem talem intelligamus. Siquidem et Plutarchus refert in vita Antonii p. 1729. [extr.] Edit. Steph. [c. 63] *τὸ πρὸν τὸν ἠντιπρὸν, καὶ πρὸς ἠντιπρὸν ἠντιπρὸν*, *classem Antonii paullo ante pugnam rem omnem male gessisse, et ubique tarde nimis auxilio adfuisse*. Quod quantumlibet abest a detrectatione praelli? Ceterum quod ex Cruquii libris duobus afferunt, *sinistrorsum citae*, id parvi momenti est; etiam magnos factores habeat. Ipse enim Cruquius fitetur a prima manu eos ipsos codices *citae* exhibuisse; ut sane omnes nostri et aliorum eum editionibus *citae* clare praefereunt.

Io Triumphe; tu moraris aureos
 Currus, et intactas boves.
 Io Triumphe; nec Iugurthino parem
 Bello reportasti ducem;
 25 Neque Africanum, cui super Carthaginem
 Virtus sepulcrum condidit.
 Terra marique victus hostis Punico
 Lugubre mutavit sagum.

v. 25. Vulg. *Africano*.

22. *Currus et intactas boves*] Nic. Heinsius in margine exemplaris sui, *Forte, ait, intactos*. Sed vetat hoc vetustus Grammaticus Valerius Probus p. 1462. „*hic et haec bos huius bovis: Horatius: Intactas boves.*“ Erudite Scholiastes Porphyrio: „*Intactas boves, hoc est indomitas. Non sic dixit, quasi feminis tantum triumphantes sacrificent; sed quia metro quid gratus feminino genere boves, quam masculino.*“ Porro etiam *intactas* habent omnes scripti cum vetustis editionibus.

25. *Neque Africano*] In praeis Editionibus Veneta et Loscheriana sic locus hic exhibetur. „*Io Triumphe, nec Iugurthino parem Bello reportasti ducem; Neque Africanum, cui super Carthaginem Virtus sepulchrum condidit.*“ Neque aliter praefertur Fulmanni Bersmannique et Torrentii et nostri codices. Primus opinor, Aldus Manutius illud alterum inexit; quod deinceps propagatum silentio transmiserunt Lambinus et Cruquius, dissimulata membranarum scriptura: nullus enim dubito, quin illi in suis idem invenerint. Quid vero est *Africano bello*? annon et *Iugurthinum* etiam erat Africanum? Si id voluit Horatius, bello *Punico* dictum oportuit, non *Africano*: quo quidem nomine hoc ab illo distingui non potest. Sed esto hoc: quid deinde erit, quo illud *cui* referatur? *cui bello* in ea constructione necessario accipiendum erit; quo nihil ineptius fingi potest. Recipienda igitur membranarum lectio: *Nec Marium, ait, parem Augusto ducem reportasti, nec Scipionem Africanum*. Illud in terra dubium, et inter interpretes magnopere controversum est; utrum hic velit Scipionem, avuncle an nepotem? et quid ista significant. „*cui super Carthaginem Virtus sepulchrum condidit.*“ Eorum dissidentes sententias videat, cui animus et copia est. Ego vero, utrumcunque Scipionem hic intelligam, longe aliter atque illi faciant, verba explicem. Si maiorem, tum sic velim enarrare: *Cui virtus sua a poeta Ennio decantata sepulchrum condidit, maius clarisque ipsa Carthagine*. Quid vero, inquires, an Ennii poema, utcumque Scipionem praedicet, eius sepulchrum dici potest? Quidni autem, ut Homeri Ilias sepulchrum Hectoris dicitur in Epigrammate, Antholog. III, 14. [ep. 16] *Μή με τάφω σίγῃσι τὸν Ἐκτορα, μηδ' ἐπὶ τύμβω Μίτροι τὸν πάσι; Ἑλλάδος ἀντίπαλον. Ἰλιάς, ἀντίος Ομηρος ἐμοὶ ΤΑΦΟΣ, Ἑλλάς, Ἀγαιοὶ Φεύγοντες, τοῖσιος πᾶσιν ἔχωννί-μεθα*. Ut Lucani Pharsalia Pompeii sepulchrum, Statii in Silv. II, 7. [v. 72] „*Tu Pelusiaci scelus Canopi Deslebis pius, et Pharo superba Pompeio dabis altius sepulchrum*“: Ut Simonidis ceterum sepulchrum naufragi eiusdem Valerio Maximo dicitur, lib. I, 7. [Ext. § 3] „*Memor autem beneficii Simonides elegantissimo eum carmine aeternitati consecravit, melius illi et diuturnius in animis hominum sepulchrum constituit, quam in desertis arenis struxerat.*“ Ita metaphora non dissimili monumentum passim occurrit, ut Noster Carm. III, 30, 1. „*Eccegi monumentum aere perennius.*“ Notes autem velim illa praecipue verba, *altius Pharo, melius et diuturnius quam*: illud enim ipsum est *super Carthaginem*. Silius Italicus de eodem Scipione, lib. IV. [v. 130] „*Nam tibi servantur, in vano [cassa] volatu Mentitur superos praepes, postrema subactae*

Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
 30 Ventis iturus non suis,
 Exercitatas aut petit Syrtis noto,
 Aut fertur incerto mari.
 Capaciores adfer huc, puer, scyphos;
 Aut Chia vina aut Lesbica,
 35 Vel, quod fluentem nauseam coerceat,
 Metire nobis Caecubum.
 Curam metumque Caesaris rerum iuvat
 Dulei Lyaeo solvere.

X.

IN MAEVIUM.

Mala soluta navis exit alite
 Ferens olentem Maevium.

v. 34. Vulg. *Et Chia*.

Fata, puer, Libyae, et maius Carthagine nomen.“ Quod si cui haec minus arrideant, tum is Scipionem Aemilianum maioris nepotem poterit hic intelligere: et deinde, si me audiet, sic levi mutatione locum refinget. „*Neque Africanum, quo super Carthaginem Virtus sepulchrum condidit.*“ ut ordo sit, *Neque Aemilianum, super quo virtus Carthaginem sepulchrum condidit*. Ipsa scilicet Carthago, quam funditus delevit Scipio, sepulchrum eius elegantius dicitur; ut Salamis Themistoelis sepulchrum est in Germanici Epigrammate Antholog. III, 5. [ep. 5] *Ἀντὶ τὰφου λαλοῦ θεῖς Ἑλλάδα, θεῖς δ' ἐπὶ ταύτῃ Λούρατα βερβαρικῆς σύμβολα ναυφορίας. Καὶ τύμβω κρηπίδα περιόρασε Πελοπόννησον, καὶ Σιόνην. τοῖσιος πάντε θεμιστοκλέα. Στάλα δ' ἂ ΣΑΑΑΜΙΣ ἐπιπέσσει, ἔργα λέγονσα Τάμα. τί με σκυφοῖς τὸν μέγαν ἐντίθετε; Ut Europa et Asia Alexandri magni, ibidem [ep. 42] in Epig. Parmenionis: *Τύμβον Ἀλεξάνδρου Μακεδόνος ἦν τις αἰεὶδῃ, ΗΠΕΙΡΟΥΣ κείνον σῆμα λέγ' ἀμφοτέρως*. ubi pro *αἰεὶδῃ canat*, corrigendum obiter *ἐρεῖη, quaerat, interroget*. Ut Graecia tota denique Euripidis sepulchrum est, ibidem III, 25. [ep. 32] *Ἀνῆμα μὲν ΕΛΛΑΣ ἀπᾶς Ἐπιπέδου. δατέα δ' ἴσχυι Γῆ Μακεδόν. ἢ γὰρ δέξεται τέκμα βίον.**

34. *Et Chia vina aut Lesbica*] In vetustis codicibus Torrentii, et Galeano nostro non postremae notae, alia lectio est; quae si distinctione adiuvetur, vulgatae facile palmam praecipiet: „*Capaciores affer huc, puer, scyphos: Aut Chia vina, aut Lesbica, Aut, quod fluentem nauseam coerceat, Metire nobis Caecubum.*“ ubi constructio erit, *Metire aut Chia vina, aut Lesbica, aut Caecubum*: non, ut nunc circumfertur, *Affer Chia aut Lesbica, aut metire Caecubum*. Quis non videt illud elegantius esse? Quin, etiam si *et Chia vina* cum maiore codicum parte legeris, distinctio tamen post *scyphos* ponenda erit; ut sane habet princeps editio Veneta.

1. *Mala soluta navis exit alite*] Apud Marium Victorinum p. 1252. [2525] masculino genere effertur, „*Mala soluta navis exit alite.*“ Sed, praeterquam quod omnes codices et uterque Scholiastes in altera lectione conspirant, ita citatur et Servio ad Eclogam Virgillii III, [v. 90] et Diomedii p. 482. Laetantius ad Statii Theb. lib. III, [v. 64] „*Et te mala protinus ales Qua redeo*“ id est, *malum augurium*. Quotiescumque enim *ales* feminino genere dicitur, *malum portendit augurium*; ut Horatius: *Mala soluta navis exit alite.*“ Retinendum ergo hic genus femininum, tot auctoritatibus fultum. Delirat tamen acumen Grammatici: nam eodem genere et bonum augurium significat. Noster ipse Epod. XVI, 24. „*Sic*

- Ut horridis utrumque verberes latus,
Auster, memento fluctibus.
5 Niger rudentes Eurus, inverso mari,
Fractosque remos differat.
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementis ilices.
Nec sidus atra nocte amicum appareat,
10 Qua tristis Orion cadit:
Quietiore nec feratur aequore
Quam Graia victorum manus;
Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio
In inpnam Aiakis ratem.
15 O quantus instat navitis sudor tuis,
Tibique pallor luteus,
Et illa non virilis eiulatio,
Preces et aversum ad Iovem;
Ionius udo cum remugiens sinus
20 Noto carinam ruperit.

placet? an melius quis habet suadere? secunda Ratem occupare quid moramur alite? Tamen codex optimus Reginensisclare illic praefert, *secundo*. Catullus Epigramm. LXII, [LXI v. 20] „bona cum bona Nubal alite virgo.“

8. *Frangit trementes ilices* Plotio Grammatico veteri sic locus hic citatur, p. 1647. [2647] „*Insurgat Aquilo, quantus altis montibus Frangit trementes ilices.*“ Et sane dulcius quid apud Poetas prae se ferunt Praerita, quam Praesentia: ut Carm. IV, 4, 12. „*Qualem ministrum fulminis alitem — Egit amor dapis atque pugnae.*“ Virgilius [Aen. II, 223]: „*Quales mugitus, fugit cum saucius aram Taurus, et incertam excussit cervicem securim.*“ Neutrum tamen hic admiror, quia iam versu proximo habuit, „*Fractosque remos differat.*“ Equidem *vertit* vel *sternit* vel simile quid dixissem potius, quam bis continenter idem verbum inculcassem.

19. *Ionius udo* Locus hic, ut in Loschori et plerisque editionibus habetur, „*Ionius udo cum remugiens sinus Noto carinam ruperit,*“ nihil videtur difficultatis habere. Recte enim *Ionius sinus*, ut Propertius IV, 6, [v. 16] „*Qua sinus Ioniae murmura condit aquae.*“ et Servius ad Aeneid. III, 211. „*Et sciendum Ionium sinum esse immensum ab Ionia usque ad Siciliam.*“ Recte etiam *udo noto*, ut Statius Silv. I, 6, [v. 78] „*quas udo Numidae rapuere sub Austro.*“ de quo vide plura ad Carm. IV, 5, vers. 9. Editio tamen Veneta, quod et Cruquius ex Blandiniis suis profert et recipit, „*Ionius udo cum remugiens sinu Notus carinam ruperit.*“ Quo nihil unquam frigidius et insulsius vidi. Quid enim est *Ionius Notus*? quis unquam *Notum* eo epitheto donavit? Quod si maxime *Ionius notus* diceretur; tamen ineptum plane esset hoc in loco, quia Maevis in *Ionio mari* iam navigabat. Nam et *Thracicus* quidem *Boreas* diebatur; sed non in Thracia versantibus: et *Notus Libycus*; sed non Afris ipsis, verum aliis inter Libyam et septentrionem degentibus. Et quid iam erit *udo sinu*? sinu velorum, inquit, quid? an *vela* nominaverat antea Noster; ut commode hic subintelligi possint? ut in illo Claudiani mox iterum citando, „*Ionium tegitur velis ventique laborant Tot curvare sinus.*“ Nuga merae. Tolerabilior longe est alia lectio, *Ionius udo cum remugiens sinu Noto carinam ruperit*: quam Torrentius in quatuor codicibus inventam secutus est, ac postea Janus Rutgersius, et iam nuper eruditissimus Baxterus. Ubi constructio erit, *Cum Ionius udo sinu re-*

Opima quod si praeda curvo litore
Proiecta mergos iuveris;
v. 22. Vulg. *Porrecta*.

mugiens noto ruperit carinam. Et *Ionius*, aiunt, absolute pro *Ionio* mari, ut Graecis è *Ιόνιος*. Recte quidem narrant de Graecis, qui et victa oratione et soluta masculinum hic usurpant, subaudito *νότος*. At Latini neutrum magis amant, quippe quibus *mare* subintelligitur. Ovidius Fast. IV, 565. de Cerere: „*Hinc iuit Aegaeum, quo Cycladas aspicit omnes;* Ioniumque rapax *Icariumque legit.*“ Lucanus VI, 27. „*Ioniumque furrens rapido cum tollitur Austro.*“ Claudianus IV, Cons. Honorii v. 209. [461] „*Ionium legitur velis, ventique laborant Tot curvare sinus.*“ et I. Stilich. v. 174. „*Focillum navale daves; sub puppibus ibat Ionium.*“ Nam quod ex Iuvenali citant, ubi masculino genere effertur, Sat. VI, 92. „*Tyrrhenos igitur fluctus, lateque sonantem Pertulit Ionium.*“ aut refingi fortasse debet *lateque sonorum*; aut ex verbo praecedente substantivum sibi adscribere potest *fluctum*; aut certe ob raritatem non temere Horatio adtingendum est. Sed et aliud in hac lectione incommodum est et odiosum: quippe geminus hic ablativus *remugiens sinu Noto* nauseam plane movet. *Noto* enim ablativo casu hic efferri, certo scire poteris ex iis quae ad Carm. III, 10. v. 7. adnotavimus. Retinenda ergo est altera lectio, in qua nihil est quod vel Momus ipse culpet aut fastidiat. Atque eam solam nostri codices universi agnoscunt; nisi quod in Petrensi corrector nescio quis, iratis Musis, hoc inter lineas interserit, „*Ionio udu cum remugiens sinu Notus carinam ruperit.*“

22. *Porrecta mergos iuveris* Iam semel antea in hoc vocabulo librarium incuriam experti sumus, Carm. III, 10. v. 3. et ecce tibi iterum eadem chorda oberrantes. Quantumvis enim ii simul omnes reclamant, meo periculo rescribe, „*Opima quod si praeda curvo litore Proiecta mergos iuveris.*“ Quid enim, amabo, hic facit *Porrecta*? Taecent interpretes novi: sed antiquus rem omnem expedit. „*Porrecta*, ait, *est extenta: ut Virgilius* [G. III, 351], „*Quaque iacet medium Rhodope porrecta sub axem.*“ En cor Zenodoti! sed dic, sodes, quid mergorum intererat, utrum *exlentus*, an incurvatus, et quidem quadrupes constrictus iaceret? Nam utcumque opinor, positi cadaveris rimari et lacerare viscera potuerunt. Sed, ut iam dixi, ab Horatii manu fuit, *Proiecta litore praeda*; hoc est, quae inhumata, insepulta, abiicitur, ut supra Epod. VI, 10. „*Proiectum odoraris cibum.*“ Statius Theb. XII, 749. [739] „*Sic iuvat exanimis proiectaque praeda canesque Degeneresque lupos: magnos alit ira liones.*“ Lucretius III, 890. [882] „*Vivus enim sibi cum proponit quisque futurum, Corpus uti volucres lacerent in morte ferreaeque; Ipse sui miseret; neque enim se vindicat hilum. Nec removet satis a proiecto corpore.*“ et, V. 223. [222] „*Tum porro puer, ut saevius proiectus ab undis Navita, nudus humi iacet.*“ Ovid. Epist. Phyllidis. [Her. II, 135] „*Ad tua me fluctus proiectam littora portant, Occurrantque oculis intumescula tuis.*“ Propertius I, 22. [v. 7] „*Tu proiecta mei perpessa es membra propinqui, Tu nullo miseri contogis ossa solo.*“ Statius Theb. XII, 328. „*proiectus caespide nudo, Ille patriae telluris habes.*“ Lucanus VI, 625. [626] „*pererrat Corpora caesorum, tunulis proiecta negatis.*“ et VII, 565. „*obit latis proiecta cadavera campis.*“ Cicero Tuscul. I, 23. [c. 43 § 104] „*Diogenes proiecisti se iussit inhumatum. Tum amici, Volueribus et feris?*“ Idem de Divinat. I, 27. [§ 56] „*Unum de Simonide: qui cum ignotum quandam proiectum mortuum vidisset, eumque humavisset.*“ Ibidem II, 69. [§ 143] „*Alcibiades cum esset proiectus inhumatus, ab omnibusque desertus iaceret.*“ Quintilianus Declam. VI. [c. 12] „*Rursusque cum dicit lesa; Insepultus abiiciatur: non utique id significat, ut non liceat eum sepeliri, postquam proiectus est.*“ Seneca Epist. XIII. [§ 34] „*Utrum proiectum*

Libidinosus immolabitur caper,
Et agna Tempestatibus.

XI.

AD PETTIUM.

Petti, nihil me, sicut antea, iuvat

aves differant, an consumatur canibus data praeda marinis, quid ad illum? — [§ 35] „Non conterret, inquit, me nec uncus, nec proiecti ad contumeliam cadaveris laceratio, foeda visuris“ — [§ 35] „Quem saevitia proiecerit, dies condet.“ I nunc, et mirare tot eruditos interpretes tam negligenter hic esse versatos. Ceterum codices nostri ad unum omnes iuverit, ut et Torrentii et aliorum cum editionibus vetustis. Solus Lambinus in octo suis, si credibile est, iuveris invenit. Sed undecumque hoc habuerit, sine dubio rectum est; et a Barthii codice Advers. XXXVII, 15. et Aduotatore Cruquiano confirmatur. Iuveris, ait, paveris. Et miror equidem illud alterum placuisse optimo Torrentio; non animadvertenti, si iuverit legamus, tum incertum fore, utrum ipse Maevius, an quisvis alius ex navitis suis, an simul omnes, hic praeda mergorum intelligendi sint. Tollendum igitur illud ambiguum; neque sane aliud ab indoctis librariis expectandum erat, quam ut iuverit hic substituerent; quod vi et lege syntaxeos necessario hic requiri pro eruditione sua crediderunt.

EP. XI. — Pessimum hic flagitium fecit, alioqui de Flacco bene meritus, doctissimus Lambinus. Cum enim antea ubique sic versus hi ederentur, „Petti nihil me, sicut antea, iuvat — Scribere versiculos, amore percussum gravi“: et similiter in Epodo XIII, „Horrida tempestas caelum contraxit, et imbres — Nivesque deducunt Iovem, nunc mare nunc silvae“: primus ille, partim, ut ait, Buchananani auctoritate motus, partim codices quosdam antiquissimos secutus, alternum quemque versum in binos dividit hoc modo, „Scribere versiculos, — Amore percussum gravi“: et, „Nivesque deducunt Iovem, — Nunc mare, nunc silvae.“ et deinceps idem mos in omnibus fere editionibus obtinuit, Dauniis, opinor, Musis prae dolore lacrimantibus. De re ipsa mox videbimus: at quod codices hic nobis obtrudit bonus Lambinus, cras credo, hodie nihil. Cur enim codices quosdam hic univarse memorat male titubans et falsi conscius? cur non singulatum, ut solet, vel Vaticanum, vel Faerni vel alium nominat? certe in omnibus nostris alternus ille versus unicus est, non geminus: atque ita omnes praeter Lambinum in suis repererunt; ita exhibent Loscherus, et Editio princeps Veneta; ita denique Grammatici veteres citant, et Scholiastae confirmant. Rubrica codicum Leidensis et Graeviani sic habet: I. ternarius iambus. II. quadratus compositus a dactylo in iambum. Similiter fere Aeron: Metrum primo versu ternarium iambicum. Secundus ex penthemimeri dactylica et iambica. Alii dicunt esse ternarium iambicum, et II. quadratum a dactylo et iambico. Eorundem et Reginensis Rubrica ad Epod. XIII. I. „ternarius epicus. II. quadratus a iambo in dactylon. At Rubrica Reginensis ad Epodon hunc XI. paullo diversa est: metrum primo versu iambicus ternarius, secundus longa iambicus scanditur ita, „Scribere | versicu | los | amo | re per | culsum | gravi.“ Ubi pro e longa iambicus, quod nullum sensum habet, corrigendum elegoiambicus, ut Cruquius in suis invenit, compositus nempe ex Elegiaco versu et Iambico. Elegiambum, et vicissim lambelegum habes apud Marium Victorinum p. 2592. [extr.] Ιαμβέλειος apud Hephaestionem p. 51. Porro quid in alteris Rubricis et Acone quadratus sibi velit, non omnes, opinor, sciunt. Equidem corruptum esse dico ex Graeco vocabulo per Latinos librarios vitiose scripto,

ΑΣΥΝΑΡΤΗΤΟΣ. Cruquius enim in Blandiniis suis Συναρτητός reperit, sibi minime intellectum. Sed et illic et hic Ασυναρτητος reponendum est; quod quid sit, et totum simul huius Epodi artificium, iam tibi elucidabo. Sub primis Poeticae artis initiis simplici pede versus decurrerant, Heroicus dactylo, Trochaicus et Iambicus uterque suo; nisi ubi, pes omnibus illis cognatus, Spondeus interponebatur, quo versus, ut Noster ait, tardior paullo graviorque ad aures veniret. Postea, ut varietatis gratiam aucuparentur, cola quaedam partes Heroici versus cum colis Trochaici generis vel Iambici, et vicissim, in unum versum miscbant; unde magnus novorum metrorum numero illico nascebatur: quos Graeci magistri Ασυναρτητους, hoc est, inconnexos vocabant; quia alterum colon altero diversi generis connecti et coagmentari non potest, utcumque uno versiculo utrumque sit conclusum. Horum ασυναρτητων numerum ad LXIII usque exurgere narrat Scholiastes Hephaestionis p. 52. [48] et Marius Victorinus p. 2552. Parens autem et inventor horum erat Archilochus. Πρωτος ασυναρτητος Λοχιλοχος κερχηται, ait Hephaestion p. 48. Primus inconnexis versibus Archilochus usus est: ubi et diversa eorum genera profert; quorum ea tantum hic memorabo, quae Flaccus imitatus est. Unum ergo ait (p. 50) constare εκ δακτυλικης τετραποδίας και του Ιθαγαλλικου. hoc est, prius colon esse tetrametrum Heroicum, posterius tres trochaeos; quale illud Archilochi [98 Bergk]; Οὐκ ἐστ' ἄμωσ θάλλεισ ἀπαλὸν χροά | κέρχηται γὰρ ἤδη. quod semel duntaxat Flaccus expressit, Carm. I, 4. „Solvitur aeris hiems grata vice | veris, et Favoni.“ Ubi iterum Cruquius ex Blandiniis suis profert συναρτητός pro ασυναρτητος; atque idem inepte ex duobus colis duos versus constituit in hunc modum, „Solvitur aeris hiems grata vice — Veris et Favoni“: eodem plane errore, quo in hisee Epodis peccavit Lambinus. Ea enim Ασυναρτητων ratio ipsa et definitio est, ut δύο κῶλα ἀνδ' ἐνὸς μόνου παραλαμβάνονται σίχρον, duo cola pro unico versu accipiuntur: p. 48. Alterum Archilochi ασυναρτητων (p. 51) constabat εκ δακτυλικου πενθημιμερουσ, και ιαμβικου διμετρον ἀκατάληκτον, sive prius colon erat pars Elegiaci, posterius pars Iambici; quale illud, Ἀλλὰ μ' ὁ λωσιμέλης | ὦ τείρε δάμναται πόθος. et ad hoc exemplum semel tantum decurrit Horatius in hoc ipso Epodo XI. „Scribere versiculos | amore percussum gravi.“ Tertium autem Asynarteti genus, quale nullum ex Archilocho profert Hephaestion, est illud Epodi XIII; ubi ordine inverso, pars Iambici praecedit, et pars Elegiaci subsequitur; tamquam si scriberes, ὦ τείρε δάμναται πόθος | ἀλλὰ μ' ὁ λωσιμέλης. Nivesque deducunt Iovem | nunc mare nunc silvae. Occasionem de die | dumque virent genua. Utrum autem hoc invenerit Horatius, an ex Archilochi acceperit, nescias hodie; quandoquidem huius opera ad nostram aetatem non perennaverunt. Si Attilio Fortunatiano credis, Horatii inventum est: sic enim ait p. 2684. „Omnia metra variantur — aut permutatione, tamquam Occasionem de die | dumque virent genua. Nam cum Archilochus Heroi partem priorem cum Iambici priore parte composuerit, ita ut antecederet Heroem, in hunc modum; „Scribere versiculos | amore percussum gravi“: Horatius immutavit, ut antecederet Iambici pars, sequeretur Heroi, sic; Occasionem de die | dumque virent genua.“ Eadem fere habes apud eundem p. 2699. Tamen, opinor, Horatio ipsi de se potior fides habenda est; qui clare negat se ullius carminis modos immutasse, Epist. I, 19, 23. „Parios ego primus Iambos ostendi Latio, numeros animosque secutus Archilochi, non res et agentia verba Lycamben. Ac ne me foliis ideo brevioribus ornes, Quod timui mutare modos et carminis artem.“ Et certe hunc ipsum versus Archilochium vocat Diomedes p. 515. et Scholiastes Blandinius de Metris apud Cruquium in fine libri. Sed utcumque hoc fuerit; utrumque Epodon, et hunc XI, et alterum XIII, alternos versus Ασυναρτητους habere, ex duobus colis constantes; atque ea cola intra unum versiculum concludenda esse, non, ut

Scribere versiculos, amore percussum gravi;

v. 2. Vulg. *Percussum*. Vide Notas.

Lambinus voluit, in binos dissecanda, iam certo, puto, compertum tibi est, ex iis quae modo attulimus. Atque illis concinunt omnes ubique Grammatici, quotiescumque de his metris agunt, ut Diomedes p. 511. et 528; Marius Victorinus p. 2549, 2619, 2622, et Attilius Fortunatianus p. 2706. Sic et auctor carminis de Pasiphaë (apud Blandinium de Metris scriptorem, et Pithoem [v. supra post vitam Horatii]) quo omnia Horatiana metra eleganter complexus est, singulis versibus singula Asynarteta exhibuit, [21 et 22] „*Cecropides invenis | quem percussit fractum manu, Filo resolvens Cnossiae | tristia tecta domus.*“ Denique disertissimus ille de Metris scriptor, Terentianus Maurus, in ipso fine operis, ex duobus colis *unum versum fieri* bis clare testatur; cuius locum, ob singularem viri auctoritatem et elegantiam, integrum hic subiiciam; ubi de Flacco loquitur, „*Nec non trimetro talem Epodum comparat. Pentametri partem dactylicam subicit, Atque dimetron ad hoc;* | unumque versum reddidit: Petti, nihil me, sicut antea, iuvat Scribere versiculos | amore percussum gravi. *Semelque et istud functus est. Idemque Epodon non trimetro reddidit: Sed versum heroum voluit praemittere totum, Dein dimetrum conlocat | commaque dactylicum; Et hic, ut ante, versus unus ul foret:* Horrida tempestas caelum contraxit, et imbres Nivesque deducunt Iovem | nunc mare nunc silluae.“ Quid ergo? iamne vides, in quanta harum rerum ignorantia versati sint, qui per integrum iam seculum, duce Lambino, editiones suas hoc emblemate dehonestarunt. Nam quod arguit optimus Torrensius; si unico versum duo cola illa concludantur, inverecunde nimis Flaccum nunc brevem syllabam produxisse, nunc vocalem ante vocalem non abieciisse, ut in illis [XI, 10], „*Arguit et latere | petitus imo spiritus.*“ [v. 14] „*Fervidione mero | arcana promorat loco.*“ [XIII, 10] „*Levare diris petora | sollicitudinibus*“, in eo ostendit se versus *Ἀσυναρτήτων* indolem non omnino percepisse. Diserte enim docet Hephaestion, optimus metrorum auctor, syllabam ultimam prioris coli perinde esse communem, ac si integrum Hexametrum vel Iambicum clauderet: unde et Archilochum ait in illo, de quo iam egimus, Asynarteto, *Ὀὐκ ἔσ' ἄνωγς θάλλεις ἰακάλων ζῴα | κάογεται γὰρ ἕδγ.*, etiam Creticum pedem *διὰ τὴν ἐπὶ τέλους ἀδιόγορον* pro dactylo posuisse, ut in hoc [114 Bergk], *Καὶ ζήσας ἀέρος θρασυπάλους | ὀλος ἤν' ἐγ' ἕδγ.* Vides tamen nihilo minus, tam haec cola apud Archilochum, quam illa apud Flaccum, in unum versum coalescere.

2. *Amore percussum gravi*] Editio Loscheri, et Veneta anni 1490. *percussum*. At Veneta princeps *percussum*, quod postea in omnibus ferme obtinuit. Variant etiam et scripti codices: vetustiores nostri ab hac parte stant; Petrensis, et Regiae Societatis a Loschero; atque ita tres Torrensii, quorum unum longe optimum fuisse praedicat. Ceteri interpretes tacent; non quod in omnibus suis *percussum* invenerint; cave istud credas: sed quod aut neglegenter eos versaverint, aut alteram lectionem crederint memoratu indignam. Quippe haec duo vocabula nusquam non confuderunt librarii: ut in Lucretio, Virgilio, Ovidii membranarum eruditi viri adnotarunt. Quin et Grammaticis locus hic ambigue citatur. Apud Diomedem p. 527. [528] habetur *percussum*; at ibidem p. 511. *percussum*; ut et apud Marius Victorinum p. 2549, 2619, 2622. et Attilium Fortunatianum p. 2684, 2690. Rursus tamen apud Attilium *percussum* extat p. 2706. et Terentianum Maurum p. 2450. Utram iam harum praeferas? nam utraque aequali fere auctortate nititur, utraque sic satis apta sententiae est; ut elegante aliquo formarum spectatore sit opus, qui venustiore ex iis seligere possit. Si Agroetio et Bedae credis, *percussum* ad corpus, *percussum* ad animum refertur. Hanc differentiam pueri olim omnes in ludis docebantur; unde, ut opinor, hic et ubicumque de *animo* agitur, *percussum*

Amore, qui me praeter omnis expetit
Mollibus in pueris aut in puellis urere.
5 Hic tertius December, ex quo destiti
Inachia furere, silvis honorem decuit.
Heu me, per Urbem (nam pudet tanti mali)
Fabula quanta fui! conviviorum ut poenitet,
In quis amantem et languor et silentium
10 Arguit, et latere petitus imo spiritus!
Contrane lucreum nil valere candidum
Pauperis ingenium, querebar adplorans tibi;
v. 8. Vulg. *Et poen.*

toties inferserunt erudituli Librarii. Sed hoc ineptum est, et triviale magistorum commentum. Utrumque enim de utroque dicitur, de *corpore* proprie, de *animo* *μεταγοριζῶς*. *Percellere* tamen maius quid quam *percute* significat; tanta scilicet vi percutere, ut evertas et solo prosternas. Terentius Eunucho II, 3. [v. 88] „*Quo trudis? perculeris iam tu me.*“ Cato apud Gellium II, 22. [§ 29] „*Ventus Circius, cum loquere, buccam implet; armatum hominem, plaustrum oneratum percellit.*“ Virgil. Aen. V, 374. „*victorem immani corpore Buten Perculit, et fulva moribundum extendit arena.*“ Ergo in re graviore *percussus* aptius vocabulum est; *percussus terrore, metu, formidine, clade, ruina, damno, discordiis*, passim in auctoribus occurrunt. Contra, in leviori affectu *percussus* potius dixeris; ubi animus scilicet est *ictus, saucius*; non eversus tamen et consternatus. Recte itaque apud Nostrum Epod. VII, 16. „*Tacent, et albus ora pallor inficit: Mentisque percussae stupent*“: etsi ibi quoque Battelianus codex, *percussae*. Et recte vicissim in hoc loco, „*Scribere versiculos, amore percussum gravi.*“ Virgilius Georg. II, 476. de Musis, „*Quarum sacra fero, ingenti percussus amore.*“ et Aen. IX, 197. „*Obstupuit magno laudum percussus amore.*“ ut utrobique praefert accuratissima Nic. Heinsii editio, et confirmant vetustissimi codices apud Pierium. Vulgo *percussus* ibi circumfertur. Statius Thebaide IV, 260. „*Prosilit audaci Martis percussus amore.*“ Lucretius I, 921. [923] „*sed acri Percussit thyrsu laudis spes magna meum cor.*“ Noster Carm. IV, 5, 15. „*Sic desiderii ieta fidelibus Quaerit patria Caesarem.*“ Lucretius V, 1074. [1075] „*Pinnigeri saevit calcaribus ictus amoris.*“ Ennius in Medea [Fragm. I v. ult. Ribb. et Vahl.]: *Medea, animo aegra, amore saevo saucia.*“ Lucretius IV, 1041. [1048] „*Idque petit corpus mens, unde est saucia amore.*“ Virgilius Aen. IV, 1. „*At regina, gravi iam dudum saucia cura, Vulnus alit venis, et caeco carpitur igni.*“

4. *Mollibus in pueris*] Non placet illud *in pueris in puellis*: ubi praepositio geminata otiosa et clumbis videtur. Scripserat, opinor, Auctor, „*Mollibus aut pueris, aut in puellis urere.*“ quod mutarunt Librarii, quia in priore membro desiderari praepositionem credebant: quae tamen eleganter abesse solet, ut ostendi ad illud, Carm. III, 25, 2. „*quae nemora, aut quos agor in specus.*“

7. *Heu me! per Urbem*] Theodorus Marcilius corrigebat, *Heu mi*, sive *heu mihi*. Credo, quia alicubi apud Plautum sic editum est. Sed nihil hic mutandum. Terent. Andr. IV, 1. [v. 22] „*Heu me miserum, qui tuum animum ex animo spectavi meo.*“ Seneca in Troadibus 681. [684] „*Repellor? heu me! rumpe fatorum moras.*“ et Herc. Octavo v. 1761. „*Anilis, heu me! recipit Alciden sinus.*“ et Octavia v. 32. „*Coniugis, heu me! pater insidiis Oppresse iaces.*“ Graeci tamen *οἴου* casu dativo offerunt.

8. *Conviviorum et poenitet*] In Magdalenensi deest *et*; in Lambini quibusdam ponitur ante *conviviorum*. Apud Plotium Grammaticum veterem

- Simul calentis inverecundus Deus
 Fervidiore mero arcana promorat loco.
 15 Quod si meis inaequet praecordiis
 Libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat
 Fomenta, vulnus nil malum levantia;
 Desinet imparibus certare submotus pudor.
 Ubi haec severus te palam laudaveram;
 20 Iussus abire domum, ferebar incerto pede
 Ad non amicos heu mihi postis et heu
 Limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
 Nunc gloriantis quamlibet mulierculam
 Vincere mollitiae amor Lycisci me tenet:
 25 Unde expedire non amicorum queant
 Libera consilia, nec contumeliae graves;
 Sed alius ardor aut puellae candidae,
 Aut terefis pueri longam renodantis comam.

XII.

- Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?
 Munera quid mihi, quidve tabellas
 Mittis, nec firmo iuveni, neque naris obesae?
 Namque sagacius unus odoror,
 5 Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis,
 Quam canis acer, ubi lateat sus.
 Qui sudor vietis, et quam malus undique membris
 Crescit odor! cum pene soluto
 Indomitam properat rabiem sedare; neque illi
 10 Iam manet humida creta, colorque

v. 24. Vulg. *Mollitia*. 2. *Cur mihi*. 7. *Quis sodor*. 9. *Nec*.

p. 2662. sic editum est, *Conviviorum poenitet*. Nos unius literulae mutatione languentem et iscentem sententiam creximus in hunc modum: „*Fabula quanta fui! conviviorum ut poenitet!*“ Neque dubites, quin auctor ita scripserit, licet centum librarii vel iurati negaverint.

24. *Vincere mollitia amor*] Ita editi omnes: sed Zulichemianus noster, et a prima manu, ut videtur, Graevianus, „*Vincere mollitiae amor Lycisci me tenet*“ quod recipimus, ut evitetur vastus ille et inconditus sonus a a: sic et alibi Serm. II, 2, 87. *mollitiam dixit, non mollitiam*.

2. *Munera cur mihi, quidve tabellas*] Sic extat in editione prima Veneta et Loscheri: at in ~~alio~~ anni 1490 est *cur mihi curve*. Aeron manuscriptus, habet *quid mihi curve*; at editus *quid mihi quidve*: atque ita citat Marius Victorinus p. 2619. Neque aliter codices nostri Reginensis, Magdalenensis, et Regiae Societatis, et unus Gulielmi Canteri. Revocamus ergo ut omnium simplicissimum et elegantissimum, „*Munera quid mihi, quidve tabellas*“.

7. *Quis sudor vietis*] Lege *Qui sudor*; ut praeter sex Torrentii, Graevianus noster, Leidensis, Reginensis cum tribus aliis. Praeterea in versu proximo *creseat* habet editio Loscheri, et codex Galei, et a prima manu Graevianus; hoc est, *odoror, qui sudor creseat*. Sed taedet harum sordium: et sane hoc carmen indignum est, quod aut emendetur, aut legatur.

- Stercore fucatus crocodili; iamque subando
 Tenta cubilia tectaque rumpit.
 Vel mea cum saevis agitat fastidia verbis:
 Inachia langues minus ac me:
 15 Inachiam ter nocte potes; mihi semper ad unum
 Mollis opus. pereat male, quae te
 Lesbia quaerenti taurum monstravit inertem:
 Cum mihi Cous adesset Amyntas;
 Cuius in indomito constantior inguine nervus,
 20 Quam nova collibus arbor inhaeret.
 Muricibus Tyriis iteratae vellera lanæ
 Cui properabantur? tibi nempe:
 Ne foret aequalis inter conviva, magis quem
 Diligeret mulier sua, quam te.
 25 O ego non felix, quam tu fugis, ut pavet acris
 Agna lupos, capreaeque leones.

XIII.

A D A M I C U M.

- Horrida tempestas caelum contraxit; et imbres
 Nivesque deducunt Iovem: nunc mare, nunc siltiae
 Threicio Aquilone sonant. rapiamus, amice,
 Occasionem de die: dumque virent genua,
 5 Et decet, obducta solvatur fronte senectus.
 Tu vina Torquato move consule pressa meo.
 Cetera mitte loqui: Deus haec fortasse benigna
 Reducet in sedem vice. nunc et Achaemenio
 v. 2. De Metro vide Notas. 3. Vulg. *Amici*. 8. *Achaemenia*.

25. *O ego non felix*] Codices quidam tam aliorum quam nostri, sed ii non ultimae vetustatis, *O ego infelix*; et sic hic versus citatur Charisio p. 131. Servio De ultimis syllabis p. 1802. et Martiano Capellae p. 64. [III § 278]. Sed nihil mutandum. Auctor de morte Drusi v. 145. „*Iamne ego non felix? iam pars mihi rapta Neronum*“ Ausonius, de Ambiguitate vitae [Idyll. XV, 25] „*sic nempe pudicum Perdidit Hippolytum non felix cura pudoris*“ Sabinus, Epistola Demophoontis [v. 77], „*Et iam non felix amine Demophoon*“ Prudentius Peristeph. V, 42. „*Audesne non felix, ait, Ius hoc deorum et principum Violare verbis asperis?*“

XIII. De huius carminis metro vide quae iam diximus ad Epod. XI.

3. *Rapiamus, amice*] Legendum apparet, quamvis magna pertinacia codices scripti refragantur, „*rapiamus, amice, Occasionem de die*“ *Non enim* plures, *sed unum hic alloquitur*, cui adversi aliquid acciderat; ut ex sequentibus constat: „*Tu vina Torquato move Consule pressa meo: Cetera mitte loqui. Deus haec fortasse*“ etc.

8. *Nunc et Achaemenia*] Primus, ut credo, Aldus Manutius *Achaemenia* edidit; a quo in posteriores editiones receptum est. Vide autem hic supinam tot interpretum negligentiam: quorum ne unus quidem ullam lectionis varietatem notat. Atqui praeter veteres ante Aldum editiones et Aeronem Scholiastam, omnes nostri codices sine ulla litura *Achaemenio* hic

- Perfundi nardo iuvat, et fide Cyllenea
 10 Levare duris pectora sollicitudinibus:
 Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno;
 Invicte, mortalis Dea nate puer Thetide,
 Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
 Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois:
 15 Unde tibi reditum certo subtemine Parcae
 Rupere; nec mater domum caerulea te revehet.

v. 10. Vulg. *Diris*.

exhibent. Neque fas est dubitare, quin in illorum codicibus idem haberetur, male silentio praetermissum. Recte autem *Achaemenio nardo* genere neutro, ut Noster alibi Epod. V, 59. „Nardo *perunctum*, quale non perfectius Meae laborarint manus.“ Tibullus II, 2. [v. 7] „*Illius puro distillant tempora nardo*.“ Celsus lib. V. cap. 11. „*Juncus quadratus*, nardum, *cinnamomum*“, atque ita alii saepe. Ideo autem genus neutrum faeminino hic praetulit Auctor, ut vitaret insuavem homoeoteleuti sonum in fine versus: „*Reducet in sedem vice, nunc et Achaemenio Perfundi nardo iuvat: et fide Cyllenea*.“ Scribe enim cum vulgatis, *Achaemenia, Cyllenea*; et aurem tuam, nisi hebes et stolidus es, verberari et offendi senties.

10. *Levare diris pectora*] *Dirus* pro *durus* non semel substituerunt osecitantes librarii, ut supra Carm. III, 24, 6. *dira necessitas*: et nunc quoque *diras sollicitudines* nobis obtrudunt, pro *duris*, ut clare exhibet codex noster Galeanus et editio Loscheri: „*Levare duris pectora sollicitudinibus*.“ Sic Virgilius Aen. IV, 488. „*ast aliis duras immittere curas*.“ Nemesianus Eclog. I, 59. „*duras docuisti fallere curas*.“ Noster Carm. II, 13, 27. „*dura navis Dura fugae mala, dura belli*.“ et Carm. I, 18, 3. „*Siccis omnia nam dura deus proposuit, neque Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines*.“

12. *Invicte mortalis*] Risum hic movent Interpretes, cetera tamen eruditi; qui haec duo *Invicte mortalis*, constructione iungunt: credo, ut Plautus olim *mortalem malum, mortalem catum, aut lepidum* dixit. Quo nihil hoc quidem in loco putidius ineptiusve excogitari potest. Tu vero sic divide verba et distingue, „*Invicte, mortalis dea nate puer Thetide*.“ hoc est, *qui natus es et mortalis matre licet immortalis*. Quaesitum est ab Horatio illud antitheton, et sane elegantissimum est. Ita Lucretius III, 883 [869] „*Mortalem vitam mors cui immortalis ademil*.“ Sophocles apud Dicaeorchum [frgm. 778 Dind]: *Θήβας λέγεις μοι, τὰς πύλας ἑπταπόρου, Οὐ δὲ μόνον εἰσεῖναι αὐ θνητὴ θεοῖς*. *Invicte* autem per se absolute positum erit; ut Virgilio Aen. VI, 365 „*Eripe me his, invicte, malis*.“ et VIII, 293. „*tu nubigenas, invicte, bimembres Hylaeamque Pholomque manu*.“ et Claudiano de Nuptiis Honorii v. 336. „*Quod gener est, invicte, tuus*.“

13. *Quam frigida parvi*] *Parvi* habent codices omnes, qui hodie extant. Sed Scholiastes Cruquii variantem lectionem suggerit, „*Parvi*, ait, *id est, exigui, aut si pravi legas, id est, tortuosi, non recti, sinuosi*.“ Ubi nimis quam ineptum illud *parvi*; sed eo excitatus elegantissimus Nic. Heinsius, *flavi* ex coniectura reponēbat. Et *flavus* quidem *Scamander*, ut *flavus Tiberis*: sed *frigida flavi* ob eiusdem literae concursum scabre et dure exhibit. Nos, si quid mutatum vellemus, sic propius ad vulgatum reponeremus, „*Quam frigida prona Findunt Scamandri flumina*“; ut *pronus rivus, pronus annis* passim. Sed nihil sollicitandum.

15. *Certo subtemine Parcae*] *Parcarum subtemen certum* erat; id in confesso est: ut Auctor Consolationis ad Liviam v. 240. „*Quondam ego tentavi Clothoae duasque sorores, Pollice quae certo pensa severa trahunt*.“ Illud tamen inquirendum est, an epitheton illud generale loco huic atque sententiae apte et ad amussim respondeat. Singula itaque verba ex-

Illic omne malum vino cantuque levato,
 Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.

pende, et videbis forte *ἑπιούριον* quiddam et insincera hic subesse. Quippe *rupere reditum subtemine* durissima videtur locutio; nisi *subtemine* epitheto quoque iuvetur, quod affinitatem aliquam cum *rupere* habeat. Atqui illud certo nihil omnino ad *abruptionem* facit. Quo, opinor, argumento inductus, vir eruditissimus Achilles Staius, in Notis ad Tibulli lib. III. Eleg. 3. [v. 35] *secto* reponēbat pro *certo*. *Rupere secto subtemine*, id quidem epitheton sententiam prius hiantem satis apte conglutinat; verum illud habet incommodum, quod iam tum mortuum nobis Achillem exhibeat, priusquam Troiam proficiscatur. Quippe si iam *sectum* erat subtemen, cum Chiron haec loquitur; apud inferos haec Achilli fabuletur, necesse est. Semel enim *secto* uniuscuiusque filo, illico eundem est *illuc, unde negant redire quemquam*. Quamobrem vide, si non alio vocabulo, quod neque a vulgata lectione tantum abscedat, neque ullum eiusmodi incommodum secum trahat, refingi possit locus in hunc modum: „*Unde tibi reditum certo subtemine Parcae Rupere*.“ In voce *certus* saepius peccatum est a Librariis, dum modo *curvus*, modo *certus* pro eo substituunt; de quo vide Nic. Heinsium ad Ovidii Fastos II, 408 et 645. *Unde Parcae*, ait, *rupere tibi reditum brevi vitae tuae stamine*. Contra Iuvenalis Sat. X, 252. de Nestore, „*Attendas quantum de legibus ipse queratur Fatorum, et nimio de stamine*.“ Quod si ne hoc quidem tibi placeat; tum, si me audies, vulgatam lectionem sic explicabis; ut *subtemine* non ad *rupere*, sed ad *Parcae* referatur. *Parcae certo subtemine*, id est, *quae certum stamen nere solent*, absolute et per defectiōnem dictum, ut Macrobius loquitur Saturnal. VI, 8. [§ 2]. Sic Virgilius, Aen. III, 618. „*domus senie dapi-busque cruentis*.“ VII, 187. „*Ipsae Quirinam lituo*.“ I, 171. „*Intus aquae dulces, vivoque sedilia sacro*.“ atque alia id genus plura.

18. *Aegrimoniae dulcibus alloquiis*] Ita quidem exhibent codices scripti, tam aliorum quam nostri; neque in ullo vidi coniunctionem et additam, nisi inter lineas, ut habent Battelianus, Regiae Societatis, Graevianus, Reginensis. Solus Magdalenensis in ipso versu perperam statuit, „*Dulcibusque alloquiis*.“ Ergo haec lectione admissa, necessario cum interpretibus explicandum erit, „*Vino cantuque alloquiis* (sive quae alloquia et solatia sunt) *deformis aegrimoniae*.“ Et sic quidem Graeci *παράκλησιον ἀνείχια, παρακλήσιον χαροποιήσις* etc. *alloquium infortunii, egestatis*. Sed non opinor tam quaerendum est, quid Graeci dicere ausi sint, quam quid Romanorum aures severiores propitiae accipere possint. Neque vero unum hic adducere locum Latini scriptoris, quo *aegrimoniae alloquium* aut simile quid reperitur. Sane *alloqui* est *solari*, et *alloquium* et *alloquutio* est *consolatio*; sed ea semper ad personam aegram referuntur, numquam (ut hic voluit) ad aegritudinem ipsam. Sic in iis quae citant, Senecae et Catulli, [Sen. Troad. 622] „*Alios parentes alloqui in luctu decet, Tibi gratulandum est*.“ [Cat. XXXVIII, 5] „*Quem tu quod minimum facillimumque est. Qua solatus es allocutione*“ et illo Statii Theb. VI, 47. „*solatur Atraxus Alloquiis genitorem ultro*.“ et XI, 197. „*Cooperat et leni genitor mulcere furentem* Alloquio.“ in his, ut vides, non *alloqui luctum, alloqui furorem* dicitur; sed personas lugentes et parentes. Ut profecto magis ex linguae Latinae usu fuerit; si et vel ac interiecto sic legeretur, „*Illic omne malum vino cantuque levato Deformis aegrimoniae, ac dulcibus alloquiis*.“ Et facile quidem *A e* a praecedentibus *A e* absorberi poterant; et alioqui sollemne est Librariis omittere particulas, ubi in versus scansione necessariae non sunt. Iam autem constructio erit, „*Illic levato omne malum aegrimoniae vino cantuque ac dulcibus alloquiis*.“ *Malum aegrimoniae*, ut Carm. II, 13, 27. „*dura navis, Dura fugae mala, dura belli*.“ *Dulcibus vero alloquiis* quid hic denotent, iam

XIV.

AD MAECENATEM.

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
 Oblivionem sensibus,
 Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
 Arente fauce traxerim,
 5 Candide Maecenas, occidis saepe rogando:
 Deus, Deus nam me vetat

considerandum. Et primo commode interpretari possis, *dulcibus* sodalium *alloquitur*; neque enim solus, opinor, et sine conviva *vino* se invitaverit Achilles. Quippe iocosis sodalium confabulationibus miscenda et temperanda erant Bacchi munera: ut Noster Carm. I, 27, 10. „*dicat Opuntiae Frater Megillae, quo beatus Vulnere, qua pereat sagitta. Cessat voluntas? non alia bibam Mercede.*“ Atque ita Serm. I, 5, 70. Sarmeni, ait, et Cicerri facetiis exhilarati, „*Prorsus iucunde caenam producimur illam.*“ et Serm. II, 6, 67. *suaves sermones inter vina spargebantur; „prout cuique libido est, Siccet inaequales calices conviva, solutus Legibus insanis, seu quis capit acria fortis Pocula, seu modicis uvescit lactius. Ergo Sermo oritur, non de villis domibusve alienis“* etc. Ergo praeter vinum et cantum, *dulcia* etiam *alloquia* in maeroris solatium bene hic advocat Chiron: plane ut Valerius Flaccus I, 251. „*Hanc vero, o Socii, venientem in litore laeti Dulcibus alloquiis et ludo educite noctem.*“ Nec multum absimile illud Ausonii in Protreptico [Idyll IV, 23]: „*Sic neque Peliden terreat Achillea Chiron Thessalico permixtus equo; nec pinifer Atlas Amphitryoniaden puerum: sed blandus uterque Mitibus alloquiis teneros mulebat alumnos.*“ et eiusdem Valerii VII, 373. „*Dat dextram vocemque Venus, blandisque parentem Alloquiis, iunctoque trahit per moenia passu.*“ Vel secundo intelligere poteris, *dulcibus* mulierum *alloquitur*, blandis susurris, *ἐνταῖς Ὀπίσμοις*: ut Venerem ipsam verecunde his verbis obumbret. Ergo tria hic aegritoniae remedia proponuntur, *vinum, cantus, et Venus*. Quae similiter una iungit et Ovidius Amor. III, 10. [v. 45] „*Cur ego sim tristis, cum sit tibi nata reperta, Regnaque, quam Iuno, sorte minore regat? Festa dies Veneremque vocat, cantusque, merumque: Hanc decet ad dominos munera ferre deos.*“ Et, quod maius est, ipsa Thetis hoc Achilli consilium dedit, ut ad sollicitudines levandas conviviis et Venero uteretur, Iliad. Ω. v. 130. *Τέρον ἐὼν, τέῳ μέγρις ὀδυρόμνος καὶ ἀρείων Σὴν ἰδεῖαι κραδίην, μεμνημένος οὔτε τι σίου, Οὐτὶ ἰώνης; ἀγαθὸν δὲ γυναῖκι περ ἐν φιλότῃ Μίγαγεσθαι.* Sic et Noster Carm. I, 9, 17. amico suo consultit, ut *Donec virenti canities abest morosa* (plane ut hic, *Dumque virent genua, et decet*) non sperneret *merum, nec choreas, nec dulces amores, nec lenes sub noctem susurros*. Tales intellexit Statius Silv. II, 1. de Glaucia Melioris puero, v. 232. „*Tu pectora mulco, Tu prohibe manare genas; noctesque beatas Dulcibus alloquiis, et vivis vultibus imple.*“

3. *Ut si ducentia somnos*] *Ut si* habent Editio princeps, codex Regi-nensis a manu prima, Petrensis, et Bodleianus. Sed Loscherus cum Mag-dalenensi et Battelfiano, *Pocula Lethaeos* veluti *ducentia somnos*: Grae-vianus *perperam, Lethaeos uti ducentia*; et Galeanus, *uti si duc*. Reti-nemus vulgatam *ut si*. Sic alibi Serm. I, 1. v. 46. „*ut si Reticulum panis venales inter onusto Forte vehas humero.*“ Et vers. 90. „*ut si quis asellum In campum doceat parentem currere fraenis.*“ et II, 8. v. 58. „*Rufusposito capite, ut si Filius immaturus obisset, flere.*“ Ceterum

Inceptos, olim promissum carmen, Iambos
 Ad umbilicum adducere.
 Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
 10 Anacreonta Teium,
 Qui persaepe cava testudine flevit amorem
 Non elaboratum ad pedem.
 Ureris ipse miser: quod si non pulchrior ignis
 Accendit obsessam Ilion,
 15 Gaude sorte tua. me libertina, neque uno
 Contenta, Phryne macerat.

XV.

AD NEAERAM.

Nox erat, et caelo fulgebat luna sereno
 Inter minora sidera;
 Cum tu magnorum numen laesura Deorum
 In verba iurabas mea,
 5 Aretius atque edera procer astringitur ilex,
 Lentis adhaerens brachiis:
 Dum pecori lupus, et nautis infestus Orion
 Turbarit hibernum mare,
 Intonsosque agitarit Apollinis aura capillos,
 10 Fore hunc amorem mutuum:

XV, v. 8. Vulg. *Turbaret. 9. Agitaret.*

versum hic septimum, „*Inceptos olim promissum carmen Iambos,*“ de hoc toto libro accipe, qui nunc Epodon inscribitur: quod miror interpretes non animadvertisse. Sic Epist. I, 19, 23. „*Parios ego primos Iambos Ostendi Latio.*“ et Epist. II, 2. v. 59. „*Carminibus tu gaudes, hic delectatur Iambis.*“ Utrobique intelligit librum hunc Epodon. Nam Iambos simplices diu ante ostenderant Latio Tragicis aliique. Porro, quod addubitat Porphy-rius, utrum *olim inceptos*, an *olim promissum* construendum sit; equidem posterius probo, ut Poët. Art. v. 45. „*Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.*“ et significat magnam fuisse hominum de his Epodis expectationem.

3. *Numen laesura deorum*] Doctissimus Nic. Heinsius, *Forte*, inquit, *Lusura*. Sed nihil est opus. *Ludere, fallere, laedere deos* aeque quidem apud Auctores occurrunt. Sed *laedere* hic, ut fortius verbum et atrocius, sententiae magis convenit; et Neaeram periurii sui poena magis territat.

8. *Turbaret hibernum mare*] Vide modo totum locum: „*Cum tu magnorum numen laesura deorum, in verba iurabas mea, Dum pecori lupus, et nautis infestus Orion Turbaret hibernum mare, Intonsosque agitaret Apollinis aura capillos, Fore hunc amorem mutuum.*“ ubi ordo est, *amorem hunc mutuum fore, dum Orion turbaret, et aura agitaret*. Et iam sentis, opinor, male convenire haec, et futura praeteritis iungi. Quippe *fore* ad tempus futurum spectat; *turbaret et agitaret* ad praeteritum. Certe et sensus et Latinitas poscit, ut *turbet* vel *turbaverit* hic reponatur: „*Turbarit hibernum mare, Intonsosque agitarit Apollinis aura capillos.*“ ut infra Epod. XVI, 25. *Sed iuvenus in haec, simul imis saxa renarint, Padus laverit, Apenninus procurrerit, amor iunxerit.*

O dolitura mea multum virtute, Neaera.
 Nam si quid in Flacco viri est,
 Non feret assiduas potiori te dare noetis;
 Et quaeret iratus parem.
 15 Nec semel offensi cedet constantia formae,
 Si certus intrarit dolor.

v. 15. Vulg. *Offensae*.

Et sic clare exhibet codex Bodleianus: cui adde alium Barthio visum Advers. XXXVII, 15. et editionem Loscheri anno MCCCCXCVIII.

15. *Nec semel offensae*] Oleum hic et operam perdunt Interpretes, dum colorem aliquem his versibus inducere laborant, „*Nec semel offensae cedet constantia formae, Si certus intrarit dolor.*“ *Offensus*, aiunt, interdum active significat, non qui offenditur, sed qui alium offendit; et tum idem valet, ac *ingratus, odiosus, invisus*. Verum quidem hoc; et Cicero-nem aliosque sic eo verbo usos non diffitemur. Ergo haec demum secundum ipsos exoritur sententia: *Nec constantia mea cedet formae tuae semel offensae vel invisae mihi*. Sed rogo vos, quid causae erat, cur *forma* Neaerae Horatio invisae foret? non enim vetula iam facta erat, non morbo aliquo deturpata; nihil horum vel verbo significatur. *Formam* quidem eius nunc cum maxime amabat Noster; sed mores, nequitiam, inconstantiam, perfidiam, aversum in se animum et rivali suo deditum, iam cooperat odisse. Quorsum autem illud *cedet*? enimvero id satis indicat magnam eius formae potentiam, qua verendum erat, ne quantumque Nostri constantia etiam-num labascere et vinci posset. Quid enim mirum, si *formae offensae et invisae* non cederet? si non illam deperiret, quam turpem iam et deformem esse crederet? Nunc vides, opinor, tot interpretes meram hic caliginem pro luce offudisse. Quid multa? Corrigendus est locus, librorum audacia et ignorantia corruptus; qui lectionem veram *offensi* ideo immutabant, ut eum *formae*, substantivo ut putabant suo, genere et casu conveniret. Id quod sexcentis iis male cessisse sciunt, qui membranas veteres manibus versarunt. „*Nec semel offensi cedet constantia formae, Si certus intrarit dolor.*“ perspicua sententia; nec constantia mei semel *laesi et irati* cedet formae tuae, ubi vere indolero. Numquam alio sensu vocabulum hoc Noster usurpat; ut mox Carm. XVII, 42. „*Infamis Helenae Custor offensus vicem.*“ Serm. II, 1, 67. „*Ingenio offensi, aut laeso dolere Metello.*“ et Epist. I, 7, 88. „*Offensus damnis.*“ Nondum itaque amor Neaerae nuntium remiserat; sed iam nunc in perpetuum facturum minatur; si pergat laedere. Nam quod illa forte prae formae fiducia speret, se una falsa lacrimula dolorem eius facile restincturam esse: id eam frustra expectare. Quippe se, ubi semel perdoluerit, numquam postea in gratiam rediturum; sed *constanter* in proposito permansurum: contra ac vulgo amatores solent; qualis Ovidius Amor. III, 11. [v. 33] „*Luclantur, pectusque leve in contraria tendunt, Hac amor, hac odium: sed, puto, vincit amor. Nequitiam fugio; fugientem forma reducit. Aversor morum crimina: corpus amo.*“ Porro et Aeron Scholiastes non aliter, ac nunc nos, legisse olim videtur: sic enim verba enarrat. „*Tunc constantia amatoris cedit formae mulieris, quando laesus non audeat abscedere. Et hoc est quod dicit: si offensus fuero, non cedam formae tuae, id est, non tibi serviam, non perseverabo, in-iriam passus.*“ Rectissime. Si cui tamen haec non plene satisfaciunt: is per me licet vulgatam lectionem sic interpretetur, ut *forma* figurate ipsam Neeram significet: et tum sententia sit: *Nec constantia mea cedet tibi, o formosa Neaera, semel mihi invisae: ut illud Propertii II, 4. [v. 28] „Cynthia, forma potens; Cynthia, forma levis.*“ Sed hoc durius est; et prior, ni fallor, explicatio pluribus placebit.

Et tu, quicumque es felicior, atque meo nunc
 Superbus incedis malo;
 Sis pecore et multa dives tellure licebit,
 20 Tibique Pactolus fluat,
 Nec te Pythagorae fallant arcana renati,
 Formaue vincas Nirea;
 Eheu translatos alio maerebis amores:
 Ast ego vicissim risero.

XVI.

AD POPULUM ROMANUM.

Alteram iam teritur bellis civilibus aetas;
 Suis et ipsa Roma viribus ruit.
 Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
 Minacis aut Etrusca Porsenae manus,
 5 Aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer,
 Novisve rebus infidelis Allobrox;
 Nec fera caerulea domuit Germania pube,
 Parentibusve abominatus Hannibal;

v. 17. Vulg. *At. 6. Novisque. 8. Parentibusque.*

17. *At tu, quicumque es*] Ita nunc ubique editur, *at tu*, Aldo ut opinor Manutio praecunte. Sic Ovidius in Remed. Amor. v. 371. „*At tu, quicumque es, quem nostra licentia laedit.*“ et Art. Amat. III, 683. „*Sed te, quaecumque es, moderate iniuria turbet.*“ Lucanus IX, 538. „*At tibi, quaecumque es, Libyco gens igne diremta.*“ Tibullus I, 5. [v. 69] „*At tu, qui potior nunc es, mea fata caveto.*“ Tamen, cum et veteres editiones, et membranae aliorum ac meae omnes praeter unam ex recentioribus *et tu* hic exhibeant, placet hic antiquam lectionem retinere. *Et tu*, etiam tu, quicumque es, maerebis amores alio translatos, pariter atque *ego* nunc maereo. Sic infra XVII, 45. „*Et tu (potes nam) solve me dementia.*“

2. *Suis et ipsa*] Doctissimus Barthius in Advers. XXXIX, 9. vix dubium sibi ait esse, quin Flaccus sic scripserit, „*Alteram iam teritur bellis civilibus aetas, Suis ut ipsa Roma viribus ruit.*“ hoc est, altera iam aetas est, ut, sive ex quo, Roma suis ipsa viribus ruit. Certe talis eius particulae significatio familiaris est bonis scriptoribus. Nihil tamen hic mutaverim; tum quia omnes codices et Grammatici veteres, qui saepe hunc versum citant, sic ubique exhibent; tum quia sequentia refragantur. Non enim id dicit, quod Barthius autumat; sed ideo Romam iam suis viribus ruere, quia altera etiam aetas civilibus bellis teratur: adeo ut non prior, sed posterior et sua aetas ruinam rebus Romanis minaretur; ut vers. 9. „*Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi — Impia perdemus devoti sanguinis aetas.*“

6. *Novisque rebus infidelis*] Lego hic et versu octavo *ve pro quo* in hunc modum: „*Aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer, Novisve rebus infidelis Allobrox; Nec fera caerulea domuit Germania pube, Parentibusve abominatus Hannibal.*“ Quid enim Allobrogibus cum Spartaco, aut quid Hannibali cum Germanis? Anne hi una Romanis bellum intulerunt, ut particula *que* coniungendi fuerint? Immo vero lege *ve*, quod aeque dis-iungit, et perinde hic valet, ac *Neque*. „*Nec Capua, nec Spartacus, aut Allobrox.* Ita Noster Carm. III, 23, 5. „*Nec pestilentem sentiet Africum*

- Inpia perdemus devoti sanguinis aetas:
 10 Ferisque rursus occupabitur solum.
 Barbarus heu cineres insistet victor, et Urbem
 Eques sonante verberabit ungula:
 Quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini
 (Nefas videre) dissipabit insolens.
 15 Forte quid expediat, communiter, aut melior pars,
 Malis carere quaeritis laboribus?
 Nulla sit hac potior sententia: Phocaeorum
 Velut profugit exsecrata civitas

Fecunda vitis, nec sterilem seges Robiginem, aut dulces alumni Pomifero grave tempus anno. et Serm. I. 6. v. 68. „Si neque avaritiam, neque sordes, aut mala lustra“: ut ibi legendum esse pluribus ostendam ad ipsum locum. Vulgo circumferuntur ibi *Nec et Ac.*

15. *Forte quid expediat*] Ita omnes scripti editique. Sed valde laborant Interpretes in expedienda verborum constructione: „*Forte quid expediat, communiter, aut melior pars, Malis carere quaeritis laboribus.*“ Iulius Scaliger ad hunc modum verba ordinat, „*Forte communiter quaeritis, quid expediat; aut melior pars quaeritis carere laboribus.*“ Atqui hoc, inquit, idem est. Et proinde censura sua critica totum hunc locum damnat. Sane quid expediat nihil aliud notare potest, quam quid utile sit; eodem autem recidunt quid utile sit, et malis laboribus carere. Cicero Epist. ad Famil. V, 19. [§ 2] „*Est enim res profecto maxima: quid rectum sit, apparet: quid expediat, obscurum est.*“ et pro Marcello c. 10. [§ 30] „*Multi dubitabant, quid optimum esset; multi, quid sibi expediret; multi, quid decebat; nonnulli etiam, quidliceret.*“ Ovidius Pont. II, 3. [v. 9] „*Cura, quid expediat, prius est, quam quid sit honestum: Et cum fortuna statque caditque fides.*“ Alii hoc ordine verba contextunt; „*Forte communiter aut melior pars quaeritis, quid expediat carere malis laboribus*“: in quam sententiam gregatim pedibus accedunt Lambinus, Torrensius, Daceryus aliique. Sed, quod pace eorum dictum velim, numquam ex illis verbis sic positus excedunt eum sensum, quem sibi fingunt. Sic enim explicare volunt: „*Quid expediat carere, hoc est, quid subveniat, promoveat, adiuvet; quid auxilio et adiumento sit, ut careatis.*“ Enimvero aliud plane notarent ea verba, ab auctoris mente prorsus alienum. *Quaeritis, quid expediat carere malis laboribus*; hoc esset, *quid referat, quid attineat, quid iuvet, quid commodi apportet.* Atqui valde expedit, permagni refert, permultum attinet malis laboribus liberari: ut stultum sit de hoc quaerere et deliberare. Ut ne addam vitiosissimam fore hoc pacto verborum collocationem: nam *carere quaeritis*, ut loco se mutuo contingunt, ita in constructione non sunt separanda. Ergo vir egregius Ianus Rutgersius in Venusinis Lectionibus [c. 11] aliam viam insistit: sic enim corrigendum esse pronuntiat; „*Forte (quod expediat) communiter, aut melior pars Malis carere quaeritis laboribus?*“ quod sic explicat: „*Fortasse vel communiter (quod optimum quidem erat) vel si id non potest, melior saltem pars malis laboribus carere quaeritis?*“ Atqui eo sensu expediat potius dicendum foret, quam *expediat*. Nos emendationem ipsam viro elegantissimo libenter acceptam referimus: sed nostra et nova interpretatione donatam proponimus. Sic enim precationis sensu verba enarranda sunt: Forte, (quod expediat, hoc est, quod prosit, quod utile et salutare sit, quod bene eveniat, quod bene et feliciter vertat, quod bonum felix faustumque sit) aut omnes, aut certe maior pars quaeritis malis laboribus carere, sive de remedio civilibus bellis inveniendō consultatis? Noli dubitare, quin veram

- Agros atque lares patrios, habitandaque fana
 20 Apris reliquit et rapacibus lupis:
 Ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas
 Notus vocabit, aut protervus Africanus.
 Sic placet? an melius quis habet suadere? secunda
 Ratem occupare quid moramur alite?
 25 Sed iurem in haec: Simul imis saxa renarint
 Vadis levata, ne redire sit nefas:
 Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
 Padus Matina laverit cacumina;
 In mare seu celsus procurrerit Apeninus,
 30 Novaque monstra iunxerit libidine
 Mirus amor; iuvet ut tigris subsidere cervis,
 Adulteretur et columba milio;
 Credula nec rivos timeant armenta leones;
 Ametque salsa levis hircus aequora.
 35 Haec et quae poterunt reditus abscindere dulcis,
 Eamus omnis exsecrata civitas,
 Aut pars indocili melior grege: mollis et exspes
 Inominata perprimat cubilia.

v. 33. Vulg. *Flavos.*

hic Horatii manum, veramque adeo sententiam habeas: ita omnia clara sunt et conspicua, et de ritu Romanorum sollemni sumta. Nam deliberationes et consultationes, ut hic, fere semper simili precatione auspicari mos erat. Livius I, 28. [§ 1] „*Tullus Mettium benigne alloquitur: quod bene vertat, castra Albanos Romanis castris iungere iubet.*“ Et III, 26. [§ 9] „*Rogatus, ut (quod bene vorteret ipsi reique publicae) togatus senatus mandata audiret.*“ et ibidem 34. [§ 2] „*Populum ad concionem advocaverunt; et (quod bonum faustum felixque reip. ipsis, liberisque eorum esset) ire et legere leges propositas iussere.*“ Cato de Re Rustica c. 142. [c. 141 § 1] „*Impera suovetaurilia circumagi cum divi volentibus, quodque bene eveniat.*“ Vide plura apud eruditissimum Brissonium de Formulis. [I. I. c. 109 p. 59 ed. a. 1754]. Porro hanc loci huius sententiam esse eo magis apparet, quod mox sequatur, *Si placet? an melius quis habet suadere?* „*Placet enim illud ex formula sollemni itidem petitum est: Cum enim consulebant, sic loquebantur, Placetne? Quid fieri placet?* et in decernendo, *Placere senatus, vel, Non placere:* de quibus vide eundem Brissonium [I. II. c. 43 p. 154 et c. 50 p. 158]. Nihil amplius addam in re certa: illud tantum monebo, per interrogationem haec efferri debere, ut recte annotat Porphyrio, „*Malis carere quaeritis laboribus*“ quod tamen editiones perperam neglexerunt.

33. *Credula nec flavos*] Ita editiones veteres et maior pars codicum. Leidensis et Magdalenensis *saevos*, cum quibusdam Lambini. Utrumque nempe corruptum erat ex vero, quod in quattuor Blandiniis longe optimis reperit Cruquius: cui tamen bene monenti nemo editorum haecenus obtemperavit. „*Credula nec rivos timeant armenta leones,*“ ut *rava lupa* Carm. III, 27, 3. Sic apud Ciceronem Acad. II. c. 33. [§ 105] ubi *mare nunc purpureum, nunc caeruleum, nunc ravis* dicitur, citante Nonio Marcello [p. 164, 13 Merc.]; codices, qui nunc habentur, *flavum pro ravo* substituunt. Glossae Philoxeni, *Ravus, χαρπός*: corrige *χαρπός*; quod et vidit doctissimus Vulcanius. Atqui *χαρπός* notissimum *leonis* epitheton est Homero et aliis Graecis.

Vos quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
 40 Etrusca praeter et volate litora.
 Nos manet Oceanus circumvagus arva beata;
 Petamus arva, divites et insulas:
 Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
 Et inputata floret usque vinea;
 45 Germinat et numquam fallentis termes olivae,
 Suamque pulla ficus ornat arborem;
 Mella cava manant ex ilice; montibus altis
 Levis crepante lympa desilit pede.
 Illic iniussae veniunt ad muletra capellae,
 50 Refertque tenta grex amicus ubera;
 Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
 Nec intumescit alta viperis humus:
 Pluraque felices mirabimur; ut neque largis
 Aquosus Eurus arva radat imbribus.
 55 Pinguia nec siccis urantur semina glebis;
 Utrumque rege temperante caelitem.
 Non huc Argoo contendit remige pinus;
 Neque impudica Colchis intulit pedem:
 Non huc Sidonii torserunt cornua nautae,
 60 Laboriosa nec cohors Ulixēi.
 Nulla nocent pecori contagia: nullius astri
 Gregem aestuosa torret inpotentia.
 Iuppiter illa piaae secrevit*) litora genti;
 Ut inquinavit aere tempus aureum,

39. *Vos quibus est virtus*] Sic codices ubique: sed in excerptis Bodleianis annorum CCCC reperi sine ulla litura, „*Vos, quibus est animus, muliebrem tollite luctum.*“ Utrumque probum est, ut nescias utrum utrius glossema sit. Noster Epist. I, 1, 58. „*Est animus tibi, sunt mores, et lingua fidesque.*“ Cicero Offic. II. [c. 10 § 36] „*Despiciunt autem eos et contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant.*“ Virgil. Aen. V, 363. „*Nunc si cui virtus, animusque in pectore praesens.*“ Aen. X, 712. „*Non cuiquam irasci propiusve accedere virtus.*“ et mox de re eadem v. 717. „*Non ulli est animus stricto concurrere ferro.*“ Valerius Flaccus III, 679. „*Vos, quibus et virtus, et spes in limine primo.*“ Cicero de Consulatu suo (Epist. ad Attic. II, 3. [§ 3]) „*Interea cursus, quos prima a parte inventae, Quosque adeo Consul virtute animoque petisti.*“

48. *Lympha desilit pede*] Codices aliquot *Nympha*; quod magnos patronos et fautores nactum est. Retinemus tamen hic *lympa*, ut et supra Carm. III, 13. v. 16. quem locum vide.

63. *Secrevit litora genti*] Tres codices Torrentii cum Galeano nostro *sacravit*. Quod eodem fere reperiunt, si enim *secrevit* ea litora piaae genti, etiam *sacravit*, sive dicavit ei ut propria. Manilius III, [v. 64] „*His regimen natura dedit, propriasque sacravit unicuique vices.*“ inde *secreta sedes* [Aen. II, 568 et VII, 774], et *sacrata sedes* [Aen. I, 681 et II, 742], Virgilio, sensu fere eodem. Zulichemianus *secrevat*. Sed retinemus *secrevit*, ut et plurium membranarum auctoritate factum, et omnibus editionibus

*) [secrevit pro secrerat reponi iussit Bentl. praef.]

65 Aere*) dehinc ferro duravit secula: quorum*)
 Piiis secunda, vate me, datur fuga.

XVII.

HORATIUS: CANIDIA.

Iam iam efficaci do manus scientiae;
 Supplex et oro regna per Proserpinae,
 Per et Dianae non movenda numina,
 Per atque libros carminum valentium
 5 Refixa caelo devocare sidera,
 Canidia, parce vocibus tandem sacris,

receptum. Nemesianus Eclog. I. v. 20. „*Secreti pars orbis habet, mundusque piorum.*“

65. *Aere, dehinc ferro*] Sic libri editi. Sed codices nostri Leidensis, Reginensis, Magdalenensis, Batteliani, Petrensis, „*Aerea dehinc ferro duravit saecula, quorum Piiis secunda, vate me, datur fuga.*“ Quin et Galeanus habet *Aera*, cum e minuto supra scripto. *Dehinc* autem sic unieam syllabam faciet, ut Virgil. Aen. IX, 480. „*caelum dehinc questibus implet.*“ et Ovid. Fast. VI, 788. „*Dehinc erit, Orion, aspicienda mihi.*“ Tolerari tamen non potest haec lectio, quia *quorum* eo pacto ad saecula *aerea* referretur: atqui haec scribente Horatio *ferrea* aetas iam diu processerant. Huic tamen difficultati medetur cruditissimi Graevii emendatio; qui, ut Heinsius in libri sui margine memorat, sic olim legebat: „*Quorsum Piiis secunda, vate me, datur fuga.*“ ubi *quorsum*, opinor, sic explicabat, *ad quae beata arva et divites insulas*. Et eodem sensu *quo nunc*, fortasse melius, reponere potuisset. Sed impedita et coacta erit constructio, si *quorsum* vel *quo nunc*, tot verbis intervenientibus, ad *litora* referantur: et multo quidem impeditior, nisi *aerea* scribas, non *aere*.

5. *Refixa caelo devocare sidera*] Editio Veneta princeps, et Loscheriana *defixa* habent; at Veneta altera anni 1490 *refixa*. Inde in sequentibus nunc hoc, nunc illud receptum est, per vario editorum palato et iudicio. Sane praeter unum librum Torrentii et alterum Barthii Advers. XXXVII, 15. plures ex nostris *defixa* habent, ut Leidensis, Zulich. Graevianus, Galei, Petrensis. Et de *defixionibus* magicis res nunc notissima est, et loca scriptorum iam ab aliis citata. Virgilius Ciri v. 375. „*Pergit Amyclaeo spargens altaria thallo Regis lolciacis animum defigere votis.*“ Auctor Herculis Octaei v. 524. „*Tunc verba moriens addit: Hoc, inquit, magae Dicere amorem posse defigi malo.*“ Plin. Hist. Nat. XXVIII, 4. [§ 19] „*Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit.*“ Seneca de Beneficiis VI, 35. [§ 4] „*Execraris enim illum, et caput sanctum tibi dira imprecatione defigis.*“ Sed in his omnibus quis non animadvertit, utut metaphoricè hic accipiatur *defigere*, tamen ex propria et nativa significatione adhuc aliquid retinere? *Defigi* enim *beneficiis* sic vere dicitur, ut *defigi pavore, stupore, defixus malis animus*. Numquam itaque commisisset Horatius, (neque quisquam alius poetarum id fecit) ut eadem in sententia tam diversas et contrarias ideas poneret; ut sidera et *defixa* sint, et simul *de caelo decepta et devocata*. Quare legendum cum Blandiniis codicibus, et nostris Reginensi, Batteliano, et Regiae Societatis, „*Refixa caelo devocare sidera*“; et sic plane Aeron manuscriptus in Bibliotheca Societatis Regiae: nam vulgati perperam habent *Defixa*. Neque aliter Cruquii commentator vetus: „*Refixa, ait, detracta, evulsa, ut Virgilius Aen. V, 360. Neptuni*

*) [Aere — quorum pro Aerea — quo nunc reponi iussit Bentl. praef.]

Citumque retro solve, solve turbinem.
 Movit nepotem Telephus Nereium,
 In quem superbus ordinarat agmina
 10 Mysorum, et in quem tela acuta torserat.
 Luxere matres Iliæ addictum feris
 Alitibus atque canibus homicidam Hectorem;

v. 11. Vulg. *Unxere*.

sacro Danais de poste refixum*, cui addas alium locum magis appositum, ibidem 527. „caelo seu saepe refixa *Transcurrunt, crinemque volantia sidera ducunt*. Ideo autem *refixa* incantationibus sidera, quia alioqui naturaliter affixa sunt. Plinius Hist. Nat. II, 8. [§ 28] „*Hinc redamur ad reliqua naturae*. Sidera, quae affixa dicimus mundo“ etc. et ibidem, 14. [§ 58] „*Sed altitudo cogit errantes stellas minores luna videri: sicut affixa caelo solis fulgor**“ interdum non cerni.“

11. *Unxere matres Iliæ* Editio Veneta princeps, *unxere*: at altera anni 1490 cum Loscheriana *luxere*: posteriores nunc hoc, at saepius illud pro captu editorum. Par quoque diversitas in codicibus scriptis. Blandinii quattuor, cum pluribus Lambini et Torrentii, duobus Pulmanni, uno Barthii Advers. XXXVII, 15. et Nostris Graeviano Zulich. Batteliano, Regiae Societatis, Petrensi, Bodleianis duobus, *unxere*. Contra, praeter Lambini aliquot, et Torrentii unum, duos Pulmanni et Bersmanni totidem, totidemque Lucenses omnium vetustissimos, (ut ait Michael Brutus) Leidensis noster et Galeanus, et a prima manu Reginensis, et pro varia lectione Petrensis et Bodleianus alter, *luxere*. Atque hanc lectionem in priore Editione Lambinus secutus est, et egregie explicavit; postea pertinacia quorundam fatigatus et victus aut mutavit sententiam, aut certe dabilis haesit. Neque vero mirum est illud *unxere*, utpote facilius et de medio petutum, plures advocatos reperisse. Notum enim illud Virgilio [Aen. VI, 219]; „*corpusque lavant frigentis et unguunt*“ et illud Ennii [Annal. v. 156 Vahl.]: „*Tarquini corpus bona femina lavit et unxit*.“ Ovidius Fast. IV, 853: de Remi cadavere, „*Arsurosque artus unxit: fecere quod ille, Faustus et maestas Acca soluta comas*.“ et Epist. Ariadnae [Her. X] 122. „*Nec positos artus unget amica manus*.“ Ego vero eam ipsam ob causam hoc a Librariis, alterum ab Auctore profectum esse nullus dubito. *Unxere enim* quivis de plebe literatorum reponere potuit, *Luxere* nemo nisi apprime eruditus. Deinde illud vide, *Matres Iliæ unxere*, hoc est, *omnes matronae Iliades*. Id vero qui fieri potuit? aut quid attinuit tali officio tot manus adhiberi? Ungebant cadaver aut pollinctores, aut propinqui, aut certe pauci. Inde in Miseni funere, Aeneid. VI, 218. „*Pars calidos latices et aheni undantia flammis Expediunt, corpusque lavant frigentis, et unguunt*.“ At omnes Teucri ibi *luxere* Misenum, ut hic omnes Iliades *luxere* Hectorem: v. 212. „*Nec minus interea Misenum in litore Teucri Flebant, et cineri ingrato suprema ferebant*.“ et 220. „*Eit gemitus: tum membra toro defleta reponunt*.“ Recta igitur et genuina lectio est, „*Luxere matres Iliæ addictum feris Alitibus atque canibus homicidam Hectorem*“: quod vocabulum satis significat sollemni funeris pompa Hectorem sepultum esse. Recte enim animadvertit Lambinus, frustra id cavillante Torrentio, sollemnes illos ploratus et luctus, non nisi praesente mortuo corpore, esse solitos usurpari. Inde toties poetis iunctim proferuntur ea verba, *ἀκλαιστος καὶ ἀσπρος, indefletus et insepultus*: quia numquam *defletus* dicitur, qui sepulchro caruit. Euripides Phoenissis. [v. 1636] *Ἐγὼ δ' ἀκλαιστον, ἀσπρον, οὐανοῖς βορᾶν*. Et ita bis terque alibi, citante Lambino. Quibus adde Homeri illud de Elpenore Odys. A. v. 53. *Σῶμα γὰρ ἐν μεγάρῳ Κίρκης καταλείπομεν*

*) [per. ἀστρας c. s. fulgore]

Postquam relictis moenibus rex procidit
 Heu pervicacis ad pedes Achillei.
 15 Setosa duris exuere pellibus
 Laboriosi remiges Ulixei,
 Volente Circa, membra: tunc mens et sonus

v. 17. Vulg. *Circe*.

ἔμεις Ἀχαιῶν καὶ ἄσπρων, ἐπεὶ πόντος ἄλλος ἐπιγεῖ. et v. 72. *Μὴ μ' ἀκλαιστον, ἀσπρον ἰὼν ὀπίθεν καταλείπειν*. Virgilius Aen. XI, 372. „*Nos animae viles, inhumata inflataque turba*.“ Quid quod, si ex praecepto suo *famam* et *historiam* hic *secutus* est Flaccus, numquam dicere potuit, matres Iliades Hectorem *unxisse*. Lotus enim et unctus et nitidis vestibus indutus est Hector in tentorio Achillis; priusquam Ilium deportandas Priamo redderet: Iliad. Ω. 582. *Λωτός δ' ἐκκαλίσσας λούσαι κέλετ' ἄμφι τ' ἀλείψαι*. [v. 587] *Τὸν δ' ἐπεὶ ὄνθ' ἄμφω λούσαν καὶ χρίσαν ἔλαιω, Ἀμφὶ δὲ μὴ φάρος καλὸν βάλον ἤδ' ἔχει χιτῶνα*. Neque vero unctionem illam a Troadibus iteratam esse aut ulli usui fuit, aut poeta vel verbo indicavit. At *luxisse* eum matres Iliades multis versibus ibi memorat; primo enim praedicat Priamum sollemnem *luctum* per novem dies extrahendum esse, v. 664. *Ἐν-νήμαρ μὲν κατόνθ' ἐνὶ μεγάροισι ΓΟΑΟΙΜΕΝ*. Deinde, ubi Troiam delatum est cadaver, et in lecto positum v. 720. (nihil hic de repetita lotione aut unctione aut vestitu) *ἀνιδὸς θρήνων ἐξάρχους πρότας σive praeficos planctuum principes* constituebant, quibus adgementes responderent mulieres; v. 722. *Οἱ μὲν ἄρ' ἐθρήνεον' ἐπὶ δ' ἔστιν ἀχάροιο γυναῖκες*. Deinceps vero Andromache, et postea Hecuba, et tertia tandem Helena, lamenta ceteris feminis ordiebantur: [v. 723] *Τῆσιν δ' Ἀνδρομάχῃ λευκώλενος ἤρχε γόοιο* et v. 746. *Ως ἔφατο κλαίονσ' ἐπὶ δ' ἔστιν ἀχάροιο γυναῖκες*. Τῆσιν δ' αὖθ' Ἐκαθ' ἄδινος ἔβηχε γόοιο et v. 760. *Ως ἔφατο κλαίονσα γόνθ' ἄλυστον ὄρωε*. Τῆσιν δ' αὖθ' Ἐλένη τρίτην ἔβηχε γόοιο. et v. 776. *Ως ἔφατο κλαίονσ' ἐπὶ δ' ἔστιν ἀχάροιο γυναῖκες*. Quis ulterius dubitet, quin *luxerint* Hectorem matres Iliades, potius quam *unxerint*? Illud enim ex ritu sollemni et historiae fide ductum: hoc et supervacuum, et nulli auctori memoratum. Elegantissimus scriptor Consolationis ad Liviam, v. 429. „*Hectora tot fratres, tot deflevere sorores, Et pater, et coniux, Astyanaxque puer, Et longaeva parens; tamen ille redemptus ad ignes; Nullaque per Stygias umbra renavit aquas*.“ Qui quidem locus vel solus sufficeret ad lectionem nostram stabilendam. Accedat tamen Dictys Cretensis IV, 1. „*Dein exorto quam maximo ululatu, postrema funeri* (Hectoris) *peragunt, hinc feminis cum Hecuba deflentibus, hinc reclamantibus Troianis viris, et postremo sociorum gentibus. Quae per dies decem concessa bellandi requie, ab ortu solis usque ad vesperam per Troianos gesta, nusquam remisso lugendi officio*.“ et Iuvenalis X, 261. „*Incolami Troia Priamus venisset ad umbras Assaraci magnis sollemnibus, Hectore funus Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter Iliadum lacrimas; ut primos edere planctus Cassandra inciperet, scissaque Polyceana palla*.“ Sic apud Virgilium in funere Polydori Aen. III, 65. „*Stant circum Iliades crinem de more solutas*“, id est, *de more plangentium*, ut recte Servius. Et iterum in funere Pallantis XI, 35. „*Circum omnis famulumque manus, Troianaque turba, Et maestum Iliades crinem de more solutae*.“ Ubique opinor vides in funere sollemni matres Iliades, non ad *unctiones*, sed ad *luctus* et *planctus* et *lacrimas* advocari.

17. *Volente Circe*] Disertissimus Ianus Broukhusius ad Propertii II, 7. [v. 83] sic reponit, „*Volente Circa, membra: tunc mens et sonus*“; idque, ut ait, ex optimo codice, quem saepe laudat, Graeviano. Ego vero eundem codicem iam nunc ante oculos habeo, et *circa* quidem ibi extare video; sed *ca* illud a manu secunda est, et post rasuram; ut vel primo

Relapsus, atque notus in voltus honor.
 Dedi satis superque poenarum tibi,
 20 Amata nautis multum et institoribus.
 Fugit iuventas; et verecundus color
 Reliquit ora, pelle amicta lurida.

v. 18. Vulg. *Relatus*. 22. *Ossa*.

conspectu apparet. Olim autem *circe* fuisse, ut in aliis omnibus, quos viderim codicibus, ex spatii angustia facile cognoscas. Et vereor mehercle, ne a stolido quodam interpolatum sit, qui *circa membra* sic acceperit; quasi si *circa* praepositio esset. Sed utcumque ceciderit haec suspicio; etiam caecus scopum feriebat. Quippe iam olim Latina inflexione, *Volente Circa*, scriptum hic fuisse, testis est locuples Valerius Probus p. 1446. „*E nomina terminata Graeca sunt, ut Danaë, Enterpe, Circe, Agaue. In genitivo es et in accusativo en, huius Danaë, hanc Danaën. Ablativum enim, quia Graecum est, non habent, et convertuntur. Sic ex e litera a facit, et dicitur Circa; unde est illud Horatii, Volente Circa.*“ Ergo Valerii auctoritate, qui tanto antiquior est omnibus qui nunc extant Flacci codicibus, recipimus *Circa*. Et sane observavi in Iambis, Sermonibus, et Epistolis Latinas declinationes libentius adhibere Nostrum; in Carminibus Graecas. In illis *Crelam, Helenae, Penelopam* habes, in his *Crelen, Helenen, Penelopem*. Quippe in illis puram et nativam orationem sectatus est; in his plus exotici nitoris et transmarinae elegantiae affectavit. *Circa* itaque Latine nunc extulit; ut Plautus in Epidico [IV, 2, 34], *Circam, Solis filiam*. Sic et apud Virgilium Aen. III, 386. „*Infornique lacus, Aeacaeque insula Circes,*“ omnes Pierii codices aut *Circe* ibi habebant, aut *Circae*. Quin et magnus Cuiacius Observat. XII, 18. se in veteribus Horatii codicibus *Circa* invenisse testatur.

18. *Tana mens et sanus Relatus*] Editio Veneta princeps *relatus*; at altera cum Loscheriana *relapsus*, quod agnoscunt codices nostri Graevianus, et Reginensis, cum quinque aliis; et Plotius Grammaticus p. 2643. Semper fere in hac voce variabant Librarii; ut Carm. IV, 13, 28. „*Dilapsam in cineres facem*“: Leidensis codex *Delatam*, et Serm. I, 10, v. 68. „*Si foret hoc nostrum fato dilatus in accum*“; maior pars membranarum *dilapsus*. In loco autem, quem nunc tractamus, non permultum interest, *relatus* legas, an *relapsus*. In eo dumtaxat differunt, quod *relatus* externa vi reductum significet, *relapsus* ultro et sponte sua reversum. Atque hic opinor sensus commodior est, et rei convenientior. Simul enim ac *Circe* magicarum cantionum vim aboleverat; extemplo pristina mens et vox et figura sponte redierunt.

19. *Satis superque poenarum tibi*] Lego: „*Dedi satis superque poenarum tibi, O Amata nautis multum et institoribus.*“ Sic oratio, quae prius languida et hiulea erat, novas vires novamque iuncturam acquirit. Ita versu 46, *Et tu, potes nam, solve me dementia: O nec paternis obsoleta sordibus.* Ideo autem (ut solent) omiserunt id Librarii, quia sine eo mensura versus plena et integra est.

22. *Reliquit ossa*] Vide modo integrum locum; et miraberis servile quorundam ingenium, qui melius peius, iure iniuria, quidvis defendunt, quod a magno auctore profectum credunt: „*Fugit iuventas, et verecundus color Reliquit ossa pelle amicta lurida.*“ Quibus verbis olim offensus vir magnus Iulius Scaliger [Poetic. p. 894], „*Quis?*“ inquit, „*dicat colorem reliquisse ossa? non igitur debuit dicere ossa amicta pelle, sed reliquisse pellem amictentem ossa.*“ Nihil hac censura iustius clariusve dici potest. Sed quid hic nostri Interpretes? sunt qui rem callide dissimulant; et sicco pede sapienter transiliant; est qui Scaligerum *cavillari* hic dicit; et tandem exortus est, qui id ipsum, quod ille vituperat, in caelum ferat et *admi-*

Tuis capillus albus est odoribus.
 Nullum a labore me reclinat otium.
 25 Urguet diem nox, et dies noctem: neque est
 Levare tenta spiritu praecordia.
 Ergo negatum vincor ut credam miser,
 Sabella pectus inerepare carmina,

rabile esse pronuntiet. En quo tandem pervenimus; ut miremur scilicet ea, quae nemo intelligit; imo quae probe intelligimus inepta esse, et falsa, et absurda. Quid enim? *Verecundus color* est rubor. Id quidem sine controversia est. *Rubor* ergo *reliquit ossa*. Qui pote, ut locum relinquat, ubi numquam fuit? quis *rubra ossa* vel fando audivit? Quod si stulte contendat quispiam, ossa vivi hominis rubere: at ossa hominis aegroti, qualem hic se describit Horatius, haud minus rubent, opinor, quam sani. *Andromache* apud Virgilium Aen. III, 308. conspecto derepente Aenea, „*Dirigit visu in medio, calor ossa reliquit.*“ et matri Euryali, Aen. IX, 475. audita filii sui morte, „*subitus miserae calor ossa reliquit.*“ Recte quidem hoc: nam in consternatione et animi deliquio subitum frigus per ipsa ossa permanet, vitali calore totum corpus relinquente. *Calor* itaque tum *reliquit ossa*: sed seire velim, qua tandem animi corporisque affectione *color ossa relinquat*. Hic opinor morbus et Hippocrates omnes et Galenus effugit, solisque Aristarchis compertus est. Quid quod *verecundus color* non quivis *rubor* est, nec in qualibet parte corporis; sed proprius *genarum*. Nemo enim, cui sanum est sineiput, sanguinem, aut vulnus, aut nasum, aut supercilia, aut capillum, aut quidvis praeter *genas verecundo colore* suffusum dixerit. Quid ergo? an *rubor genarum reliquit ossa*? Hocce *admirari* nos iubetis, ut a divino poeta prolatum? Quanto melius erat, et ab illo et a vobis tam foedam maculam abstersisse? quod quidem non ita magni negotii est: in aperto enim et facili posita est vera emendatio: „*Fugit iuventas; et verecundus color Reliquit ora, pelle amicta lurida.*“ *Ora*, inquam, reliquit, non *ossa*; quippe in *ora* solo sedem et locum habet. Ovidius Epist. Phyllidos, [Phaedrae, Her. IV, 72]: „*Flava verecundus tinxerat ora rubor.*“ et Metamorph. I, 484. „*Pulchra verecundo suffunditur ora rubore.*“ Seneca Hippolyto 376. „*Non ora tingens nitida purpureus rubor.*“ Ergo queritur Horatius se Canidiae beneficiis pallidum et *luridum* factum esse, et ruborem pristinum *ora reliquisse*: ut plane Canace apud Ovidium Epist. XI, [v. 27] „*Fugerat ore color: macies adducerat artus.*“ et Camilla moribunda Aen. XI, 819. „*Labitur exsanguis, labuntur frigida leto Lumina: purpureus quondam color ora reliquit.*“ Ceterum codices Reginensis et Magdalenensis, *amictus*, et Bodleianus *amictas*: quae nescio equidem quid sibi velint: alii ingeniosiores hic se exercent. Ideo autem crediderim Librarios *ossa* hic interpolavisse; quia *ossa pelle tegi et amicti* vulgari dicto notissimum erat. Plautus Captivis I, 2 [v. 32] „*Ossa atque pellis sum miser a macritudine.*“ Silius Ital. XIV, [v. 605] „*sanies immixta cruore Expatitur, membrisque cutis tegit ossa perestis.*“ Idem libro II, [v. 466] „*iam lamina retro Eceas fugere genis; iam lurida sola Teeta cute, et venis male iuncta tremantis ossa Extant, consumtis visu deformia membris.*“ *Ora* vero dici *pelle amicta*, duriusculum forte, aut certo novum iis videbatur. Atqui et *ora* et omnia corporis membra cute teguntur: et si *ora pelle nudata* bene dixeris; quidni itidem et *pelle amicta*?

24. *Nullum a labore*] Graevianus cum duobus aliis, „*Nullum ab labore me reclinat otium.*“ ut Terentius Heecyra Prolog. II, [v. 15]. „*Ab studio, atque ab labore, atque arte musica.*“ et Nostrum Carm. III, 17, 1. „*Acti vestusto nobilis* ab Lamo.“ Sed parvi interest: neque tantillam ob causam editiones convellendae sunt.

Caputque Marsa dissilire naenia.

30 Quid amplius vis? ô mare, ô terra, ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana fervida
Furens in Aetna flamma. tua, donec cinis
Iniuriosis aridus ventis ferar,

v. 30. Vulg. Mare et terra. 33. *Virens* — tu.

30. *O mare et terra, ardeo*] Aeron et editus, et manuscriptus sic exhibet, „O mare, O terra, ardeo“: quod explicat ex illo Terentiano [Adelphi. V, 3, 4], „O caelum, O terra, O maria Neptuni.“ Recte: nam longe vehementius quid sonat O repetitum. Plinius Epist. I, 9 [§ 6]. „O mare, o litus, verum secretumque μυστήριον.“

33. *Virens in Aetna flamma*] Editiones veteres *urens*, et maior pars manuscriptorum; sane ex nostris omnes, praeter Graevianum et Collegii Regii, qui *virens* habent. *Virens* etiam in quibusdam ex suis invenerunt Lambinus, Torrentius, Pulmannus, Cruquius et Gifanius. Equidem, si alterutrum ex his necessario recipiendum esset, *virens* praetulerim. Quis enim *urens* absolute et intransitive dixit? Hoc quidem sensu sine dubio *ardens* posuisset, non *urens*. Sed esto, ut *urens* idem sit ac *ardens*: quae deinde sententiae vis et venustas erit? *flamma urens in fervida Aetna*. Si *flamma*, si *fervida*; mirum certe, si non *ureret*. Quid ergo attinebat tam iners, tam redundans, tam invariaturum epitheton inferre? At illud alterum *virens*, si nihil aliud, certe novam metaphoram orationi impertit: ideoque et plebiscite interpretum placuit, et elegantissimo Nic. Heinsio tam hic, quam ad Ovidii Fast. VI, 234. Iam autem *flammam virentem* interpretantur *validam et inextinctam*: ferme ut *viridis senectus, virent genua, γόνυ χλωρόν*. Sed haec exempla ad scopum non pertingunt. Non enim si *aetas*, translatione a vernis floribus sumta, *virere* belle dicitur; ideireo etiam et *flamma*, quae toto genere dispar est. Illa paulo validiora sunt, *flos flammae, πυρός άνθος, igne et flammis florere*, ex Lucretio I, 898. „*Donec flammae fulserunt flore coortae*“ et IV, 451. *Binā lucernarum florentia lumina flammis*“ et Statii Theb. II, 276. „*arcano florentes igne Smaragdos*“ Sed rogo vos, si de levi aliqua flamma aut *lucernae*, aut *gemmae*, aut *fomitilis* felicit et audaci metaphora *florere* usurpatur; an ideo de immani Aetnae incendio recte etiam procedet? An si auctor hic dixisset, *Florens in Aetna flamma*, propitiis auribus acciperetis? Vix crediderim; et tamen hoc magis illo veniam meretur: hoc enim, etsi in re plane diversa, auctores suos habet; illud indictum prorsus et inauditum. Nam quod Heinsius ad Ovidium *virens flamma* ex Martiali citat, in eo accuratissimum virum memoria fefellit. Ibi enim *aurum virens*, non *flamma* dicitur, Epigr. XII, 15 [v. 3]. „*Miratur Scythicas virentis antri Flammās Iuppiter*“ Tum autem, quod quidam de colore flammae Aetnae, utpote ex sulfure et bitumine ortae, *virens* interpretatur, id levi manu refelli potest. Flamma enim in Aetna nullum colorem habet; neque ex Aetna prorumpens, *viridem*. Quid multa? si illud volunt, ut *virens* hic pro valida et numquam moriente flamma accipiatur; miror equidem, quod nulla fere mutatione non sic reposerint, „*nec Sicana fervida Vivens in Aetna flamma*“ quod sane minime contemnendum esset, si libri accederent. Sic Noster Carm. III, 21, 23. „*Vivaeque producent lucernae*“ et Ovidius Fast. VI, 291. „*Nec tu aliud Vestam, quam vivam intelligo flammam*“ et Fast. IV, 553. „*Inque foco pueri corpus vivente favilla Obruit*“ Severus in Aetna [v. 41]: „*Proxima vivaces Aetnaei verticis ignes Impia sollicitat Phlegraeis sabula castris*“ Sed quid opus est coniecturis? cum ipsi codices veram lectionem suppeditent, nempe ex Torrentianis aliquot, et Pulmanni unus, Bersmannique alter; „*O mare, o terra,*

35 Calet venenis officina Colchicis.
Quae finis? aut quod me manet stipendium?
Eflare: iussas cum fide poenas luam;
Paratus expiare, seu poposceris
v. 35. Vulg. *Cales*.

ardeo Quantum neque atro delibutus Hercules Nessi cruore, nec Sicana fervida Furens in Aetna flamma“ Enimvero haec lectio omne auferret punctum: pulchram enim habet translationem ab humano affectu; et simul, ut fieri hic oportet, ingentem flammae vehementiam ostendit. Sic Virgilius Aen. V, 662. „*furit immixtis Volcanus habenis Transtra per et remos, et pietas abiecit puppes*“ et IV, 670. „*flammaeque furentes Culmina perque hominum volvantur perque deorum*“ et Georg. III, 100. „*Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis Incassum furit*“ et Aen. II, 759. „*Illicet ignis edax summa ad fastigia vento Fulvitur: exasperant flammæ: furit aestus ad auras*“ Seneca Medea, 885. „*Avidus per omnem regiae partem furit Ignis*“ et Herc. Oct. 1958. „*cum plurimus In caelum fureret flammæ metus*“ Sed praecipue amant hoc verbum poetæ, ubi de Aetna, ut hic, loquuntur: sic Lucretius II, 593. „*Excimius vero furit ignibus impetus Aetnae*“ Severus in Aetna. [v. 278] „*Actnaei montis fremitus, animumque furentis*“ Lucanus X, 447. „*Non secus in Siculis fureret tua flamma cavernis, Obstrueret summam siquis tibi, Mulciber, Aetnam*“ Seneca Herc. Fur. 106. „*acrior mentem excoquat, Quam qui caminis ignis Aetnaei furit*“ et Hippolyto, 190. „*Opifex trisulci fulminis sensit deus, Et qui furens semper Actnaeis iugis Versat caminos*“ et Herc. Octaeo 285. „*quis ignis tantus in caelum furit Ardentis Aetnae*“ Porro *furens*, initiali littera de more omissa aut minio notata, facile a Librariis mutabatur in *urens*, aut *virens*.

35. *Cales venenis*] Expedi mihi, si potes, hunc locum; et magnam gratiam a me inibis: „*tu, donec cinis Iniuriosis aridus ventis ferar, Cales venenis officina Colchicis*“ Tu, inquit, *O Canidia, cales officina venenis Colchicis*. Quid hoc? aut quo pertinet? Dicit forte Porphyrio Scholiastes: „*Ipsam mulierem officinam venenorum diserte dixit*“ Neque hilum praeterea habent interpretes novi. Sed vereor, ne aliud longo, ac illi existimant, his verbis, ut nunc quidem extant, denotetur. Quippe (si sic legis) Canidia ipsa sive corpus Canidiae erat *officina venenorum*, et corpus Canidiae *calebat venenis*. Sequitur ergo, ut ipsa Canidia veneficiis acta et fascinata fuerit, non ut Horatium fascinaverit. Qui enim *calet officina venenis*, sive qui calida officina venenorum est, is profecto non veneficus est, sed veneficia patitur. Qualem ipse se hic describit Horatius; nam *calebat, et ardebat: fugerat color, incanuerant capilli*; et praeterea *pectus, caput, praecordia*, et totum denique corpus dolebat; ut quasi *officina* seu domicilium venenorum dici potuerit: eodem plane iure, quo variis morbis affecti *domicilia morborum* vocantur Arnobio lib. VII [c. 11]. „*Nonne alios*“ ait, „*videmus ex illis domicilia esse morborum: extinctis luminibus, atque auribus obseratis, pedum cavere processu, truncos sine manibus degere*“ Quare vide, ne non ita magna mutatione ad Horatium haec forte referenda sint, „*num, donec cinis Iniuriosis aridus ventis ferar, Caleo venenis officina Colchicis*“ Sic, inquam, potius legerim, si cum Porphyrio *officinam* de homine interpretarer: sed mihi quidem dura et plebeia et Horatio indigna videtur metaphora; tantum abest, ut *diserte* dictum existimem. Quidni autem *officinam* accipiamus de loco, ubi omnis veneficiorum apparatus repositus erat? Qualia erant Medicae illa penetralia, Valer. Flacc. VII, 327. „*Utque procul magicis spirantia tecta venenis Et saevae patuere fores; oblataque contra Omnia, quae Ponto, quae manibus eruit imis*“ Appuleius Metam. III. [p. 137, 6 Elm.] de Pamphila saga: „*Appa-*

Centum iuvenco*), sive mendaci lyra
 40 Voles sonari: tu pudica, tu proba
 Perambulabis astra sidus aureum.
 Infamis Helenae Castor offensus vicem,
 Fraterque magni Castoris, victi prece,
 Ademta vati reddidere lumina.
 45 Et tu (potes nam) solve me dementia,
 O nec paternis obsoleta sordibus.

[v. 39. Vulg. *Iuvenco* ed. Amst. a. 1713] 42. *Vice*.

ratu solito instruit feralem officinam, omne genus aromatis, et ignobiliter laminis literatis etc. Seneca Controvers. XXXIII. [§ 2 p. 316, 21 Bars.] „*Folo mehercules nasse illud specum tuum, illam humanarum calamitatum officinam, illud infantium spoliarium.*“ Ita Cicero [Rose. Am. c. 46 § 134] „*officinam nequitiae*, [Philipp. II c. 14 § 35] „*officinam falsorum chirographorum*, Columella [praef. § 5] „*contemptissimorum vitiorum officinas* dixit; sed de loco et domo, non de persona. Ergo et hic „*officinam venenorum*, non de ipsa Canidia, sed de eius domo intelligendum est: atque eo magis, quod ea vero nomine Gratidia appellata „*officinam* unguentariam Neapoli exercebat; si veteribus Scholiastis, ut sane est, fides habenda est. Iam vero, si hanc sententiam amplecteris, sic locus erit constituendus; „*Furens in Aetna flamma. Tua, donec civis iniuriosis aridus ventis ferar, Calet venenis officina Colchicis.*“ ubi in primo versu pes quartus erit Tribrachys; ut in versu XII, „*Alitibus atque canibus homicidam Hectorom.*“ et LXXIV, „*Vectabor humeris tunc ego inimicis eques.*“ Et sententia quidem hac nihil clarius videtur: vera autem sit Horatii manus necne, penes alios iudicium esto.

39. *Centum iuvenco*] Elegans est scriptura, quam codex Battelianus pro varia lectione suppeditat, „*Faratus expiare, seu poposceris Centum iuvenco.*“ hoc est, „*seu poposceris expiari iuvenco centum*; ut Carm. I, 4. v. 12. „*Seu poseat agna, sive malit haedo.*“ vide plura, quae ibi diximus.

40. *Voles sonari*] Codex Reginensis, et duo Rodleiani, et a prima manu Graevianus, „*sive mendaci lyra Voles sonare.*“ quod est, „*sive voles me sonare mendaci lyra. Tu pudica, tu proba.*“

42. *Offensus vice*] Odiosa est cacophonia in clausulis horum versuum, „*Infamis Helenae Castor offensus vice, Fraterque magni Castoris, victi prece.*“ quod homoeoteleuton, si bene cum novi, numquam auctor admisit. Et opportune quidem absolvit eum ab hac culpa codex unus Torrentii, qui sic locum exhibet, „*Infamis Helenae Castor offensus vicem.*“ Noli dubitare, quin genuina sit haec lectio. Ita Livius VIII, 35. [§ 1] „*Tribunos stupentes, et suam iam vicem ancios.*“ et XXVIII, 19. [§ 17] „*Clamor undique ab sollicitis vicem imperatoris militibus sublatus.*“ et XXXIV, 32. [§ 6] „*Remittimus hoc tibi, ne vicem nostram irascaris.*“ et XLIV, 3. [§ 5] „*Sollicito consuli eorum vicem, quos paucos praemiseral.*“ Curtius VII, 4. [c. 2 § 5] „*Maestus, non suam vicem, sed propter ipsum periclitantium fratrum.*“ et VII, 41. [c. 11 § 20] „*Rex non cupidine magis patundi loci, quam vicem eorum, quos ad tam manifestum periculum miserat, sollicitus.*“

43. *Fraterque magni Castoris*] Vide modo illud epitheton, „*Infamis Helenae Castor offensus vicem, Fraterque magni Castoris.*“ Certe si historiam sequimur, legemus potius, „*Fraterque magnus Castoris, vel, Fraterque maior*, ut Terent. Phorm. I, 2. [v. 13] „*Senis nostri, Dave, fratrem maiorem Chremem Nostin.*“ Quippe Pollux erat frater maior Castoris;

*) [iuvenco ed. Amst. a. 1713]

Neque in sepulcris pauperum prudens anus
 Novendialis dissipare pulveres.
 Tibi hospitale pectus, et purae manus;
 50 Tuusque venter Pactumeius; et tuo
 Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
 Uteumque fortis exsulis puerpera.
 CANID. Quid obseratis auribus fundis preces?
 Non saxa nudis surdiora navitis
 55 Neptunus alto tundit hibernus salo.
 Inultus ut tu riseris Cotyttia

v. 50. Vulg. *Partumeius*.

maior et natu, et virtute. Sed Latini veteres etiam ipsum Pollucem nomine Castoris appellasse videntur.

50. *Tuusque venter Partumeius*] Nulla foedior sordes usquam Horatium inquinavit, quam hoc in loco; ubi ex malae notae codicibus *partumeius*, verbum ad ultimam Barbariam ablegandum, nobis obtrudunt. Quid autem est *venter partumeius*? Respondebunt tam lepidae mercis mangones, compositum esse a *partu* et *meiere*; qui tam facile scilicet et sine ullo nixu pariat, ut potius *meiere*, quam *parturire* videatur. Quid autem? quisquamne alius hae voce usus est? Non. An ad analogiae regulas formatum est? ne hoc quidem. Sunt tamen, qui *submeios* et *submeiulus*, id est, *qui in lectulo mingit* (sic enim loquuntur) ex infima corruptae Latinitatis faece depromant. Praeclare vero comparatum est, si Flaecus ex Marcello Empirico Latine loqui disset. Sed ignoscendum fortassis esset tam plebeio et sordido vocabulo; siquid urbani et arguti sensus inde exurgeret. Iam autem id pro comperto est, auctorem hic, dum acerbissimis probris lacerare quaerit Canidiam, falsa tamen Ironia laudare eam videri. Ergo cum ait, „*Tibi hospitale pectus, et purae manus.*“ quae vera laudatio est; contrarium tamen vult intelligi. Et similiter, ubi statim addit, „*Tuusque venter partumeius, et tuo Cruore rubros obstetrix pannos lavit.*“; re ipsa quidem innuit, partus sibi supposuisse; sed verbo tenus *vera* puerperia enixam esse dicit. Male igitur hic convenit spurcum illud *partumeius*, quod et re et verbo ipso contumelia, non *laudatio* est. Male quoque subiungit *cruore*, (quod et verum et non adeo facilem partum indicat) si *partumeius* Canidiae venter tam facile offas suas effunderet, quasi emitteret urinam. Revocanda igitur est antiqua et vera lectio, „*Tuusque venter Pactumeius, et tuo Cruore rubros obstetrix pannos lavit.*“ quam solam agnoscunt Scholiastes uterque, et editiones praeae ante Aldum, et omnes opinor membranae paullo vetustiores, ut Blandinae apud Cruquium, et ex nostris omnes praeter codicem et notae et aetatis sequioris Petrensem. Nam in Reginensi et Regiae Societatis a prima manu erat *Pactumeius*, quod postea immutatum est ab insulsis correctoribus. Leidensis et editio Loscheri *Pactomeius*; Veneta 1490 *Patumeius*. Sed vera scriptura et pluribus codicibus confirmata, est *Pactumeius*; nomen scilicet Canidiae filii. Ita Digest. XXVIII, 5, 92. „*Pactumeius Androsthenes Pactumeiam Magnam filiam Pactumeii Magni ex asse haeredem instituerat.*“ et ibidem XL, 7, 21. „*Pactumeius Clemens atebat.*“ Lampridius in Commodio c. VII. „*Interemit ex Consularibus Allium Fuscum — Pactuleium Magnum cum suis.*“ Ubi recte eruditi interprotes *Pactumeium* reponunt; ut sane hic eodem errore *Pactuleius* praefert Torrentii codex. Gruterus in Inscriptionibus, DCCCXVI, 8. PACTUMEIAE. CAMPANAE. et DCCCLXXXIII, 7. PACTUMEIAE. THEOPHILAE. DULCISSIMAE. Sententia autem est, *Pactumeius erat tuus venter*, hoc est, verus filius, non suppositus; *partus ventris tui*, ut

Volgata, sacrum liberi Cupidinis?
 Et Esquilini pontifex venefici
 Impune ut Urbem nomine impleris meo?
 60 Quid proderat ditasse Pelignas anus,
 Velociusve miscuisse toxicum?
 Sed tardiora fata te votis manent:

v. 60. Vulg. *Proderit.* 62. *Si tard.*

exponit vetus Annotator Graevianus: et quidem ridiculum illud *Partumeius* a simili glossemate natum esse pro certo habendum est. *Venter* autem, sive *uterus*, pro infante, qui in ventre est, non inusitata bonis auctoribus locutio. Tacitus *Annal.* I, 59. „*Arminium, supra insitam violentiam, rapta uxor, subiectus servitio uxoris uteris, vecordem agebant.*“ et ibidem XV, 23. „*Iam senatus uterum Poppaeae commendaverat diis.*“ Quintilianus *Declam.* CCLXXVII. [extr.] „*Illam igitur prior damnavit ventrem suum: victurus autem fuit ille, si ego adulteram non occidisset.*“ *Digest.* XXXVII, 9. [1 § 2] „*Totiens autem mittitur in possessionem venter.*“ [1 § 6] „*Si venter ab institutis exhaeredatus sit, a substitutis praeritius.*“ [1 § 11] „*Rationem non esse, cur venter repelli debeat.*“ [1 § 13] „*Non in totum repelli uterus debet.*“ [1 § 17] „*Solet mulier curatorem ventri petere.*“ et ibidem V, 4, 3. „*Antiqui libero ventri ita prospicerunt, ut in tempus nascendi omnia ei iura integra reservarent.*“

60. et 63. *Quid proderit ditasse*] Ita nunc vulgo editur hic locus: „*Quid proderit ditasse Pelignas anus, Velociusve miscuisse toxicum, Si tardiora fata te votis manent?*“ Quae ad verba iam olim adnotavit Porphyrio, *fallere hic sensum*, et ambiguum esse, utrum ad Canidiam haec, an ad Horatium referenda sint. Concludit tamen, ad Horatium potius pertinere; ut sic sint intelligenda, *Quid ibi proderit, Horati, ditasse Pelignas anus*, ut te a meis incantationibus per potentiores incantationes liberarent? *aut quid proderit tibi miscuisse velocius toxicum*, quo poenas tibi a me irrogatas cito morte eligeres? Atque in hanc eius sententiam omnis fere interpretum senatus pedibus accedit. Ego vero altera potius via insistendum existimo. Neque enim vel verbo indicavit Horatius in priore parte Carminis, se ab aliis veneficis antidota petiisse: neque vero par erat, ut qui vanitatem magis tam salse hic derideat, ad easdem artes se devolutum esse fateretur: multo minus mortem toxico sibi accessere voluisse: id enim ipsius orationi plane repugnat. Omnibus enim precibus iam obsecraverat Canidiam, ut solveret se dementia, vitaeque spem et valetudinem sibi restitueret. Ergo de Canidia, non de Horatio, haec verba accipienda sunt: quae tamen prius emendare, quam enarrare oportet. Quippe pro *proderit* veterrimus codex Leidensis, et non infimae notae Magdalenensis *proderat* clare exhibent: et pro *si tardiora*, editiones vetustae Venetae, Porphyrio Scholiastes, Torrentii aliquot codices ex optimis, Pulmanni unus Bersmannique alter, et a prima manu Reginensis noster, *sed tardiora*. Sic igitur totus locus refigendus et distinguendus videtur: „*Quid proderat ditasse Pelignas anus, Velociusve miscuisse toxicum? Sed tardiora fata te votis manent.*“ Cuius haec demum erit sententia, et sic ex praecedentibus colligenda. *Inullus* ut tu sacra magica deriseris, et *impune* me famoso carmine proscideris? Numquam a me, ne spera, hanc veniam impetrabis. Quid enim *proderat* mihi, etiam plurium sagarum auxilium magno pretio conciliasse, aut *velocius* potentiusque toxicum tibi miscuisse; si nunc te inultum et impunitum dimitto? Noli tamen, quia *velocius* dixi, brevem vitae exitum sperare, qui cito te a tormentis eripiat. Vita enim tibi etiam invito producet: ut diutius crucieris. Nihil quidem hac sententia clarius aut simplicius. *Quid proderat* autem; ut Cicero III. in Verrem [act. II. l. I. c. 39 § 102]. „*Quid proderat tibi te expensum illis*

Ingrata misero vita ducenda est, in hoc,
 Novis ut usque suppetas laboribus.
 65 Optat quietem Pelopis infidi pater,
 Egens benignae Tantalus semper dapis;
 Optat Prometheus obligatus aliti:
 Optat supremo conlocare Sisyphus
 In monte saxum: sed vetant leges Iovis.
 70 Voles modo altis desilire turribus,
 Modo ense pectus Norico recludere;
 Frustraque vincla gutturi neces tuo,

v. 64. Vulg. *Doloribus.* 65. *Infidus.* 72. *Innectes.*

non tulisse? Seneca Praefat. in lib. III. [Excerpt. § 5; p. 360, 13 Bars.] *Controvers.* „*Uni illi proderat excuti: melius semper fortuna, quam cura de illo merebat.*“ Salvianus De Gubernatione Dei lib. III. [86] „*Quod si ita esset, qui proderat tamen unum a scelere desistere, et multos in sceleribus permanere?*“ et alii saepe. Porro et plurium veneficarum opem sibi adscivisse Canidiam, patet ex Epodo quinto et Serm. II, 7. [I, 8] ubi eius consciae Sagana, Veia, et Ariminensis Folia nominantur.

64. *Suppetas doloribus*] Ita quidem editiones Venetae; sed Loscheriana *laboribus*: cui accedunt Lambini codices aliquot, et vetus noster Leidensis. Utrumque probum est: sed illud potius huius interpretamentum videtur, et ex spatio interlineari in versum irrepississe.

65. *Pelopis infidus pater*] Iterum Editiones Venetae *infidus*; contra Loscheriana *infidi*: quam tamen hic, ut et loco superiore, recentiores fere deseruerunt. Perperam. Nam, *infidi* etiam exhibent omnes fere aliorum codices, et nostri. In Reginensi quidem et Regiae Societatis, *infidus* nunc extat, sed altera lectione prius erasa. Soli id habent a prima manu Magdalenensis et Bodleianus. Revocanda igitur est prisca lectio, et pluribus testimoniis firmata, „*Optat quietem Pelopis infidi pater, Egens benignae Tantalus semper dapis.*“ Uterque quidem *infidus*, et pater et filius; ut Ovid. *Amor.* III, 12. [v. 30] „*Proditor in medio Tantalus amne sitit.*“ Statius *Theb.* I, 246. „*neque enim arcano de pectore fallax Tantalus, et saevae perit iniuria mensae.*“ Catullus de Nuptiis Pelci. [64, 346] „*Troïcaque obsidens longinquo moenia bello Periuiri Pelopis vastabit tertius heres.*“ Sed hic potius filio donandum est epitheton: quia pater suum habet versu sequente. Qui poetae sunt, hoc ex more et decoro fieri facile agnoscent.

72. *Gutturi innectes tuo*] Sic editiones veteres, et recentiorum pleraeque; sed bona pars codicum, ut ex nostris Graevianus et Galei cum quattuor aliis, *neces*: quae vera et genuina lectio est. „*Frustraque vincla gutturi neces tuo.*“ Sic enim loquuntur boni scriptores, *necesse vincla gutturi*; minime autem *innectere vincla gutturi*, sed (quod interpretibus nostris non animadvertum est) *innectere guttur vinculis*. Noster *Epist.* I, 19, 31. „*Nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.*“ Ausonius *Epig.* XXIII. [v. 1] „*Qui laqueum collo nectebat, reperit aurum.*“ Plinius *Epist.* IX, 28. [§ 4] „*Iam tibi pedes nectimus; quas perfringere nullo modo possis.*“ Contra, Virgilius *Aen.* V, 510. „*et vincula linea rapit, Quis innexa pedem malo pendebat ab alto.*“ et V, 425. de caestibus loquens, „*Et paribus palmas amborum innexuit armis.*“ et VIII, 660. „*tum lactea colla Auro innectuntur.*“ Ovid. *Trist.* V, 3. [v. 3] „*Festaque odoratis innectunt tempora sertis.*“ *Metam.* X, 378. „*laqueoque innectere fauces Destinavit.*“ et XI, 252. „*Ignaram laqueis vinclisque innecte tenaci.*“ Claudian. II *Stilich.* 374. „*Barbara ferratis innectunt colla catenis.*“ et VI

Fastidiosa tristis aegrimonia.
 Vectabor humeris tunc ego inimicis eques;
 75 Meaque terra cedet insolentiae.
 An quae movere cereas imagines,
 (Ut ipse nosti curiosus) et polo
 Deripere lunam vocibus possim meis,
 Possim crematos excitare mortuos,
 80 Desiderique temperare pocula;
 Florem artis in te nil agentis exitum?

v. 78. et 79. Vulg. *Poculum*. 80. *Poculum*.

Cons. Honorii 378. „*Palladiaque* comas innexus arundine Triton.“ et II de Raptu Proserp. 368. „*Mulvaeque alternis* innectite colla lacertis.“ Prudentius Peristephanon. X. 353. „*Iunexa crines vinculis regalibus*.“ et Psychom. 357. „*his rigidas* nodis innectier ulnas.“ Vides, opinor, ad haec exempla dicendum omnino fuisse, „*Frustraque vinculis guttur innectes tuum*.“ non ut nunc circumfertur, „*Frustraque vincla gutturi innectes tuo*.“ Haud enim temere sic positum invenies apud bonos scriptores. In unum duntaxat vel alterum locum incidi: ut Arnobii lib. III. p. 146. Edit. Heraldii [cap. 27]; *Innectantur*, ait, *cervicibus laquei*: verum huius levis est auctoritas, et fortasse scripserat, *nectuntur*. Et Sillii Italici XI. 250. [241] „*huic agendum (nam cur indigna seramus) Magnanimo, miles, meritas innecte catenas*.“ Verum haec opinor haud Sillii locutio est, sed librariorum: sic enim corrigo, „*Magnanimo, miles, meritas i, necte catenas*.“ Sequitur enim mox versu 258. [249] „*At Decius, dum vincla ligant, Necte oculus, inquit, Nam sic Hannibalem decet intravisse, catenas*.“ Denique et Statii Theb. IV. 26. „*Haeret amica manus: certant innectere collo Brachia: manantesque oculos hinc oscula turbant, Hinc magni caligo maris*.“ Sed et hic forte corrigendum: „*Haeret amica manus, certatim nectere collo Brachia*.“

78. et 79. *Vocibus possim meis, Possim crematos*] Legendum cum editionibus antiquis, et plerisque codicibus, nostris certe ad unum omnibus, „*Deripere caelo vocibus possim meis, Possim crematos excitare mortuos*.“

80. *Temperare poculum*] Placet magis, quod in nostris Leidensi, Zuhlii, Reginensi, Magdalenensi, Bodleiano, Regiae Societatis, et pro varia lectione Petrensi invenimus, „*Desiderique temperare pocula*.“ Norat enim Canidia plura phyltrorum et potionum genera conficere: unde ipsa sic Varo minatur Epod. V. v. 73. „*Non usitatis, Vare, potionibus Ad me recurre*. Maius parabo, maius infundam tibi Fastidienti poculum.“ Ergo hic, ubi de arte et potentia sua gloriatur, *pocula* magis convenit. Tum et hoc pacto effugies odiosum homoeoteleuton versus sequentis, *poculum, exitum*. Ceterum ex hoc metiri possis Interpretum diligentiam: qui nullam variationem in suis codicibus memorant: credo, quia *poculum* iam in omnibus editionibus receptum erat.

Q. HORATII FLACCI

CARMEN SAECULARE.

Phoebe, silvarumque potens Diana,
 Lucidum caeli decus, o colendi
 Semper et culti, date quae precamur
 Tempore sacro:
 5 Quo Sibyllini monuere versus
 Virgines lectas puerosque castos
 Dis, quibus septem placuere colles,
 Dicere carmen.
 Alme Sol, curru nitido diem qui
 10 Promis et celas, aliusque et idem
 Nasceris, possis nihil urbe Roma
 Visere maius.
 Rite maturos aperire partus
 Lenis Ilithyia, tuere matres;
 15 Sive tu Lucina probas vocari,
 Seu Genetyllis:

v. 16. Vulg. *Genitalis*.

16. *Seu Genitalis*] Ostentant hic eruditionem suam docti Interpretes: nemo tamen ex illis, quod maxime conandum erat, Dianam sive Lucinam proprio cognomine *Genitalem* Romanis esse dictam, ex nullo alio auctore probare potuit. Neque sane mirum: aliud enim quid, et ab huius loci sententia plane diversum ea vox significat, et diis pluribus attribuitur. Ennius apud Servium ad Aen. VI. 764. [Ann. 119 Vahl.] „*Romulus in caelo cum Dis Genitalibus aevum Degit*.“ Ubi Paullus Merula *deos genitales* Saturnum, Iovem, Venerem, Aeneam, Martem intelligit, quod ab iis Romulus divina quadam serie *genitus* fuerit. Eosdem fere Hieronymus Columna: proprie tamen ait *Genitales deos* eosdem esse ac Indigetes, qui scilicet prius homines fuerint, et postea in deorum numerum adsciti, quales erant Hercules, Castor, Pollux, et Aeneas. Nos plane contrarium ab Ennio notari credimus: quippe *deos genitales* ibi accipimus deos genitos et naturales; non adoptivos et adscititios: qui statim nati sunt caelestes et immortales, non

Divae, producas subolem; Patrumque
 Prosperes decreta super iugandis
 Feminis, prolisque novae feraci
 20 Lege marita:

qui mortalitate exuta caelo postea donati sint. Hi Genitales duodecim numero erant, sex mares, et totidem feminae; Gentium scilicet maiorum dii; quorum nomina idem Ennius hoc disticho comprehendisse memoratur [Ann. v. 63 Vahl.]: „Juno, Vesta, Ceres, Diana, Minerva, Venus, Mars, Mercurius, Iovi, Neptunus, Volcanus, Apollo.“ Ergo hoc voluit Ennius, non mortuum esse Romulum, sed cum diis immortalibus in caelo vivere. Neque aliter eius mentem cepisse olim Ciceronem, vel inde patet, quod Tusc. Quaest. I, 12. [§ 25] sic locum hunc citaverit, „Romulus in caelo cum Dis agit aevum, ut famae assentientis dicit Ennius.“ Quippe perinde esse putavit, utrum poeiae cum diis genitibus, an absolute cum diis diceret. Atqui vox *dii*, cum absolute et per se ponitur, deos immortales et *ἀειγενέτας* semper significat. Eodem modo et Servius ad Virgil. Aen. VI, 777. *deos* universe in hoc Ennii loco interpretatur: „Romulus“, ait, „secundum Ennium referetur inter deos cum avo suo Aenea.“ Sed adhuc clarius ex Ausonio discere poteris, quinam fuerint *dii genitales*. Is enim periocham IV libri Iliados hoc disticho conclusit, „Iuppiter interea cum diis genitibus una Consilium cogit superum de rebus Achivis.“ Non enim Indigetes, sed Deos maiores ibi intelligi, liber ipse Homeri indicio est, [Il. A, 1] *Οἱ δὲ θεοὶ πᾶρ Ζηνὶ καθήμενοι ἠγοροῦσιντο Χρονόφῳ ἐν δακτύφῳ*. Undecim enim illi, quos iam ex Ennio memoravimus, Iovi erant a consiliis: unde Ovidius Metam. VI, 72. „Bis sex caelestes medio Iove sedibus altis Augusta gravitate sedent.“ Et Plautus in Epidico, Act. V. Sc. 1. [v. 4] „Si undecim deos praeter sese secum adducat Iuppiter.“ Denique et ex Festo adhuc amplius constabit, *Genitales* Ennii deos maiorum esse gentium, non deos ex hominibus factos. Sic enim ille [p. 95 Muell.]: „*Genitales* (lege, ut et alii viderunt, *Genitales*) deos dixerunt Aquam, Terram, Ignem, Aërem: ea enim sunt semina rerum, quae Graecorum alii *Στοιχεῖα*, alii *Σπέρματα* vocant. Duodecim quoque signa, Lunam et Solem inter hos deos computabant.“ Haec autem ex sententia Physicorum dicit, qui vulgarem Theologiam de Elementis et Astris allegorice exponerent. Numquam tamen Indigetes deos, sed naturales duntaxat et aeternos allegoriis suis eo traherent. Sed utcumque Ennii verba acceperis, sive de his, seu de illis; illud inde recte colligas, vix fieri posse ut Diana proprio cognomine *Genitalis* appellata sit. Quippe id vocabulum, si Indigetes notet, de Diana non omnino; si maiores illos, quos Hetrusci Consentes vocabant, de ea sola dici non potest. Ut neque illud, quod in duobus Crispinae nummis occurrit apud Mediobarbum, DIS GENITALIBUS; nam si Lucinam tantummodo et eius comitatum eo nomine signasset Romani; non DIS, sed DEABUS utique dixissent. Quid ergo fiet? inquires: et quo pacto ex tantis tenebris in lucem tandem emergemus? Equidem locum esse corruptum et contaminatum existimo, vel potius certo scio. Levissima autem mutatione veram Horatii manum non dubitanter agnosces: „Rite maturos aperire partus Lenis, Ilithia, tuere matres; Sive tu Lucina probas vocari, seu Genetyllis.“ *Genetyllis* enim apud Graecos *Dianae* cognomen, a *γένεσι* ei inditum, quia partibus praesidebat: alii quidem id ad *Venerem* referebant; sed priores secutus est auctor: Suidas: *Γενετυλλίς, δαίμων περι τὴν Ἀφροδίτην, γένεσις αἴτιος, ἐπὶ τῆς γένεσις τῶν παιδῶν ὀνομασμένη. πεποιθὴται δὲ τὸ ὄνομα παρὰ τὴν γένεσιν. Οἱ δὲ, περὶ τὴν ἈΡΤΕΜΙΝ φασὶ τὰς τῶν τοκετῶν ἑσθροὺς, καὶ πάλιν περὶ (lege παρὰ) τὴν γένεσιν. Genetyllis, dea, Veneris comes, generationis auctor, a voce γένεσις dicta. Alii Genetyllidas Dianae comes dicunt, partuum praesides, a voce γένεσις, ut antea, appellatas. Locus Aristot-*

Certus undenos decies per annos
 Orbis ut cantus referatque ludos,
 Ter die claro totiensque grata
 Nocte frequentis.

phanis a Suida hic citatus extat Thesmothor. p. 515. [v. 130] *Ως ἔδὲ τὸ μέλος, ὃ ποικίλα Γενετυλλίδες, καὶ θεηλοθωδῆς, καὶ κατιγλωττισμένων. Idem iterum in Nubibus p. 62. [v. 52] Ὁσῶν λαφύραυ, Κωλιάδος, Γενετυλλίδος. Et in Lysistrata, ipso principio [v. 2]: Ἡ ἴσ Πανός, ἡ πὶ Κωλιάδ, ἡ ἴσ Γενετυλλίδος. Porro ut quidam *Genetyllidas* Veneris vel Dianae, et *Ilithias* Dianae comes; ita alii *Genetyllidem* esse ipsam Venerem vel Dianam, et *Ilithiam* esse ipsam Dianam prodiderunt. Scholiastes ad locum Nubium: *Γενετυλλίς, ἡ τῆς γένεσις ἑσθρος Ἀφροδίτη. Etymol. Magnun. Εἰλεῖθναται, θεατῶν τοκετῶν ἑσθροι, Διὸς καὶ Πρας θυγατέρες. At Horatio Ilithia hic est ipsa Diana: et similiter Genetyllis, non θεὰ περὶ τὴν Ἀρτεμιν, sed ipsa Ἀρτεμιν. Locus Hesychii de Genetyllide singularis plene est, et dignus qui emendationem accipiat. ΓΕΝΕΤΥΛΛΙΣ, γενναία θεὸς, πεποιημένη τοῦ ὀνόματος παρὰ τὰς γένεσις, ἰσικία τῆ ἑσθρῆ, διὸ καὶ ταύτῃ κίνας προετίθεισαν. Ubi κίνας sine dubio mendosum, et ideo a Scaligero et Meursio mutatum in κίνας. Sed die sodas, quid illud sibi velit, θεὰ ἰσικία τῆ ἑσθρῆ, dea similis festo? Ego vero sic totum locum corrigendum existimo. Γενετυλλίς — — ἰσικία τῆ ΕΚΑΘΗ, διὸ καὶ ταύτῃ ΚΥΝΑΣ ΠΡΟΣΕΤΙΘΕΣΑΝ. Genetyllis — — dea Hecate similis; quamobrem et huic quoque canes attribuerunt. Habes, opinor, emendationem claram et certam. Atqui *Hecate* eadem est ac *Diana*: unde Noster Carm. III, 22, 2. „Quae laborantes utero puellas Ter vocata audis, adimisque leto, Diva triformis.“ Recte igitur restituimus, cum Suidae, tum Hesychii auctoritate nixi, „Sive tu *Lucina* probas vocari, seu Genetyllis.“ Favet autem huic emendationi, quod auctor in hoc Carmine Saeculari, et Illo IV, 6. quod huius quasi praefatio et commendatio est, Graeca nomina quasi de industria sectari videatur. Sic *lenis Ilithia* [C. S. 14] dixit, et *levis Agyieu* [IV, 6, 25]; quae vocabula utique Latinis auribus tam inaudita tum erant, quam nostrum *Genetyllis*. Neque vero aliter legisse olim credibile est Servium et Porphyriorem; quantum ex locis hodie contaminatis conjectura assequi datur. Sic enim ille ad Virgillii Eclogam IV. [v. 10]. „Casta sive *Lucina* modo *Lucinam* *Dianam* accipimus. Sic Horatius: Sive te *Lucinam* probas vocari, seu te penitus *lunonem*.“ Quae postrema in aperto mendo cubantia si sic refingas ex lectione hodierna, seu te *Genitalem*; immane quantum a scriptura absecedes: multo propius abiturus, si sic a Servio profectum esse dicas, seu te *Genetyllidem*. Porphyriionis autem verba sic habent ad hunc ipsum auctoris locum. „Ostendit“, ait „eandem *Lucinam* et *Genitalem* deam appellari.“ Animadvertis, opinor, verba prave collocata, et sede sua divulsa. Quippe si id voluit, sic omnino verba disposuisset; „Ostendit eandem deam *Lucinam* et *Genitalem* appellari.“ Sed quid opus est deam? quasi vero id quisquam docendus erat, *Lucinam* deam fuisse. Vix aliter esse potest, quam ut sic olim scripserit; „Ostendit eandem *Lucinam* et *Genetyllidem* appellari.“ Sed quae vox, utpote Librarianis ignota et putabant manifesta, in *genitalem* deam reformabatur. Accessit huc codex noster veterrimus Graevianus, ubi *genitalis* quidem nunc habetur; sed litera quarta *i* alia manu inserta est; et quattuor postremae post rasuram interpolatae. Videtur ergo a prima manu *gentilis* exaratum esse. Quod maximo indicio est in quibusdam exemplaribus *genitillis* fuisse scriptum. Hoc enim ab ignaris correctoribus pro mendoso habitum in *gentilis* immutari facile potuit: at vulgatum *genitalis* nemini offendiculo erat; neque quisquam adeo inflectus, ut ex verbo facili et noto contra ipsum metrum *gentilis* excederet.**

- 25 Vosque veraces cecinisse Parcae,
 Quod semel dictum stabilis per aevum
 Terminus servet, bona iam peractis
 Iungite fata.
 Fertilis frugum pecorisque tellus
 30 Spicea donet Cererem corona :
 Nutriant foetus et aquae salubres
 Et Iovis aurae.

v. 26. Vulg. Dictum est, stabilisque rerum.

26. *Stabilisque rerum Terminus servet*] Minime quidem mirandum est et veteres et novos interpretes in hoc loco cespitasse. Quocumque enim te vertas, nullum exitum invenies; adeo magnis undique difficultatibus obsessa et circumvallata haeret sententia: „*Vosque veraces cecinisse, Parcae, Quod semel dictum est, stabilisque rerum Terminus servet, bona iam peractis Iungite fata.*“ Principio enim, illa dictum est, et servet, in syntaxos legem peccant: unde Aldus et complures eum secuti *servat* ediderunt, tam manifesto vitio ire obviam conati: atque ita sane inveni in Magdalenensi, et a manu secunda in Regiae Societatis codice. Sed ceteri nostri, meliores illis vetustioresque, ut et Cruquii, Torrentii, Bersmanni, Pulmanni, Lambinique exemplaria *servet* retinent; quod a Scholiaste etiam et Servio agnoscitur. Et profecto Latini sermonis ratio poseit et efflagitat, ut post *cecinnisse* quod verba modi subiunctivi, non indicativi, sequantur: „*Parcae veraces cecinisse, quod semel dictum sit, stabilisque rerum Terminus servet.*“ Ita Carm. 1, 32, 3. „*Lusimus tecum, quod et hunc in annum Vivat et plures.*“ Epod. II, 28. „*Fontesque lymphis obstrepunt manantibus, Somnos quod invitet leves.*“ Epist. I, 17, 5. „*aspice, si quid Et nos, quod curas proprium fecisse, loquamur.*“ Neque usquam aliter boni auctores. Deinde et ipsa sententia languet, nutat, et vacillat. „*Quod semel, sit, dictum est.*“ Quorsum amabo illud *semel*? quam vim, quam elegantiam habet? nullam opinor, ut quidem hic nude positum et destitutum est: nisi sequatur aliquod antitheton, quod iacentem sensum exsuscitet, *Quod semel dictum sit, et semper stabile permaneat.* Neque vero illud, si sapiam, laudaverim, *stabilis rerum terminus servet.* Quidnam obsecro ille *servet*? Nihil. Nihil enim hic sequitur, quod *servandum* esse intelligamus. Hisce omnibus difficultatibus si levi verborum mutatione occurrere potero; oequis est adeo duri et feri ingenii, ut conatibus nostris, si non faveat et applaudat, aequum saltem et candidum se non praebeat? Sic itaque emendo: „*Vosque veraces cecinisse, Parcae, Quod semel dictum stabilis per aevum Terminus servet, bona iam peractis Iungite fata.*“ *Dictum* hic iam vides casus esse accusativi. Et sane *est* in veterrimo nostro Graeviano inter lineas tantum, non in ipso versu habetur; prorsus autem abest a Servio, ubi hunc locum laudat ad Virgilii Eclogam IV, 47. Recte ergo illud eiecimus: si tamen quovis pacto retinendum esse existimas, tum, si me audis, hoc modo versum refinges, *Quod, simul dictum est, stabilis per aevum Terminus servet.*“ *Simul dictum est,* hoc erit, *simul atque, ut primum dictum est: simul autem et semel* ubique fere a Librariis confunduntur, ut norunt qui vetera exemplaria manibus versaverunt. Prius tamen illud et rectius est et elegantius. Iam autem si in istis *que rerum et per aevum* ductus literarum contempleris, fateberis opinor proclivem fuisse et facilem librariorum lapsum. Sententia vero mirum quantum ea ratione promovetur et attollitur: *semel* dictum, stabile servetur *per aevum*; hoc est, in perpetuum, in aeternum. Elegans loquendi modus, et optimis scriptoribus fami-

- Conditio mitis placidusque telo
 Supplices audi pueros, Apollo:
 35 Siderum regina bicornis audi,
 Luna, puellas:
 Roma si vestrum est opus, Hiaeque
 Litus Etruscum tenere turmae,
 Iussa pars mutare lares et urbem
 40 Sospite cursu:
 Cui per ardentem sine fraude Troiam
 Castus Aeneas patriae superstes
 Liberum munivit iter, daturus
 Plura relictis.

liaris. Lucretius I, 549. „*Nec ratione queant alia servata per aevum Ex infinito iam tempore res reparare.*“ ubi et illud notes *servata* dici per *aevum*, plane ut hic *servet per aevum*. Iterum ibidem v. 634. „*Discrepat aeternum tempus potuisse manere Innumerabilibus plagis vecata per aevum.*“ et v. 950. „*Sed quoniam docui solidissima materia Corpora perpetuo volitare invicta per aevum.*“ et lib. V, 62. „*Nec posse incolumes magnum durare per aevum.*“ Propertius IV, 2. [v. 55] „*Sed facias, Divum sator, ut Romana per aevum Transeat ante meos turba togata pedes.*“ Ovidius Metam. V, 227. „*Quin etiam monumenta dabo mansura per aevum.*“ Manilius II, 100. „*Denique sic pecudes et muta animantia Iovis Cum maneant ignara sui legisque per aevum.*“ et IV, 291. „*Et celeres motus mutataque cuncta per aevum.*“ Statius Theb. I, 362. „*nullisque aspecta per aevum Solibus umbrosi patuere aestiva Lycaei.*“ et VII, 200. „*videt axis, et ista per aevum Mecum aeterna domus.*“ Silius X, 421. [v. 167] „*sacroque per aevum Aetherio ramos populantur sulfure flammae.*“ Claud. IV, Cons. Honorii. 285. *nec vi connexa per aevum Conspirent elementa sibi.*“ Prudentius Peristeph. VIII, 23. [X, 83] „*Ut se per aevum consecrandos autument.*“ et Hamartig. 660. „*Excitat e tumulis homines, regnique per aevum Participes iubet esse sui.*“ Agnoscis iam opinor emendationem nostram recto talo insistere: at contra, illud vulgatum *stabilis rerum terminus* diversum, ac vulgo creditur, sensum parit, et ab auctoris mente prorsus alienum. *Rerum enim terminus* idem esset, ac rerum finis et extremitas. Quid autem hoc est, *Rerum extremitas servat effata Parcarum*? Nihil insulsius vel fingi potest. Seneca Hercule fur. 290. (ubi Megara Herculem obstans, ut e Tartaro diu expectatus tandem aliquando redeat, haec loquitur) „*Talis parentes, liberos, patriam petens, Erumpo, rerum terminos tecum offerens:*“ hoc est: *imas terrae radices tecum evellens.* Seneca Epist. XCIV. [§ 16] „*Adiice nunc quod sapientis praecepta finita esse debent, et certa: si qua finiri non possunt, extra sapientiam sunt: sapientia rerum terminos novit.*“ Iterum Epist. CX. [§ 4] „*Sed ipsum illud Cadere non habet in se mali quicquam; si exitum spectes, ultra quem natura neminem deiecit. Prope est rerum omnium terminus, prope est, inquam, et illud unde felix evocitur, et illud unde infelix emittitur.*“ Iam vero *terminus* hic apud Nostrum non ea venit notione, qua *ultimum* et *extremum* significant; sed qua *fixum et immobile.* Unde dicitur *stabilis terminus*; atque hoc sensu absolute poni solet, non sequente genitivo *rerum*. Virgil. Aen. IV, 614. „*Et sic fata Iovis poscunt: hic terminus haeret.*“ Lucretius, ter vel quater. [V, 91] „*quid queat esse, Quid nequeat: finita potestas denique cuique Quam sit ratione, atque alte terminus haereat.*“ [cf. VI, 65, I, 78 et 590

45 *Di, probos mores docilis iuventae,*
Di, senectutis placidae quietem
Romulae genti date, remque prolemque
Et decus omne.
Quaeque vos bobus veneratur albis
 50 *Clarus Anchisae Venerisque sanguis,*
Impetret; bellante prior, iacentem
Lenis in hostem.

v. 45. Vulg. *Docili.* 46. *Senectuti.* 49. *Quique.* 51. *Imperet.*

[596]. Quin et *fatorum terminum* dixit Attius in *Hecuba* [v. 481 Ribb.] apud Priscianum p. 716. „*Feter* fatorum terminus *sic iusserat.*“

45. et 46. *Docili iuventae, Di senectuti* Qui aut ipse est poeta, aut aliqui ingenio et iudicio valet, mirabor, si hanc strophem aequae ac ceteras admirabitur: „*Di, probos mores docili iuventae, Di, senectuti placidae quietem, Romulae genti date remque, prolemque, Et decus omne.*“ Quid enim? Annon *iuvenes* et *senes* Romanos intelligit? qui itaque fit, ut tertio demum versu *Romulam gentem* inferat, tamquam si in prioribus pro alia gente precaretur? Praeterea autem hiula est oratio, ac sine nervis et articulis dissoluta. *Date* enim extra sedem suam male collocatur; et *dii* illud in hac quidem constructione tertia vice repetendum erat. Quid multa? iam olim ex coniectura veram lectionem divinaveram, „*Di, probos mores docilis iuventae, Di senectutis placidae quietem Romulae genti date, remque prolemque Et decus omne.*“ Postea autem in Batteliano nostro *docilis* inveni a manu prima: nunc enim litera *s* ab inepto correctore erasa est; ita tamen ut intento oculo statim se prodant. *Senectutis* vero clare extat in optimis nostris codicibus Graeviano et Reginensi, ut et Colbertino et duobus aliis inferioris notae. Idem reperit in duobus suis Bersmannus: neque dubites quin in aliis pluribus habeatur, utcumque ab interpretibus neglectum. Quanto autem haec vulgata meliora, rotundiora, et elegantiora sint, quid attinet dicere? *Di*, inquit, *date Romanis probos iuventae mores, placidae senectutis quietem, remque, prolem, et decus omne.* Ubi *iuventa* et *senectus* non homines ipsos, ut in recepta lectione, sed aetates significant. Porro et in Batteliano sic amplius variatum est, „*Di, senectuti placidam quietem*“: et, quod in ceteris omnibus extat, *placidae*, pro diversa scriptura apponitur. Sane *placida* perpetuum fere *quietis* epitheton est. Virgil. *Aen.* I, 695. „*At Venus Aevanio placidam per membra quietem.*“ IV, 5. „*placidam membris dat cura quietem.*“ V, 836. „*placida laxarunt membra quiete.*“ IX, 187. „*nec mens placida contenta quiete est.*“ Varro apud Senecas *Controv.* XVI. [§ 28, p. 195, 11 Burs.], et *Ep.* LVI [§ 6] „*Omnia noctis erant placida composita quiete.*“ Boëtius *Consolat.* III, 10. [v. 5] „*Hic portus placida manens quiete, Hoc patens unum miseris asylum.*“ Tamen et *senectus* etiam *placida* vocatur: ut Cicero de *Senectute* c. V. [§ 13] „*Est etiam quiete et pure et eleganter actae aetatis placida ac lenis senectus.*“ Seneca de *Vita beata* c. XXI. [§ 1] „*Et in multa senectute placidus viret.*“ Quare satius est, quod ceteri codices et editiones amplectuntur, *placidae* retinere.

49. et 51. *Quique vos bobus* Hic quidem post fruges repertas et palam expositas glande vesci maluerunt plerique interpretes. Sic enim fere post Aldum ediderunt, „*Quique vos bobus veneratur albis, Clarus Anchisae Venerisque sanguis*, Imperet.“ At priscae editiones, duae nempe Venetae et Loscheriana, *Quaeque*; neque aliter codices meliores Cruquii, Pulmanni, Bersmanni et Torrentii cum nostris Graeviano, Reginensi a prima manu, et aliis duobus. Quin et Aeron hanc lectionem agnoscit, tam editus

Iam mari terraque manum potentem
 Medus, Albanasque timet securis:
 55 Iam Scythae responsa petunt, superbi
 Nuper et Indi:
 Iam Fides, et Pax, et Honos, Pudorque
 Priscus, et neglecta redire Virtus
 Audet; adparetque beata pleno
 60 Copia cornu.
 Augur, et fulgente decorus arcu
 Phoebus, acceptusque novem Camenis,
 Qui salutari levat arte fessos
 Corporis artus,
 65 (Si Palatinas videt aequus arces

v. 53. Vulg. *Manus potentes.* 57. *Honor.*

anno 1490, quam manuscriptus: nam postea Fabricius male locum interpolavit. Priscianus p. 774. „*Bobus euphoniae causa pro bobibus, Horatius: Quique vos bobus veneratur albis.*“ Ita quidem Putschius verba exhibuit, ad vulgatas credo Flacci editiones refingens: verum tres scripti codices, quos data opera consului, clare ibi praefertunt *Quaeque*. Praeterea pro *imperet*, quod editiones etiam priscae obsedit, iidem in plerisque suis impetret repererunt: ut et ipse in Petrensi, Batteliano, et a manu prima in duobus aliis Reginensi et Magdalenensi. Sic ergo reponimus, „*Quaeque vos bobus veneratur albis Clarus Anchisae Venerisque sanguis*, Impetret, *bellante prior, iacentem Lenis in hostem.*“ Nihil clarius. *Et quae*, inquit, *vos veneratur, orat, precatur Augustus, impetret et consequatur*; ut recte iam olim enarravit Scholiastes Blandinius; et postea pluribus explicuit doctissimus Torrentius. Hae scilicet occasione pro re Romana, pro se et domo sua preces et vota faciebat ipse Augustus; quae omnia ut dii rata habeant, iam verbis Horatii Chorus veneratur. At in vulgata lectione, quorsum attinebat orare, ut *imperaret* Augustus; id quod iam multos annos, amotis omnibus aemulis, securus et tranquillus fecerat? Altera igitur lectio praefenda est: et profecto ut ex illa vulgata procederent stolidi Librarii, longe erat facillimum, vixque aliter evenire poterat: contra, ut ex vulgata et facili tam reconditam et argutam comminisci aut vellent aut possent, minime est credibile.

53. *Iam mari terraque manus potentes*] „*Subaudiendum utique est Romanorum,*“ ait Porphyrio. Neque aliter recentiores accipiunt. Equidem non repugno: quamquam si codex aliquis vetustus accederet, libentius legerim, „*Iam mari terraque manum potentem*“: ut de Augusto intelligatur. Sic alibi de eodem, *Serm.* II, 5. v. 62. „*Tempore quo iuvenis Parthis horrendus, ab alto demissum genus Aenea, tellure marique Magnus erit.*“ Virgil. *Aen.* VII, 234. „*Fata per Aeneae iuro, dextramque potentem.*“ Ovid. *Metam.* I. [v. 671] „*Parva mora est, alas pedibus, virgamque potenti Somniferam sumsisse manu, legimenque capillis.*“ Claudianus *Carm.* XIII. [in nupt. Hon. et Mar. fesc. v. 93 sive *Carm.* III v. 7] „*Junge potenti pignora dextra.*“ Prudentius *Cathem.* VI, 85. „*Huius manum potentem Gladius perarmat anceps.*“

57. *Et honor pudorque*] Tres Pulmanni codices, et ex nostris Leidensis, Graevianus, et Galei, „*Iam fides, et pax, et honos, pudorque.*“ quod euphoniae gratia merito recipimus.

65. *Si Palatinas videt aequus arces*] Praeter veterrimos Cruquii Blandinius, et aliorum aliquot, etiam Colbertinus noster et Regiae Societa-

Remque Romanam Latiumque) felix

tis codex, et pro varia lectione Graecianus cum Batteliano *aras* habent non *arces*. Atque illam lectionem agnoscit Porphyrio: „*Apparet*,“ inquit, „*iam eo tempore ab Augusto dedicatum fuisse in Palatio Apollinis templum; et sensus est, Si acceptas aras habet Apollo, quae in Palatio dedicatae sunt.*“ Cetera exemplaria cum priscis editionibus *arces*, vel, ut Leidensis noster, *arcis* retinent. Sane *aras* et *arcis* tam similes habent ductus litterarum, ut librarios, etiam minime lippientes, facile decipere possent. Sic in Ciceronis Orat. pro Balbo c. 17. [§ 39] „*Qui et veterem illam speciem foederis Marciani semper omni arce duxerunt sanctionem*“: exscriptores illud *arce* substituerunt pro *ara*, ut recte reposuit Lambinus, frustra obtentibus Gulielmio et Grutero. Contra apud Tacitum Annal. XI, 23. *Capitolio et ara Romana*, membranae praefertunt pro *arce*; ut iam viderunt eruditi ibi interpretes. Quod ad Flacci hunc locum attinet, utraque quidem lectio proba est et venusta; ut nescias fere, utri priores partes iure sint deferendae. Verum anim est, in Palatio templum Apollinis conditum esse, unde noster Epist. I, 3, 17. „*Scripta Palatinus quaecumque recepit Apollo.*“ Propertius IV, 6. [v. 11] „*Musa, Palatini referamus Apollinis aedem.*“ et Ovidius Metam. XV, 865. „*Festaque Caesareos inter sacrala Penates, Et cum Caesarea tu, Phoebe domesticae, Festa.*“ et alii complures. Recte igitur habet *Palatinas aras*. Lectio tamen altera nescio quomodo magis arridet; cum quia *arces* poeticum magis et figuratius videtur; tum quia praeter domum Augusti Palatinam etiam ipsum Apollinis templum sensu comprehendit. Ita Virgil. Aen. XI, 477. „*Nec non ad templum summasque ad Pallados arces Subvehitur magna matrum regina caterva.*“ Noster antea versu septimo: „*Dis, quibus septem placuere colles.*“ Claudianus Bello Gildonico v. 119. „*luque o, si sponte per altum Vecta Palatinis mutasti collibus Idam.*“ Colles autem isti passim apud Poetas *arces* vocantur. Idem in VI. Cons. Honorii v. 617. „*unaque totis Innotat Augustum septenis arcibus Echo.*“ et Carm. XII, 19 [in nupt. Honor. et Mar. fesc. v. 60 sive Carm. II. v. 19] „*Aurea septemgeminas Roma coronet arces.*“ et II Cons. Stilichonis v. 30. „*Non alium certe Romanae clarior arces Suscepere ducem.*“ Virgil. Georg. II, 172. „*Imbellem avertis Romanis arcibus Indum*“ et Aen. X, 12. „*Cum fera Carthago Romanis arcibus olim Exilium magnum atque Alpes immittet apertas.*“ Statius Silv. III, 4. [v. 32] „*tunc Ausonius, ait, ibis ad arces?*“ et IV, 4. [v. 4] „*Atque ubi Romuleas vela penetraveris arces.*“

66. *Remque Romanam Latiumque felix*] Ambiguus locus, et variarum constructionum capax: „*Si Palatinas videt aequus arces, Remque Romanam, Latiumque felix, Alterum in lustrum, meliusque semper Proroget aevum.*“ Ubi Scholiastes Cruquianus: „*Felix secundus: ut poëta* (Aen. I, 334.) „*Sis felix, nostrumque leves quaecumque laborem.*“ Erudite quidem: sed cum in priore versu *aequus Apollo* dicatur, non convenit, ut eadem plane significatione *felix* continuo vocetur. Deterius tamen recentiores, qui sic verba constituunt; „*Proroget rem Romanam, Latiumque felix, in alterum lustrum et in melius semper aevum.*“ Equidem non inficior, quin alio in loco *felix Latium* recte dici queat; ut Statius Silv. III, 3. [v. 51] „*premit felix regum diademata Roma.*“ Verum hic quidem minus apte inculcaretur illud epitheton: id enim iam factum esse significat, quod ab Apolline conatur precibus impetrare. Tum praeterea *felix a Latio* disiungendum esse ostendit locus Ennii Annal. I. [v. 454 Vahl.], unde Noster haec verba mutuatus est, „*Audire est operae pretium, procedere recte Qui rem Romanam, Latiumque augescere voltis.*“ Varro apud Nonium in Nutritur [p. 478 Merc.]. „*Natis, quos Menippea haeresis nutrita est, tutores do, Qui rem Romanam Latiumque augescere voltis.*“ Qualis autem precatio esset, *proroget Latium felix in alterum lustrum?*

Alterum in lustrum meliusque semper

Proroget aevum.

Quaeque Aventinum tenet Algidumque,

70 Quindecim Diana preces virorum

Curat; et votis puerorum amicas

Adplicat auris.

v. 68. Vulg. Proroget. 71. Curet. 72. Applicet.

quasi vero satis esset, si non intra proximum quinquennium imperium Romanum everteretur. Enimvero aut valde fallor; aut diverso plane ordine construenda sunt verba; *Si Apollo*, inquit, *aequus videt Palatinas arces et rem Romanam Latiumque; proroget aevum in alterum felix lustrum meliusque semper.* *Proroget*, inquit, non *rem Romanam*, sed *aevum*: ea enim coniungenda esse declarat locus in Arte Poet. v. 346. „*Illic meret aera liber Sosis, hic et mare transit, Et longum noto scriptori proroget aevum.*“ sic *prorogare horam, diem, annos, aetatem, tempus*, familiares sunt locutiones. *Felix* autem *lustrum*, ut *felix saeculum*. Quintilianus Inst. VIII, 6. [§ 24] de Tropis. „*Sicut ex eo quod continet, id quod continetur, usus recipit; ut Bene moratas urbes, et Poculum epotum, et Saeculum felix.*“ Ovid. Trist. I, 2. [v. 103] „*Hoc duce, si dixi, felicia saecula; proque Caesare lura pius Caesaribusque dedi.*“ Seneca in Apocolocyntosi [c. 1 § 1]; „*Initio saeculi felicissimi*“; et iterum [c. 4 v. 23], „*felicia lassis Saecula praestabit.*“ Nummi antiqui saepe, FELICIA TEMPORA, FELICITAS TEMPORUM, FELICITAS SAECULI. Auctor Panegyrici ad Constantinum [paneg. VII. (Gratiarum Act.) c. 13 § 3]: „*Praeclara fertur Catonis oratio de lustris sui felicitate. Iam tunc enim in illa vetere republica ad Censorum laudem pertinebat, si lustrum felix condidisset, si horrea messis implesset, si vindemia redundasset, si oliveta larga fluxissent.*“ Lucilius apud Gellium IV, 17. [§ 1] „*Scipiadae magno improbus obiciebat Asellum, Lustrum illo Censore malum infelixque fuisse.*“ Vide autem elegantiam singularem: *Proroget*, inquit, sive producat, propaget, continuet *aevum in felix alterum lustrum. Felix alterum*: id enim Augusti auribus donat, et alioqui verum et par erat, ut lustrum elapsum pro felici haberetur. Optat tamen, ut currentibus lustris, priore posterius *melius meliusque semper* evadat. Sic Ovid. Fast. I, 87. de Calendis Ianuariis: „*Salve laeta dies, meliorque revertere semper.*“ Tibullus I, 7. [v. 64] de natali Messallae: „*At tu, natalis, multos celebrando per annos, Candidior semper candidiorque veni.*“ ubi redi reponendum ex codice Achillis Statii; plane, ut Naso, *revertere*.

68. *Proroget aevum*, et v. 71. *Curet*, et v. 72. *Applicet aures*] Hinc quoque, ut ex multis aliis locis, apparet permultum interpretis interesse, iudicium simul afferat, an solam eruditionem. Quippe, cum in editionibus priscis et quae eas excipiebant, sic uno consensu positum invenirent, *Proroget, curet, applicet*: id alba linea signabant, et calculus suis comprobabant omnis fere interpretum chorus. Nimum sane patienter, siquid mihi iudicii est. Neque enim inanis et putidae loquacitatis notam effugere poterit auctor; si ad eorum sententiam sub precationis formula haec protulit. Dixerat iam versu 33. „*Condito mitis placidusque telo Supplices audi pueros, Apollo: Siderum regina bicornis audi, Luna, puellas.*“ Nunc iterum tandem, quasi aut priorum oblitus esset, aut deorum aures eadem ingerendo fatigare vellet et obtundere, sub ipso exitu denuo precatur, „*Quindecim Diana preces virorum Curet, et votis puerorum amicas Applicet aures.*“ Praeterea iam ea vota facta et finita erant: neque postea ullum novum concipitur: adeo ut ineptum et praeposterum sit, cum tu vota nuncupare desieris, tum demum deos sollicitare, ut votis tuis aures aperiant.

Haec Iovem sentire Deosque cunctos,
Spem bonam certamque domum reporto,

Hoc quidem in precum initio factum oportuit, in fine nimis sero fit, in utroque loquaciter et stolidè. Sed meliora suppeditabant veteres membranae; si modo sagaces lectores naetae fuissent. Quattuor enim Blandini apud Craquium, Bersmanni unus, cum Leidensi nostro et a manu prima Reginensi, *Prorogat, curat, applicat*. Porro et *curat, applicat*, praeter tres Bersmanni, Graevianus noster, Regiae Societatis, Bodleianus, et pro varia lectione Battelianus. *Curat* etiam Galei codex, et *prorogat* a prima manu Magdalenensis. Quid quod *curat* et *applicat* diserte agnoscunt Scholiastes uterque: quamvis absurde quidem enarrant, „*particula si ex superiore sensu per Zeugma arcessita*; ut ordo sit: „*Si Diana preces curat, si aures applicat, proroget aevum in melius*.“ Belle sane, quod Zeugma illud, tamquam deum aliquem ex machina, introducunt; cuius ope et numine quibuslibet soloecismis et barbarismis patrocinari queant. Tamen et ipsos aura quaedam veri afflavisse videtur. Sic enim annotant: „*Proroget, dilatat, differat: et est tempus pro tempore, Prorogabit*.“ Certe quicumque haec scripsit; *Prorogat, dilatat, differt* scripsisse videtur. Quippe si *proroget* precandi et optandi modo extuleris, stultum fuerit enallagen temporis somniare, et per *Prorogabit* explicare: contra, si *prorogat* legeris; non inconcinne id quidem, etsi non adeo necessario, per futurum tempus enarrabitur. Adde huc illud Porphyriionis: „*Si propitius Romanos aspicit Apollo, melius saeculum tribuet in futurum*.“ Sic enim ex suis membranis Craquius edidit; non ut vulgo, *tribuat futurum*. Unde amplius constat nonnullos, (nam Scholia vetera centones sunt ex variis consuti) legisse olim, *prorogat*. Quid multa? tu tot auctoribus fretus non dubitanter restitue: „*Alterum in lustrum meliusque semper Prorogat aevum*.“ et, „*Quindecim Diana preces virorum Curat, et volis puerorum amicas Applicat aures*.“ Nihil verius decentiusve dici potuit. Primo enim Chorus pro imperio et re Romana, pro principe et civibus vota Apollini et Dianae nuncupat: tandem quasi praesenti numine afflatus toti coetui et coronae circumstanti fidenter narrat, vota sua ab diis exaudiri, precesque ratas haberi. Unde continuo addit, „*Haec Iovem sentire deosque cunctos Spem bonam certamque domum reporto*.“ et Epist. II, l. v. 134. ubi ad hoc ipsum carmen respicit Noster, „*Poscit opem chorus, et praesentia numina sentit*.“ Ita Tiresias apud Senecam Hercule Furente v. 571. [Oedip. 568] „*Graviores manes voce et attonita ciet*.“ et post aliquam moram [v. 571], „*Audior, vales ait, Rata verba fudi*.“ et Statius Silv. III, 2 [v. 50] „*soli Zephyro sit copia caeli, Solus agat puppes, summasque supernatet undas*. Audimur: *vocat ipse ratem*.“ Id vero videtur fraudi fuisse librariis, ut priscam lectionem *prorogat* interpolarent; quia praecesserat illud de Apolline [v. 65], „*Si Palatinas videt aequus arces Remque Romanam Latumque*.“ Autumabant enim post illud *si*, obtestandi particulam, necessario sequi debere modum verbi optativum, *Proroget* aevum: ut sane passim apud Poetas subsequi solet. Virgil. Aen. II, 536. „*Di, si qua est caelo pietas, quae talia curet*, Persolvant *grates dignas et praemia reddant*.“ et V. v. 797. „*liceat Laurentem attingere Thybrim*. Si *concessa peto, si dant ea maenia Parcae*.“ In quo tamen eos opinio fefellit. Eam enim particulam usurpare sollemne est, non tantum cum deorum opem precantur, verum etiam cum deos propitios certo sibi pollicentur; ut hic, *Prorogat*, inquit, *aevum in melius, si aequus rem Romanam videt*. Ovidius Pont. II, 11. [v. 25] „*O referant grates, quoniam non possumus ipsi, Di tibi: qui referent, si pia facta vident*.“ Ovid. Trist. II, [v. 155] „*Per superos igitur, qui dent tibi longa, dabuntque Tempora, Romanum si modo nomen amant*.“

75 Doctus et Phoebi chorus et Dianae
Dicere laudes.

75. *Doctus et Phoebi*] Codex Manuscriptus Barthio memoratus Advers. XXXVII, 18. „*Doctus et Phoebus chorus, et Dianae Dicere laudes*.“ Utrumque probum est, et *Phoebus*, et *Phoebi*. Ovidius Art. Amat. II. in fine. [v. 739] „*Me vatem celebrate, viri, mihi dicite laudes*.“ Tibullus I, 3. [v. 31] „*Ut mea vaticas persolvens Delia voces Ante sacras lino lecta fores sedeat: Bisque die resoluta comas, tibi dicere laudes Insignis turba debeat in Pharia*.“ Virgil. Georg. II, 393. „*Ergo vite suum Baecho dicemus honorem Carminibus patris*.“ Et sane fatendum est, si *Phoebus* scripserit auctor, vix aliter evenire potuisse, quam ut *Phoebi* supposuerint plerique librariorum: contra si *Phoebi*, vix unum e multis *Phoebus* interpolatum. Veruntamen, cum caeteri omnes scripti et editiones priscæ miro consensu *Phoebi* exhibeant, nihil mutandum censemus. Virgil. Aen. VIII. [v. 287] „*Hic invenum chorus, ille senum, qui carmine laudes Herculeas et facta ferunt*.“ i. e. *Herculis*. Idem Eclog. VI. [v. 6] „*namque super tibi erunt, qui dicere laudes, Fare, tuas cupiant, et tristia condere bella*.“ Sidonius Apollinaris IX. v. 226. „*Non quod per satiras Epistolarum, Sermonumque sales, novumque Epodon, Libros Carminis, et Poeticam artem, Phoebi laudibus et rugae Dianae Conscriptis, voluit sonare Flaccus*.“

Q. HORATHI FLACCI

SERMONUM

LIBER I.

E C L O G A I.

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa
Contentus vivat; laudet diversa sequentis?
O fortunati mercatores, gravis annis

- 5 Miles ait, multo iam fractus membra labore.
Contra mercator, navem iactantibus Austris,
Militia est potior. quid enim? concurritur: horae
Momento aut cita mors venit, aut victoria laeta.
Agricolam laudat iuris legumque peritus,
10 Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
Ille, datis vadibus qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventis clamat in urbe.
Caetera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem
Delassare valent Fabium. ne te morer, audi
15 Quo rem deducam. si quis Deus, En ego, dicat,
Iam faciam quod voltis: eris tu, qui modo miles,
Mercator; tu consultus modo, rusticus: hinc vos,
Vos hinc, mutatis discedite partibus. eia,
Quid statis? nolint. atqui licet esse beatis.
20 Quid causae est, merito quin illis Iuppiter ambas

8. *Momento cita mors*] Ita quidem editiones veteres, et codices plerique; nostri certe omnes. Neque aliter citat Iohannes Saresberiensis in Policratico VII, 16. Libri tamen Lambini quattuor, „*Momento aut cita mors venit, aut victoria laeta.*“ Quod elegantius et magis Horatianum: Sic Carm. III, 20, 15. „*Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa Raptus ab Ida*“ IV, 8, 6. „*Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas.*“ Serm. II, 7, 117. „*Aut insanit homo, aut versus facit.*“ et saepe alibi. Librarii autem hic omiserunt, quia, demto eo, versus suum metrum constabat. Atqui illud animadvertere debuerunt, *Horae momento cita mors venit*, nisi particula disjunctiva inseratur, ominosum plane et infaustum esse.

- Iratus buccas inflet, neque se fore posthaec
Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?
Praeterea (ne sic, ut qui iocularia ridens
Percurram: quamquam ridentem dicere verum
25 Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima:
Sed tamen amoto quaeramus seria ludo.)
Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautaeque per omne
30 Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, cum sibi sint congesta cibaria: sicut
Parvola, nam exemplo est, magni formica laboris
Ore trahit quodecumque potest, atque addit acervo
35 Quem struit haud ignara ac non incauta futuri.
Quae, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepat, et illis utitur ante
Quaesitis sapiens: cum te neque fervidus aestus

v. 38. Vulg. *Patiens.*

38. *Et illis utitur ante Quaesitis sapiens*] *Patiens*, quod editiones veteres occupaverat, primus expulit eruditissimus Lambinus; et in eius locum ex quinque suis *sapiens* reposuit. Illud tamen repositum non modo Douza, Torrentius, et Marcellius, Lambino semper iniqui: sed, quod magis miror, acerrimi viri iudicii Gronovius pater ad Senecae Thyestem v. 470. Nempe aiunt *formicam* recte dici *patientem*; ut illud de *mure* Serm. II, 6. v. 91. „*quid te iuvat, inquit, amice, Praerupti nemoris patientem vivere dorso?*“ sane quidem; sine dubio formica est *patiens* laboris. Verum illud nunc non quaeritur, numquamne alias ea bestiola *patiens* vocari possit; sed an loco, sensui, et auctoris menti id epitheton conveniat. Id quod iam examinandum venit. Principio si legere velis *quaesitis utitur sapiens*, perinde erit, ac si hilariter, genialiter, non perparce et sordide uti dixeris. Sic Carm. I, 11, 6. „*sapias, vina liques, et spatio brevi Spem longam reseces.*“ et I, 7, 17. „*sic tu sapiens finire memento Tristitiam vitaeque labores Mollis. Plance, mero:*“ quae duo loca Lambinus apposite citavit: quibus adde Ep. I, 15. v. 45. „*Fos sapere, et solos aio bene vivere, quorum Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.*“ et I, 10. v. 44. „*Laetus sorte tua vives sapienter, Aristi.*“ et Carm. IV, 9, 45. „*Neu possidentem multa vocaveris Recte beatum: rectius occupat Nomen beati, qui deorum Muneribus sapienter uti.*“ Quin et *uti vel frui* per se sola idem significant: ut Art. Poët. v. 170. „*Quaerit, et inventis miser abstinet, ac timet uti.*“ Epist. I, 7. v. 57. „*Et properare loco, et cessare, et quaerere, et uti.*“ et Epist. I, 4. v. 6. „*di tibi formam, Di tibi divitias dederunt, artemque fruendi.*“ Haec ergo erit sententia; Tu, avare, male te defendere et excusare quaeris exemplo formicae: illa enim, laboribus per aestatem strenue decursis, hiemem in otio genialiter transigit: tu vero totam aetatem quaerendo et laborando consumis; neque unquam cessas, aut quaesitis uti vel acervum comminere audes. Iam autem pro *sapiens* substituit *patiens*; et totam sententiam labefactas. *Patiens*, aiunt, *utitur quaesitis formica*, hoc est, *parca, frugalis, paucis contenta*. Imo vero, non *paucis* victu, sed *duro*, inopi, et sordido contenta. Sic enim exponendum est, quod de *mure* dictum afferunt, „*Praerupti nemoris patientem vivere dorso*“; hoc

Demoveat luero, nec hiems, ignis, mare, ferrum,
 40 Nil obstat tibi, dum ne sit te ditior alter.
 Quid iuvat immensum te argenti pondus et auri
 Furtim defossa timidum deponere terra?
 Quod, si conminuas, vilem redigatur ad assem:
 At, ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?
 45 Millia frumenti tua triverit area centum:
 Non tuus hoc capiet venter plus ac meus: ut si
 Reticulum panis venalis inter onusto
 Forte vehas humero; nihilo plus accipias quam
 Qui nil portarit. vel dic, quid referat intra
 50 Naturae finis viventi, iugera centum an
 Mille aret? At suave est ex magno tollere acervo.
 Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquis,
 Cur tua plus laudes eumeris granaria nostris?
 Ut, tibi si sit opus liquidi non amplius urna,

v. 39. Vulg. *Neque* hiems. 46. *Plus quam* meus.

est, *loto et adore* vilissimo cibo patienter victitantem; cum in urbe suavissimis ferculis et bellariis satur quotidie esse possit. Ita Epist. I, 17. v. 13. „*Si pranderet olus patienter, regibus uti Nollet Aristippus*“: id est, si vilibus *herbis et urtica* patienter vesci posset; non mensas regias sectaretur, mullorum et rhomborum nidore tractus. Ergo haec demum secundum ipsos exorietur sententia: *Avari et formicae diversa longe ratio est: haec enim quaesitis patiens utitur; dureque et misere ac sordide victitans per totam hiemem sub terra latitat: ille quaerendis semper inhiat, neque tamen pro quaestus ratione suntum in se facit; sed quaesitis miser abstinet, et uti timet*. Bella vero antithesis, quaeque magnis viris suo merito placeat. Illud vero per se quale est, *acervo farri constructo, patiens utitur quaesitis?* quemnam, amabo, cibum alium *farri* praetulerit formica? Qualis ergo ea *patientia* est; si et cibo gratissimo vescitur, et de magno acervo sine parsimonia tollit, et pingui otio sine labore perfruitur? Quid quod nusquam satis apte dixeris, *Patienter uti quaesitis?* Uti enim, ut vidimus, ipsum per se geniale quid significat: *patientis* autem est carere potius et abstinere, quam uti. Recte ergo se habet Lambini lectio, „*Non usquam proreperit, et illis utitur ante Quaesitis sapiens*“; *illa*, inquit, *sapiens quaesitis lacte laeteque fruitur; tu miser et stultus gustare et tangere tua non audes*. Atque hanc solam agnoscit Porphyrio Scholiastes: neque aliter omnes fere codices paullo vetustiores, ut praeter Lambini aliquot et Torrentii, Cruquiani omnes; et ex nostris optimi Leidensis, Graevianus, et Reginensis a secunda sed antiqua manu, cum aliquot aliis.

46. *Non tuus hoc capiet, venter plus quam meus*] Editiones quidem veteres *plus quam meus* in sequentes propagarunt: idque silentio transmiserunt interpretes omnes; excepto Bersmanno, qui ex duobus suis *plus ac meus* protulit. Ego vero in Graeviano, Reginensi, et octo praeterea aliis eandem lectionem reperi, *quam* autem in duobus tantum, iisque notae squioris: ut inde de aliorum codicibus coniecturam capere possis. Revocanda igitur membranarum scriptura, „*Non tuus hoc capiet venter plus, ac meus*“ *Plus ac, minus ac, aliter ac et*. notissimae lectiones. Serm. II, 3. v. 270. „*nihilo plus expiect, ac si Insanire parat certa ratione modoque*“ Ideo autem hoc in loco *ac* maluit auctor, quia mox

55 Vel cyatho; et dicas, Magno de flumine malim
 Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere. Eo fit,
 Plenior ut si quos delectet copia iusto,
 Cum ripa simul avolsos ferat Aufidus acer.
 At qui tantuli eget, quantum est opus, is neque limo
 60 Turbatam haurit aquam, nec vitam amittit in undis.
 At bona pars hominum decepta cupidine falso,
 Nil satis est, inquit: quia tanti, quantum habeas, sis.
 Quid facias illi? iubeas miseram esse libenter,
 Quatenus id facit: ut quidam memoratur Athenis

v. 55. Vulg. *Mallem*. 59. *Quanto*. 60. *Neque* vitam. 63. *Miserum*.

versu abhinc uno habetur, „*nihilo plus accipias, quam*“: Variare itaque sermonem voluit, ut fastidium evitaret.

55. *Magno de flumine mallem*] Etiam *mallem* de loco movere veriti sunt interpretes, quia in prioribus editionibus obtinuerat. Solus Lambinus, in quinque suis *malim* se invenisse memorat; ceteri tacent. At idem exhibet melior maiorque pars nostrorum, Graevianus, Leidensis, Colbertinus, Galei, Battelianus alique, et a prima manu Reginensis. Lego igitur, „*magno de flumine malim, Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere*“ Praesentis enim temporis verbum hic requiritur. Si tibi sit opus — et dicas, *Malim* sumere. Si *mallem* legis; tum dicendum fuerit, *Si esset opus, et Dixeris*.

59. *At qui tantuli eget, quanto est opus*] *Tantuli* habent meliores nostri, Graevianus, et a prima manu Reginensis, cum aliis: atque ita editiones vetustae; non *tantulo*. Porro et in iisdem extat *Quanto est opus*. Nicolaus Heinsius ex coniectura, *Quantillo opus*. Mihi quidem magis aridit ea lectio, quam in suis quibusdam Lambinus invenit, „*At qui tantuli eget, quantum est opus*“ Nam et eo pacto sententia fit paullo concinnior; et praeterea locutio eiusmodi est, ut non temere a Librariis substitui posset; quibus sollemne est reconditas et raras lectiones in familiares et tritas mutare, non vicissim. Lactantius III, 5. [§ 4] „*Nam vulgus interdum plus sapit, quia tantum, quantum opus est, sapit*“ Quadrigarius apud Gellium XVII, 2. [§ 15] „*Nihil sibi divitias opus esse*“ Lucretius II, 1137. „*Unde queat tantum suboriri ac suppeditare, Quantum opus est; et quod salis est, natura novare*“ Ita Cicero saepe, *Quod opus est, Quae opus erunt, Nummos opus esse, Dux nobis et auctor opus est*, et similia.

63. *Iubeas miserum esse libenter*] Vide modo locum integrum. „*At bona pars hominum decepta cupidine falso, Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis. Quid facias illi? iubeas miserum esse libenter*“ ubi haec series dictionis est: *Bona pars hominum inquit*. — *Quid facias illi bonae hominum parti? Iubeas miserum esse libenter*. Quid audio? imo vero *miseram*; nisi sobocissimum facere velis. Lego igitur, invitis licet codicibus, „*Quid facias illi? iubeas miseram esse libenter*“ Quod postea Marcellum quoque animadvertisse vidi. Is tamen pro iudicii sui modulo *miserum* nihilominus retinet. „*Fertit, inquit, poëta filium orationis; ut si hominem dixisset, non partem hominum*“ At quid opus erat, o bone? Annon quid facias illi hominum parti, neque commode dicitur, *o illi homini?* annon tam *pluribus* ea formula convenit, quam *uni*? Lactantius III, 20. [§ 4] „*Quid his facias, qui inconcessa scrutari volunt*“ et, V, 12. [prine.] „*Quid his facias, qui ius vocant carnicinias veterum tyrannorum*“? Quorsum itaque attinebat *filium vertere?* cum *filium* perducendo et sententiae magis, et orationi aequè consultum esset.

65. Sordidus ac dives, populi contemnere voces
Sic solitus: Populus me sibilat; at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.
Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina. quid rides? mutato nomine, de te
70. Fabula narratur. congestis undique saccis
Indormis inhians, et tamquam parcere sacris
Cogeris, aut pietis tamquam gaudere tabellis.
Nescis quo valeat nummus, quem praebeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius; adde
75. Quis humana sibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctisque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes, hoc iuvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
80. At si condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius casus lecto te adfixit; habes qui
Adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet, ac natis reddat carisque propinquis?
Non uxor salvum te volt, non filius; omnes
85. Vicini oderunt, noti, pueri atque puellae.
Miraris, cum tu argento post omnia ponas,
Si nemo praestet, quem non mercaris, amorem?
An, si cognatos, nullo natura labore

v. 83. Vulg. *Ac reddat natis.* 88. *At si.*

81. *Lecto te afficit*] Editio prima Veneta, *Afflicti*; altera et Loescheri *afficit*. Inde in partes itum est ab interpretibus: ita tamen ut pluribus placuerit *afficit*, quod profecto et in pluribus membranis reperitur. Verior tamen ea lectio est, quae pauciores advocatos sibi naeta est. Seneca Epist. LXVII [§ 2] „*Ago gratias senectuti, quod me lectulo afficit.*“ Ubi nulla in tot codicibus variatio est, praeterquam quod tres apud Gruterum Palatini *lecto pro lectulo* exhibeant; atque eo propius ad hanc Flacii lectionem accedant. Cicero in Verrem V. c. 7. [§ 16] „*Nam pater, grandis natu, iam diu lecto tenebatur.*“: quod perinde est ac *affigebatur*. *Morbus* quidem *afficit*, vel *casus afficit* recte dixeris; atque ita saepe Celsus aliique: minime vero, *casus lecto afficit*. *Affligere* enim, sequente dativo, vim et impetum in illidendo significat: atque aegroti lecto decumbunt, non lecto illiduntur. Vide nos ad Serm. II, 2. v. 79.

83. *Suscitet, ac reddat natis*] Quia semel in veteribus editis sic constituta est lectio, veriti sunt immutare plerique interpretes. At Craquius in tribus Blandiniis, in uno suo Pulmannus, in Graeviano, Zulichemiano, Magdalenensi, et Franckerano nos alio ordine *natis reddat* reperimus. Scribe igitur, „*Suscitet, ac natis reddat, carisque propinquis.*“ quae verborum collocatio et dulcior et elegantior est.

88. *At si cognatos*] Salebrosus sane locus, unde haud facile est pedem inoffensum servare: „*At si cognatos, nullo natura labore Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos, Infelix operam perdas: ut si quis asellum In campo doceat parentem currere frenis.*“ ubi primo videndum erit, quo pertineant illa *nullo labore*. Et nos quidem cum veteribus

Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos,
90 Infelix operam perdas; ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere frenis?
Denique sit finis quaerendi: cumque habeas plus,

Scholias ad naturam referenda esse censemus; quos scilicet natura sponte, ultro et gratuito, tibi dat sine ullo tuo labore. Seneca in Apocolocyntosi [c. 4. v. 12]: „Sponte sua festinat opus, nulloque labore *Mollia contorto descendunt stamina fuso.*“ i. e. nullo Parcarum labore. Statius Theb. VIII, 315. de Tellure loquens, „*astriferumque domus Atlanta supernas Ferre laborantem nullo velis ipsa labore.*“ i. e. nullo tuo. Seneca Epist. LXXXIV. [§ 5] „*Deinde adhibita ingenii cura et facultate, in unum saporem varia illa libamina confundere: ut etiamsi apparuerit unde sumtum sit, aliud tamen esse quam unde sumtum est appareat: quod in corpore nostro videmus sine ulla opera [nostra] facere naturam.*“ Interdum pronomen exprimitur; non subintelligitur: Cicero II contra Rullum c. 6. [§ 16] „*Nobis traditam libertatem, nullo vestro labore, consule adiutore, defendere.*“ Plinius Hist. XXXII, 1. [§ 2] „*Insrenat impetus Echeneis, et domat mundi rabiem, nullo suo labore, aiunt, non retinendo, aut alio modo quam adhaerendo.*“ Verum aliam hic constructionem instituunt viri doctissimi; quorum primus Torrentius rem dubius et paene dissentiens proposuit; mox ab illo arreptam Dacierius aliique tamquam certam et indubitam fidenter obtulerunt: ut ordo sit, *At si velis nullo labore retinere cognatos, quos natura tibi dat*. In quo certe, praeter coactam et impeditam orationem, ioculare hominum errorem et ἀβελβίαν ridere licet. Sic enim secundum ipsos procedet sententia: *si nullo labore, sive sine ulla opera, cognatos retinere velis, infelix operam perdas*. Quid? an opera perditur, quae non omnino insumitur? „*Si nullum, aiunt, laborem impendere velis, operam perdas.*“ Haud vidi magis operam sine sudore et oleo navatam. Sed venia danda est viris eruditissimis *ἄλλοις ἐπ' ἑσθλοῖς*; quam et nos vicissim petimus, siquid simile usquam nobis incogitantibus obreperit. Illud iam porro inquirendum, quid sibi velit et quo spectet tota haec oratio. Quod in recepta quidem lectione desperandum mihi videtur. *Tu, avarus, inquit, si cognatorum tuorum amicitiam servare et retinere velis, perdas operam infelix.* Haec enim rem intelligere posse videor. Frustra enim avarus benevolentes sibi cognatos speret, sine sumtu et largitione: omnia alia opera rogando, obtinendo, blandiendo, incassum sumitur. Sed repudiant hunc sensum quae mox subiunguntur; „*ut si quis asellum In campo doceat parentem currere frenis.*“: haec enim non in avarum ipsum, sed in cognatos culpam transferunt. Quippe superiore sententia is ipse est *asinus ad tyram*, et indocilis recte utendi cognatis suis: haec, contra, cognati vituperantur, tamquam *aselli frenorum impatientes*, quibus omnis cura cultusque impensus in irritum cadit. Vides iam, opinor, locum undique obseptum esse; unde pedem aut proferre, aut referre nullo modo possis. Quid ergo? Mihi quidem omnino revocanda videtur lectio, quam uterque Scholiastes memorat, quam et Craquii duo codices, Pulmanni quattuor, Torrentique aliquot agnoscunt, et pro varia lectione Leidenensis noster, „*An si cognatos, — ?*“ ut sententia sit huiusmodi: An miraris, quod te non ament cognati; quos tu nulla benignitate conciliare tibi studeas? An potius nihili facis a cognatis amari; et omne, quod ad demerendos eos imponi debet, male locutum et perditum iri putas? quasi si asinum traderes magistro, qui in Campo eum instituat „*Insultare solo, et gressus glomerare superbos.*“ [Virgil. Georg. III, 117]? In quo tamen male tibi consulis; quid enim? „*Uni nimirum tibi recte semper eunt res.*“ [Serm. II, 2, 106] Adveniet fortasse tempus, cum cognatorum ope et benevolentia indigeas. Vel *denique*, si eorum gratiam non ita magni aestimas; cave saltem, ne avaritia tua et sordibus perneciale familiae odium

Pauperiem metuas minus; et finire laborem
 Incipias, parto quod avebas: ne facias quod
 95 Ummidius, qui tam (non longa est fabula) dives
 Ut metiretur nummos, ita sordidus ut se
 v. 94. Vulg. *Nec facias*. 95. *Quidam*.

in te concites: ne fortassis, ut miser ille *Ummidius*, securi vel toxico sublati digniorem haeredem locupletes.

94. *Nec facias quod Ummidius quidam*] Primo pro *Nec facias*, quod ex priscae editionibus male derivatum est, scribendum *ne facias*; ut omnes ubique codices et aliorum et nostri exhibent summo consensu. Neque aliter citat Charisius p. 202. „*Ne, quoties pro eo quod est apud Graecos INA MI accipitur, optativa recipit, ut apud Horatium, Ne facias quod Ummidius*.“ Eadem plane habes apud Diomedem p. 388. Sententia autem aperta est, quam et supra illustravimus. Mox in avari divitis nomine valde in codicibus variatum est, *Unidius, Uvidius, Vinidius, Numidius, Umidius, Ummidius*. Placent duo postrema, quorum illud in Reginensi nostro est, hoc in Graeviano. Apud Gruterum [p. 579, 3] occurrit C. UMIDIUS. C. L. OPTATUS. apud Reinesium [VIII, 52] UMIDI AVITI. in Marmoribus Felsineis [p. 368] C. UMIDIUS ACTIUS. Iterum apud Gruterum habes UMMIDIAE CALE. et. . . MMIDIO HERMETIONI. et p. 432. I. UMMIDIO SECUNDO. et 895, 10. UMMIDIAE MANES — UMMIDIAE C. F. ET P. UMMIDIO PRIMIGENIO — P. UMMIDIUS ANOPTES. Varro de Re Rustica, III, 3 [§ 9] „*Non Philippus, cum ad Ummidium hospitem Casini divertisset, et ei e tuo flumine lupum piscem formosum apposuisset, atque ille gustasset et capuisset, dixit, Peream, ni piscem putavi esse*“ Ubi pro *Ummidium*, quale nomen nusquam alias habetur, reponendum credo *Ummidium*: et fortasse is ipse est, de quo loquitur Horatius; ut et *Philippum* illum alibi memorat Epist. I, 7 [v. 46 seqq.]. nam ex dicto Philippi acerbo sane et contumelioso coniectias *Ummidium* illum pro avaro et sordido habitum fuisse. Illud quod sequitur subtilioris est disquisitionis, „*ne facias, quod Ummidius quidam (non longa est fabula) dives, Ut metiretur nummos; ita sordidus, ut se Non unquam servo melius vestiret: ad usque Supremum tempus, ne se penuria victus Opprimeret, metuebat*“ ubi animadvertite sodes, ut aliquantum scabrior et paene hiulca sit oratio: *Ne facias, quod Ummidius quidam, dives et sordidus: metuebat, semper, ne victus inopia moreretur*. Certe ad sententiam plene et discrete efferendum qui particula requiritur: *Dives et sordidus, qui metuebat*; aut, *qui dives et sordidus metuebat*. Unde nata mihi statim coniectura est, quae minima mutatione scabritiem illam leviget, et hiantem dictionem coagmentet: „*ne facias, quod Ummidius; qui tam (non longa est fabula) dives*.“ *Qui tam dives*, ait, *ut pecuniam modio metiretur; ita sordidus et parvus, ut honestum vestitum sibi gravaretur; metuebat tamen, ne etc.* Porro *Tam dives, ut*; plane ut supra versu 20. „*Tam facilem dicat, volis ut praebeat aurem*.“ Etsi alioqui *tam* vel *ita* interdum apud nostrum subaudiri non ignorem; ut Serm. I, 7. v. 13. „*Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors*.“ Neque vero ineleganter inter *tam* et *dives* parenthesis interiecit, licet in medio orationis cursu. Ovidius Fast. II, 283. „*Cur igitur curant, et cur* (sic currere mos est) *Nuda ferant posita corpora veste, rogas*.“ Quintilianus Inst. IX, 2. [§ 95] „*Utilis autem aliquando dissimulatio est: ut in eo* (nota enim fabula est) *qui, cum esset contra eum dictum, Iura per patroni sui cineres, paratum se esse respondit*.“ Postremo nihil opus erat quasi de homine ignoto *quidam* subiungere, non magis quam mox de *Maenio* et *Nomentano*. Nam et *Ummidium*, vel lucebant illas divitias, vel etiam ipsam avaritiam, celebrem et famosum reddidisse veri admodum simile est.

Non unquam servo melius vestiret, ad usque
 Supremum tempus ne se penuria victus
 Opprimeret metuebat: at hunc liberta securi
 100 Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.

100. *Fortissima Tyndaridarum*] Iam diu est, cum haec verba erucem Grammatici fixerunt; quippe si masculinum est genus *Tyndaridarum* a recto *Tyndarides*, sententia impeditur; si femininum a *Tyndarida*, analogia violatur. Quem tamen nodum non solvere, sed secare nuper conatus est vir et ingenio et eruditione celebris Ioannes Clericus in opusculo Gallico *Bibliothèque Choisie* Tomo III. p. 256. Sic enim reponit, eodem, ut putat, sensu, literis non multum diversis: „*at hunc liberta securi Divisit medium fortissima Tyndaris*. Horum *Quid mi igitur suades? ut vivam Naevius? aut sic Ut Nomentanus?*“ Quod equidem nollem, viro sagaci et ibidem de notulis meis ad Horatium promissis tam bene existimanti, sub calamum unquam venisset. Nam ut condonetur illud *fortissima Tyndaris*, quod tamen non una de causa displicet: illa certe quae sequuntur, „*Quid igitur horum mihi suades*“, nullo pacto possunt consistere. Non enim *Naevius* pro avaro, et *Nomentanus* pro nepote hic proponitur; ut sententia sit, *Utrum horum imitari me malis: sed uterque prodigus erat et nebulo*. Neque vero, postquam tot versibus avaritiam insectatus esset, sic se interrogari fingeret Noster, *Quid igitur? suadesne, ut vivam avarus?* id enim ineptum plane et absurdum esset. Sed is interrogationis sensus est, *Video te nolle, ut Ummidii more vivam: suadesne igitur, ut in morem nepotis, Naevii aut Nomentani?* Cui apta statim redditur responsio, „*pergis pugnancia secum Frontibus adversis componere*“ *Ummidium* nempe cum *Naevio* et *Nomentano*? Male igitur cessit coniectura viro alioquin ingenioso. Imo vero nihil hic sollicitandum esse monet omni exceptione maior Quintilianus auctoritas. Is enim Inst. XI, 4. [IX, 4 § 65] „*Est in eo quaque*“ inquit, „*nonnihil, quod sic singulis verbis bini pedes continentur, quod etiam in carminibus est permolle: nec solum ubi quinque syllabae necluntur, ut in his, fortissima Tyndaridarum; sed etiam ubi quaterinae, cum versus cluditur Apennino, et Armamentis, et Oriona*.“ Vides, opinor, adeo expressis signis notisque haec citari; ut de lectionis sinceritate nulla controversia esse debeat. Quare adhuc integra Grammaticorum lis erit, quid de *Tyndaridarum* causa sit statuendum. Et feminino quidem genere pro *Tyndaridum* accipit illustris Nic. Heinsius ad Ovidii Met. V, 268. quo exemplo et Ausonium ex coniectura corrigit Grippo numeri Ternarii, „*Et Lyrici vates numero sunt Mnemonidarum*“, hoc est, *Mnemonidum*: *Mnemonides* enim Musae. Membranae tamen *Mnemosynarum* ibi praefurunt. Idem sum Heinsio de hoc Horatii loco sentit magnus Scaliger ad Manilium [1, 362]; ut *Tyndaridarum* sit haec *Tyndarida* huius *Tyndaridae*; quo exemplo a *lampade, hebdomade*, Latinos in casu recto *lampada, hebdomada*, formavisse narrat. Equidem non negaverim fieri potuisse, ut, priusquam linguae Graecae usus vulgo Romae inoleverit, veteres illi feminina Graeca in *is* vel *as* exeuntia terminatione Latina secundae declinationis efferrent. Illud tamen numquam concesserim, in mediis Athenis institutum Horatium, et illo praesertim saeculo, quod verba Graeco fonte deducta libentissime recepit, tam casae et Opice locutum esse: nisi forte hoc hemistichion ab Ennio vel Accio vel Lucilio prius dictum et ore hominum celebratum in suos usus transtulerit. Id quod, ut pro comperto haberi iam nequit, ita non admodum verisimile est. Nam et illi ipsi, quantum ex eorum reliquiis constat, terminationes Graecae praetulerunt. Lucilium apud Nonium v. Unguentum [p. 427, 12 Merc.]; „*Eumenidum sanctissima Erinys*“: non *Eumenidarum*: et iterum v. Contendere [p. 258, 30]; „*Thestiados Ledae atque Istoris, Edozoto*“: non *Thestiadae*. Sic *Ennius Eumenidibus, Levit At-*

Quid mi igitur suades? ut vivam Maenius aut sic
 Ut Nomentanus? Pergis pugnancia secum
 Frontibus adversis componere? non ego avarum
 Cum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.
 105 Est inter Tanain quiddam*) socerumque Viselli:
 Est modus in rebus; sunt certi denique fines,
 Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
 Illuc, unde abii, redeo. nemon' ut avarus
 Se probet, ac potius laudet diversa sequentis?
 110 Quodque aliena capella gerat distentius uber,

*cestis, Accius in Thebaide et Troadibus citantur: non Eumenidis, Alce-
 stida, Thebaida, Troadis. Ita apud Accium Tantalidarum, apud Pacuvium
 Pelopidarum invenies, non a Tantalida Pelopida rectis facinorinis deducta,
 sed a Tantalides, Pelopides. [Att. v. 657 Ribb.] „Quinam Tantalidarum inter-
 necioni modus?“ Idem adhuc citantur in Antenoridis, Agamemnonidis, Phi-
 nidis; ubi filii, non filiae, denotantur. Quare satius est, opinor, plebeiam illam,
 quam Horatio adfingunt, terminationem missam in praesens facere: atque ita
 locum exponere (quod et olim tetigit Lambinus) ut Tyndaridarum genere
 quidem masculino utriusque sexus liberos, tam filias quam filios, compre-
 hendat. Libertia igitur illa Ummidii erat altera Clytemnestra, fortissima
 omnium liberorum Tyndari: quo modo et salva erit sententia, neque ulla
 scabies nitidissimo poetae affricabitur. Synesii Philosophi Epigramma, Antho-
 log. IV, 4. [ep. 20] Οἱ τοῖς ΤΥΝΔΑΡΙΔΑΙ, Κἀστω, ΕΑΕΝΗ,
 Πολυδένειος. Tres illi Tyndaridae, Castor, Helena, et Pollux. Helena ergo,
 ut vides, erat una et quidem pulcherrima Tyndaridarum. Quin et alias
 Masculinum genus sub se alterum concludit. Digest. II, 10 [X, 2], 38.
 „Lucius et Filia fratres.“ et [II] 14, 35. „Tres fratres Titius et Mae-
 vius et Seia.“ Livius XXXVII, 3. [§ 9] „Legati ab Ptolemaeo et Cleo-
 patra, regibus Aegypti, venerunt.“ Tacitus Annal. XII, 4. „Fratrumque
 non incestum, sed incustoditum amorem ad infamiam traxit.“ hoc est,
 Silani et Iuliae Calpurniae. Ubi accuratissimus Gronovius pater et illa Se-
 necae adducit, Medea v. 56. et 59. „Ad regum Thalamos numine prospero.“
 „Primus sceptriferis colla Tonantibus.“ regum, id est, Iasonis et Creusae;
 Tonantibus, id est, Iovi et Iunoni. Atque haec scripseram; cum in memo-
 riam demum redii, eruditissimum Munckerum in commentario ad Hyginum
 Tyndarida in casu recto multis exemplis adstruere; qualia sunt Briseida
 pro Briseis, Chryseida et Tritonida apud Hyginum; Nereida et Aulida
 apud Dictyn Cretensem; Heroïda apud Fulgentium; Titanida apud Martia-
 num Capellam, Symplegada apud Isidorum, et alia plura eius farinae.
 Quae omnia, sive ipsis auctoribus, ut fieri potest, sive delirantibus librariis
 imputanda sint, meo quidem iudicio nihil ad Horatium faciunt. Absit enim, ut
 Augusteo aevo et probatissimo quidem scriptori verba tribuamus; quibus
 post multa saecula, late tum grassante barbarie, scriptores aliquot proletarii
 chartas inquinarent.*

101. *Ut vivam Maenius, aut sic Ut Nomentanus*] Plerique codices
Naevius habent; Editiones veteres *Mevius*; ut et Galeanus noster, et a
 prima manu codex Regiae Societatis. Unde recte videntur reposuisse *Mae-
 nius*, qui ex Epistola I, 15. [v. 26] notus est luxuriae. Porro et Reg. Soc.
 liber, „ut vivam Mevius, an sic Ut Nomentanus?“ Nimirum hunc pro
 nebulone, Mevium pro avaro et sordido cepit librarius: quam sententiam
 supra refutavimus. Melius itaque cum ceteris leges, ut vivam Naevius,
 aut sic; aut quod adhuc minus ambigui habet, ut vivam Naevius, ac sic,

*) [quidam et in margine „Vulg. quiddam“ Bentl. ed. a. 1711; sed correcti ibid.
 in praef.]

Tabescat? neque se maiori pauperiorum
 Turbae comparet? hunc atque hunc superare laboret?
 Sic festinanti semper locupletior obstat:
 Ut cum carceribus missos rapit ungula currus;
 115 Instat equis auriga suos vincentibus, illum
 Praeteritum temnens extremos inter euntem.
 Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
 Dicat, et exacto contentus tempore, vita
 Cedat uti conviva satur, reperire queamus.
 120 Iam satis est: ne me Crispini serinia lippum
 Compilasse putes, verbum non amplius addam.

ECLOGA II.

Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,
 Mendici, mimae, balatrones; hoc genus omne
 Maestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli:
 Quippe benignus erat. contra hic, ne prodigus esse
 5 Dicatur, metuens, inopi dare nolit amico,
 Frigus quo duramque famem depellere possit.

v. 120. Vulg. Lippi.

cum Leidensi codice, et Collegii Trinitatis. Aut et ac ab exscriptoribus
 confundi solere passim animadverti.

120. *Crispini serinia lippi*] Ipse quidem Horatius lippus erat, ut
 ipse de se constitur non semel. Serm. I, 5. v. 30. „Hic oculis ego nigra
 meis collyria lippus illinere.“ et ibidem v. 49. „dormitum ego Virgilius-
 que: Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.“ et Epist. I, 1. v.
 29. „Restat, ut his ego me ipse regam solerque elementis. Non possis
 oculo quantum contendere Lynceus; Non tamen idcirco contemnas lippus
 inungi.“ Impudentis ergo hominis et stolidi esse videatur, imo communi
 plane sensu carentis, Crispinum ob lippitudinem deridere, cum ipse eodem
 oculorum vitio laboraret. Numquam equidem crediderim adeo sui oblitum
 et decori inscientem fuisse nostrum, ut hoc faceret. Neque vero Scholiastae
 veteres, vel verbulo indicant lippissime Crispinum: et tamen illi ex commen-
 tariis veterum non pauca didicerunt, praesertim circa personas, quae hodie
 aliunde scire numquam potuimus: quale illud de Tanai et Visellii socero,
 versu 105, illum scilicet spadonem fuisse, hunc herniosum. Imo inde potius
 sanis eum fuisse oculis recte colligas: quippe Annotator Cruquianus non
 oculorum ratione, sed mentis, quod insubus fuerit poeta, lippum hic
 vocatum memorat; alius vero Glossator, cognomen ei Lippo fuisse inditum.
 Quae cum absurda sunt, et otiosorum hominum commenta; tanto magis
 tamen ostendunt ab oculorum morbo immunem eum fuisse: quod ad has
 ineptias descendere coacti sint, quo rationem huius epitheti pravam saltem et
 falsam eruerent. Quid ergo? mihi nulla quidem dubitatio est, quin auctor
 sic scripserit, „Iam satis est: ne me Crispini serinia lippum Compilasse
 putes, verbum non amplius addam.“ Tam enim hoc urbane et facete de
 se dixerit, quam de Crispino stolidi et inhumane. Hoc scilicet Maecenatem
 dicturum sibi fingit: Quorsum haec tam putida? mirum, si hic lippus
 Crispini serinia compilaverit. Equid vero iam videtur? annon sordet
 prae hac nostra lectio illa vulgata? Ego quoque, utpote in re clara et
 certa, verbum non amplius addam.

6. *Famem depellere possit*] Editiones veteres, Venetas duae et Lo-
 scheriana, propellere: atque ita maior pars codicum. Utrumque probum

- Hunc si perconteris, avi cur atque parentis
 Praeclaram ingrata stringat malus ingluvie rem,
 Omnia conductis coëmens obsonia nummis:
 10 Sordidus, atque animi quod parvi nolit haberi,
 Respondet. laudatur ab his, culpatur ab illis.
 Fufidius vappae famam timet ac nebulonis,
 Dives agris, dives positis in fenore nummis.
 Quinas hic capiti mercedes exsecat; atque
 15 Quanto perditior quisque est, tanto acrius arguet:
 Nomina sectatur, modo sumta veste virili
 Sub patribus duris, tironum. Maxime, quis non,
 Iuppiter, exclamat, simul atque audivit? At in se
 Pro quaestu sumtum facit hic. Vix credere possis
 20 Quam sibi non sit amicus: ita ut pater ille, Terenti
 Fabula quem miserum gnato vixisse fugato
 Inducit non se peius cruciaverit atque hic.
 Si quis nunc quaerat, Quo res haec percurrunt? Illuc:
 Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
 25 Malchinus tunicis demissis ambulat: est qui
 Inguen ad obscaenum subductis usque facetus:

v. 25. Vulg. *Malthinus*.

videtur. *Propellere* quidem *famen aut frigus* non memini legisse: at *propulsare*, quod proxime accedit, non semel occurrit. Cicero de Finibus IV, 25. [§ 69] „*Facemur, an cruciemur, dolore; frigus, famem propulsare necne possimus.*“ Tacitus Annal. XIV, 24. „*Carne pecudum propulsare famem adacti.*“ Praestat tamen retinere *depellere*, quod post Aldum omnes fere Editiones secutae sunt; et ita nos in Graeviano, Magdalenensi, Battelliano, et Coll. Trinitatis reperimus. Cicero de Oratore III, 38. [§ 155] „*Ut vestis frigoris depellendi causa reperta.*“ Seneca Epist. IV. [§ 10] „*Ut famem sitimque depellas.*“ Quintilianus Declam. V. [c. 6] „*Quid tam publicum, quam ut alicuius famem proximus quisque depellat?*“ Tacitus Annal. XV, 12. „*Ut simul hostem famemque depelleret.*“ Idem Hist. V, 4. „*Effigies animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerunt.*“ Sic denique hunc versum citat Scholiastes Iuvenalis ad Sat. XIV, 273. „*Frigus quo duramque famem depellere possit.*“

25. *Malthinus tunicis*] Ita Editio Veneta prima: sed altera cum Loscheriana *Malchinus*. Par quoque in membranarum diversitas. Codex Graevianus, *Malthinus*, Leidensis, Torrentianus et Barthianus Advers. XXXVIII, 6. *Malthinus*; Reginensis cum pluribus aliis, *Malchinus*, duo *Malchinus*. Qui *Malthinus* scribunt, deductum volunt a vetere vocabulo *Malla*, quo *mollis* significatur, ut Lucilius XXVII. [fr. 25 Dousa] „*Insanum vocant, quem mallam ac feminam dici vident.*“ Ergo si *Malla* inter cognomina erat (quod non memini me legisse) erit a *Malla Malthinus*, ut ab *Agrippa Agrippinus*. Quibus autem *Malthinus* magis arridet, ii a *μάλθακος mollis* nomen formatum putant: verum haec sententia vix ullam veri speciem habet. Mihi quidem tutius hic videtur, in re adeo incerta plurimorum codicum vestigiis insistere; ut *Malchinus* cognomen sit a *Malcho* derivatum. Gruterus 317, 7. T. AEL. MALCO. LICTORI. 93, 5. SUB. CURA. M. ULP. MALCHI. unde et 627, 13. P. METTIO MALCHIONI. 578, 2. T. STATILIUS MALCHIO. A *Malcho* autem *Malchinus*, ut a *Paullo Paullinus*, a *Ruso Rufinus*, a *Balbo Balbinus*, et alia infinita.

- Pastillos Rufillus olet, Gargonius hireum.
 Nil medium est. sunt qui nolint tetigisse, nisi illas,
 Quarum subsuta talos tegat instita veste:
 30 Contra alius nullam, nisi olente in fornice stantem.

v. 27. Vulg. *Gorgonius*. 30. *Olentis*.

27. *Gorgonius hireum*] Ita quidem Editiones veteres, *Gorgonius*, ut et versu mox 36, *Cupennius*. Quorum posterius ex melioribus codicibus, qui *Cupiennius* exhibent, recte reformarunt Interpretes. Ita Cicero in fine Epistolarum ad Atticum [XVI, 14], CICERO C. CUPIENNIO S. *Hoc et vehementer, mi Cupienni, etiam atque etiam rogo.* Reinesius in Inscript. V, 23. C. CUPIENNIO PRIMITIVUS. Prius tamen illud *Gorgonius* in sedibus suis quietum reliquerunt, nihil ex codicibus proferentes. Solus Pulmannus ingenue fatetur, quattuor suos et hic et infra Sat. IV, v. 92. *Gargonius* exhibere: quibus astipulantur ex nostris optimi Graevianus, Reginensis cum Regio et Franckerano. Atque haec melior, me iudice, lectio est. *Gargonius* enim *ἀπό τῆς Πογγόρος* deductum secundam syllabam corrumpere debuit. Extat autem apud Gruterum 1031, 8. GAVIAE GORGONIAE: Symmach. Epist. I, 29. [I, 39] „*Frater meus Gorgonius.*“ Ammian. Marc. XV, 2. [§ 10] „*Gargonius, cui erat thalami Caesariani cura commissa.*“ Nisi forte ibi quoque, ut hic, exscriptores erraverint. Nam et alibi saepe ita peccatum est. Cicero in Bruto c. 48. [§ 180] „*Omnium rabularum acutissimum iudico equestris ordinis C. Gargonius.*“ Ita quidem, libri typis impressi; sed membranae *Gargonium* habent, teste Grutero. Seneca Suasoria VII. [§ 14, p. 44, 25 Burs.] „*Gargonius dixit duas res, quibus stultiores ne ipse quidem unquam dicerat.*“ Ita membranae et editiones: sunt tamen qui ex coniectura *Gargonius* hic reponere gestiant. Idem Controv. 34. [§ 25, p. 334, 24] „*Gargius multo stultius, quare Promethei Parrhasius supplicium sinisset: Ego, inquit, ardente Olyntho, non odissem ignium auctorem?*“ Etiam hic reponit *Gargonius*, nam eundem esse res ipsa clamavit. Idem Controv. 24. [extr. p. 250, 8] „*Gargonius in hac controversia foedo genere cacozeliae usus, dicit, Istud publicum adulterium est sub Miltiadis tropaeis concumbere.*“ Iterum Controv. 7. [§ 18, p. 106, 3] „*Gargonius fuit Buteonis auditor, postea Scholae quoque successor, vocis obtusae, sed pugnacissimae, cui Baro Scurra rem venustissimam dixit: Centum raucorum vocem habes. Hic putavit, varium colorem se excogitasse pro patre. Ego, inquit, dictavi, Duplum dabo, si manus non praecideritis. Librario una syllaba eccidit, Non: et scripsit, si praecideritis. Digna res quae voce illa diceretur.*“ Utrobique silet Gruterus: et tamen hic ipse sine dubio est, qui supra Suasoria VII *Gargonius* vocatus est. Atque haec loca eo libentius exscripsimus; quia eundem hunc *Gargonium* esse credimus, quem Horatius *hireum olere* dicit. Aetas enim et aetere omnia pulchre conveniunt. Similiter et *Baro ille Scurra*, sive ut codices Gruteri, *Baros*, idem mihi esse videtur, qui Horatio *Barus* vel *Barus* dicitur, Serm. I, 7, v. 8. „*adeo sermonis amari Sienensis, Baros ut equis praecurreret abis.*“ Porro *Gargonius* nomen erat Romanum: Gruterus Inscript. 685, 3. CN. GARCONIO CN. FILIO PAULLINO: atque ei alia affinia, *Gargennius*, *Gargilius*, *Gargilianus*: Grut. 543, 5. Q. GARGENNIUS L. F. SCA. CELER. Martialis III, 96. [v. 3] „*Si te prendero, Gargili, tacebis.*“ et III, 30. [v. 2] „*Dic mihi, quid Romae, Gargiliane, facis?*“

30. *Olentis in fornice stantem*] Codices quidem, quos vidi, *olenti*: sed ad morem Horatianum scribendum est, *olente*. Vide nos ad Carm. I, 25, v. 17. Antiquitus videtur scriptum esse, *olentin fornice*: inde facilis Librariis ansa data est, ut *olenti* in reponerent.

Quidam notus homo cum exiret fornice; Macte
 Virtute esto, inquit sententia dia Catonis.
 Nam simul ac venas inflavit tetra libido,
 Huc iuvenes aequum est descendere, non alienas
 35 Permolere uxores. Nolim laudari, inquit,
 Sic me, mirator cunni Cupiennius albi.
 Audire est operae pretium, procedere recte
 Qui moechos non voltis, ut omni parte laborent;
 Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
 40 Atque haec rara, cadat dura inter saepe pericla.
 Hic se praecipitem tecto dedit: ille flagellis
 Ad mortem caesus: fugiens hic decidit acrem
 Praedonum in turbam: dedit hic pro corpore nummos:
 Hunc perminxerunt calones; quin etiam illud
 45 Accidit, ut cuidam testis caudamque salacem
 Demeterent ferro. iure omnes. Galba negabat.

v. 38. Vulg. *Moechis*. 46. *Demeteret ferrum*.

33. *Tetra libido*] Novi virum ingeniosum, qui ex coniectura reponere voluit, „*Nam simul ac venas inflavit tetra libido*,” atque eius emendationis Petronium [c. 87] sponsorem dedit; „*Ut pateretur satisfieri sibi, et cetera quae libido distenta dictabat*.” Satis quidem apposite: retinemus tamen omnium codicum lectionem, *tetra*. Porcius Latro in Catilinam [c. 15]; „*Adiutore teterrimarum libidinum, socio maximorum periculorum*.” et iterum [c. 34]. „*In exercitatione teterrimarum libidinum*.” Lactant. Div. Inst. VI. [c. 23 § 11] „*De istis loquor, quorum teterrima libido ne capiti quidem parvit*.”

38. *Qui moechis non vultis*] Parodiam hanc esse ex versibus Enniani moment Scholiastae: „*Audire est operae pretium, procedere recte Qui moechis non vultis*.” Ennii autem verba sic citant: „*Audire est operae pretium, procedere recte Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis*.” Unde facile erat divinare, quo propior esset et perfectior imitatio, sic potius scripsisse Nostrum, „*procedere recte Qui moechos non vultis*.” Atque ita postea reperi in codice Leidensi, et in Excerptis Bodleianis, et Collegii Trinitatis Codice pro varia lectione, et in Reginensi a manu secunda. Neque aliter legisse Aeronem, ex eius paraphrasi, quantumvis inepta et absurda, licet animadvertere. „*Operae, ait, pretium est audire moechos, qui non vultis procedere recte ad meretricem*.” Porro, quod ad sententiam attinet, eodem recidit, sive *moechos recte procedere* dixeris, sive *recte procedere moechis*. Terentius Adelph. Act. et Scen. ult. [v. 22] „*Syre, processisti hodie pulchre*”: quod perinde est, ac *pulchre tibi hodie processisti*.

46. *Demeteret ferrum*] In vestustis editionibus sic locus hic exhibetur, „*quin etiam illud Accidit, ut quidam testes caudamque salacem Demeteret ferro*.” Quae cum manca et imperfecta oratio sit (deest enim nomen casus dativi) eumque Lambinus in duobus suis *cuidam*, non *quidam*, invenerit; ille partim eos secutus, partim coniecturae suae fusus, sic edi curavit, „*Accidit, ut cuidam testes caudamque salacem Demeteret ferrum*.” Quin et Cruquius in uno suo *cuidam* pro varia lectione adscriptum reperit; in altero ultima syllaba *roī ferro* in litura erat; ut a prima manu *ferrum* fuisse videatur. Henricus autem Stephanus utrumque, et *cuidam* et *ferrum*, ex veteribus codicibus edidisse se memorat; quem tamen non alios praeter Lambinianos et Cruquianos velle hic suspicor. Mihi

Tutior at quanto merx est in classe secunda!
 Libertinarum dico: Sallustius in qua
 Non minus insanit, quam qui moechatur. at hic si,
 50 Qua res, qua ratio suaderet, quaque modeste

v. 48. Vulg. *In quas*.

vero *demeteret ferrum* (praeterquam quod codices id abnegent) figuratius paullo et elatius videbatur, quam ut Sermonibus hisce per humum repentibus conveniret: quale illud Virgilii, Aen. X, 394. „*Nam tibi, Thygre, caput Evandrius abstulit ensis*”: et praeterea *ferrum demeteret* receptam bonis scriptoribus phrasin, non temere mutandam esse censebam. Silius Ital. XVI. [v. 101] „*Tantum acies, hominumque ferrox discordia ferro Demetit*.” Lactantius V, 9. [§ 17] „*Qui virilia sua ferro metant*.” Seneca Agam. v. 986. „*Aegisthe, cessas impium ferro caput Demeteret*?” Ovid. Metam. V, 104. „*Huc Chromis amplexo tremulis altaria palmis Demetit esse caput*.” ubi plura vide apud Heinsium in notis. Quamobrem unius literulae vel apicis potius additione sic locum refigebam, cum superioribus connectens: „*Hunc perminxerunt calones; quin etiam illud Accidit, ut cuidam testes caudamque salacem Demeterent ferro*”: scilicet, *calones demeterent*: quibus enim potius eiusmodi opus mandandum erat? Ita in Milite Plauti Glorioso Scena ultima [v. 1], Periplectomenes moechum deprensus Carioni et Scledro servis verberandum et castrandum committit: „*Ducite istum: si non sequitur, rapite sublimem foras*”: [v. 4] „*Fide ut istie tibi sit acutus, Cario, culter probe*.” Atque haec olim mihi in mentem veniebant; cum postea animadverti *πολυμάθειστον* Barthium in Adversar. XXXVIII, 6. in eandem plane coniecturam incidisse. Ille itaque hanc palmam sibi habeat, qui prior occupavit.

48. *Sallustius in quas Non minus insanit*] At potius casus Ablativus hic requiri videtur, ut Epod. XI, 6. „*Hic tertius decembris, ex quo destili Inachia furere*,” et Serm. I, 4. v. 49. „*meretrice nepos insanus amica*.” et v. 27. „*Hic nuptiarum insanit amoribus, hic puerorum*.” et Carm. I, 17, 19. „*Dices laborantes in uno Penelopei vitreamque Circei*.” Unde acutissimus Nic. Heinsius in exemplaris sui margine, *Forse*, inquit, *in quis corrigendum*. Recte quidem, quod ad dictionem attinet. Nos tamen, ni fallimur, verius propiusque ad receptam lectionem; „*Tutior at quanto merx est in classe secunda, Libertinarum dico: Sallustius in qua Non minus insanit, quam qui moechatur*.” hoc est, *in qua classe libertinarum*. Atque ita postea invenimus clare et sine ulla rasura in Codice Regio. Poteris tamen vulgatam defendere ex Seneca Herc. Oct. v. 370. „*Referam quid alias? nempe Thespiades vacant, Brevique in illas arsit Atrides face*.” Ubi tamen idem Heinsius (referente Gronovio) *in illis arsit* repositum voluit; ut apud Ovidium Metam. VII, 21. „*quid in hospite regia virgo Ueris*?” et VIII, 50. „*merito deus arsit in illa*.” Verum, utumque de Senecae loco fiat; tot utique exemplis freti manuscripti Regii auctoritatem tuto sequemur. Quin et Iohannes Saresberienensis ita olim videtur legisse: nam aperte huc alludit in Policrat. VIII, 3. [p. 535 ed. L. B. 1639] „*Dignus est ergo Thraso, qui intronittatur ad Thaidem, excluso Phaedria, qui in ea non minus insanit*.”

49. *At hic si*] Optimus noster Graevianus clare, *ut hic si*. Et in Reginensi at quidem hodie extat, sed alia manu et post rasuram: unde initio fuisse ut non falso licet conicere. Lege igitur, et distingue: „*Tutior at quanto merx est in classe secunda; Libertinarum dico: Sallustius in qua Non minus insanit, quam qui moechatur*; ut hic si, *Qua res — vellet bonus atque benignus Esse*.” Quanto *tutior*, inquit, *merx est: adeo ut si Sallustius vellet etc.* vulgata quidem ferri potest; sed haec verior et elegantior.

Munifico esse licet, vellet bonus atque benignus
Esse; daret quantum satis esset, nec sibi damno
Dedecorique foret. verum hoc se amplectitur uno,
Hoc amat et laudat: Matronam nullam ego tango.
55 Ut quondam Marsaeus amator Originis, ille
Qui patrium mimae donat fundumque laremque,
Nil fuerit mi, inquit, cum uxoribus umquam alienis.
Verum est cum mimis, est cum meretricibus: unde
Fama malum gravius, quam res, trahit. an tibi abunde
60 Personam satis est, non illud, quicquid ubique
Officit, evitare? bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est ubicumque. quid inter-
Est in matrona, ancilla, peccesne togata?
Villius in Fausta Sullae gener, hoc miser uno
65 Nomine deceptus, poenas dedit usque superque
Quam satis est; pugnis caesus, ferroque petitus,

v. 63. Vulg. *Peccesne*.

63. *Peccesne togata*] Sine dubio legendum, ut recte olim Lambinus coniecerat, *quid inter — Est, in matrona, ancilla, peccesne togata?* atque ita codices nostri, Colbertinus, Battelianus, et Collegii Trinitatis. Ordo est, *Quid interest, in matrona, ancilla, togata pecces?* Sic infra v. 76. „*tuo vitio, rerumne labores, Nil referre putas?*“ *Ne encliticum idem hic valet, ac an:* et aut alterutrum aut utrumque in hac locutione necessarium est. Epist. II, 2. v. 166. „*Quid refert, vivas numerato nuper, an olim?*“ Serm. II, 3. v. 157. „*Quid refert, morbo, an furtis pereamve rapinis?*“ et v. 166. „*quid enim differt, balatrone Dones quicquid habes, an numquam utare paratis?*“ et II, 7. v. 58. „*Quid refert, uri virgis ferroque necari Auctoratus eas, an turpi clausus in arca?*“ Carm. II, 3, 21. „*Dives no prisco natus ob Inacho Nil interest, an pauper.*“ Tibullus IV, 5. [v. 20] „*Annuet: quid refert, clamne palamne roget?*“ Vulgata itaque lectio ne Latina quidem est. Et si *ve* retinere malis, tum legendum, ut codex Regius habet, et pro varia lectione codex Regiae Soc. „*quid inter — Est, an matrona, ancilla, peccesne togata.*“ Et *pecces* quidem *matrona*, sine praepositione; ut Carm. I, 33, 9. „*Quam turpi Pholae peccet adultero.*“ Sed eo pacto ordo vitiosus erit; sic enim dicendum erit; „*Quid interest, matrona, an ancilla togata pecces.*“ Quare lectio superior sola est sincera.

64. *Villius in Fausta Sullae gener*] Scholiastae ad locum; „*Villius,*“ inquit, „pro *Annio* ponitur, ut Carm. II, 12. v. 13. „*Lycymnia pro Terentia; eodem numero syllabarum commutationem nominum fecit. Quippe Fausta Sullae filia T. Annio Miloni nupta est.*“ Et quidem Faustam Miloni nuptam fuisse bona fide narrant Scholiastae; neque dubitare debuit optimus Torrentius. Asconius in Argumento orat: Milon: [p. 33, 3 Orelli] „*Milo,*“ inquit, „*rheda vehebatur cum uxore Fausta filia L. Sullae Dictatoris.*“ Et iterum [p. 35, 7]: „*Postulaverunt familiam Milonis, item Faustae uxoris eius, exhibendam.*“ Servius ad Aeneid. VI, 612. „*Sallustium significat, quem Milo deprehensum sub seroi habitu verberavit in adulterio uxoris suae, quae fuerat Fausta Sullae filia.*“ Idem indicat et Cicero Epist. ad Atticum V, 8. Atqui eo ipso, quod fides in hac re Scholiastis constat, in altera eis abneganda est, cum *Annium* tecto nomine *Villium* hic vocari volunt. Non enim hic de *maritorum*, sed *Moechorum* incommodis periculisque Noster agit; ut bene animadvertit

Exclusus fore, cum Longarenus foret intus.
Huic si, mutonis verbis, mala tanta videntis
Diceret haec animus: Quid vis tibi? numquid ego a te
70 Magno prognatum deposeo consule cunnum,
Velatumque stola, mea cum conferbuit ira?
Quid responderet? Magno patre nata puella est.
At quanto meliora monet, pugnantiaque istis
Dives opis natura suae! tu si modo recte
75 Dispensare velis, ac non fugienda petendis
Inmiscere. tuo vitio, rerumne labores,
Nil referre putas? quare, ne poeniteat te,
Desine matronas sectarier: unde laboris
Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus.
80 Nec magis huic, inter niveos viridisque lapillos
Sit licet, o Cerinthe, tuo tenerum est femur, aut crus
Rectius: atque etiam melius persaepe togatae est.

v. 81. Vulg. Sit licet hoc, Cerinthe, tuum. 82. Deest est.

Lambinus: Ergo *Villius* iste, quicumque fuerit, erat adulter Faustae, non coniux. *Villius in Fausta Sullae gener*, eleganter dictum; ut Tacitus Annal. III, 24. „*D. Silanus in nepti Augusti adulter.*“ Quamobrem si fletum *Villii* nomen existimarem, *Fulvium* potius, notum Faustae adulterum, perstringi hic crederem: de quo Macrobius Saturn. II, 2. [§ 9] „*Faustus Sullae filius, cum soror eius eodem tempore duos moechos haberet, Fulvium Fallonis filium et Pompeium Maculam; Miror, inquit, sororem meam habere maculam, cum fallonem habeat.*“ Sed quorsum opus erat, ut *moechum* falso nomine celaret Noster, cum *Faustam* suo et vero prodiderit? Hoc plane ineptum est. Quare aut *Fulvius* hic pro *Villio* reponi poterit: cum dentia litera initiali proxime accedat ad scripturam receptam: aut fortasse ipsum *Villium* habemus, Cicero Epist. Fam. II, 6. [prin.] „*Nondum erat auditum te ad Italiam advenire, cum Sextum Villium, Milonis mei familiarem, cum his ad te literis misi.*“ Nota enim moechorum ars, in mariti se familiaritatem insinuare, cum ad uxorem viam affectant.

68. *Mala tanta videntis*] *Videntis* habent tum veteres editiones, tum scripti codices ad unum omnes; certe quibus ego usus sum. Atque ita sententia postulat, *Huic Villio videnti tanta mala, scilicet se pugnis caesum, ferro petitus, et domo exclusum esse, si animus diceret.* Equidem miror, unde illud *videntis* in tot editiones malum pedem intulerit: cum nihil eo insulsius absurdiusve fingi possit.

81. *Sit licet hoc, Cerinthe, tuum*] Locus implicatissimus, quemque frustra aggressi sunt viri eruditi: „*Nec magis huic inter niveos viridisque lapillos (Sit licet hoc, Cerinthe, tuum) tenerum est femur, aut crus Rectius: atque etiam melius persaepe togatae.*“ *Nec huic matronae, ait, magis tenerum femur est, aut crus rectius.* Rectius quo? omnino deest aliquid, quocum comparatio fiat. Deinde illud vide, „*Sit licet hoc, Cerinthe, tuum.*“ Quodnam, amabo, illud *tuum*? hic vero in angustiis se versari probe sentiunt Interpretes. Quidam enim sic explicant, *hoc tuum*, Cerinthe, niveos lapillos gestare: alii, *hoc tuum* matronas lapillos gestantes deperire. Quae, ut sine teste et auctore dicuntur (quis enim de Cerinthe talia prodidit) ita ex verbis auctoris nullis tormentis elici, nulloque iure subintelligi possunt. *Hoc tuum* enim ex vi constructionis nusquam alio referri potest, quam ad *femur aut crus*. Id quod satis ostendit

Adde huc, quod mereem sine fucis gestat; aperte
 Quod venale habet, ostendit; neque si quid honesti est,
 85 laetat habetque palam, quaerit quo turpia celet.
 Regibus hic mos est, ubi equos mercantur; opertos

v. 84 Vulp. Nec.

Prisciani locus p. 701. „*Hoc femur femoris: Horatius: Femur, o Cherinte, tuum*“: sive ut in Codd. MSS. extat, *Femur Cerinthae tuum*. Quae constructio cum ineptam aut nullam potius sententiam efficiat; ideo ad coacta illa, et consensu quidem absurditatis, confugerunt interpretes. Nos locum ipsum prius emendabimus; deinde rerum singularum rationes reddemus; sic itaque legimus et distinguimus; „*Nec magis huic, inter niveos viridesque lapillos Sit licet, O Cerinthe, tuo tenerum est femur, aut crus Rectius: atque etiam melius persaepe togatae est.*“ ubi ordo est, *Nec huic, cuiusque stolae scilicet et diviti, sit licet inter niveos viridesque lapillos, magis tenerum femur aut crus rectius est tuo, O Cerinthe; imo vero persaepe crus femur melius est togatae.* Cerinthus, ut recte hic veteres Scholiastae, puer erat ex delicatis, omnium iis temporibus formosissimus; qualis Lyciscus ille Epod. XI, 24, qui *quamlibet mulierem mollitie vincere gloriari* posset. De hoc Cerintho et eius eximia specie multa habet Tibullus lib. IV. [3; 4; 5; 8; 11]. Ex ipso certe cognomine apparet servum fuisse, etsi postea manumissum. Est enim a Graeco *Κήρινθος*; et scribendum est *Cerinthe*; non ut plerique codices et Flacci et Tibulli habent *Cherinte*, vel *Cherintho*. Gruterus 838, S. M. BLOSSIUS CERINTHUS. 944, 3. T. LARCI CERINTHI 1129, 7. CERINTHUS. Marmora Felsinea p. 251. C. TERENTII CERINTHI. Eodem tamen, quo librarii, errore Lapidarius dedit apud Grut. 996, 7. T. ANNIO CHERINTO. Sententia itaque iam nunc satis aperta est: Nullius matronae margaritis et smaragdinis onustae femur tenerius aut crus rectius est tuo, o formosissime Cerinthe, qui eiusmodi ornamentis cares. Porro, *O Cerinthe*, non hoc, praefertur duo Cruquii et totidem Bersmanni codices, optimusque noster Reginensis. Facile autem *O* in hoc a Librariis mutatum est, quia sequens vocabulum a litera *C* inciperet. Sic Ovid. Trist. III, 3. v. 27 „*liquet, o carissima, nobis Tempus agi sine me non nisi triste tibi.*“ plurimi codd. hoc *carissima*: et ita alibi passim. *Tuo* autem habent, non *tuum* Turnebi et Lambini aliquot cum Colbertino nostro. Cave vero credas illud *tuum* Prisciani auctoritate firmari; cum citet ex Horatio, *Femur, Cerinthe, tuum*. Non enim, quod ipse vides, eo ordine et modo, quo apud auctorem extant, verba laudavit; sed suis usibus variando accommodavit: idque iure suo; quippe et nos, qui *tuo* legimus, *Cerinthi femur* intelligimus. Denique post *togatae est* exhibetur in Blandiniis Cruquianis. Ceterum codex Coll. Trinitatis paulo ornatus verba collocaat, „*Nec magis huic niveos inter viridesque lapillos.*“ Imitatus vero est elegantissimus Boetius Consol. Philos. III, 10. [v. 10] „*Aut Indus calido propinquus orbi Candidis miscens virides lapillos.*“ et III, 4. [v. 2] „*Quamvis se Tyrio superbus ostro Comeret, et niveis lapillis.*“ Seneca Hippol. 392. „*nec niveus lapis Deducat aures, Indici donum maris.*“ Postremo non aliter, quam nos, legisse veteres Scholiastae constabit ex ipsorum enarratione, quae sic habet: „*Nec femur aut crus magis tenerum est huic matronae, licet sit inter niveos et virides lapillos, quam tuum, o Cerinthe: cum tenerius femur atque etiam melius crus persaepe sit togatae.*“ Nihil verius. Certe quam *tuum, o Cerinthe*, liquidissima est paraphrasis nostrae lectionis, „*Sit licet, O Cerinthe tuo.*“

86. *Ubi equos mercantur, opertos inspiciunt*] Editio princeps Veneta *opertos*: sed altera cum Loscheriana *apertos*. Prius tamen in recentioribus magis obtinuit; utpote et a Scholiastis agnitum, et in plerisque me-

horis notae codicibus inventum, ut in nostris, Leidensi, Graeviano, Reginensi aliisque. In margine Graeviano a manu veteri sic annotatum est: „*Divites prudentia callentes, cum equos emunt, opertos considerant; ne specie et magnitudine illorum decipiantur: ac per hoc potius unguam pedis considerant, utrumnam mollis habeatur.*“ Rectissime; et his gemina fere habes apud Aconem et Porphyriorem. Nempe hoc modo argumentatur Horatius: Amatores stulte rem suam gerere: quippe amati corporis pulchriora tantum membra considerare; cetera si qua sint deformia praetermittere: in *brachiis*, si forte, candidis et pluma mollioribus, in *crure* recto et teretibus suris, defixos stupere: atque *nasam* interim pravam et nimium, *latus* breve et curvum, *pedem* longum et enormem minime animadvertere. Multo autem rectius sapere principes, cum generosos equos mereari eis opus sit. Cavere enim, ne pulchriorum equi partium admiratione abrepti priores non videant, aut videntes ignoscant. Quoniam autem pacto id sibi cavent? Nempe reliquo equi corpore stragulis tantisper tecto et aperto, pedes (quorum praecipue habenda est ratio) diligenter inspiciunt; si *ungula* alta sit et concava, brevi et rotundo et solido cornu: tum demum his probatis, caetera nudant, et contemplantur *caput* breve et argutum, *cervicem* mollem et excelsam, *clunes* rotundos et torosos, ceteraque quae in nobili equo pulchritudinem absolvunt. Quid in hac expositione vituperandum sit, equidem nullus video. Magnus tamen Lipsius ad Senecae Epist. LXXX. [not. 24] *apertos* hic apud Flaccum legit; scilicet, ut ibi Seneca [§ 9], „*equum emiturus, solvi iubes stratum; detrahis vestimenta venalibus, nequa vitia corporis lateant.*“ et iterum Ep. XLVII. [§ 16] „*Stultus est, qui equum emiturus, non ipsum inspicit, sed stratum eius ac frenos:*“ quae verba et plura ibidem suo more suffuratus est Macrobius Saturn. I, 11. [§ 10] Apuleius de deo Soeratis circa finem [p. 54, 27 Elm.], Lipsio etiam laudatus; „*Quippe non intelligit, aequo divites spectari solere, ut equos mercamur. Neque enim in emendis equis phaleras consideramus, et baltei polimina inspicimus, et ornatissimae cervicis divitias contemplamur: — sed istis omnibus exuviis amolitis equum ipsum nudum, et solum corpus eius et animum contemplanur.*“ Quid ergo? annon ubi equos mercantur reges, *apertos* inspiciunt? Sine dubio id quidem: at nihilo tamen minus lectio altera sola est sincera. Primum enim *opertos* inspiciunt, tantisper dum pedes probantur; tum denique totos nudos et *apertos* considerant. Atque hunc sensum locus ipse et auctoris propositum plane efflagitat. Non enim amatores hic redarguit, quod corporis amati *nilhil omnino* videant (et tamen, si *apertos* legeris, id foret admitendum) sed quod sola *corporis optima* contemplantur, *O crus, o brachia*, exclamantes: in vitiis interim explorandis Hypsaea caeciores. Quos potius exemplo eorum, qui equos mercantur, facere hortatur. Ut enim illi speciosas equi partes tegunt et operiunt, quo pedibus eius scrutandis fideiorem dent operam: ita vos, ait, laudata illa *crura et brachia* tantisper praetermittite; ut de *nasi et lateris et pedum* deformitate verius iudicare possitis. Quid, quod absurdam plane efficiunt sententiam, qui *apertos* substituunt? *Apertos scilicet inspiciunt equos, ne mollities pedum lateat et fallat emtores.* Atqui ea cautela nihil hic iuvat. Ut enim stratum detraxeris, et apertum nudumque equum stiteris; non ideo occulta pedum vitia deprehendas. Ad ea exploranda alia arte opus est. Neque vero quisquam venditor *pedes* equi oculere solet aut potest: ut ad hanc rem supervacuum prorsus consilium sit de equo *aperiendo*. Denique, ut iam ex Seneca et Apuleio vidimus, *stultus* omnino et *bardus* sit oportet, qui equum emiturus, non nudum et *apertum* inspicit: *omnes*, quicumque equos mercamur, exuviis amolitis, *corpus ipsum* consideramus. Quorsum itaque solis *regibus* tribuendus erat, qui omnium mos est? Enimvero *apertos* equos inspiciunt omnes, *opertos* soli reges et principes: Quippe his non nisi pulcherrimi equi venales proponuntur, „*Quis pulchrae clunes, breve quis caput, ar-*

Inspiciunt: ne si facies, ut saepe, decora
 Molli fulta pede est; emtorem ducat hiantem,
 Quod pulchrae clunes, breve quod caput, ardua cervix.
 90 Hoc illi recte. tu corporis optima Lyncei
 Contemplare oculis; Hypsaea caecior, illa
 Quae mala sunt, spectas. O crus, ô brachia! verum
 v. 88. Vulg. *Inducat.* 90. *Ne cor. opt. Lynceis.* 91. *Contemplere.*

92. *Spectes.*

dua cervix: et proinde id praecipue eis cavendum est, ne facie illa decora capti et deliniti vitioso pedi ignoscant: aliis, qui pro re angusta viliores ignobilioresque mercari solent, non par est periculum. Atque haec quidem eo exactius prosecuti sumus, cum ob summam Lipsii auctoritatem, tum quod nuperius duo viri insignes Faber et Dacerius pro lectione altera *apertos* acerrime contenderunt. Quorum tamen rationes, si cum his nostris componantur, inanes et pravas reperies. „*Si aperti*,“ inquit, „*forent equi, certe pulchrae illae clunes in equis non apparent, quod tamen ab Horatio positum est manifestissime.*“ Quomodo sodes *positum*? imo vero contrarium prorsus. *Opertos* enim inspiciunt, *ne pulchrae clunes apparent*, et emtorem hiantem ducant. Quid hoc manifestius? „*At si equorum clunes apparent, qui tandem pedes ipsi aperti erunt.*“ Iterum, o boni, eadem chorda, et quidem turpius. Clunes enim non *apparent*, sed oculantur: pedes vero *opertos* vel fingere ridiculum est. Cetera taedet ventilare et excutere: ex iis enim, quae iam diximus, sponte sua labascunt et corrunt.

88. *Emtorem inducat hiantem*] Ita quidem editi et scripti, quos vidimus. Pace tamen eorum, audebimus reponere, „*Molli fulta pede est, emtorem ducat hiantem*“: Elegantissimum certe in hac sententia vocabulum. *Inducere* enim est universim persuadere et illicere, sive bene cedat, seu secus: *ducere* vero est male persuadere, et in fraudem et damnum illicere. Persius Sat. V. v. 176. „*Ius habet ille sui, palpo quem ducit hiantem Credata ambitio*“? Quis ambigat, quin frequentissimus Flacci imitator ad hunc ipsum locum respexerit? Noster ipse Serm. II. 2. v. 35. „*Ducit te species, video.*“ *species te ducit* et fallit, plane ut hic, *facies ducat emtorem*. Epist. II. 1. v. 75. „*Iniuste totum ducit venitque poema.*“ hoc est, ducit emtorem et venundatur; ut ibi corrigendum esse suo loco ostendimus. Terentius And. I. 2. [v. 9] „*Id voluit, nos sic nec opinantes duci falso gaudio.*“ et IV. 1. [v. 20] „*Quid tandem? etiam nunc me ducere istis dictis postulas?*“ Ceterum facillime in adherere potuit *et* ducat ex ultima litera *m* vocis praecedentis.

90. *Ne corporis optima Lynceis*] At interpretes non usque adeo Lynceis hic usos esse oculis, iam opinor manifestum erit. Videamus totum locum: „*Hoc illi recte: ne corporis optima Lynceis Contemplare oculis; Hypsaea caecior illa Quae mala sunt spectas. O crus, o brachia.*“ Ubi primo, *Lynceis* quidem *oculis* recte dicitur, ut Boëtio Cons. Philos. III. 8. „*Quod si, ut Aristoteles ait, Lynceis oculis homines uterentur*“: sed loco huic minime convenit. Nam a *Ανγκύς, Ανγκύος Lynceus* formatur, secunda syllaba producta: ut ab *Αχιλλεύς, Αχιλλεύος Achilleus, Θησεύς Θησεύος Theseus* etc. et proinde per Crasin in dissyllabon coalescere non potest. Propertius III. 20. [21 v. 24] „*Scandam ego Theseae brachia longa viae.*“ Ovidius Trist. I. 1. [v. 100] „*Solus Achilleo tollere more potest.*“ Idem Fast. V. v. 709. „*Pectora traiecit Lynceio Castor ab ense.*“ Corrige ergo cum vetustissimo Blandino apud Cruqum, et Graeviano nostro, *Lyncei*, casu genitivo a *Lynceus*; ut illud Virgilii Aen. I. 41. „*Unius ob noxam et furias Aiacis Oilei.*“ Dein vero et sententiam perpende. *Hoc illi, ait, recte*: reges scilicet equos emturi *opertos*

Depugis, nasuta, brevi latere, ac pede longo est.
 Matronae, praeter faciem, nil cernere possis;
 95 Caetera, ni Catia est, demissa veste tegentis.
 Si interdicta petes, vallo circumdata, (nam te
 Hoc facit insanum) multae tibi tum officient res;
 Custodes, lectica, ciniffones, parasitae;
 Ad talos stola demissa, et circumdata palla
 100 Plurima, quae invidiant pure adparere tibi rem.
 Altera nil obstat: Cois tibi pene videre est
 Ut nudam; ne crure malo, ne sit pede turpi:
 Metiri possis oculo latus. an tibi mavis
 Insidias fieri, pretiumque avellier, ante
 105 Quam mercem ostendi? Leporem venator ut alta
 In nive sectetur, positum sic tangere nolit:
 Cantat, et adponit, meus est amor huic similis: nam
 Transvolat in medio posita, et fugientia captat.
 Hiscine versiculis speras tibi posse dolores,
 110 Atque aestus, curasque gravis e pectore tolli?

v. 106. Vulg. *Sectatur.* 110. *Pelli.*

eos inspiciunt; *ne tu, amator, optima corporis amicae tuae oculis Lyncei contempleris, mala autem oculis Hypsaeae.* Itane vero? an eo consilio reges equos considerant, ne amatores in amicarum forma caecentiant? Tam comes et facetos reges non temere hodie, credo, inveneris. Sed dic, amabo: an tibi credibile est, tam ineptum hoc ab auctore profectum esse? *cave, dixeris.* Quin ignaros potius librariorum incusare ius et fas est: qui antithesin a Flaeco hic positam interpolatione sua perdidderunt. Sine dubio enim sic ille scripserat, „*Hoc illi recte: tu corporis optima Lyncei Contemplare oculis; Hypsaea caecior, illa Quae mala sunt, spectas.*“ Et *contemplare* quidem praefereunt, praeter Torrentianos aliquot, Reginensis noster et alter Collegii Trinitatis: unde ansa porrigitur ad cetera corrigenda. *Hoc quidem, ait, illi recte: tu contra inepte et stulte facis, qui corporis optima acutissime cernis, mala vero negligis et praetermittis.*

106. *In nive sectatur*] At editiones vetustae, et membranae fere omnes, antiquiores praesertim, tam aliorum, quam nostrae, *sectetur.* Et miror equidem (cum Epigramma Callimachi [Ep. 33], unde haec ad verbum sunt traducta, iam editum et omnibus expositum sit) veram lectionem constructionemque adhuc in incerto esse. Tu vero sic scribe et distingue. „*Leporem venator ut alta In nive sectetur, positum sic tangere nolit, Cantat: et adponit, Meus est amor huic similis: nam Transvolat in medio posita, et fugientia captat.*“ ubi ordo est, *Cantat, ut venator sectetur leporem.* Ita Virgilius Eclog. VI. 31. „*Namque canebat, uti magnum per inane coacta Semina terrarumque animaeque marisque fuissent.*“ et vers. 64. „*Tum cunxit, errantem Permessi ad flumina Gallum Anas in montes ut duxerit una sororum.*“ Vel illud nolit per se satis ostendit legendum esse *sectetur.*

110. *Curasque graves e pectore pelli*] Ita praeae editiones, et codices nostri Graevianus, Reginensis cum aliis, ut Carm. I. 7. 31. „*nunc vino pellite curas.*“ Silius Ital. XIII. [v. 263] „*Firius a Poeno nullam docet esse salutem, Vociferans, pulsus vivendi e pectore curis.*“ Tamen alliteratio illa, *pectore pelli*, ingratum quiddam sonat. Unde disertissimus Nic. Heinsius e coniectura corregebat, *e pectore velli*: quod in Collegii

- Nonne, cupidinibus statuatur natura modum quem,
 Quid latura, sibi quid sit dolitura negatum,
 Quaerere plus prodest; et inane abscondere soldo?
 Num, tibi cum faucis urit sitis, aurea quaeris
 115 Pocula? num esuriens fastidis omnia praeter
 Pavonem rhombumque? tument tibi cum inguina, num, si
 Ancilla aut verna est praesto puer, impetus in quem
 Continuo fiat, malis tentigine rumpi?
 Non ego: namque parabilem amo venerem, facilemque.
 120 Illam, Post paullo, Sed pluris, Si exierit vir,
 Gallis: Hanc, Philodemus ait, sibi, quae*) neque magno
 Stet pretio; nec cunctetur, cum est iussa venire.
 Candida rectaque sit; munda haecenus, ut neque longa,
 Nec magis alba velit, quam det natura, videri.
 125 Haec, ubi suppositum dextro corpus mihi laevum,
 Illa et Egeria est: do nomen quodlibet illi.

v. 111. Vulg. Statuit. 122. Neque.

Trinitatis codices clare exhibetur. At omnium veterrimus Blandinius, cum codice Regio et Galei, et Regiae Societatis, et a prima manu Magdalenensi, tolli habent. Et ex his quidem velli minus placet. Reliquorum utrumque legas, non flocci interest. Dabimus tamen Blandinii codicis honori, ut tolli reponamus.

111. *Nonne cupidinibus statuatur natura*] Si vulgatam lectionem ab editionibus primis derivatam retines; vix erit, ut sententiam expedire possis, adeo implicata et salebrosa est: „*Nonne cupidinibus statuatur natura modum? quem, Quid latura sibi, quid sit dolitura negatum, Quaerere plus prodest, et inane abscondere soldo.*“ hoc est, ut quidem enarrant, *Quem modum*, videlicet, *Quid latura sibi, quid negatum dolitura sit, quaerere plus prodest*. Ubi, praeterquam quod hoc modo claudicat oratio, et adscititio illo videlicet tamquam baculo innitens non recte ambulat; illud insuper attendendum est, *modum cupidinum et quod naturae negari potest vel non potest* non unam et eandem rem esse (quod illi arbitratur), sed alteram ex altera colligi. At quanto rotundius elegantiusque est, quod in melioribus membranis exhibetur; modo recte interpungas? „*Nonne cupidinibus statuatur natura modum quem, Quid latura, sibi quid sit dolitura negatum, Quaerere plus prodest, et inane abscondere soldo?*“ et *statuat* quidem praeter Cruquianos omnes, Pulmanni sex, Lambini et Bersmanni aliquot, etiam ex nostris Graevianus, Galei, Petrensis, Battelianus clare praeferunt: neque aliter Scholiastae veteres, ut ex enarratione eorum constat: „*Nonne satius est quaerere, quem cupiditatibus finem natura statuerit, quid tolerare possit si denegatur, quid denegatum sustinere non possit?*“ Recte hoc atque ordine. Siquidem ea vera constructio est, „*Nonne plus prodest quaerere, quem modum natura statuatur cupidinibus*“ etc. Ceterum *quaerere, quem statuatur* modo subiunctivo; ut *Serm. II, 3. v. 20.* „*olim nam quaerere amabam*, Quo vaser illo pedes lavisset Sisyphus aere.“ et *Epist. II, 1. 163.* „*quaerere coepit, Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.*“

121. *Gallis hanc, Philodemus ait:*] Mirari sane licet interpretum aut incuriam aut tarditatem, qui toties haec recuderunt, pravam et ineptam distinctionem non animadvertentes: „*Illam, Post paullo, Sed pluris, Si exierit vir; Gallis hanc, Philodemus ait: sibi quae neque magno.*“ Quis

*) [Philodemus, ait sibi, quae sic est, 1711]

- Nec vereor, ne, dum futuo, vir rure recurrat;
 Ianua frangatur; latret canis; undique magno
 Pulsa domus strepitu resonet: ne pallida lecto
 130 Desiliat mulier; miscram se conscia clamet;

v. 129. Vulg. *Vepallida*.

enim non videat, in hac constructione *illam et hanc* eidem orationis membro inepte assignari? Tolle itaque tam foedam maculam, et sic interpunge: „*Illam, Post paullo, Sed pluris, Si exierit vir, Gallis: hanc, Philodemus ait, sibi, quae neque magno Stet pretio, nec cunctetur, cum est iussa venire.*“ hoc est, *Illam, quae tot moras et conditiones ferat, Gallis: hanc sibi, quae ente. Gallus autem hic spadones et Cybeles sacerdotes accipio;* qui tam lente ambages facile et patienter ferre queant. Si Philodemi Epigramma ex angulo aliquo erueretur, ut ex Anthologia inedita productum est illud Callimachi; tum certius scire possemus, utrum *Γάλλους* vellet an *Γάλατος*.

129. *Vepallida lecto Desiliat mulier*] „*Quidam putaverunt,*“ aiunt veteres hic Scholiastae, „*vepallida nunc unam partem orationis esse, ut Vegrandi subere coctum, quod ait Persius Flaccus, ut significet valde pallida: sed magis dividendum est, ut vae interiectio sit.*“ Atqui quod illis displicuit, recentioribus mirifice placuit; adeo ut nunc in omnibus fere editionibus *vepallida* circumferatur. At recte an secus, paullisper examinemus. *Vepallida*, inquit, est valde pallida. Mirum vero, aut neminem alium hoc usum esse vocabulo, si in frequente hominum sermone esset; aut, si adeo insolitum, non Flaccum id tamquam scopulum effugisse. Sed esto, ut novum verbum fingere voluerit *vepallida*: multo certe rectius erat, ut *parum*, imo *minime pallida*, imo *rubicunda* significaret, quam quod volunt interpretes. *Ve* enim in compositione non minuit solum et negat, sed contrarium etiam ponit. Ita *vecors* et *vesanus* non modo *parum cordis* aut *sani* habens, sed et *furiosus: vegrandis* non *parum grandis* modo, sed et *parvus*. Ovid. *Fast. III, 445.* „*Nunc vocor ad nomen: vegrandia farra colonae Quae male creverunt, vescaque parva vocant. Vis ea si verbi est: cur non ego Vciouis aedem Aedem non magni suspicer esse Iovis.*“ Ausonius *Epist. XXII. [v. 13]* „*Hic saepe falsus mossibus vegrandibus Nomen perosus villici.*“ Varro de *Re Rustica II, 2. [§ 13]* „*Vegrandes sunt oves et imbecillae.*“ Adde illud Martialis *XI, 73.* quod hic describi non meretur. Ad haec exempla, ut iam vides, *vepallida* esset pallidae contraria, plane contra auctoris mentem. Sed *ve*, inquit, in compositione interdum *auget*. Esto: tamen interea ineptum faciunt Horatium, qui nulla necessitate adactus et se et lectorem ambigua voce elusit. Atqui ne illud quidem extorquebunt, particulam *ve* significationem vocis, cui adiuncta est, usquam augere. Quippe in illo Persii loco, tam in editis quam scriptis, *vegrandis* exhibetur, non *vegrandi*. *Sat. I, 96.* „*Arma virum nonne hoc spumoxum et cortice pingui? Ut ramale vetus, vegrandi subere coctum.*“ Atque etiam si maxime hic *vegrandi* legeretur, non valde grandem, ut illi volunt, sed minimum suberem notaret. Nimirum si *vegrandi* scripsit Persius, iocose et per ironiam; si *vegrandi*, serio et vere respondit. Hoc enim vult, Virgilii stilum nihil inflatum et *φλοιδός*, nihil corticis suberisque habere; sed totum esse do duro et solido robore. At ad Festum nos amandant, qui „*Vegrande,*“ inquit, „*significare alii aiunt male grande, aliis parum sive minutum.*“ Optimum sane advocatum, cui ipsi alio patrone opus est. Nam *male grande* et *parvum*, non contrarium neque adeo diversum, sed idem plane significare solent. At Nonius [p. 183, 30 Merc.] diserte ait: „*Vegrande, valde grande. Lucilius libro XXVI. Non ideo extollitur, nec vitae vegrandi datur.*“ Sed quoties fatuus ille turpissime se dat, et auctorum loco prave et iniuste

Cruribus haec metuat, doti haec deprensa, egomet mi.
 132 Discincta tunica fugiendum est, ac pede nudo;
 Ne nummi pereant, aut puga, aut denique fama.
 Deprendi miserum est: Fabio vel iudice vineam.

E C L O G A III.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
 Ut numquam iducant animum cantare rogati;

v. 131. Vulg. Doti depr.

interpretatur? Fortasse etiam et hic lapsus est; et *vegrandis vita* Lucilio erat vita humilis et misera: ut si talem versum anteponas: „*Nec in adversis rebus sapiens concutitur, neque prosperis: Non iccirco extollitur, nec vitae vegrandi datur*“ Adde, quod idem Nonius ex meliore, ut videtur, exemplari versum hunc aliter citet, v. Efferre [p. 297, 32 Merc.]: „*Non iccirco extollitur, vel irae, vel gaudii datur*“ Adeo ut et levis alioquin, et incerta sit hac in re Nonii auctoritas. Sed quid A. Gellio facias? qui libro V, 12. [§ 9] et XVI, 5. [§ 5] „*Particula ve*“ ait, „*et augendae rei et minuendae valet, sicut aliae particulae plurimae; propter quod accidit, ut quaedam vocabula, quibus particula ista praepositur, ambigua sint et utroqueversum dicantur; veluti Fescum, Vehemens, et Vegrande*“ Haec quidem dici fateor, sed nullo satis idoneo auctore. Quis enim ei concesserit, *vehemens* et acre et remissum significare? *Fescum* quidem exile et gracile notat: hoc agnoscimus. At contrario sensu apud Lucretium poni voluit lib. I. 326. pro *edaci*: „*Nec mare quae impendent, vesco sale saxa peresa*“ Sed quidni et hic quoque communi acceptione sumatur, *vesco sale*, id est, tenui et minutissimis partibus constante, atque ideo penetrabili? Ut verbo dicam, *ve* significationem argere et intendere, non satis compertum est: et utcumque fuerit, in ambiguae vocis *repallida* usu ridendus foret Horatius. Ergo hac lectione missa, videamus, siquid melius ferat altera illa, — „*vae pallida lecto Desiliat mulier, miseram se conscia clamet*“ ut Ovidius Amor III, 6 [v. 161] „*Huic ego, vae demens narabam fluminum amores*“ Catullus Epithal. Pelei [64, 196] „*meas audite querelas, Quas ego vae misera extremis proferre medullis Cogor inops*“ et Virgil. Eclog. IX. [v. 28] „*Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae*“ Sed et huic lectioni obstat, quod in his et similibus locis *vae demens*, *vae misera* iunctim construantur; in *vae pallida* id non potest, (ridiculum enim foret) sed *vae* solum hic et incommittitur incidit. Iudicandum igitur aliud quid: et sane codices aliquot, etiam ex nostris, *vel pallida* habent. Unde N. Heinsius in libri sui margine, *Porte*, ait, *Resonetve, et pallida*: quod quo pertineat, non equidem intelligo. Ne multis morer; pro *ve* corrigendum opinor *ne*, ut clare exhibent Petrensis noster et Zuluohemianus: quod cum superioribus sic coniungendum: „*Nec vereor*“ inquit, „*ne vir rure recurrat, Ianua frangatur, latret canis, undique magno Palsa domus strepitu resonet: ne pallida lecto Desiliat mulier, miseram se conscia clamet*“ Ne illud in singulis orationis membris subauditur; et in illo venuste repetitur: ut supra v. 102. „*ne crure malo, ne sit pede turpi*“ et Serm. II, 8, 68. „*ne panis adustus, Ne male conditum ius apponatur*“ et Epist. I, 5, 22. „*ne turpe toral, ne sordida mappa Corruget naves; ne non et cantharus et lanc Ostendat tibi te; ne fidos inter amicos Sit, qui dicta foras eliminat*“ Atque hoc, opinor, contenti, facile illo *repallida* in posterum carere possumus.

131. *Doti deprensa*] Lege cum sagacissimo Nic. Heinsio; „*Cruribus haec metuat, doti haec deprensa, egomet mi*“ hoc est, *cruribus haec* (ancilla) *metuat, doti haec* (matrona). Necessarium quidem id pronomen

Iniussi numquam desistant. Sardus habebat
 Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
 5 Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
 Quicquam proficeret: si conluisisset, ab ovo
 Usque ad mala iteraret, Io Bacche, modo summa
 Voce, modo haec, resonat quae chordis quattuor ima.
 v. 7. Vulg. Citaret.

est: neque enim *deprensa* per se dominam significare poterit: cum et conscia, et adultera, et adulter ipse *deprensus* fuerint.

7. *Usque ad mala citaret, Io Bacche*] *Io Bacche* videtur fuisse initium Cantici: sic enim olim solebant et cantica et poemata a primis vocabulis designare. Persius Sat. I. [v. 96] „*Arma virum, nonne hoc spumosum et cortico pingui?*“ Ovid. Trist. II. [v. 261] „*Sumserit Aeneadam genetrix ubi prima; requiret, Aeneadam genetricis unde sit alma Venus*“ ubi illud Aeneida, hoc Lucretii opus significat Aristophanes Equitibus p. 219. [v. 492 (529)] *Ασαι δ' οὐκ ἔν ἐν ξυμπόσῳ, πλὴν, Λωροὶ σοκοπίδα, καὶ, Τίκτωρις ἐπαλάμων ἑνωρ οὐτως ἠέθησεν ἐκείνος*: et Nubibus p. 108. [v. 939 (967)] *Εἰετὸν προμαθεῖν ἀπὸ ἰδίδεσκον, τὸ μισθὸν μὴ ξενίζοντας, ἢ, Παλλάδα προσέποιν δεινὴν, ἢ, Τηλέπορον τι βόσκα*. ubi recte notat Scholiastes illis Cratini, his Lamproclis et Cydidae cantica ex primis eorum verbis indicari. Ita et Hesiodi opus *Hoiai* inscribatur. eo quod multi ibi versus ab *Ἡ οἷ*, inciperent; quorum aliquot reliquiae etiam hodie servantur, *Ἡ οἷ διδμοῖς ἱεροῖς ναῖονσα κολωνοῖς. Ἡ οἷ Φθῆη χαρίτων ἄπο κάλλος ἔχονσα. Ἡ οἷ Υγρῆ, πικανόφων Μελινοῖκη*. Ergo ad haec exempla *Io Bacche* notat canticum, quod ab his verbis est inchoatum; et eandem credo ob causam Poëma Archilochi adscriptum *Io Bacchi* vocabatur: Hephaestio p. 55. *Οἷον ἔστι τὸ ἐν τοῖς Ἀρχιλόχῳ ἀναφερομένοις ΙΟΒΑΚΧΟΙΣ, Ἀμεινός ἀγρῆς καὶ κῆρος τῆν πανήγυριν ἀέθρον*. Proclus Chrestomathia p. 342. *Εἰς θεοῖς ἀναφέρεται ἑνωρ — Ἀφροδίτα, Ἰόβακχον*. et 345. *Ἠθετο δὲ ὁ Ἰόβακχος ἐν ἰσοταῖς καὶ θροῖσιν, Ἀφροδίτῃ βεβατισμένος πολλῶν φρονέματι*. Ita et *Bacche Bacchus* appellabatur Hymnus in Bacchum; quia frequenter ibi ingeminabatur, *Βάκχε, Βάκχε, Βάκχε*. Aristoph. Equitibus p. 212. [v. 382 (408)] *Ἠσθῆντα καὶ παιωνῖσαι καὶ Βακχέβακχον ἔσαι*. Grammatici tamen narrant, deum ipsum *Βακχέβακχον* et *Ἰόβακχον* vocatum esse. Ceterum apud Horatium *Io Bacche* syllabam ultimam producere potest, quia in caesurum incidit. Sunt tamen, qui metro metuentes *Io Bacchae* resonant; uti sane habet Editio prima Veneta, et Fulmanni codices quattuor, Bersmannique unus: quod confirmare volunt ex Euripidis Bacchis v. 83. et 152. *Ὡ ἴτε βάκχαι, ὦ ἴτε βάκχαι*. Magis tamen apposite versum ibidem 577. laudare poteris: *Ἰὼ κλέει, Ἰὼ κλέει, Ἰὼ κλέει, Ἰὼ βάκχαι, Ἰὼ βάκχαι*. Sed utcumque hoc fuerit, illud iam videndum erit, quid sibi velit *citaret*: „*si conluisisset, ab ovo Usque ad mala citaret, Io Bacche, modo summa Voce, modo haec, resonat quae chordis quattuor ima*“ *Citaret*, sicut Scholiastae, id est, *clamaret* aut *recitaret*. Neque quidquam hic addunt novi interpretes. Atqui id erat sedulo faciendum; si verbo, ut aiunt, aptissimo hic usum esse Nostrum persuasuros sese speraverint. Quippe cum, ut iam vidimus, *Io Bacche* sit canticum; apud quemnam quaevo auctorem *citare cantilenam* reperiemus? *Citare* est vocabulum Iuris, et significat *vocare quempiam, ut se coram in loco aliquo sistat*. Ita *citare senatum, reos, iudices*. *Citare* autem *Io Bacche* ne Latinum quidem est. Neque enim *citaret* idem est ac *recitaret*: neque vero ipsum *recitaret* ad Horatii propositum quidquam faceret. *Cantor* enim fuit Tigellius, et cantilenam hanc modo *summa* modo *ima voce* cecinit. Sed aliud opinor est *canere*, aliud *recitare*. Quid multa? iam diu est, cum ex coniectura vere divinabam, sic esse corrigendum: „*si*

Nil aequale homini fuit illi: saepe velut qui
 10 Currebat fugiens hostem; persaepe velut qui
 Iunonis sacra ferret: habebat*) saepe ducentos,
 Saepe decem servos: modo reges atque tetrarchas,
 Omnia magna loquens; modo, Sit mihi mensa tripes, et
 Concha salis puri, et toga quae defendere frigus
 15 Quamvis crassa queat. decies centena dedisses
 Huic parco, paucis contento; quinque diebus
 Nil erat in loculis. noctes vigilabat ad ipsum
 Mane; diem totum stertebat. nil fuit unquam
 Sic impar sibi. nunc aliquis dicat mihi, Quid tu?
 20 Nullane habes vitia? Imo alia, et fortasse minora.

[v. 11. Vulg. Habebat. ed. Amst. 1713] 20. Haud fort.

collibuisse, ab ovo Usque ad mala iteraret, Io Bacche." Quod ideo interpolatum credidi, quia plerumque Librarii *ter* et *cor* et *ler* et similia soliti essent compendiose scribere, consonantem tantum ponentes cum apice superne adscripto. Ergo usque ad mala itaret tandem est lectum; apice illo prae vetustate evanido et oculos fugiente. Quod cum adversus metri leges peccaret; laudabilem operam se navasse credidit, qui primus ad versum fulciendum citaret reposuit. Postea, ubi veterissimi codicis Reginensis copia mihi contigit, citaret quidem ibi inveni, sed ita ut tres priores literae *cit* alia manu scriptae sint; et ex spatio constet quattuor literas erasas fuisse, quae vix aliae quam *iter* esse potuerunt. Atque id quidem multis ostendi, quorum nemo dubitavit, quin, ut ante visum eum codicem correxeram, a prima manu *iteraret* fuerit scriptum. Quippe hoc vocabulum adeo apte, concinne, et quasi ad amussim sententiae et verbis convenit; ut sine ullius codicis auctoritate merito foret recipiendum. *Ut ab ovo*, inquit, *ad mala iteraret, Io Bacche*: hoc est, *iterum iterumque cantaret*; neque enim per totam caenam protrahi potuit una cantilena, nisi saepe repetita. Noster Carm. II, 19, 11. „*Iactis et uberes Cantaro rivos, atque truncis Lapsa cavis iterare mella.*“ Phaedrus lib. V. fab. S. [f. 7 v. 31] „*Magnoque risu canticum repeli iubet: Iteratur illud.*“ Apuleius Metam. XI. [p. 261, 22 Elm.] „*Sequebatur lectissimae iuventutis Chorus, carmen venustum iterantes.*“ Sulpicius Severus Epist. II. [§ 4. p. 142, 22 Halm], „*Cum inter Benedictionis verba sollemnia familiare illud ori suo Crucis nomen iteraret.*“ Plautus Casina V, 2. [v. 5] „*Operam date, dum mea facta itero: est operae, auribus percipere: Ita ridicula auditu, iteratu ea sunt, quae ego intus turbavi.*“ Lucretius IV, 580. „*ita colles, collibus ipsis Verba repulsantes, iterabant dicta referre.*“ Noster Epist. I, 18, 12. „*Sic iterat voces, et verba cadentia tollit.*“

11**. *Habebat saepe ducentos Saepe decem servos*] Vossianus codex, cuius variantes lectiones serius ad me pervenerunt, pro *Habebat* corrupte habet *Halebat*; unde tamen fortassis emendandum est, „*alebat saepe ducentos, Saepe decem servos.*“ *Alere servos* eleganter, ut Graeci ad verbum Βόσκειν οίκετας; Aristoph. Lysistrata v. 1205. *Ei δὲ τῷ μὴ οἴκος ἐμῶν ἐστὶ, ΒΟΣΚΕΙ Δ' ΟΙΚΕΤΑΣ Καὶ σμικρὰ πολλὰ πωδία.* Quod si qui vestrum pane caret, et servos alit Multosque parvos liberos. Terent. Andr. I, 1. v. 30. „*Ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos.*“ et Heaut. IV, 3. [5.] v. 3. „*Allancine mulierem alere cum illa familia.*“ Plaut. Menaech. I, 1. v. 22. „*Nam illic homo homines non alit, verum educat Recreatque.*“

20. *Imo alia, haud fortasse minora*] Et editiones priscae et exem-
 *) [alebat ed. Amst. 1713]. — **) [Hanc adnot. Bentl. dedit in Addendis ed. 1711]

Maenius absentem Novium cum carperet: Heus tu,
 Quidam ait, ignoras te, an ut ignotum dare nobis
 Verba putas? Egomet mi ignosco, Maenius inquit.
 Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari.
 25 Cum tua praevideas oculis male lippus inunctis;
 Cur in amiceorum vitiiis tam cernis acutum,

v. 25. Vulg. Pervideas oc. mala.

plaria scripta ad unum omnia longe aliter habent, „*Nulla ne habes vitia? imo alia, et fortasse minora.*“ Primus, opinor, Aldus Manutius sincerum vas incrustare voluit, et reposuit *haud minora*; quem deinceps plerique omnes nimium patienter secuti sunt. Quid enim? an credibile est, hoc factum esse Horatium? sua vitia non minora esse illis, quae in Tigellio tam acerbe notaverat? Cur itaque *Clodius accusat moechos*? cur *ἄλλων ἰατρός, αὐτὸς ἄλλων βρωτῶν*? Imo vero sibi *mediocritia* tantum vitia esse alibi gloriatur, non Tigellianis similia. Serm. I, 4. 130. „*ex hoc ego sanus ab illis Perviciem quaecumque servat; medioeribus et quis Ignoscas vitiiis teneor.*“ et 6, 65. „*Atqui si vitiiis mediocribus, ac mea paucis Mendosa est natura, alioqui recta; velut si Egregio inspersos reprehendas corpore naevos; Si neque avaritiam, neque sordes, aut mala lustra Obiciet vere quisquam mihi; purus et insons, Ut me collaudem, si et vivo carus amicis.*“ Credat iam qui poterit, hunc Tigellio se aut postponere aut comparare. Imo enim modeste respondet, se alia quidem vitia habere (neque enim Maenii exemplo suis se vitiiis ignoscere, dum alios carpat) et tamen fortasse Tigellianis illis leviora. Summa urbanitas est in *ῥῶ fortasse*: quasi non pugnaturus foret, si quis vel aequalia esse diceret. Ceterum et Aeron Scholiastes lectionem nostram clare agnoscit; cum sic locum enarrat: „*Confiteor me habere vitia, sed leviora: nec sum similis Maenio, qui dicebat se ignoscere peccatis suis.*“ Ita recte nec sum Fabricius et Cruquius et codex manuscriptus Reg. Soc. exhibent; non ut alii perperam, sed sum.

25. *Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis*] *Praevideas*, quod legendum hic ex coniectura contendit elegantissimus Rutgersius, non improbante Nicolao Heinsio ad Ovidii Pontic. I, 7. v. 43. clare et sine ulla litura praefert codex Regiae Societatis: cui favet Aeron manuscriptus, in quo habetur *providas*. Ergo in hac lectione quiescendum tandem videtur: ut *praevideas* idem sit ac *praetervideas*, παραβλέψης, παραοῆς, negligas, praetereas. Quo pertinet locus ille Poetae veteris [ap. Plutarch. Tranq. Animi cap. 8], iam ab aliis saepius adductus, *Τὴ τἄλλότριον, ὠρθοίπε βασανώτατε, Κακὸν ἐνδοξαίσις, τὸ δ' ἴδιον παραβλέπεις*? Illud tamen fatendum est, si *pervideas* nihil amplius significaret quam simplex *videas*; ad stili Horatiani genium propius hoc accessurum esse, quam illud alterum. *Cum lippus inunctis oculis tua mala videas*, hoc est, *non videas*, non magis quam lippi solent: qui loquendi modus Nostro fere peculiaris est. Ita supra Serm. I, 2. v. 91. „*In corpore optima Lyncei Contemplare oculis; Hypsaeca caecior, illa Quae mala sunt, spectas*“: hoc est, *non omnino spectas*. Carm. III, 7, 21. „*Frustra: nam scopulis surdior Ieari Voces audit adhuc integer.*“ quod perinde est, ac *non audit*. Quomodo enim audit, si scopulis surdior est? Unde duo Pulmanni codices et Bersmanni unus sic locum ibi interpolant, „*Voces spernit adhuc integer.*“ Sed et illi frustra: quippe Euripidis locum fideliter imitatus est ex Medea v. 28. ὡς δὲ ΠΕΤΡΟΣ, ἢ Φιλάσσιος Κλέδων, ΑΚΟΥΕΙ νοῦν/τεουμένη φίλων. Recta igitur et plane Horatiana locutio foret, *Cum tua mala lippus videas*; quo vocabulo uterque Scholiastes in enarratione sua utitur. Sed certum interim et indubitatum est, compositum illud *pervideas* non posse hic consistere. Quippe *pervidere* ubique

Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? at tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.

Iracundior est paullo: minus aptus acutis

30 Naribus horum hominum: rideri possit, eo quod

significat, *acute et perspicue et penitus rem videre*: et proinde inexcusabile prorsus et intolerabile hic esset cacozelen. Neque enim quicquam proficit cum *Ozymoro* suo Daceries: quasi vero magnam rem faceret, qui *Ozymoron* et Enallagen et cetera Grammaticorum emplastra quibuscumque ulceribus adhiberet. Equidem potius sic reponerem, „*Cum tua tu videas oculis mala lippus inunctis*“: et pronomem illud dicerem a voce praecedente absorptum esse: posteaque ad versum supplendum *pervideas, praevideas, provideas* pro vario librariorum ingenio conficta esse.

Ceterum pro *mala* Cruquii aliquot codices *male*; et sic *in bonis exemplaribus legi* a Mureto didicit Hercules Ciofanus, ad Ovidii *Metam.* [IV, 285] p. 80. [ed. Antverp. 1583]. Ergo totus locus ad hunc modum constituendus est: „*Cum tua praevideas oculis male lippus inunctis, Cur in amicorum vitiiis tam cernis oculum?*“ ubi *tua vitia* subaudiendum est ex altero orationis membro *in amicorum vitiiis*. Neque aliter olim legisse videtur Aeron Scholiastes: „*Ordo*“ ait, „*Cum tua oculis inunctis lippus videas, id est, cum tua vitia cernas quasi caecus*.“ Ita exemplar scriptum, et editio Veneta 1490: *male* autem Fabricius edidit, *Cum tua mala oculis — praevideas*. Eligenter vero *male lippus*, i. e. admodum et valde lippus, ut alibi *male salsus, male parvus, male raucus*. *Mala* autem pro *male* passim a Librariis poni, docebit te praestantissimus N. Heinsius ad Ovid. *Fast.* II, 170.

29. *Minus aptus acutis Naribus horum hominum*] Quid hic sibi velint *minus aptus naribus acutis*, non adeo liquidum est. Scholiastae veteres sic explicant: „*paullo iracundior est, ut non possit deridendum urbanitatem sustinere*.“ Neque ab hoc recedunt interpretes novi. Et profecto interpretationem hanc sententia postulare videtur; verba tamen ipsa aut invita eam recipiant, aut plane recusant. Nam *acutae nares*, non sannae et derisionis, sed morbi et mortis iam instantis signum. Lucretius in descriptione pestis, VI, 1191. „*item ad supremum denique tempora* *Compressae nares, nasi primoris acumen Tenue, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis*.“ Cornelius Celsus II, 6. [princ.] „*Ad ultima vero, iam ventum esse testantur, nares acutae, collapsa tempora, oculi concavi*.“ Quae ex Hippocrate versa sunt, *Prognost.* c. 2. [vol. 21 p. 89 Kühn] ΠΙΣ ΟΞΕΙΑ, ὀφθαλμοὶ κοῖλοι, χροῖαί τε ξυμπεινωχότες. Ergo fieri potest, ut librariorum hic error sit, qui *acutis* pro *aduncis* scripserint; „*Iracundior est paullo: minus aptus aduncis Naribus horum hominum*“: ut ipse alibi, *Serm.* I, 6, 5. „*Ut plerique solent, naso suspendis adunco Ignotos*.“ et Persius, perpetuus nostri imitator *Sat.* I, 54, [40] „*rides, ait, et nimis unciis Naribus indulges*.“ Cui suspicioni favet, quod codex Collegii Trinitatis in posteriore Flacci loco pro *adunco* habet *acuto*. Alioqui *acutae nares* ingeniosum et sagacem denotare possunt; ut contra *obesa naris* stolidum et nihil sentientem, *Epod.* XII, 3. Verum hoc ad auctoris mentem nihil facere videtur. Possunt et iracundiam significare; nam ut Aristoteles, in *Physiognomonica* c. 6. [Bekker II p. 811*, 30] Οἱ τὴν ῥῖνα ἄκραν ὀξεῖαν ἔχοντες δυσόργητοι; *Quibus nares acutae sunt, ad iram sunt proniores*. Quo sensu et illud Ausonii videtur accipiendum, Praefatione ad *Griphum*: „*Neque me fallit fore aliquem, qui hunc iocum acutis naribus et caperata fronte condonnet*.“ Sed et iracundiae notio huic Flacci loco minus apta est: et erit fortasse qui *acutis naribus* tam apud Flaccum, quam apud Ausonium pro derisoribus et sannionibus poni existimet. Atque hoc quidem in medio relinquo. Ceterum non Virgilium hic describit et *χαρακτηρίζει*, ut et olim

Rusticius tonso toga defluit, et male laxus
In pede calcuus haeret. at est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam: at tibi amicus: at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore. denique teipsum
35 Concite, numqua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala. namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illuc praevertamur, amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec
40 Delectant; veluti Balbinum polypus Hagnae.

v. 40. Vulg. *Agnae*.

et hodie a multis creditum est, sed seipsum. Primo enim ipse se compellat, „*Cum tua praevideas oculis male lippus inunctis*.“ Lippus enim fuit Horatius; vide nos ad *Serm.* I, 1, v. 120. Sequitur mox: „*Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi*.“ id est, tua, o Flacce, vitia; et te absentem his verbis carpant: *Iracundior est paullo*. Hoc unum ex Horatii vitiiis, ut ipse de se *Serm.* II, 3, v. 323. „*Non dico horrendam rabiem*“ et *Epist.* I, 20, 25. „*Irasci facilem, tamen ut placabilis essem*.“ *Rusticius tonso*. Hoc etiam ad Horatium pertinet: ut *Epist.* I, 1, 94. „*Si curatus inaequali tonsore capillos Occurri*.“ — [v. 104] „*et prave sectum stomacharis ob unguem*.“ *Toga defluit*; et hoc quoque ibidem [v. 96] de se fatetur: „*si forte subucula pevae Trita subest tunicae, vel si toga dissidet impar*.“ Mox virtutes quasdam addit, ut cum vitiiis compensetur: et haec quoque virtutes ad Horatium ipsum referendae sunt. *At est bonus*, ut *Carm.* I, 22, 1. „*Integer vitae scelerisque purus*.“ et *Serm.* II, 1, v. 85. „*si quis opprobriis dignum laceraverit, integer ipse*.“ et saepe alibi. *At tibi amicus*. *Serm.* I, 6, v. 70. „*purus et insons, Ut me collaudem, si et vivo carus amicis*.“ vide et I, 4, v. 101. *At ingenium ingens*. *Carm.* II, 18, 9. „*At fides et ingenii Penigna vena est*.“ Sed haec obiter, et praeter morem nostrum; qui emendationes scribimus, non commentarium. Quis enim esset modus? Doluit tamen locum hunc tam prave ab interpretibus acceptum esse, et in transitu eos tribus saltem viribus admonendos esse censuimus.

34. *Sub corpore*] Lambini aliquot codices et Pulmanni *Torrentii*que, „*at ingenium ingens Inculto latet hoc sub pectore*.“ atque ita quattuor ex nostris. Quod miror equidem Lambinum non improbasse, et *Torrentium* amplius etiam vulgato praetulisse. Nihil enim absurdius: et perinde esset ac *ingens ingenium sub inculto hoc ingenio*, ut *Epist.* I, 3, 21. „*non tibi parvum Ingenium, non incultum est, nec turpiter hirtum*.“ Pectus enim ipsum ingenium notat: ut *Epist.* I, 4, 6. „*Non tu corpus eras sine pectore*.“ i. e. sine mente, sine ingenio. *Ovid.* *Metam.* XIII, 290. „*Artis opus tantae nullis et sine pectore miles Indueret*.“ Recte ergo cum melioribus membranarum et prisca editionibus *sub inculto corpore*: ut ad *rusticiorem tonsuram, togam defluentem, et laxos calcuos* referatur. Porro saepius haec duo vocabula a Librariis permutantur; ut apud *Virgil.* *Aen.* VII, 349. „*Ille inter vestis et levia pectora labsum*“: *Pieriani* aliquot codices *corpora* habuerunt.

40. *Polypus Agnae*] Si *Agnae* hic legimus; non femineum, ut esse debet, sed virile cognomen erit: ut *Asina, Scrofa, Pica, Panthera, Ovicula, Capella, Vaccula*, etsi ipsa feminini sint generis, virorum tamen sunt cognomena. Quare legendum cum duobus *Torrentii* codicibus, „*Delectat, veluti Balbinum polypus Hagnae*.“ *Hagna* sive *Hagne* Graecorum est *ΑΓΝΗ*, *casta*; unde *Libertinam* fuisse recte colligas. *Gruterus*, 957, 8.

Vellem in amicitia sic erraremus, et isti
 Errori nomen virtus posuisset honestum.
 At, pater ut gnati, sic nos debemus, amici
 Si quod sit vitium, non fastidire. strabonem
 45 Adpellat Paetum pater; et Pullum, male parvus
 Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
 Sisyphus: hunc Varum, distortis cruribus; illum
 Balbutit Scaurum, pravis fultum male talis.

DIS MANIBUS VETTIAE HAGNAE. 620. 4. ULPIAE HAGNE CONIUGI. 955. 13. TURRANIAE HAGNE. 754. 13. NUMITORIA HAGNE. Reinesius, XVI, 16. CLAUDIA HAGNE. XIV, 152. VIDIAE HAGNAE. Marmora Felsinea, p. 378. HAGNAE CONSERVAE MEAE.

47. *Illum Balbutit Scaurum*] Locus elegantissimus; in quo tamen interprotres, dum nimium ingeniosi esse volunt, nubes et inania venditant: „*strabonem Appellat Paetum pater; et Pullum, male parvus Si cui filius est, ut abortivus fuit olim Sisyphus: hunc Varum, distortis cruribus; illum Balbutit Scaurum, pravis fultum male talis.*“ *Paetus, Pullus, Varus, Scaurus* cognomina sunt, ut recte vidit disertissimus Rutgersius, a formae vitiiis pueris imposita; ita tamen ut *ὑποκορισμῷ* quodam vitia illa extenuentur. Sic qui strabis et distortis oculis est, non *strabo* a parentibus, sed *Paetus* vocatur; quod in cognatis oculorum vitiiis multo levissimum est, et Veneri ipsi assignatur. Apposite Ovidius Art. Amat. [II] 659. „*Nominibus mollire licet mala, fusca vocetur, Nigrior Illyrica cui pice sanguis erit. Si paeta est, Veneri similis; si flava, Minervae: Sit gracilis, macie quae male viva sua est.*“ ubi versum tertium ex vetustis codicibus, qui *Si crasia est v. s. si parva, Minervae*, exhibent, sic refingit sagacissimus Nic. Heinsius; „*Si qua straba est, Veneri similis; si rava, Minervae.*“ Optime ad sententiam; nisi quod versus paullo scabrior sit, quam ut Ovidianus esse videatur. Nos levi emendatione sic veram poetæ manum praestabimus; „*Si straba, sit Veneri similis; si rava, Minervae.*“ hoc est, *si straba est, molliore nomine vocetur Paeta*: plane ut hic Horatius. Ceterum *Pullus* cognomen notat *parvulum*, et est nani et pumilionis *ὑποκορισμῶν*. *L. Iunius Pullus* in Fastis occurrit A. U. C. 504. quod observavit Rutgersius; cui adde *Q. Numitorium Pullum* apud Ciceronem De Invent. II. 34. [§ 105] quem alibi *Pullum Numitorem* vocat De Finibus, V. 22. [§ 62]. Male itaque D. Heinsius *Pulum* hic reponit. Porro idem Rutgersius magno apparatu coniecturam suam stabilire conatur, qua versum sequentem sic interpolat, „*Sisyphus; hunc Varum, distortis cruribus; Hillum, Balbutit; Scaurum, pravis fultum male talis.*“ ubi sic verba explicat, particula *si* ex prioribus repetita: „*Pullum vocat pater, si filius est male parvus; Hillum vocat, si balbutit.*“ Et mirifice quidem hic sibi placuit vir celeberrimus: sed numquam vidi doctiorem operam infeliciem collocatam. *Hillum*, ait, balborum more qui R litteram per L efferunt, posuit pro *Hirrum*. Unde vero *Hirrus* est balbutientis pueri cognomen, ut *Pullus* nani, et *Paetus* strabonis? Imo ait, C. Lucium *Hirrum* hic tangit, qui *balbus* fuit, ut ex ioco Ciceronis conicere licet, Epist. Fam. II, 10. [§ 1] „*De te, quia quod sperabam; de Hillo (balbus enim sum) quod non putaram.*“ Lubrica sane et periculosa ratio, quae unam coniecturam super alia struit: neque enim ulli scripti codices *de Hillo* habent, sed *de nihilo*. Sed esto; cur ideo ipsum *Hirrum* *balbus* fuisse credemus? Tota, inquit, ioci elegantia inacet, nisi hoc statuamus. Mihi alia longe sententia est. Ut enim, qui R litteram pronunciare non poterant, Balbi et Blaesi cognominabantur; ita (ut mihi videtur) ab *hirriendo* *Hirri* vocabantur, qui R nimis crebro et nimis duriter efferbant: quales olim fuerunt Eretrienses

Parcius hic vivit: frugi dicatur. ineptus
 50 Et iactantior hic paullo est: concinnus amicis
 Postulat ut videatur. at est truculentior atque
 Plus aequo liber: simplex fortisque habeatur.
 Caldior est: aeris inter numeretur. opinor,
 Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.
 55 At nos virtutes ipsas invertimus, atque
 Sincerum cupimus vas inerustare. probus quis

et Lacedaemonii, qui *σκληροίηρ*, et *τὼρ βασιλέας*, *τὼρ ἡγήτορας*, et similia pronunciabant, pro sigma identidem rho ponentes. *Hirrus* itaque et *Balbus* contraria linguae vitia notant: unde Cicero, utpote *Hirro* competitor et inimicus, *Balbus* se esse iocose dicit, atque adeo pro *Hirro Hillum* pronunciat. Sed utrumque hoc fuerit; illud quaeso quam incredibile est, *Hirrum* illum, iam ut verisimile est mortuum, ab Horatio hic sugillari. Scripsit enim Epistolam eam Cicero A. U. C. 702. Horatio tum puero quindecenni. Quid autem? nulline tum balbi in vivis erant Romae, quos honestius nominare poterat, si homo lippus *balbus* deridere gestiret? Quid quod non Horatii haec verba sunt, sed parentum: quos mollioribus ait nominibus filiorum vitia solari et excusare solitos. Atqui, si filium *balbutientem* facetus pater *Hillum* cognominet, non tam *Hirrum*, quam *Filium* ipsum deridendum propinet. Valeat itaque coniectura, sententiae auctoris prorsus contraria: neque vero, si cetera omnia recte procederent, constructio ipsa stare posset. *Hillum, balbutit*: i. e. *si balbutit*. Nego vero si illud subintelligi hic posse: repeti enim oportuit; nisi ipsum quoque *Flaceum* data opera *balbutire* et incondite loqui existimemus. Atque haec quidem contra Rutgersium: paullo accuratius, propter summam viri famam et auctoritatem. Alioqui nodum in scirpo quaerat, qui tam clara et perspicua sollicitare velit, „*hunc varum, distortis cruribus; illum Balbutit Scaurum, pravis fultum male talis.*“ *illum* enim ad *hunc* ex opposito refertur, et erudite Scholiastae, „*Suaviter*, aiunt, *dixit Balbutit Scaurum: sic enim blandientes infantibus infingere (lege, infringere) linguam solent, ut quasi eos imitentur.*“ Quid amplius desideres? Celeberrimus tamen *Daccrius*, ut balborum vitium urbanius et salsius exprimatur, sic emendandum esse pronunciat, „*Balbutit Scalum.*“ ubi miror, cur non itidem *Valum* pro *Varum* reposuerit; quippe verbum *balbutit* utrique commune est. Sed frustratur se et lectorem vir cetera ingeniosus. Neque enim, si *Aristophanes* sic *Aleibiadem* introducit blaese loquentem, in *Vespis* p. 312. [v. 45] *Ὀλέξ, Θέωλος τὴν χειρὴν κόλακος ἔχει*, ut in voce *κόλακος* pro *κόρακος* iocum caperet: ideoque et *Horatius* hoc blaese efferre debuit, ubi nulla similis ioci materia est: quid enim significat *Scalus*? In *Aristophane* quidem urbanum erat: in nostro putidum foret et insulsum. Neque vero *balbus*, et *balbutire* unum idemque sunt ac Graeca illa *τραυλὸς* et *τραυλίζειν*; id quod satis indicat *Lucretii* locus, IV, 1157. ubi amatores ridet, quod *Venerum* suarum vitia mollioribus nominibus oculere student, „*Balba, loqui non quit, τραυλίζε: muta, pudens est. At flagrans, odiosa, loquacula, Λαμπάδιον fit.*“ *Balbus* itaque gravius vitium Latine notat, quam Graece *τραυλὸς*. Tamen ut interdum eadem esse fateamur: nihil in recepta lectione movendum erit. Iterum *Lucretius*, et suavissime quidem, de primo hominum saeculo, V, v. 1021. „*Et pueros commendarunt, multobroque saetum; Vocibus et gestu cum balbe significarent, Imbecillorum esse aequum misererier omnium.*“ An et hic blaese reponet *Daccrius*, „*Imbecillorum esse aequum misererier omnium?*“ Quid, cum Cicero de *Divinatione* I, 3. [§ 5] „*Reliqui,*“ ait, „*omnes praeter Epicurum, balbutientem de natura Deorum,*

Nobiscum vivit, multum demissus homo ille:
Tardo ac cognomen pingui damus. hic fugit omnis

v. 57. Vulg. *Illi*. 58. Tardo, cog.

divinationem probaverunt: an et hic quoque leget, *De natula deorum?* Non equidem memini hoc inter locos Ciceronis a veteribus relatum esse.

57. *Multum demissus homo illi*] Hic locus quasi scopulus est, Interpretum omnium naufragiis infamis. Videamus, si nos salvi eum praetervehi possumus. „*At nos virtutes ipsas invertimus, atque Sincerum cupimus vas incrustare. probus quis Nobiscum vivit; multum demissus homo: illi Tardo cognomen pingui damus.*“ hoc est, ex communi interpretum sententia, Si *probus* quis est, nos per contumeliam *demissus* vocamus; si *tardus* est, *pinguem*. In eo tantum a veteribus Novi discedunt, quod illi inversis verbis enarrant, Si *pinguis* est, *tardum* vocamus: hi contra, si *tardus* est, *pinguem*. quia dubium est scilicet, utrum utro verbum sit contumeliosius. Mirum vero est, nec hos neque illos diligentius attendisse animos ad verba auctoris. *Virtutes*, inquit, *ipsas invertimus: Cautum* hominem et prudentem, fictum et astutum vocamus; *simplicem*, communi sensu cavere dicimus: *probum*, alio nomine traducimus. Vides opinor *virtutes* hic poni, *prudentiam, simplicitatem, probitatem*; quas sub cognatorum vitiorum nominibus deprimi et infuscari solitas auctor indignatur. Iam autem, cum exponunt Interpretes, *si tardus est, pinguem vocamus, vel vicissim, si pinguis est, tardum*: scire velim, utrum ex his nomen pro *virtute* hic haberi censeant? *tarditatem* ingenii, an *pinguitudinem*? Quid iam haesitant, et mussant? Disputet sane tot viros doctrina et ingenio excellentes tam neglegenter hic versatos esse; neque enim ipsos *tardorum pinguisque* nomen hic sibi quaesivisse fas nobis est dicere. Sine dubio et *tardi* et *pinguis* cognomina contumeliae loco hic posita sunt; ut Terentius Eunuchus V, 8. [v. 49] „*Fatuus est, insulsus, tardus, stertit noctesque et dies.*“ ubi Donatus, „*Intellectu tardos vocamus, qui stulti sunt.*“ *Pinguis* autem *ingenium* pro *stipido* Noster et Ovidius dixerunt. Quaerendae itaque iam sunt, ex mente auctoris, virtutes illae, quae aegre ille fert sub horum vitiorum larva traduci et derideri. Neque vero diu indagandae sunt: sic enim in promptu est vera huius loci lectio: „*probus quis Nobiscum vivit, multum demissus homo ille; Tardo ac cognomen pingui damus.*“ hoc est, si *probus* quis et *demissus* nobiscum vivit, *tardum* ac *pinguem* nominamus. *Ille* autem extat in Blandinio Cruquii omnium vetustissimo: *Ac* ex coniectura addidimus, quod facile per Librarios elidi potuit, cum propter orationis hyperbaton, tum ob consonantem C proxime sequentem. Iam vero, quod ad sententiam attinet, *probus et demissus* propinquas et cognatas virtutes notant, ideoque hic coniunguntur, ut apud Ciceronem de Oratore II. c. 43. [§ 182] „*Facilitatis, liberalitatis, mansuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non avidi, signa proferri perutile est: eaque omnia, quae proborum, demissorum, non acrimum, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborum sunt, valde benevolentiam conciliant.*“ Iterum Cicero pro Murena c. 40. [§ 87] „*Sit apud vos modestiae locus, sit demissis hominibus perfugium, sit auxilium pudori.*“ Ex his facile intelligis, *Probum, demissum, mansuetum, modestum, pudentem*, virtutes inter se affines significare; ut apud Graccos, *ἐπιεικῆ, ἠσέως, μέτριον, ἠσέως*. Quid itaque hic faciant, qui omnia in peius interpretantur? nempe eiusmodi hominem, quia *non acer est*, non vehemens et fervidus, pro *tardo et pingui* traducunt: idque *ex more*, ut ait Noster alibi, *cognata vocabula rebus imponentes*. Exigua enim sunt virtutum vitiorumque confinia; et omnino paullum interest inter *non acrem et tardum*: facile itaque probitatem qui calumniari vult, *tarditatem* appellat; ut vicissim cum laudare studet, *probitatis* nomen et patrocinium *tarditati* praetexit.

Insidias, nullique malo latus obdit apertum;
60 Cum genus hoc inter vitae versemur, ubi aeris
Invidia, atque vigent ubi crimina: pro bene sano
Ac non incauto, fictum astutumque vocamus.
Simplicior quis et est; (qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas) ut forte legentem
65 Aut tacitum impediatur quovis sermone molestus:
Communi sensu plane caret, inquit, cheu

v. 60. Vulg. *Versetur*. 63. *At* est. 65. *Impellat*.

Plutarchus vita Artoxerxis p. 1852. [c. 4] *Ἦν δὲ τις καὶ ΜΕΛΛΗΣΙΣ ἐν τῇ φράσει τοῦ βασιλέως. ΕΠΙΕΙΚΕΙΑ φανουμένη τοῖς πολλοῖς. Ἐστὶν αὐτὴν ἐν Ταρδίτῃ καὶ ἐν ἰνδοῖς, καὶ ἀπὸ πολλῶν Προβίτων πηρὶ τῆς ἀρετῆς. Quintilianus Instit. VI, 5. [VI, 4 § 11] „*Nam est res animi iaculis, et mollis supra modum frontis; fallitque plerumque, quod Probitas vocatur, quae est Imbecillitas.*“ Recte itaque explicavimus auctoris sententiam: *Probus* enim et *demissus*, tanquam *tardus* et *pinguis*, facile vituperatur; ut *homo minime malus*, qui idem est ac *probus*, pro *hebeate* ponitur. Et miror equidem Lambinum, qui in priore editione verum ex parte viderat, postea in curis secundis seque et illud deseruisse. Ceterum illud in constructione ambiguum est; utrumne *vivit multum*, an *multum demissus*, inter se coniungenda sint. Ita Cicero [Ep. Fam. VII, 33 § 2], *Vivam tecum multum*, [Ep. ad Att. XV, 5 § 3; Ep. Fam. VII, 23 § 4; Lael. 1 § 2] *Multum uti aliquo*, [Ep. Fam. XIII, 16, 4] *Multum esse cum aliquo*: contra idem [contra Rull. III, 3, 13], *Vir multum bonus*, et Noster [Carm. I, 25, 5], *Multum facilis*, [Serm. II, 3, 147] *multum celer atque fidelis*. Et posterius quidem placet; ut distinguendum sit. „*Nobiscum vivit, multum demissus homo ille.*“ *nobiscum vivit*, id est, amicus, sodalis est nobis. Terentius [Eun. III, 1, 20]: „*Imo sic homo est perpaucorum hominum: imo nullorum arbitror, si tecum vivit.*“ Martialis [XII, 47, 2]: „*Nec tecum possum vivere, nec sine te.*“ Porro elegantior, *demissus homo ille*: Plinius Paneg. c. 30. [§ 2] „*Nihil cunctanter atque aere et languide extulerat, ingentibus quoque tunc quidem ille fluminibus conferendus.*“ Denique synchysis ista sive hyperbaton Horatio familiare est: ut Serm. I, 6. v. 65. „*Atqui si vitis mediocribus ac mea paucis Mendosa est natura.*“ et S. v. 34. „*Serpentes atque videres Infernas errare canes.*“*

60. *Cum genus hoc inter vitae versemur*] Ita quidem editiones, et nostri codices. Sed veterimus Cruquii Blandinius, *versemur*, Quod, me quidem iudice, verius altero et elegantius est. Sententia enim haec universim saeculi mores temporumque conditionem tangit. Neque enim vult *cautum* hunc in peiore vitae genere, quam alios versari; neque huic magis, quam aliis, insidias calumniasque vitandas; sed eiusmodi cautelam et prudentiam in omni vitae genere maxime probandam esse. Adde huc, quod proclive fuit librariis pro *versemur*, ob constructionis facilitatem, substituire *versetur*: contra, non item.

65. *Simplicior quis et est*] Primus Lambinus *at* reposuit, codices suos, ut ait, secutus. Ego vero et in praecis editionibus et scriptis, quos viderim, omnibus reperci, „*Simplicior quis et est.*“ Atque idem de suis testantur Cruquius, Fulmanus, et Torrentius. In solo Reginensi *at* habetur pro varia lectione, a manu recenti. Sed nihil causae est, ut membranas veteres hic deseramus. Nam ideo, ut videtur, mutarunt; quia haec omnia per interrogationem efferri vulerunt. Quod non modo non necesse est, sed etiam sententiam aliquanto deteriore facit.

65. *Ut forte legentem Aut tacitum impellat*] Haec quidem omnium membranarum lectio est; atque ita editi vetusti. Nullo tamen modo con-

Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
 Nam vitii nemo sine nascitur: optimus ille est,
 Qui minimis urgetur. amicus duleis, ut aequum est,
 70 Cum mea compenset vitii bona: pluribus hisce

sistere hanc posse, iudicavit Lambinus. Quippe *impellere*, cum ad corpus refertur, est ictu quodam urgere, trudere, percellere; cum ad animum, suadere, movere, incitare: quorum utrumvis a loci huius sensu alienum credidit. Quare idem reposuit *appellet*, ingeniose quidem et docte: in quo ab uno codice scripto se adiutum narrat, utpote qui habuerit *appellat*. De codice autem (non enim nominati fides peius auctorem esto: ceterum valde favet huic correctioni Aeron Scholiastes, cuius verba sunt; „*Si quis libere et sine observatione temporis appellaverit amicum suum — siquis est simplex, ut legentem, aut cogitantem molestus interpellat; statim eum carere communi sensu dicimus.*“ Recte ergo et apposite ad sententiam Lambinus. Vide tamen, siquid et nos afferamus; quod aut melius aut certe non deterius esse videatur. Lego itaque, „*ut forte legentem Aut tacitum impediatur, quovis sermone molestus.*“ Enimvero hoc commodi habet nostra coniectura, quod a recepta lectione minimum abscedit: neque vero precario admitti postulat, sed suo iure et magnis auctoribus se tuetur. Charisius lib. V. p. 261. [p. 294, 18 Keil] ubi *idiomata accusativi casus recenset, impedio legentem exempli loco profert*. Id autem ex hoc Flacci loco desumptum esse videatur, „*ut forte legentem Aut tacitum impediatur, quovis sermone molestus.*“ ut quod ibidem [p. 294, 14 Keil] adducit, *commeo lectum*, ex hac ipsa Ecloga petatum est v. 90. „*Comminxit lectum potus, mensave catinum*“ etc. Adde huic Diomedem p. 297. [p. 315, 8 Keil] qui similiter *incusativi idiomata memorans, impedio lectorem, habet. Impedit vero legentem aut meditantem*, qui quovis sermone molestus interpellat et obturbat. Porro quam proclive fuerit Librariis *Impellat pro Impediatur* substituere; vel inde discas, quod alias vice versa *Impedit* supponere pro *Impellit*, apud Senecam De constantia Sapientis, c. 9. [§ 53] „*Adiice nunc, quod iniuriam nemo immota mente accipit, sed ad sensum eius perturbatur: caret autem perturbatione vir erectus, moderatur sui, altae quietis et placidae. Nam si illum tangit iniuria; et movet, et impedit.*“ Ubi liquido legendum est, *et movet, et impellit*. Ceterum penes lectorem sit iudicium, cuius ex his lectionibus priores partes deferat. Illud tantum moneo; si cui ab exemplaribus scriptis discedere hic religio est, is, si me audiet, *id impellat* sic explicabit; ut *simplicior* ille, qui hic describitur, legentem siquem aut meditantem offenderit, manu vel cubito prius feriat et *impellat*, et deinde sic excitatum verbis appellet: qui hodie rusticiorum et agrestiorum hominum mos est. Porro quid sibi hic velit *sensus communis*, non satis viderunt Interpretes: varie enim apud varios accipiunt. Vide Ciceronem pro Plancio c. 13. [§ 31] et 14. [§ 34] de Oratore I, 3. [§ 12] Iuvenalem III [VIII], 73: Senecam Epist. 5. [§ 4] et 105 [§ 3]: Phaedrum Fab. VIII [I, 7, 4]: Lucretium I, 422: Quintilianum Inst. I, 2 [§ 20]: Arnobium IV. p. 160. et 166. Editionis Heraldii [c. 2 et c. 9]: Gellium XII, 12. [§ 4] ubi *αὐτονομοῦντοῖς communi sensu carentes* verti debet. Nisi potius in loco Gellii legendum sit cum Henrico Stephano, *ἀνομονομῶντες, oeconomiae imperiti*. Ad et Marcum Antoninum I, 16; et ibi doctissimum Gatakerum, ubi *αὐτονομοῦντοῦντες* enarrat. Certe haec omnia loca, in quibus *sensus communis* occurrit, non sunt uno et communi sensu explicanda. Iste homo ab Horatio hic denotatur; qui cetera bono sensu praeditus, tempus, locum, personas observare et distinguere nescit. Seneca de Beneficiis I, 12. [§ 3] „*Sit in beneficio sensus communis: tempus, locum, personas observet: quia momentis quaedam grata et ingrata sunt.*“ Cicero de Oratore II, 16. [§ 68] „*Quae versantur in consuetudine vitae, in ratione*

(Si modo plura mihi bona sunt) inclinet, amari
 Si volet. hac lege, in trutina ponetur eadem.
 Qui, ne tuberibus propriis offendant amicum,
 Postulat; ignosceat verrucis illius. aequum est,
 75 Peccatis veniam poscentem reddere rursus.
 Denique, quatenus excidi penitus vitium irae,
 Caetera item nequeunt stultis haerentia; cur non
 Ponderibus modulisque suis ratio utitur? ac, res
 Ut quaeque est, ita supplicii delicta coërcet?
 80 Si quis cum servom, patinam qui tollere iussus
 Semesos piscis tepidumque ligurrierit ius,
 In cruce suffigat; Labeone insanior inter

v. 74. Vulg. *Ignoscat*. 82. Forte, *Labeone*.

reipublicae, in hac societate civili, in sensu hominum communi, in natura, in moribus, comprehendenda esse oratori puto.“ Communi igitur sensu ideo hic carere dicitur, quia legentem aut tacitum, alieno cum maxime tempore, sermone suo obturbat. Quales et illi, quos Sermone proximo v. 76. sugillat; „*inanes Hoc iuvat, haud illud quaerentes, num sine sensu, Tempore num faciant alieno.*“ hoc est, *sine sensu communi*, quia tempore alieno.

74. *Ignoscat verrucis illius*] Ita editiones credo omnes post Aldum exhibuerunt. At vetustiores Venetae duae cum Loscheriana, *ignosceat*; quod Pulmannus in suis omnibus, Bersmannus in duobus reperit. Ceteri tacent. At quam bona fide, ex meis quoque discere potes; quorum meliori maioreque pars *ignosceat* clare praefereunt. Atque id altero lenius et urbanus. Civile enim magis est, Futuris quam Imperativis praecipere, idque Horatio sollemne: ut Epist. I, 18. v. 37. „*Arcanum neque tu scrutaberis ullius umquam: Commisissumque teges, et vino tortus et ira: Nec tua laudabis studia, aut aliena reprehendes.*“ Sic alibi passim. Ut Arte Poët. 385. „*Tu nihil invita dices faciesve Minerva.*“

82. *Labeone insanior inter sanos dicatur*] Porphyrio ad locum: „*M. Antistium Labeo, praetorius, iuris etiam peritus, memor libertatis, in qua natus erat, multa contumaciter adversus Caesarem dixisse et fecisse dicitur: propter quod nunc Horatius adulans Augusto insanum eum dicit.*“ Quibus gemina habet Aeron; et eandem cantilenam iterant interpretes novi. Ego vero, si usquam alias, iudicium hic in iis desidero. Videamus enim verba ipsa: „*Si quis cum servom, patinam qui tollere iussus Semesos piscis tepidumque ligurrierit ius, In cruce suffigat, Labeone insanior inter sanos dicatur.*“ hoc est, ab omnibus sanis Labeone insanior habeatur. Perperam enim Daecius accipit, sic verba construens; *Cum insanior sit Labeone, illene inter sanos dicatur, sive numeretur?* Quo quidem nihil infelicius dici potuit. Ergo hoc pro comperito habendum est, *Labeonem illum*, quicumque fuerit, iam tum priusquam haec scriberet Horatius, à sanis hominibus pro insano fuisse habitum. Videant igitur, qui Antistium Labeonem inter veteres Iuriconsultos facile principem a Placco hic traduci existimant. Quid enim? illene ut virum Senatorem, dignitate, opibus, sapientiae gloria, et gratia apud cives florentissimum, multis denique rebus sese meliorem, tam vecordi contumelia laecerat? Esto enim, ut in gratiam Augusti laedere eum gestiret: quo tamen ore, non sibi solum, sed *omnibus sanis* insanum eum videri, dicere potuit? Hoc certe convitio, sibi ipse cognomen insani et furiosi merito invenisset. Audiamus enim Tacitum Annal. III, 75. „*Consulatum Capitolini Aetio acceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium iisdem artibus (eloquentiae et iurisprudentiae) praecellentem*

Sanos dicatur. quanto hoc furiosius atque
Mains peccatum est? paulum deliquit amicus,

dignatione eius magistratus anteiret. Namque illa aetas duo pacis decora simul tulit. Sed Labeo incorrupta libertate, et ob id fama celebratior: Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. Illi, quod praeturam intra stetit, commendatio ex iniuria: huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur. Idem est, qui toties quasi iuris quoddam oraculum, in Digestis laudatur. Pomponius I, 2, [2.] 47. „Post hanc maximae auctoritatis fuerunt Ateius Capito, et Antistius Labeo, qui omnes hos audivit: institutus est autem a Trebatio. Ex his Ateius Consul fuit: Labeo nobilit, cum offerretur ei ab Augusto consulatus, quo susceptus ferret, honorem suscipere. Sed plurimum studiis operam dedit — itaque reliquit quadringenta volumina; ex quibus plurima inter manus versantur — Labeo ingenii qualitate, et fiducia doctrinae, qui et ceteris operis sapientiae operam dederat, plurima innovare instituit.“ Iustinianus Instit. II, 25. de Codicillorum usu et origine disserens, „Post quae tempora, inquit, cum et Labeo codicillos fecisset; iam nemini dubium erat, quin codicilli iure optimo admitterentur.“ Quid iam videtur? An qui pacis laetaeque decus et suo aevo et apud posteros est habitus, idem tum mente captus vulgo habebatur? Sed gratificatur, sicut, Flaccus Augusto, cui Labeo propter nimiam libertatem offensus erat. Qui malum gratificatur? An credibile est, tam foeda et absurda adulatione aut Augustum capi potuisse, aut Flaccum captare ausum esse? Qui autem offensus? Nempe (ut eius nemulus Ateius Capito apud Gellium XIII, 12. [§ 2]) „agitabat hominem libertas quaedam nimia et vecors; tanquam, Divo Augusto iam principe et rempublicam obtinente, ratum tamen pensumque nihil haberet, nisi quod iussum sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset.“ Ita obiter corrigendum: illud ex codice Regio Lutetiae omnium optimo; hoc ex coniectura: vulgo edunt usque eo ut, et iustum. Et Libertatis quidem eius exemplum afferunt Suetonius Augusto c. 54. et Dion I LIII. [c. 15]. Quam tamen negant uterque fraudi aut detrimento ei fuisse apud Augustum: apud cives autem maximo honori fuisse, iam ex Tacito audivimus. Nam et Praetura et proconsulatu provinciae Narbonensis functus est; et ab ipso Augusto inter Triginta nominatus est, quorum arbitrato Senatus legeretur. Enimvero qui tali viro cognomen Insano posterint, ii ipsi multo magis furere et desperare videantur. Quamobrem, si receptam sequimur lectionem, alius opinor intelligendus erit Labeo, cuius hodie licet ignoti famosa tum fuerit insania. Frequens enim Labeonum cognomen, et in nullis non familiis locum habuit. Fabius Labeo, Atinius Labeo, Asconius Labeo, Segutius Labeo, Cethegus Labeo, Pomponius Labeo, alique praeter Antistium, apud auctores occurrunt. Aut si coniecturae locus hic concedatur, equidem levissima mutatione pro Labeone Labienum reposuerim: ut vera forte lectio fuerit, „In cruce suffigat; Labieno insanior inter Sanos dicatur.“ Quis autem et qualis Labienus iste fuerit, quoque iure insani nomen hic ferre possit, ex Seneca cognosceas, Praefat. ad lib. V. [X, p. 292, 2 Burs.] Controversiarum: „De Labieno interrogatis? — magnus orator, qui per multa impedimenta eluctatus, ad famam ingenii confitentibus magis hominibus pervenerat, quam volentibus. Summa egestas erat, summa infamia, summum odium. — Libertas tanta, ut libertatis nomen excederet; et, quia passim homines ordinesque laniaret, Labienus vocaretur. Animus per vitia ingens, et ad similitudinem ingenii sui violentus; et qui Pompeianos spiritus nondum in tanta pace posuisset. In hunc primum excogitata est nova poena. Effectum est enim per inimicos, ut omnes eius libri incenderentur. Res nova et insueta, supplicia de studiis sumi. — Non tulit hanc Labienus contumeliam, nec superstes

85 Quod nisi concedas, habere insuavis: acerbus
Odisti et fugis, ut Rusonem debitor aeris;
Qui nisi, cum tristes misero venire Calendae,
Mercedem aut nummos unde extricat, amaras
Porrecto iugulo historias, captivus ut, audit.

v. 86. Vulg. Drusonem.

esse ingenio suo voluit; sed in monumenta se maiorum suorum ferri iussit, atque ita includi. Fortis scilicet, ne ignis, qui nomini suo subiectus erat, corpori negaretur; non finivit tantum se ipse, sed etiam sepelivit. Memini aliquando cum recitaret historiam, magnam partem [illum libri] convolvisse, et dixisse: Haec quae transeo, post mortem meam legentur. Quanta in illis libertas fuit, quam etiam Labienus extimuit? Cassii Severi, hominis Labieno iunctissimi,; belle dicta res ferebatur. Illo tempore, quo libri Labieni ex SC. urebantur: Nunc me, inquit, vivam uri oportet, qui illos edidici.“ Haec de Labieno Seneca: ex quibus illud opinor constat, nullum potius hominem, quam hunc, Insaniae cognomine hic taxari a Flacco nostro debuisse. Tempus enim convenit: cum Labienus sub Augusto vixerit et decesserit. Idem vulgo Labienus ab insania et rabie vocitatus: idem in summo odio tum apud Cives, tum apud Principem: idem Cassio Severo iunctissimus, quem Horatius virulentissimis Iambis laceravit, Epod. VI. Huc accedit, quod exemplum hic a Nostro ponitur, non cuiusvis mente capti et delirantis, verum hominis prae iracundia et rabie insanientis; „Si quis cum seruum — In cruce suffigat“: quo nullum aptius pertinet, quam hoc Labieni, qui eo ipso furoris genere Rabieni nomen est consecutus. Qualis et ille Domitius erat, cui, ut narrat Gellius XVIII, 7. [§ 1], „cognomentum insano factum est, quoniam erat natura intractabilior et morosior.“ Haec quidem omnia me facile inducent, ut de hoc, et non alio, locutum esse Flaccum existimem: saltem absit, ut Antistius ille Labeo, „Ios delibatus populi suadacae medulla, ab homine quoquam, qui ipse sanus sit, pro insano habeatur.*

86. Fugis, ut Drusonem debitor aeris] Ita post Aldum plerique ediderunt; cum prima Veneta Rufonem, altera Rissonem, Loscheriana Rufonem exhibeat. Lego vero Rusonem, quod membranae ferè omnes tum nostrae, quam aliorum, agnoscunt. Atque ita Aeron et MStus, et Venetiis olim editus. Ruso satis frequens apud Romanos cognomen. Gruterus 64, 9. P. CALVISIO RUSONE COS. 302. 1. M. OCCIUS RVSO. 464, 9. RUSP. ASTROPHILI**) RVSON. Martialis V, 28. [29 v. 4] „Pietate fratres Curtius licet vincas, Probitate Macros, comitate Rusones.“ Cui Octavius Ruso, apud Sallustium in Ingurthi, c. 104. Abudius Ruso, Tacitus Annal. VI, 30. [36]. Crematius Ruso, Plin. Epist. VI, 23. vide et IX, 19. In tribus quidem nostris Magdalenensi, Petrensi, et Batteliano Drusonem clare habetur: sed nusquam alibi illud verbum legisse meminimus. Ceterum in huius loci interpolatione non leviter ab interpretibus peccatum est: „paulum deliquit amicus, Quod nisi concedas, habere insuavis: acerbus Odisti, et fugis, ut Rusonem debitor aeris.“ Sic, inquam, distinguendum: Habere insuavis, nisi concesseris: at tu acerbus odisti. At vulgo corruptos coniungunt, habere insuavis, acerbus: quod quanto vilius deteriusque sit nostro, nihil opus est dicere. Non concedere et condonare, insuavis est; at odisse et fugere, acerbi. Porro et illud vide, annon et veteri scribendi ratione error irrepserit, quod pro qui: „paulum deliquit amicus, Quoi nisi concedas, habere insuavis.“ id est, cui delicto: ut Ecloga proxima v. 140. „hoc est mediocribus illis Ex vitis unum, cui si concedere noles.“ et v. 130. „mediocribus, et quis Ignoscas, vitis teneor.“

*] (iunctissimi Burs. cum codd.)

**] [ASTROPHILI Grut.]

- 90 Conmixit lectum potus, mensave catillum
 Evandri manibus tritum deiecit: ob hanc rem,
 Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
 Sustulit esuriens, minus hoc iucundus amicus
 Sit mihi? quid faciam, si furtum fecerit, aut si
 95 Prodiderit commissa fide, sponsumve negarit?
 Quis paria esse fere placuit peccata, laborant,
 Cum ventum ad verum est: sensus moresque repugnant,
 Atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi.
 Cum prorepserunt primis animalia terris,
 100 Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter
 Unguibus et pugnīs, dein fustibus, atque ita porro
 Pugnabant armīs, quae post fabricaverat usus:
 Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
 Nominaque invenere: dehinc absistere bello,
 105 Oppida coeperunt munire; et ponere leges,
 Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.

v. 91. Forte, *tortum*.

91. *Catillum Evandri manibus tritum*] Dissident inter se veteres novique interpretes, de huius loci explicatione. Hi fere in ea sunt sententia, ut Evander Rex intelligatur, et ideo catillus tum ob vetustatem, tum ob tantum olim possessorem iam pretiosior sit. Favet his imprimis Martialis Epigramma, VIII, 6. „*Archetypis vetuli nihil est odiosius Eucti*“: ubi Euctus ille gloriatur sua pocula olim fuisse Laomedontis, Lapitharum, Nestoris, Achillis, Didas: „*Hi duo longaevo censentur Nestore fundi: Pollice de Pylio trita columba nitet*“ Verum obstat magis, quod Evander ille antiqua erat paupertate, neque nobilium artificum pocula in suppellectile habere potuit. Tum autem *catillus* hic, quia *deiectus* frangebatur, sine dubio fictilis erat: ut incredibile est, ut vas fictile ab Evandri usque aetate ad Horatii tempora servari posset integrum et sinearum. Adde, quod figlina opera non *trita* fiunt usu et in manibus habendo; sed metalla tantum. Audiendi ergo iam veteres Scholiastae, qui Evandrum hunc, non Regem, sed plastem et caelatorem accipiunt: „*Qui de personis*“ inquam, „*Horatianis scripserunt, aiant Evandrum hunc caelatorem et plastem statuaram; quem Marcum Antonium ab Athenis Alexandrium transtulisse; inde inter captivos Romam perductum, multa opera mirabilia fecisse*“ Enimvero haec non sunt temere repudianda: quippe prolata a fide auctoribus, qui ab aetate Flacci proxime vixerunt. Idem ille videtur, cuius meminit Plinius Hist. XXXVI, 5. [§ 32] „*Timothei manu Diana Romae est in Palatio, Apollinis delubro: cui signo caput reposuit Aulianus Evander*“ Et sententia quidem aptissima est: ut *catillus* hic ob artificis celebre nomen in maiore pretio haberetur. Sed interea quid faciemus illo *tritum*?*) Membranae quidem nostrae sic inter lineas fere enarrat, *Tritum, factum vel fabricatum*: ut annotator Cruquianus, *perfectum, caelatum*. **) Virgil. Georg. II, 444. „*Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris*“ Ubi Servius; „*Trivere: tornare, composuere de torno*“ Glossarium Philoxeni: „*Tritor, rogevis*“ Plinius Hist. XXVI, 36. [XXXVI, 66 § 193] „*Vitrum aliud flatu figuratur, aliud torno teritur*“ Vide Salmasium fusius haec pro-

*) [Saquebantur haec „Nam ea vox minime artificum, sed possessorem plane“ indicat. delecta a Bentley in Aldensis ed. 1711 p. 445.]

**) Haec „Virgil. — Tamen“ Bentleyus l. c. exhibuit iussit in locum eorum, quae antea crispaverat: „Frustra: neque enim quisquam eo modo locutus.“

- Nam fuit ante Helenam cunus teterrima belli
 Causa: sed ignotis perierunt mortibus illi,
 Quos venerem incertam rapientis more ferarum
 110 Viribus editior caedebat, ut in grege taurum.
 Iura inventa metu iniusti fateare necesse est,
 Tempora si fastosque velis evolvere mundi.
 Nec natura potest iusto secernere iniquum,
 Dividit ut bona diversis, fugienda petendis:
 115 Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque,
 Qui teneros caulis alieni infregerit horti,
 Et qui nocturnus sacra Divum legerit. adsit
 Regula, peccatis quae poenas inroget aequas:

v. 116. Vulg. *Fregerit*. 117. *Divum sacra*.

sequentem ad Solinum [p. 736 sqq. ed. 1689] et Lampridium [Alex. Sev. 24 p. 920 Haek]. Ergo recte satis procedet illud *Evandri manibus tritum*, hoc est, tornatum, caelatum, fabricatum. Tamen*) codex Collegii Trinitatis *scultum* clare praefert, non *tritum*: sed ille et aetatis et notae sequioris est. Et satis apparet, ex glossa quadam hoc irrepisse, quae *tritum* enarraverat *sculptum*. At codex Regius egregie, „*mensave catillum Evandri manibus tortum deiecit*“: cui voci pro explicatione superne adscribitur, *tornatum*. *Tortum* etiam a manu secunda exhibet codex alter Magdalenensis. Et *tortum* quidem interpretatur, *rota figuli fabricatum*. Statius Silv. V, 9. [IV, 9 v. 43] „*Ollares, rogo, non licebat vas, Cumano patinas in orbe tortas, Aut unum dare synthesein quid horres?*“ Albarum *calcium, atque caccaborum*?“ hoc est, *patinas Cumana rota fictas*: ut Tibullus II, 3. [v. 47] „*At tibi laeta trahant Samiae concicia testae, Fictaque Cumana lubrica terra rota*“ Martialis in Xenis, XIII, 25. [28] „*Vas coctanorum. Haec tibi quae torta venerunt condita meta, Si maiora forent coctana, ficus erant*“: hoc est, *vase figlino ad metae formam torto et ficto*.

116. *Alieni fregerit horti*] Acutissimus Heinsius ex coniectura, *Forte*, inquit, legendum, „*Qui teneros flores alieni infregerit horti*“ Recte, opinor: quod et ipse ante visum eius codicem de meo excogitaram. Syllaba in absorpta est ab ultima vocis praecedentis. Ovidius Metam. X, 190. „*Ut si quis violas, riguore papaver in horto, Liliaque infringat, fulvis haecentia virgis*“ Cicero pro Cornelio Balbo c. 6. [§ 15] „*Est enim huius saeculi labes quaedam et macula, virtuti invidere, velle ipsum florem dignitatis infringere*“ At *frangere flores* non memini legisse: adde, quod versus ex hac correctione dulcior et numerosior incedit.

117. *Divum sacra legerit*] Ita dederunt post Aldum Manutium interpretes omnes, „*Et qui nocturnus divum sacra legerit*“: neque quisquam de varia lectione monuit, praeter Bersmannum, qui in omnibus suis inverso ordine reperit. „*Et qui nocturnus sacra divum legerit*“ Quod et ipse in plus decem invenit alterum autem ne in uno quidem. Revoceatur igitur antiqua lectio; praesertim, cum in priscis etiam editionibus compareat, Venetis binis, et Loscheriana. Certe nova illa radit vulneratque aures sua asperitate: haec ut lenior molliorque est, ita sine dubio verior. Magdalenensis tamen longius abscedit, „*Et qui sacra deum nocturnus legerit*“: ut Virgilius in Georgicis, II, 473. „*Sacra deum, sanetique patres*“ et IV, 521. „*Inter sacra deum, nocturnaque orgia Bacchi*“ Verum hoc ornatus paulo est, et altius assurgit quam pro humilitate Satirae Horatianae. Quare plurium vetustiorumque auctoritatem hic sequemur.

*) v. adnot. praecedentem.]

- Ne scutica dignum horribili sectere flagello.
 120 Nam, ut ferula caedas meritum maiora subire
 Verbera, non vereor: cum dicas esse pares res
 Furta latrocinii; et magnis parva mineres
 Falce recisurum simili te, si tibi regnum
 Permittant homines. si dives, qui sapiens est,
 125 Et sutor bonus et solus formosus et est rex:
 Cur optas quod habes? Non nosti quid pater, inquit,
 Chrysippus dicat. sapiens crepidas sibi nunquam
 Nec soleas fecit; sutor tamen est sapiens. Qui?
 Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
 130 Optimus est modulator; ut Alfenus vaser, omni
 Abiecto instrumento artis clausaque taberna,
 Tonsor erat: sapiens operis sic optimus omnis
 Est opifex solus, sic rex. Vellunt*) tibi barbam
 v. 128. Vulg. Quo? 132. Sutor erat. 133. Est op., sic rex solus. 134. Nisi.

128. Sutor tamen est sapiens. Quo? Ita quidem editi: sed lege cum Blandinio Cruquii, et Ood. Collegii Trinitatis: „Nec soleas fecit: sutor tamen est sapiens. Qui?“ Qui, id est, quomodo, quo pacto, qua ratione? Terent. Andria V, 4. [v. 51] „Davo ego isthuc dedam iam negati. Non potest. Qui? Quia habet aliud magis ex sese et manus.“ Ita Comici passim, et noster ipse saepius: [Serm. I, 1 v. 1] „Qui fit, Maecenas, ut nemo“ etc. Sic et Qui dum iidem Comici sensu eodem. At Quo nunquam valet quo pacto, sed quem ad finem: quod ab hoc loco alienum est.

131. Clausaque taberna Sutor erat] Ita editi ad unum omnes, et codices nostri, Sutor. Sed si sententiae filium sequaris: occurreret tibi credo, quod nonnihil displicebit. Sapiens, inquit, quamvis soleas sibi non facit, est tamen sutor: plane ut Hermogenes, quamvis tacet, est cantor: et Alfenus, etiam cum clauserat tabernam, erat Sutor. Aufer quae-ero illud sutor? Certe exemplum non ex eodem artificii genere, sed ex diverso petendum erat: Sapiens, etsi soleas non facit, est sutor: ut Cleon, etiam cum exercitum imperaret, cortarius erat: ut Agathocles, etiam postquam regnaret, figulus. Inconcinnum est utique, si ad idem opificium revertatur oratio: saltem concinnius esse, si per varia discurrat, vel invitae faterere. Quid ergo? Placeat ut amplectamur vetustissimi omnium Blandinii lectionem? qui erasis characteribus, id est opinor a prima manu, testante Cruquio, sic habuit, „ut Alfenus vaser, omni Abiecto instrumento artis, clausaque taberna Tonsor erat“: Cui accedit Aeron MStus Regiae Societatis: „Urbane,“ inquit, „salis Alfenum Varum Cremonensem deridet, qui abiecta tonstrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam venit: magistroque usus Sulpitio Lariscoualto, ad tantum pervenit scientia, ut et Consulatum gereret.“ Editiones habent, abiecta sustrina. Quin et, notante eodem Cruquio, Alexander ab Alexandro, qui ferme ducentis abhinc annis vixit, Genialium Dierum VI, 23 [p. 729 Hack], Alfenum hunc ab adolescentia tonstrinam exercuisse, aliaque narrat, quae non nisi a scripto quodam Aeronis vel Porphyronis codice haberi potuerunt. Certe utrum sutor an tonsor fuerit Alfenus, non aliunde iam datur cognoscere; malim tamen Horatii caussa, ut pro Tonsore potius habeatur.

133. Est opifex, sic rex solus.] Etiam hic quoque Aldum male secuti sunt posteriorum plerique. Quippe editiones Aldo priores, et membranaceae

*) [„Vellunt“ et in marg. „Vulg. Vellunt“ ed. 1711. „Vellunt“ Beull. reponendum insit. in praef.]

- Lascivi pueri; quos tu ni fuste coërces
 135 Urgueris turba circum te stante, miserque
 Rumperis et latras, magnorum maxime regum.
 Ne longum faciam: dum tu quadrante lavatum
 Rex ibis; neque te quisquam stipator, ineptum
 Praeter Crispinum, sectabitur; et mihi dulces
 140 Ignoscent, si quid peccaro stultus, amici:
 Inque vicem illorum patiar delicta libenter,
 Privatusque magis vivam te rege beatus.

ECLOGA IV.

- Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque poetae,
 Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,
 Si quis erat dignus describi, quod malus ac fur,
 Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui
 5 Famosus; multa cum libertate notabant.
 Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,
 Mutatis tantum pedibus numericisque; facetus,
 Emunctae naris, durus componere versus:
 Nam fuit hoc vitiosus; in hora saepe ducentos,
 10 Ut magnam, versus dictabat stans pede in uno:

v. 140. Vulg. Peccavero. 3. Aut fur.

opinor omnes, hoc ordine verba collocant, „Est opifex solus, sic rex.“ quae tersior et elegantior lectio est.

140. Si quid peccavero stultus] Hoc a praeis editionibus propagatum in omnibus hodie circumfertur. Perperam; neque enim O finale in verbis temere invenies correptum, apud eius aevi scriptores; et adhuc durius est, ubi sequens vocabulum a duabus mutis consonantibus inchoatur. Melius itaque Leidensis noster, Reginensis, Franckeranus, cum Lambini et Pulmanni nonnullis, „Ignoscent, si quid peccaro stultus, amici.“ Cicero ad Atticum X, S. [§ 5] „Ab illis est periculum, si peccaro: ab hoc, si recte fecero.“ Porro v. 142. pro privatusque codex Leidensis privatumque; et pro varia lectione Reginensis. Mutatum videtur, ut evitaretur cacophonon illud Privatus, beatus. Verum nihil est opus: nam in pronunciatione non cadit accentus in medias utriusque syllabas, privatus, beatus; sed offerendus est versus in hunc modum: „Privatusque magis vicam te rege beatus.“ ubi latet plane et fallit eò quovarditor: ut etiam in illo Virgilio [Aen. III, 549], „Cornua volatarum obvertimus antenarum.“

3. Quod malus aut fur] Illud Aut ex editionibus antiquis profluxit: nos in uno tantum codice invenimus, eoque infimae notae. Ceteri summo consensu, „Siquis erat dignus describi, quod malus ac fur.“ Bernmannus quoque in suis idem reperit: nec mihi dubium est, quamvis notare praetermiserint, ceteros quoque interpretes ita in suis offendisse. Malus quidem utique non absolute hic ponitur; malus, aut fur, aut moechus, aut sicarius; quasi et ii ipsi non sint mali: sed de eodem homine dicitur, malus ac fur, hoc est, vaser, astutus, malus, ac proinde fur. Terent. Andria IV, 3. [v. 8] „Mysis, nunc opus est tua Mihi ad hanc rem expromta malitia atque astutia.“ Noster Serm. I, 1. v. 77. „Formidare malos fures, incendia, servos.“

Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles;
 Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem;
 Scribendi recte: nam, ut multum, nil moror. ecce
 Crispinus nummo me provocat: Accipe, si vis,
 v. 14. Vulg. *Minimo*.

14. *Crispinus minimo me provocat*] Quid sit *minimo provocare* iam diu in controversia est. Scholiastae veteres: „*Sensus ex proverbiali consuetudine ductus. Solemus enim dicere, Minimo digito provocat, cum volumus quem intelligi tantum valere minimo digito, quoniam alius talis viribus.*“ Atque his fere astipulantur recentiores interpretes, et in Adagiis Erasmus. Sed neque ullum exemplum afferunt istius locutionis, *Minimo digito provocare*: neque sermonis Latini indolet, aut vita adeo communis pati poterit, ut *digito* per Ellipsin subintelligatur. Qualis enim perturbatio et confusio, si lingua interpres animi tam ambiguos multosque sensus efferret? Vidit hoc, opinor, perspicacissimus Nic. Heinsius; et iccirco tanquam loco mendoso medicinam ferre conatus est, sic ex coniectura reponens, „*Crispinus mimo me provocat.*“ ubi *mimo*, ni fallor, voluit, cum risu et contentu et gesticulatione mimica. Sed et hoc parum satisfecit; et sine auctore profertur. Aliud porro suppeditat Aeron Fabricii (nam in editionibus praeis et codice scripto verba ea desiderantur) „*Minimo provocare dicuntur hi, qui in responsione plus ipsi permittant, quam exigant ab adversario.*“ Quae corrupta sic restitue, „*Qui in sponseione plus ipsi promittant, quam exigant ab adversario.*“ Hoc nimirum voluit annotator, Crispinum cum Horatio sponseionem fecisse, Ni plures versus citius componeret: idque inaequali pignore: ut suo si forte talento, Horatii mina. Quo ostendere voluit Crispinus victoriam sibi non dubiam fore, et prope in manibus haberi, si auderet Noster sponseionem suscipere. Et sententia quidem egregia est: sed nullas video, quibus demum tormentis *minimo provocare*, id quod vult annotator, exprimere et significare possit. Tamen is videtur quasi per transennam, veram poëtae sententiam vidisse: certum enim est, ex ipsa loquendi formula, de sponseione (quod nostrates dicunt a *Wager*) hic agi. *Crispinus minimo me provocat*. Ita Valerius Maximus, II, 8, 2. „*Valerius sponseione Lutatium provocavit, Ni suo ductu Punica classis esset oppressa.*“ Petronius Tragurii repertus [c. 70 extr.]: „*Et coepit subinde dominum suum sponseione provocare, Ni prasinus pro-civis Circensibus primam palmam.*“ Recte opinor haec procedunt: sed quid faciamus illo *minimo*? Deest siquidem pecuniae summa, quam perderet is, qui sponseione vinceretur. Ascenius Pedianus in Verriam de Praetura Urbana p. 100. [Act. II lib. I § 115] „*Sponseione ipse provocatur ab adversario, certae pecuniae aut aestimationis, quam amittat, Ni sua sit haereditas de qua contendit.*“ Cicero ipse in Verrem de Frumento, c. 58. [Act. II l. III] c. 58 [§ 135] „*P. Scandilius eandem sponseionem de societate fecit: facta est sponseio Sestertium quinque millibus.*“ Idem in eundem de Supplicibus [Act. II l. V] c. 54. [§ 141] „*Cogere cum coepit, Sestertium duobus millibus sponseionem facere cum lictore suo, Ni furtis quaestum faceret.*“ Vides, opinor certam pecuniae summam in sponseionibus exprimi solere. Quid ergo? Levissima vel plane nulla mutatione (totidem enim sunt literarum ductus) novam lectionem ex coniectura affero; atque adeo ipse quavis sponseione lacessere ausim, Ni vera et indubia sit: „*Crispinus nummo me provocat.*“ Nihil clarius argutiusve dici potest. Oblique enim Crispinum tangit, quasi egenum et mendicium: qui non maiore pignore, quam uno nummo, certare voluerit. Servorum enim et pauperculorum erat, nummo sponseiones facere. Plautus Epidico Act. V. Sc. 2 [v. 35] Loquuntur Herus Periphanes, et Epidicus servus: „*P. Qua fiducia ausus primum, quae emta est nudius tertius Filium meam dicere esse? E. Libuit: ea fiducia. P. Ain' tu?*

15. Accipe iam tabulas: detur nobis locus, hora,
 Custodes: videamus uter plus scribere possit.
 Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
 Finxerunt animi, raro et perpauca loquentem:
 v. 15. Vulg. *Accipiam* tab. 18. *Loquentis*.

Libuit? E. *Aio: vel da pignus, Ni ea sit filia.* P. *Quam negat novissa mater? E. Ni ergo matris filia est, In meum nummum, in tuum Talentum, pignus da.* Ita et supra Crispino egestatem exproravit, Serm. I, 3. v. 138. „*Ae longum faciam: dum tu quadrante lavatum Rec ibis: neque te quisquam stipator ineptum Praeter Crispinum sectabitur.*“ Porro *minimo* et *nummo* facile a Librariis confundi ostendet locus Suetonii, in Caes. c. 50. „*Amplissima praedit ex auctonibus hastae minimo addicit*: ubi plures codices *nummo* exhibent, alii *minimo*. Et Torrentius quidem Casaubonusque posteriori sequuntur: ego vero, si a tantis viris dissentire licet, prius praetulerim; ut Noster plane Serm. II, 5. in fine [v. 109], „*Dic ex parte tua, seu fundi, sive domi sit Emor, gaudentem nummo te addicere.*“ Valerius Max. V, 2. 10. „*Ut exequiarum apparatus sestertio nummo ipsis addicerentur.*“ Quintilianus Instit. XI, 3 [§ 172] „*Et cum bona C. Rabirii uno sestertio addicit, O meum miserum acerbumque praeconium.*“ Ubi pro uno itidem legendum est *nummo*. Quippe ex Cicerone haec petita sunt. Pro Rabirio Postumo, c. 17. [§ 45] „*Equis est ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Postumi nummo sestertio sibi addici velit? — tua, Postume, nummo sestertio a me addicuntur? O meum*“ etc. Seneca Epist. XCV. [§ 59] „*Divitiae, gratia, potentia, sestertio nummo aestimanda sunt.*“ Gruterus CCCVIII, 9. H. S. N. E. DONATIONIS CAUSA MANGII Quae sic extricanda et supplenda sunt, „*Sestertio nummo donationis causa mancipio dedit.*“ Vitruvius I, 4. [extr.] „*Constituitque moenia, et areas divisit, nummoque sestertio singulis municipibus mancipio dedit.*“ Recte ergo apud Suetonium, *nummo addicit*: nam quod ex Digestis Torrentius obicit, XIX, 2, 46. et XLI, 2, 10. [§ 2] *Conductionem, quae uno nummo fit, nullam esse, quia donationis instar inducit*; id levioris momenti est. Certum est enim, temporibus istis emtiones, quae nummo sestertio fierent, ratas firmasque fuisse. Ceterum si quis obstinate apud Flaccum retinere velit, *minimo me provocat*; is saltem non de *digito* accipiet, sed de *vilissimo pignore*, quale sestertius nummus est. Ita Digest. II, 15, 3. [§ 2] „*Debitor, cuius pignus creditor distraxit, cum Maevio, qui se legitimum creditoris haeredem esse iactabat, minimo transegit.*“ Sed aut valde fallor, aut qui vel minimum iudicii habet, veram Horatii manum in coniectura nostra agnoscat.

15. *Accipe, si vis, Accipiam tabulas*] Ita Editio Veneta princeps, cum maiore parte codicum; quod interpretes plerique amplexi sunt. At altera cum Loseheriana, et membranarum etiam non paucis, „*accipe, si vis, Accipe iam tabulas: detur nobis locus, hora, Custodes: videamus, uter plus scribere possit.*“ Cui cur alteram praetulerint, non possum non demirari. Haec enim lectio *μνηστικῶς* characterē provocantem ad scribendum Crispinum pulchre ostendit. *Accipe, iam accipe tabulas*. Ex repetitione enim coniciās, quam acer sit ad contentionem. *Iam nunc, ait, accipe*: iactat enim extemporalem carminis facultatem; et veretur, ne Horatius certamen effugiat, si in aliud tempus differatur. Neque vero opus est illo *Accipiam*: Crispinus enim, utpote provocator, domo secum tabulas extulisse, et in sinu paratas habuisse censendus est. Porro et plures codices habent *dentur*; quia sequebatur credo nominativus pluralis, *custodes*. Sed retinemus *detur* cum editionibus praeis; idque ex stili Horatiani genio; ut videbis in Notis ad Carm. I, 24. v. 8.

18. *Raro et perpauca loquentis*] Dura et coacta oratio, citra ullam

- At tu conclusas hircinis follibus auras,
 20 Usque laborantis dum ferrum emolliat ignis,
 Ut mavis, imitare, beatus Fannius, ultro
 Delatis capsis et imagine: cum mea nemo
 Scripta legat volgo recitare timentis, ob hanc rem,
 Quod sunt quos genus hoc minime iuvat; utpote plaris
 25 Culpari dignos, quenuis media elige turba;

v. 20. Vulg. *Molliat*. 25 *Erue*.

necessitatem: „*Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis.*“ Quamobrem Lambino facile assentior, qui emendavit, *loquentem*, ut Aen. II, 79. „*nec si miserum fortuna Sinonem Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.*“ Multo enim simplicius hoc, atque ideo et verius, Mutarunt autem Librarii, ut *loquens* ad proximum Nomen *animi* referretur. Id quod nusquam non faciunt, quotiescumque commode possunt: ut Carm. IV, 1, 18. „*largis muneribus riserit aemuli,*“ *largis* interpolantur pro *largi*, propioris substantivi gratia, et III, 8, 19. „*Medus infestus sibi luctuosus Dissidet armis,*“ pro *infestis* et *luctuosus*. Adde quod in codice Iannoetio Michaelis Bruti, et Faërnio Lambini *loquentes* habebatur; in quo verac lectionis servantur vestigia.

20. *Dum ferrum molliat ignis*] Vix a me impetrare possum, ut hoc ipso in loco, quo Lucilianos versus seu scabros et impolitos taxat Noster, in eandem culpam, quam in illo exagitat, ipsum incidisse credam. Vide enim quam durum exit, et quanto laborum conatu, „*Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis.*“ Quanto autem mollius lenisque fluat, literula interiecta? „*Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis.*“ Plinius Hist. XXVI, 14. [§ 14] „*Plantago igni emollita melior.*“ Librarii autem particulas passim eicere solent: ubi sine metri dispendio fieri potest. Codex Leidensis, *ferrum dum molliat ignis*: quod etiam vulgato asperius et horridius est.

25. *Quenuis media erue turba*] Illud *erue* ab Aldo opinor in posteriores editiones propagatum est. Priores cum Acrone Scholiasta *elige*. Quin et scripti plerique *Elige*; *erue* paucissimi, ut Pulmanni unus, Leidensis noster, et a manu secunda Reginensis. Iam vero in *Elige* nihil est quod quisquam reprehendat: nisi quod ob ipsam facilitatem suspiciantur aliqui ex glossa irrepisse. *Elige, excerpe, quenuis è media turba: ne unus quidem sine vitio est.* At *erue* (quamvis iam pluribus placeat, et inter ipsos signatissimo N. Heinsio) mihi quidem nullo modo admittendum videtur. Quippe *eruerè* est, latentem aliquem, aufugientem, invitum, extrahere et in medium proferre. Cicero Epist. Fam. [V, 9 extr.] „*Profecto tibi illam reperiam, nisi in Dalmatiam aufugerit; et inde tamen aliquando eruum.*“ Tacitus Histor. III, 83. „*Abditos in tabernis, aut siquam in domum perfugerant, erui iugularique exposculant.*“ Quid ergo? An Horatius *eruerè* iubet quenuis media turba, quasi occultantem se aut fugam meditantem? cave dixeris; nam absurdissimum quidem foret. Sine dubio enim alterutrum vult, aut obvium quenuis *prehendere*, aut unum quem libet de multis *eligere*. Facile itaque contenti esse possumus et priscarum editionum et plurium Membranarum lectione. Tamen ut, quod sentio, libere dicam, et *erue* et *elige* ex Librariorum officina esse arbitror. Veterrimi enim apud Cruquium Blandinii, et Pulmannianus unus, *eripe*, habent: ex quo, quia non iniuria improbatum erat, alii *erue*, alii *elige* confusisse videantur. Et profecto *eripere turba* esset, distinguere a turba, et supra vulgus tollere: ut Cicero in Bruto c. 97. [§ 332] „*Et** te*

*) [scr. *exposculantes*]

***) [scr. *Ut*]

- Aut ab avaritia, aut misera ambitione laborat.
 Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum:
 Hunc capit argenti splendor: stupet Albius aere:
 Hic mutat merces surgente a sole, ad eum quo
 30 Vespertina tepet regio: quin per mala praeceps
 Fertur, uti pulvis collectus turbine; ne quid
 Summa deperdat metuens, aut amplet ut rem.
 Omnes hi metuunt versus, odere poetam.
 Foenum habet in cornu: longe fuge. dummodo risum

v. 26. Vulg. *Ob avaritiam*. 33. *Poëtas*.

eripias *ex ea, quam ego congressi in hunc sermonem, turba patronorum.* Quod ab auctoris mente toto caelo hic distat. Veruntamen ex mendosa hac lectione melius quid, ut spero, veriusque excedere licebit; quam quae librarii de suo dederunt. Sic enim Horatium scripsisse autumo: „*quenuis media arripe turba.*“ Ae primo, pro more veteri scriptum fuit *Mediarripe*; altero *Aextrito*, ut non raro in Pandectis Florentinis, et membranarum vetustioribus: postea ex priore *R* effinixerant *E*. *Quenuis media turba arripe*, hoc est, *comprehende, occupa, interroga, excute; invenies aut avarum aut ambitiosum, aut alio aliquo vitio laborantem.* Cicero de Oratore, I, c. 34. [§ 159] „*Effudi vobis omnia, quae sentiebam; quae fortasse, quemcumque patrem familiae Arripuissetis ex aliquo circulo, eadem vobis percunctantibus respondisset.*“ Seneca Epist. XXII. [§ 14] „*Nemo non ita exit e vita, tanquam modo intraverit. Quemcumque vis, occupa, adolescentem, senem, medium; invenies aequè timidam mortis, aequè inscium vitae.*“ Idem de Brevitate vitae, c. 3. [§ 2] „*Libet itaque ex seniorum turba comprehendere aliquem: Pervenisse te ad ultimum aetatis humanae videmus; aegidum ad computationem aetatem tuam revoca.*“ Noster Arte Poët. in fine [v. 475]: „*Indoctum doctumque fugat recitator acerbus: Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo.*“ hoc est, quem ex turba arripuit, nactus est, comprehendit, occupavit.

26. *Aut ob avaritiam*] Ita quidem libri habent. Sed insigni vir ingenio Janus Douza pater sic olim corrigebat ex coniectura, „*Aut ab avaritia, aut misera ambitione laborat.*“ Postea idem dedit Theodorus Marcilius, tanquam *ex membranarum*. Deinde et Daniel Heinsius idem quasi de suo protulit: et post omnes Tanaquillus Faber, uti novum quid et prius inauditum sibi id adscripsit. Et de auctore quidem emendationis lector videbit: illud indignandum plane, quod editores toties admoniti pus merum et scabiem impune adhuc prodire patiantur. Neque enim Latine dicere possis *laborare ob avaritiam*; aut si maxime possis, tum et *miseram ambitionem* eodem casu dicas necesse est. Recte igitur ab *avaritia*; ut Cicero alique *laborare ex invidia, ex inscitia* etc. At repugnat vir quidam doctissimus, additque *se semper ab Horatii partibus stare*. Quasi vero qui emendare locum tentant, non ipsum auctorem, sed librarios errantes et cespitantes corrigere se non existiment. Porro Leidensis Petrensisque nostri cum Torrentianis aliquot, *miser*. Sed nihil mutamus. Noster Serm. I, 6. v. 129. „*Vita solutorum misera ambitione gravique.*“

33. *Odere poetam*] Quod paco omnium codicum dicere liceat; singulari numero hoc efferendum est, „*Omnes hi metant versus, odere poetam.*“ idque verba sequentia ita clara ostendunt; ut ab interpretibus non visum esse merito mireris: „*Foenum habet in cornu; longe fuge: dummodo risum Executiat sibi, non hic cuiquam parcat amico: Et quodcumque semel charit illeverit, omnes Gestiet a furno redeuntis scire lacuque.*“ Interpolantur boni Librarii; quia non certum quendam poetam, sed omnes his hominibus odio esse intelligebant. Quasi vero non et numero singulari

- 35 Excutiat sibi, non hic cuiquam pareet amico:
Et quodeumque semel chartis inleverit, omnis
Gestiet a furno redeuntis scire lacuque,
Et pueros et anus. Agedum, pauca accipe contra.
Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetis,
40 Excerptam numero: neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque si qui scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.
Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.
45 Idcirco quidam, Comoedia necne poema
Esset, quaesivere: quod, acer spiritus ac vis
Nec verbis nec rebus inest; nisi quod pede certo
Differt sermoni, sermo*) merus. At pater ardens
Saevit, quod meretrice nepos insanus amica
50 Filius, uxorem grandi cum dote recuset;
Ebrius et (magnum quod dedecus) ambulet ante
Noctem cum facibus. Numquid Pomponius istis
Audiret leviora, pater si viveret? ergo
Non satis est puris versum perscribere verbis;
55 Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem
Quo personatus pacto pater. his, ego quae nunc,
Olim quae scripsit Laelius, eripias si
Tempora certa modosque, et quod prius ordine verbum est,

v. 39. Vulg. *Poetas*. 41. *Si quis*.

omnes comprehenderentur. Noster Epist. I, 18. v. 89. „*Oderunt hilarem tristes, tristemque iocosi, Sedatum celeres, agilem gnævumque remissi: Potiores bibuli media de luce Falerni Oderunt porrecta negantem pocula.*“

39. *Dederim quibus esse poetis*] Etiam hic invitis licet codicibus reponere: „*Primo ego me illorum, dederim quibus esse poetis.*“ ita infra Serm. I, 6. v. 25. „*quo tibi, Tili, Sumere depositum clavum, fierique tribuno*“: ubi Aeron Scholiastes: „*Fieri tribuno, figuratè per dativum: ut supra, Dederim quibus esse poetis.*“ Quid videtur? Nonne monstri simile est, lectionem hanc tam diu in propatulo fuisse, neque a quoquam interpretum animadversam? Atqui et notissima est bonis scriptoribus locutio, et Nostro perquam familiaris: ut Serm. I, 1. v. 19. „*Quid statis? nolint. Atqui licet esse beatis.*“ et I, 2. v. 50. „*quaque modeste Munifico esse licet.*“ et Art. Poët. v. 372. „*mediocribus esse poetis Non homines, non di, non concessere columnae.*“ Neque vero nimium mireris universos codices in mendo hic consentire: nam et *tribunum, munificum* pars eorum maior, accusativus pro dativis, ponunt. Ceterum, postquam haec commentatus essem, animadverti accuratissimum N. Heinsium et in libri sui ora, et in Notis ad Nasonis Heroid. XIV. v. 64. veram lectionem ante nos prodidisse.

41. *Neque si quis scribat, uti nos*] Repono ex codicibus nostris Leidensi et Franekerano, „*neque si qui scribat, uti nos*“: quod dulcius quiddam sonat. *Si qui* in vetustissimis exemplaribus passim apparet, ubi hodie in editis *si quis* circumfertur. Saepius in Horatio ita peccatum est, at suis locis indicabimus.

*) [sermo est ed. 1511, est Bentl. delendum iussit in praef.]

- Posterius facias, praeponens ultima primis;
60 Non (ut si solvas, POSTQUAM DISCORDIA TETRA
BELLI FERRATOS POSTIS PORTASQUE REFREGIT)
Invenias etiam disiecti membra poetae.
Hactenus haec: alias iustum sit necne poema,
Nunc illud tantum quaeram; meritone tibi sit
65 Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
Ambulat et Caprius, rauci male, cumque libellis;
Magnus uterque timor latronibus: at bene si quis
Et vivat puris manibus; contemnat utrumque.
Ut sis tu similis Caeli Birrique latronum;
70 Non ego sim Caprii neque Sulci: cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
Quis manus insudet volgi Hermogenisque Tigelli:
Nec recitem quicquam, nisi amicis, idque coactus;
Non ubivis, coramve quibuslibet. in medio qui
75 Scripta foro recitent, sunt multi; quique lavantes:
Suave locus voci resonat conclusus. inanis

v. 68. Vulg. Et puris vivat. 69. *Byrrhique*. 70. *Capri*. 73. *Non recito cuiquam*.

68. *Et puris vivat manibus*] Nescio, unde hoc in Lambinianam et sequentes editiones venerit, cum vetustiores omnes, et codices quos viderim universi, alio ordine praeferant, „*at bene si quis, Et vivat puris manibus.*“ Mutavit aliquis, qui Horatio nitoris et ornatus plusculum de suo largiri voluit; quo tamen Sermones, utpote simplices munditiis, facile carere possunt, et sine eo placere.

69. *Caeli Byrrhique latronum*] Aeroni sunt *Caelius et Byrrius*, Porphyrii *Caelius et Byrrhus*. Nos cum vetustioribus et pluribus membranis edidimus, „*Ut sis tu similis Caeli Birrique latronum.*“ Ut enim *Caelius* sive *Coelius*, ita et *Birrius* familiae Romanae nomen apud Gruterum.

70. *Non ego sim Capri*] Editiones quidem veteres *Capri*: quod in recentioribus haesit. At codices nostri Magdalenensis, Battelianus, et a prima manu Reginensis, „*Non ego sim Caprii.*“ Certe *Caprii* melius quam *Capri*: quia et superius syllabam primam corripit, v. 66. „*Ambulat et Caprius.*“

73. *Non recito cuiquam*] Primus, ut opinor, Aldus Manutius *Non recito* dedit; cum superiores editiones habeant *Nec recito*: atque ita codices fere omnes tam aliorum, quam nostri. Porro amplius Lambini aliquot, *Non recitem*: idque, ut videtur, rectius: ut eodem modo verba continentur, *sim, habeat, recitem*. Denique ex nostris Magdalenensis *quicquam* habet, non *cuiquam*: unde sic totum locum refingere oportet: „*Nulla taberna meos habeat neque pila libellos: Nec recitem quicquam, nisi amicis, idque coactus.*“ Certe dativus ille *cuiquam* omnino supervacuus est: quippe *non recito, nisi amicis* tantumdem significat, quantum *non recito cuiquam, nisi amicis*. At accusativus *quicquam* sententiam auget: nihil enim, ne brevissimum quidem poemation, se vulgo recitare dicit. Sic et alibi accusativum huic verbo subiunxit; ut hic v. 75. „*in medio qui Scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes.*“ Epist. I, 19. v. 41. „*spissis indigna theatris Scripta pudet recitare.*“ et Arte Poet. 438. „*Quintilio si quid recitares*“

Hoc iuvat, haud illud quaerentis, num sine sensu,
 Tempore num faciant alieno. Laedere gaudes,
 Inquit, et hoc studio pravus facis. Unde petitum
 80 Hoc in me iacis? est auctor quis denique eorum
 Vixi cum quibus? absentem qui rodit amicam;
 Qui non defendit, alio culpante; solutos
 Qui captat risus hominum, famamque dicacis;
 Fingere qui non visa potest; commissa tacere
 85 Qui nequit; hic niger est: hunc tu, Romane, caveto.
 Saepe tribus lectis videas cenare quaternos;
 E quibus unus amet quavis aspergere cunctos,
 Praeter eum qui praebet aquam: post, hunc quoque potus,
 Condita cum verax aperit praecordia Liber.
 90 Hic tibi comis et urbanus liberque videtur,
 Infesto nigris: ego si risi, quod ineptus

v. 79. Vulg. *Inquis*. 87. *Avet*.

79. *Laedere gaudes, Inquis*] Galeanus noster, cum duobus Torrentii, *inquit*. Ita Serm. II, 2. v. 99. „*iure, inquit, Transius istis iurgatur verbis*“: meliores ibi codices similiter, *inquit*. Rectissime. Quippe *Inquit* perpetua formula est, ubi aliquid ex adverso nobis obici et opponi fingimus; sive id ab uno, seu pluribus: sive ab absente, seu praesente fiat. Cicero pro Cluentio c. 34. [§ 92] „*Hoc vos Cluentio iudicium putatis abesse oportere? Quam ob causam? si ea lege subsortitus non erat Iunius, aut si in legem aliquando non iuraverat, idcirco illius damnationis*) aliquid de Cluentio indicabatur? Non, inquit; sed ille idcirco his legibus condemnatus est, quod contra aliam legem commiserat*“: Hic *inquit* perinde est ac si *inquitis* dixisset. Idem pro Flacco c. 23. [§ 55] „*Nunc tantum a Trallianis requiro, quam pecuniam a se ablatam queruntur, suamne dicant, sibi a civitatibus collatam in usum sumi, cupio audire. Non, inquit, dicimus. Quid igitur? delatam ad nos, creditam nobis. L. Flacci patris nomine, ad huius dies festos atque ludos. Quid tum? hanc te, inquit, capere non licuit*“: Hic *inquit* idem est ac *inquit*. Seneca Controversia XXVII. [§ 6, p. 269, 6 Burs.] „*Tyrannum, inquit, occidi. At patrem quantum minus quam occidisti?*“ — [p. 268, 23] „*Pater, inquit, adest. Malo. Non enim tantum patrem, etiam patronum occidisti?*“ — [§ 8, p. 269, 21] „*Pater, inquit, iussit. Ergo frater tuus impius fuit, qui patri non paruit?*“ — [§ 13, p. 271, 12] „*Pater, inquit, voluit. Ita tu non tyranno tantum, sed patri dignus parricidio visus es*“: Hic *inquit* tantundem valet, ac *inquis*. Ita centies sexcentisque apud Senecas et Quintilianum. Et eodem modo *quod inquit* usurpat Arrianus in Epictetis. Vide et Gronovium patrem ad Livium XXXIV, 3. [§ 9].

87. *Avet quavis aspergere cunctos*] Quid tum, si *acet* aspergere? modo *reapse* non aspergat, nihil est cur *comis urbanus liberque videatur*. Quanto maius et significantius, quod in vetere Blandinio extat, *Amet aspergere?* „*Saepe tribus lectis videas cenare quaternos, E quibus unus amet quavis aspergere cunctos Praeter eum, qui praebet aquam*“: *amet*, id est, *soleat*; prae quo illud *avet* languidum plane et debile est. Serm. II, 3. v. 214. „*Siquis lectica nitidam gestare amet agnam*“ et I, 10. v. 60. „*amet scripsisse ducentas Ante cibum versus*“: Quid quod ipsa constructio requirit modum subiectivum? *Videas* quaternos *cenare*, e quibus unus *amet*. Reponatur igitur praestantissimi codicis lectio.

*) [sec. damnatione]

Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum.
 Lividus et mordax videor tibi? mentio siqua
 De Capitolini furtis iniecta Petilli
 95 Te coram fuerit; defendas, ut tuus est mos:
 Me Capitolinus convictore usus amicoque
 A puero est, causaque mea permulta rogatus
 Fecit; et incolumis laetor quod vivit in Urbe:
 Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
 100 Fugerit. Hic nigrae succus loliginis, haec est
 Aerugo mera; quod vitium procul afore chartis,
 Atque animo prius, ut si quid promittere de me
 Possum aliud vere, promitto. liberius si
 Dixero quid, si forte iocosius; hoc mihi iuris
 105 Cum venia dabis. insuevit pater optimus hoc me,
 Ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando.
 Cum me hortaretur, parce, frugaliter, atque
 Viverem uti contentus eo quod mi ipse parasset:

v. 92. Vulg. *Gargonius*.

92. *Gargonius*] Reginensis cum Magdalenensi *Gargonius*. Vide notas ad Serm. I, 2. v. 27.

105. *Insuevit pater optimus hoc me*] Nicolaus Heinsius in codicis sui margine, „*Lege,*“ *inquit*, „*insevit mi cum Lambino*“: Nollem factum: etsi, quod Lambinus ex coniectura protulit *insevit*, id a prima manu in Reginensi extet, et inter lineas in codice Collegii Trinitatis. Non enim hoc ex natura et indole *insuevit* fuit Horatio, sed ex institutione et doctrina quaesitum. *Insuescere* autem et *assuescere, consuescere, desuescere* actionem saepe notant, perinde ac *consuescere*. Nonius Marcellus [p. 94, 32 Mere.] „*Desuevi illum, pro desuefeci illum id est, consuetudinem abstuli: Titinius Gemina: Parasitos amovi, lenonem acibus absterrui; Desuevi, ne quo ad caenam iret extra consilium meum*“: Lucretius VI, 396. [397] „*An tum brachia consuescunt, firmantque lacertos?*“ Prudentius contra Symmachum I, 541. „*Clara tropaea refert sine sanguine, remque Quirini Adsuescit supero pollere in saecula regno*“: Columella VI, 2. [§ 9] „*Nam ubi plostro aut aratro iuveneam consuescimus*“ et XI, 1. [§ 19] „*Consuescatque rusticos circa larem domini focumque familiarem semper epulari*“: Idem VI, 4. [§ 4] „*Maxime tamen habetur salutaris amara, si tantundem aquae misceas, et ea pecus insuescas*“: Virgil. Aen. VI, 833. [832] „*Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella*“: Noster Serm. II, 2. v. 109. „*Pluribus assuevit mentem corpusque superbum*“: Iam autem, quod praecipue urget Lambinus; utcumque unum accusativum regat, at geminum tamen regere non posse, *insuevit hoc me*: id levis est momenti. Quid enim vetat, quo minus geminum post se trahat, ut caetera verba cognatae significationis, *Docuit me hoc, Erudit me hoc, Monuit me hoc*: quae vel pueris notissima sunt? Ne illud addam, fieri posse ut alius sit verborum ordo; *Insuevit me pater, ut hoc fugerem, notando vitiorum quaeque exemplis. Hoc fugerem*, hoc scilicet, de quo iam locutus sum, *livoris et aeruginis vitium*. Atque ita plane enarrat Porphyrio: „*In eam me consuetudinem induxit, ut neque cogitarem quid maligne neque dicerem*“: Atque haec quidem constructio sententiae videtur aptior.

108. *Quod mi ipse parasset*] Codex Leidensis eximiae vetustatis, *parassem*. Sed Priscianus p. 1034. „*Atque poetice postponitur. Horatius*

Nonne vides, Albi ut male vivat filius, utque
 110 Barus inops? magnum documentum, ne patriam rem
 Perdere quis velit. a turpi meretricis amore
 Cum deterreret: Scaetani dissimilis sis.
 Ne sequerem moechas, concessa cum venere uti
 Possem: Deprensi non bella est fama Treboni,
 115 Aiebat: sapiens, vitatu quidque petitu
 Sit melius, caussas reddet tibi: mihi satis est, si
 Traditum ab antiquis morem servare, tuamque,
 Dum custodis eges, vitam famamque tueri

v. 109. Forte, *Ut qui panis inops.* 112. Vulg. *Scaetani.*

in I Sermonum, 'Cum me hortaretur, parce, frugaliter atque, Vivere uti contentus eo, quod mi ipse parasset,' ubi parasset itidem inveni in tribus codicibus scriptis. Ceterum delirat nomen Grammatici; cum atque hic postponi existimat. Ordo enim est, *Ut viverem parce, frugaliter, atque contentus eo quod ipse mi parasset:* ut sciunt etiam qui nondum aere lavantur.

110. *Utque Barus inops*] *Male vivere* et *inopem esse* unum idemque significant: ut *bene vivere*, est in re lauta et bene uncta esse. Ergo ubi Noster dicit, „Nonne vides, Albi ut male vivat filius, utque Barus inops? magnum documentum, ne patriam rem Perdere quis velit“: brevius utique potuisset dicere, *ut Albi filius et Barus male vivant.* Hoc primum. Deinde in sequentibus unicum cuiusque vitii exemplum ponit: amoris meretricii, *Scaetani*; adulterii, *Trebonium*: ut incongruum sit, prodigientiae bina exempla dari, *Albi filium et Barum.* Adde huc, quod continuo infert, *magnum documentum*: quod de uno exemplo commode dicitur: de pluribus *documenta* potius dixisset. Postremo in nomine *Barus* mira membrarum discordia est, *Barrus, Barus, Rarus, Bartus, Varus, Baius* exhibentium; ita tamen ut in pluribus *Baius* compareat. Ob haec omnia, vide, annon conjecturae locus sit concedendus huic in modum: „Nonne vides, Albi ut male vivat filius, ut qui Panis inops? magnum documentum.“ Et quidem *ut qui* clare habet codex noster Galeanus, qui non semel, ceteris aberrantibus, egregio nobis est auxilio. *Male vivit, ut qui inops panis.* Serm. I, 8, v. 32. „*Cerca suppliciter stabat, servilibus ut quae lam peritura modis*“: ubi similiter editiones et codices aliquot perperam habent, *utque.* Serm. I, 1, v. 23. „*Praeterea ne sic, ut qui iocularia ridens, Percurrat.*“ et I, 3, v. 9. „*Nil aequale homini fuit illi: saepe velut qui Currobat fugiens hostem; persaepe velut qui Iunonis sacra ferret.*“ Plinius Ep. IX, 22. [§ 2] „*Amat ut qui verissime; dolet ut qui impatientissime; laudat ut qui benignissime; ludit ut qui facelissime.*“ *Inops panis* autem mendicus. Iuvenalis X, 277. de Mario: „*Et mendicatus victa Carthagine panis.*“ Poteris etiam legere *farris inops.* Furius Bibaculus de Catone poeta [Burm. Anthol. II, 237]. „*Quem sex coliculi, selibra farris, Racemi duo tegula sub una Ad summam prope nutriunt senectam.*“ Iuvenalis IX, 122. de servis: „*Quorum animas et farre suo custodit et aere.*“ Noster Serm. I, 5, v. 69. „*Denique cur unquam fugisset, cui satis una Farris libra foret gracili sic tanquam pusillo.*“ Iuvenalis VII, 60. „*maesta Paupertas atque aeris inops*“: sed adhuc maestior est, quae *panis* vel *farris* est inops; et proinde *magno* est *documentum*, ne quis rem paternam luxuria profundat.

112. *Scaetani dissimilis sis*] Retentum est hoc nomen ex editionibus praescis: neque in membranarum apparet nisi in uno codice Cruquii. Ceteri fere omnes *Scaetani.* Et neutrum quidem horum alibi legisse memini, Tutius tamen est in incertis plurium exemplarum auctoritatem sequi.

Incolorem possum. simul ac duraverit aetas
 120 Membra animumque tuum, nabis sine cortice. Sic me
 Formabat puerum dictis: et sive iubebat
 Ut facerem quid, Habes auctorem, quo facias hoc:
 Unum ex iudicibus selectis obiciebat:
 Sive vetabat; An hoc inhonestum et inutile factu
 125 Necne sit, addubites, flagret rumore malo cum
 Hic atque ille? Avidos vicinum funus ut aegros
 Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit:
 Sic teneros animos aliena opprobria saepe
 Absterrent vitii. ex hoc ego sanus ab illis,
 130 Pernicium quaecumque ferunt: mediocribus, et quis
 Ignosecas vitii, teneor. fortassis et istinc
 Largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,
 Consilium proprium. neque enim, cum lectulus aut me
 Porticus exceptit, desum mihi: Rectius hoc est:
 135 Hoc faciens vivam melius: sic dulcis amicis
 Occurrat: hoc quidam non belle: numquid ego illi
 Imprudens olim faciam simile? Haec ego mecum
 Compressis agito labris. ubi quid datur oti,
 Inludo chartis. hoc est mediocribus illis
 140 Ex vitiiis unum: cui si concedere noles,

v. 119. Vulg. *Possim.* 140. *Nolis.*

119. *Incolorem possim*] Et hoc quoque, quia semel editiones praescas occupaverat, patienter tulerunt Interpretes: etsi in omnibus fere membranarum *possum* reperiri ultro fateantur. Atqui usus loquendi indicativum modum hic postulat: *satis est mihi, si possum vitam et famam tuam tueri incolorem.* Terent. Phorm. V, 6. [v. 16] „*Satin' est, si te delibutum gaudio reddo.*“ et I. 4. [v. 32.] „*Quid? si adsimulo, satin' est?*“ et IV, 5. [v. 12] „*Non satis est, tuum te officium facere, si non id fama adprobat?*“ et ita passim ipse aliique.

126. *Avidos vicinum funus ut aegros*] Pro *avidos* Leidensis noster, Battellianus, Galei, Colbertinus *videt* habent; et sic aliorum aliquot. Quod, etsi quibusdam non displiceat, sensumque pariat satis commodum, merito tamen receptae lectioni postponimus: „*Avidos vicinum funus ut aegros Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit*“: *avidos*, hoc est, *intemperantes*, ut recte Scholiastae. Celsus II, 16. „*Neque ulla res magis adjuvat laborantem, quam tempestiva abstinentia.*“ *Intemperantes homines apud nos sibi cibi tempora, modum curantibus dant.* *Rursus alii, tempora medicis pro dono remittunt, sibi ipsis modum vendicant.*“ Idem in Praefat. [p. 6, 13 Darenberg] „*Aegrorum enim qui sine medicis erant, alios propter aviditatem primis diebus protinus cibum assumisisse.*“ Seneca Epist. LXV. [§ 1] „*Donec intervenerunt amici, qui mihi vim afferrent, et tamquam aegrum intemperantem coercerent.*“ et Epist. XCIV. [§ 22] „*Quid quod habent aegri sanique quaedam communia, de quibus admonendi sunt? tamquam ne avido cibos appetant.*“ Plinius Epist. II, 8. [§ 2] „*Quae sic concupisco, ut aegri vinum, balnea, fontes.*“ Porro quod sequitur, *Sibi parcere, est valetudinem curare.* Noster Epist. I, 7, v. 11. „*Ad mare descendet vates tuus, et sibi parcat, Contractusque legat.*“

140. et 141. *Cui si concedere nolis*] Totus hic locus ad hunc mo-

Multa poetarum veniet manus, auxilio quae
Sic mihi (nam multo plures sumus) ac veluti te
Iudaei, cogemus in hanc concedere turbam.

E C L O G A V.

- Egressum magna me accepit Aricia Roma
Hospitio modico: rhetor comes Heliodorus,
Graecorum longe doctissimus: inde Forum Appi,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.
5 Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Praecinctis unum: minus est gravis Appia tardis.
Hic ego, propter aquam, quod erat teterrima, ventri
Indico bellum, cenantis haud animo aequo
Expectans comites. iam nox inducere terris
10 Umbras, et caelo diffundere signa parabat.
Tum pueri nautis, pueris convicia nautae
Ingerere. Huc adpelle: trecentos inseris: ohe
Iam satis est. Dum aes exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora. mali culices, ranaeque palustres
15 Avertunt somnos. absentem ut cantat amicam
Multa prolutus vappa nauta, atque viator

v. 141. Vulg. *Veniat. 7. Deterrina.* 15. Absentem cantat.

dum constitui debet: „cui si concedere noles, *Multa poetarum veniet manus, auxilio quae Sic mihi.*“ At Editio prima Veneta cum codicibus aliquot, *auxilioque*: Veneta altera cum Loscheriana *auxiliumque*. Ubi autem quae semel admissum est loco quae; restabat ut *veniat* reponeretur, quo aptius conveniret cum *sit. Veniet* tamen recte habetur in Zulichemiano, et uno Bersmanni. *Veniet* manus poetarum et *cogemus*. Si *veniat* retinet, utique dicendum erit *cogamus*. Ioannes Saresberiensis III, 13. [p. 193 extr. ed. L. B. 1639] „*Illico multa adulatorum veniet manus, et veluti te Iudaei cogent in suam concedere turbam.*“ Recte autem, *veniet quae sit*: ut Seneca loco paullo ante laudato Epist. LXV. [§ 1] „*Intervenerunt amici, qui mihi vim afferrent, et tamquam aegrum intemperantem cohercerent.*“ Superest igitur, ut pro *nolis* rescribamus *noles*: nam pro *noles*, *nolis*, pro *voles*, *velis* passim substituunt Librarii.

7. *Propter aquam, quod erat deterrima*] Codex Pulmannianorum optimus *teterrima*: quod placet: etsi et alterum bene se habeat. Ita Propertius et Lucretius, [Prop. II, 24, 27] *tetra venena*, [Lucr. I, 936; IV, 11 et 124] *tetra absinthia*. Idem VI, 21. [22] „*Partim quod tetro quasi conspurcare sapore.*“ et II, 509. [510] „*Namque alius aliud retro quoque tetrius esset Naribus, auribus, atque oculis, orisque saporis.*“ *teterrima* igitur, quia et malo sapore, et insalubris.

15. *Absentem cantat amicam*] Torrentiani codices non pauci *absentem ut cantat*, quod quid sit nescire se confitetur. At e sex Pulmanni haud pauciores quinque idem praefereunt. Quin etiam ex nostris Leidensis, Galeanus, Magdalenensis, Franckeranus, et a prima manu Petrensis in eadem lectione conspirant. Neque vero quid sibi velit scire difficile est: continuanda enim sententia est in hunc modum, „*absentem ut cantat amicam Multa prolutus vappa nauta atque viator Certatim: tandem fessus dor-*

- Certatim: tandem fessus dormire viator
Incipit; ac missae pastum retinacula mulae
Nauta piger saxo religat, stertitque supinus.
20 Iamque dies aderat, nil cum procedere lintrem
Sentimus: donec cerebrosus prosilit unus,
Ac mulae nautaeque caput lumbosque saligno
Fuste dolat. quarta vix demum exponimur hora.
Ora manusque tua lavimur, Feronia, lymphæ.
25 Millia tum pransi tria repimus; atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur.
Huc venturus erat Maecenas, optimus atque
Cocceius, missi magnis de rebus uterque

v. 20. Vulg. Cum nil. 24. *Lavimus.*

mire viator“ etc. hoc est, *Ut*, sive *dum cantat nauta, et viator amicus; tandem viator somno opprimitur*. Terent. Adelph. III, 3. [v. 52] „*Nam ut numerabatur forte argentum, intervenit homo de improviso.*“ Plaut. Menaech. Prolog. [v. 62] „*Nam rus ut ibat, forte ut multum pluverat, Ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longule, Rapidus raptori pueri subduxit pedes.*“ Quanto melius hoc concinniusque sit vulgato, quivis opinor videat. Ceterum extritum est *Ut* a Librariis quibusdam; tum quia (quod Torrentius passus est) quid esset nesciebant; tum quia eo eiecto mensura versûs incolumis adhuc manebat.

20. *Cum nil procedere lintrem*] Etiam hoc, ut opinor, ab Aldi editione est. Superiores enim omnes, et Membranæ Pulmanni, Bersmanni, meaeque alio et meliore ordine verba constituunt, „*Iamque dies aderat, nil cum procedere lintrem.*“ Neque aliter credo in suis Lambinus, Cruquius, Torrentiusque, quamvis taceant, invenerunt.

24. *Ora manusque tua lavimus*] Praestantissimus N. Heinsius in codicis sui margine; *Forte*, inquit, *lavimus*. Nihil verisimilius: nam in his et similibus Passiva potius usurpant boni scriptores. Ita Arte Poët. v. 302. „*Qui purgor bilem sub verni temporis horam.*“ ubi codices non pauci mendose habent *purgo*. Quintil. Instit. I, 11. [I, 6 § 44] „*At lavimur, et tondemur, et convivimus ex consuetudine.*“ C. Gracchus apud Gellium X, 3. [§ 3] „*Uxor edixit, se in balneis virilibus lavari velle: datum est negotium, uti balneis exigerentur, qui lavabantur.*“ Plinius Epist. III, 14. [§ 2] „*Lavabatur Largius Macedo in villa Formiana.*“ — [§ 6] „*Cum in publico Romae lavaretur.*“ Ovidius Fast. II, 167. „*Hac, ait, in silva, virgo Tegeaea, lavemur.*“ Epigramma vetus apud Pithoeum p. 3. [Burm. Anth. I, 81 = Meyer 623, v. 4] „*Parce meum, quisquis langis cava marmora, somnum Rumpere: sive bibas, sive lavere, tace.*“ Ita et Graeci *Λαύωμαι* usurpant. Apud Eutychem quidem Grammaticum *Lavimus* hodie legitur, p. 2186. „*Lavo lavis tertiae coniugationis: ut Horatius II Carm. Villaque flavus quam Tiberis lavit.*“ Idem Serm. lib. I. „*Ora manusque tua lavimus Feronia lymphæ.*“ Quod et primae coniugationis invenitur: Iuvenalis lib. I. „*Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.*“ Neque tamen inde colligas, ipsum Eutychem sic legisse. Poterat enim passivo proferre, ut ex Iuvenalis loco constat. Ceterum Torrentius et activum et passivum simul adhibuit. Eunuch. III, 5. [v. 47] „*Cape hoc stabellum, ventulum huic sic facto, dim lavamur: Ubi nos laverimus, si voles, lavato: accipio tristis.*“ Ubi *lavamur* acceptum referimus Donato, et codicibus Faëni Bembrino et Victoriano. Ceteri omnes perperam *Lavamus*; ut hic Horatii codices *lavimus*.

27. *Maecenas optimus*] Melior opinor distinctio erit, si sic inter-

- Legati; aversos soliti componere amicos.
 30 Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
 Inlinere. interea Maecenas advenit, atque
 Cocceius, Capitoque simul Fonteius, ad unguem
 Factus homo; Antoni, non ut magis alter, amicus.
 Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
 35 Linquimus, insani ridentes praemia scribae,
 Praetextam, et latum clavom, prunaeque batillum,
 In Mamurrarum lassae deinde urbe manemus,
 Murena praebente domum, Capitone culinam.
 Postera lux oritur multo gratissima: namque
 40 Plotius et Varius Sinuessae, Virgiliusque
 Occurrunt; animae, qualis neque candidiores
 Terra tulit, neque quis me sit devinetior alter.
 O qui complexus, et gaudia quanta fuerunt!
 Nil ego contulerim iocundo sanus amico.
 45 Proxima Campano ponti quae villula, tectum
 Praebuit; et parochi, quae debent, ligna salempque.
 Hinc muli Capuae elitellas tempore ponunt.
 Lusum it Maecenas, dormitum ego Virgiliusque:
 Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.
 50 Hinc nos Cocceii recipit plenissima villa,
 Quae super est Caudi cauponas. nunc mihi paucis
 Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri,
 Musa, velim memores: et quo patre natus uterque
 Contulerit lites. Messī clarum genus Osci:
 55 Sarmenti domina exstat. ab his maioribus orti
 Ad pugnam venere. prior Sarmentus; Equi te
 Esse feri similem dico. Ridemus: et ipse
 Messius, Accipio: caput et movet. O, tua cornu
 Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres; cum
 60 Sic mutilus miniteris? at illi foeda cicatrix

v. 52. Vulg. *Cicirri*. 60. *Minitaris*.

punges: „*Huc venturus erat Maecenas, optimus atque Cocceius.*“ ut supra v. 4. „*Differtum nautis, cauponibus atque malignis.*“ Optimus enim est compellatio paullo familiarior, quam ut Maecenati, regi eius et patrono, decore tribui possit. Sic Epist. I, 16. v. 1. „*Ne perconteris, fundus meus, optime Quinti.*“ Serm. I, 6. v. 54. „*optimus olim Virgilius, post hunc Varius, dixere quid essem.*“ et I, 10. v. 82. „*Valgius et probet haec Octavius, optimus atque Fuscus; et haec utinam Viscorum laudet uterque.*“ sic et ibi distinguendum puto; non, *Octavius optimus*.

52. *Messique Cicirri*] Primus, ut puto, Aldus *Cicirri* iniecit. Vestustiores, duae scilicet Venetae et Loscheriana, *Cicirri*. Sic et Torrentii, Pulmanni, Bersmannique aliquot cum Regio *Cicirri*. Revocanda est utique lectio antiqua. *Cicirrus* est *κικιρρός*, *gallus*. Hesychius: *κικιρρός, ἀλεπτιοῖν*.

60. *Cum Sic mutilus miniteris*] Etiam hoc opinor Aldi facinus est: antiquiores enim *miniteris*, cum maiore parte membranarum. Recte. Quid

- Setosam laevi frontem turpaverat oris.
 Campanum in morbum, in faciem permulta iocatus,
 Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat:
 Nil illi larva aut tragicis opus esse cothurnis.
 65 Multa Cicirrus ad haec: Donasset iamne catenam
 Ex voto Laribus, quaerebat: scriba quod esset,
 Nihilo deterius dominae ius esse. rogabat
 Denique, cur umquam fugisset; cui satis una
 Farris libra foret, gracili sic, tamque pusillo.
 70 Prorsus iocunde cenam producimus illam.
 Tendimus hinc recta Beneventum; ubi sedulus hospes
 Pene, macros, arsit, turdos tum versat in igni.
 Nam vaga per veterem dilabso flamma culinam
 Volcano, summum properabat lambere tectum.

v. 65. Vulg. *Cicirrus*. 67. *Deter: nihilo*. 70. *Producimus*.
 72. *Pe. ars. mac. dum tur. v. in igne.*

faceres salvo cornu, cum sic mutilus *miniteris*? Quidni enim plures codices sequimur, ubi utralibet lectio bene se habet? Virgilius Eclog. III, 16. „*Quid domini faciant, audent cum talia fures?*“ Terent. Eunuch. III, 5. [v. 17] „*Quid ego eius tibi nunc faciem praedicem aut laudem, Antipho, Cum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem?*“

67. *Deterius nihilo*] Ita quidem editi: at membranae omnes, quae paulo vetustiores sunt, tam aliorum quam nostrae, aliter verba collocant, „*Nihilo deterius dominae ius esse.*“ Recte; et pronuntiandum est, quasi scriptum fuerit *Nilo*, ut plane habent duo Bersmanni: Sic Epist. II, 2. v. 120. „*Fehemens et liquidus, paroque simillimus amni.*“ ubi codices nonnulli mendose, ut hic. *Et cehamens liquidus*. Sic in Epigrammate veteri [Priap. 52, 10]: „*Ad partem veniet salax asellus, Nihilo deterius muloniatus.*“ Quin et illud animadverti, quotiescunque apud Nostrum occurrat *nihilo*, comparativo suo semper praeponi: ut Serm. I, 1. v. 48. „*nihilo plus accipias, quam.*“ et II, 3. v. 56. „*nihilo sapientius, ignes.*“ et ibidem 52. „*nihilo ut sapientior ille.*“ et 270. „*nihilo plus explicet, ac si.*“ et Epist. I, 22. [II, 2. v. 153] „*cum sis nihilo sapientior.*“ Ergo ad haec exempla legendum est hic quoque, *Nihilo deterius*.

70. *Cenam producimus illam*] Haesit hoc ex praeis editionibus. Meliores enim codices Fabricii, Pulmanni, Torrentii, Bersmannique *producimus*: quibus consentiunt ex nostris optimi Leidensis, Reginensis cum pluribus aliis. Rectissime. Ita supra v. 25. „*Millia tum pransi tria repimus atque subimus.*“ et 35. „*Fundos libenter linquimus.*“ et 50. „*Hinc nos Cocceii recipit plenissima villa.*“ et 71. „*Tendimus hinc recta Beneventam.*“ et 86. „*Quattuor hinc rapimur viginti et millia.*“ ubi, ut vides, omnia verba praesenti tempore offeruntur.

72. *Pene arsit macros dum turdos*] Hunc verborum ordinem primus ex uno, ut ait, codice induxit Lambinus; quam et ego in uno reperi, sed eo chartaceo et infimae notae atque aetatis. Ceteri omnes tam aliorum quam nostri, *Pene macros arsit*, atque ita legerunt Aeron et Porphyron. Scholiastes Persii ad Sat. VI, v. 24. „*Turdarum dicit abusive, cum turdorum debuerat; ut Horatius ponit: Pene macros arsit, dum turdos versat in igni.*“ ubi notandum illud *igni*; sic enim et Bersmanni codex, et Regius, et a prima manu Reginensis. Idque recte: ut Carm. I, 4, 3. „*Ac neque iam stabulis gaudet pecus, aut arator igni.*“ et I, 34, 6. „*Igni corusco nubila dividens.*“ Ita et alibi *ungui*, et *imbri*, casu ablativo:

75 Convivas avidos cenam, servosque timentis
 Tum rapere, atque omnis restinguere velle videres.
 Incipit ex illo montis Appulia notos
 Ostentare mihi, quos torret Atabulus; et quos
 Numquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
 80 Villa recepisset, lacrimoso non sine fumo,
 Udos cum foliis ramos urente camino.
 Hic ego mendacem stultissimus usque puellam
 Ad mediam noctem exspecto: somnus tamen aufert
 Intentum veneri: tum immundo somnia visu
 85 Nocturnam vestem maculant, ventremque supinum.
 Quattuor hinc rapimur viginti et millia rhedis,
 Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,
 Signis perfacile est. venit vilissima rerum
 Hic aqua; sed panis longe pulcherrimus, ultra
 90 Callidus ut soleat humeris portare viator:
 Nam Canusi lapidosus; aquae non ditior urna.
 [Qui locus a forti Diomede est conditus olim.]

sic et Lucretius, Virgilius, Ovidius aliique aureae aetatis. Ceterum Bersmanni unus et Battelianus noster, *In ignem*.

92. *Qui locus a forti Diomede*] Locus ab interpretibus multum vexatus, quique vicissim eos multam vexavit. Videamus integrum: „*Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est Signis perfacile est: venit vilissima rerum Hic aqua; sed panis longe pulcherrimus, ultra Callidus ut soleat humeris perferre viator: Nam Canusi lapidosus: aequur non ditior urna: Qui locus a forti Diomede est conditus olim. Flentibus hinc Varius discedit maestus amicis.*“ ubi oppiduli nomen, quod versus hexametris non recipit, *Equum Tuticum* intelligit, ut recte Scholiastae veteres. Doctissimus tamen Cluverius [Italia Antiqua] p. 1217. ex situ locorum coniecit *Arpos*, quae et *Argyrippa* dicitur, ab Horatio hic describi. Vix tamen id persuadebit, cum utrumvis vocabulum versus facile admittat; auctore Virgilio Aen. XI, 246. „*Ille urbem Argyripam patriae cognomine gentis.*“ et Silio IV, 556. „*Allius Argyripa Daunique profectus ab arvis.*“ Ab Equo Tutico igitur panem portare solent viatores Canusium usque, quia ibi panis lapidosus est, *aquae non ditior urna*: hoc est, aquae copia non uberior est Canusii, quam Equi Tutici. *Ditior*, abundantior, copiosior; non ut quidam codices perperam hic habent, *dulcior*. Ausonius Epigramm. IV. [v. 5] de Danubio: „*Et qua dives aquis Scythico solvo ostia ponto.*“ Contra Noster Carm. III, 30, 11. „*Et qua pauper aquae Daunus agrestium Regnavit populorum.*“ Ergo oppidum Canusium et aquae inopia et panis vitio laborabat. Aquae tamen penuriae subveniebat postea Herodes Sophista. Philostratus in eius vita p. 550. [551, c. 5 extr.] *Ὠζας καὶ τὸ ἐν Ἰταλίᾳ Κανισίον, ἡμερώσας ἔδωκε, πῦρα τοῦτον δεόμενον: Canusium in Italia, inducta aqua, cuius vehementer indigebat, habitabile reddidit.* Ceterum eruditissimus Lambinus, et ex eo Daecrius constructionem verborum aliam hic instituit, in hunc modum: „*aquae non ditior urna Qui locus a forti Diomede est conditus olim*“: ubi ordo erit, *Qui locus*, Canusium scilicet, (non ditior urna aquae, quam Equus Tuticus,) *a Diomede olim conditus est.* Ego vero multum ab his dissentio; cum ob coniectam constructionem, tum quia ineptum et putidum fuerit conditorem Canusii hic memorare, more Geographorum; cum obiter tantum eius oppidi mentionem faciat Noster. Mihi nulla est dubitatio, quin auctor huius versiculi *Equum Tu-*

Flentibus hic Varius discedit maestus amicis.
 Inde Rubos fessi pervenimus; utpote longum
 95 Carpentem iter, et factum corruptius imbri.
 Postera tempestas melior, via peior, ad usque
 Bari moenia piscosi. dein Gnatia lymphis
 Iratis exstructa dedit risusque iocosque:
 Dum flamma sine tura liquescere limine sacro
 100 Persuadere cupit. credat Iudaeus Apella,
 Non ego. namque Deos didici securum agere aevum;
 Nec, si quid miri faciat natura, Deos id
 Tristis ex alto caeli demittere tecto.
 Brundisium longae finis chartaeque viaeque.

E C L O G A VI.

Non, quia, Maccenas, Lydorum quicquid Etruseos
 Incoluit finis, nemo generosior est te;
 Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
 Olim qui magnis legionibus imperitarent;

v. 93. Vulg. *Hinc*. 97. *Dehinc*. 4. *Imperitarint*.

ticum intellexerit, a Diomede itidem conditum; idque ut unum e *signis* hic posuerit, quibus perfacile erat nomen oppidi non expressum colligere. Servius ad Virgil. Aeneid. VIII, 9. de Diomede: „*Nam et Beneventum et Equum Tuticum ipse condidit, et Arpos quae et Argiripa dicitur.*“ Hoc, inquam, cogitavit versiculi huius, quicumque fuit, auctor: de suo scilicet largiri voluit aliud signum, quo Equus Tuticus agnosceretur. Non tamen a me impetrare possum, ut Flaccum nostrum tam illepidi versus parentem fuisse credam. *Locum quippe condere*, ne Latinum quidem videtur: certe nusquam quemquam sic locutum esse memini. Urbes quidem et arces et oppida conduntur: loca ipsa condi neque dicuntur neque possunt: Ovid. Fast. II, 280. „*Hic ubi nunc urbs est, tum locus urbis erat.*“ Idem Metam. XV, 18. „*Atque ita discedens, Aevo, dixisse, nepotum Hic locus urbis erit.*“ Virg. Aen. VIII, 53. „*Delegere locum, et posuere in montibus urbem.*“ Adde, quod quocumque haec verba retuleris, sive ad *Equum Tuticum*, sive ad *Canusium*; parum aut nihil profeceris. Si ad prius, vitiosa erit constructio: nullo enim iure ad remotius nomen referenda sunt, propiore neglecto: sin ad posterius; nihil, ut dixi, putidius fuerit, quam Canusinas Origines hic obiter inculcare. Denique ad haec verba nihil quicquam adnotatum est, neque ab Acrono, nec Porphyrione: magnum utique signum, in illorum olim exemplaribus ea non comparuisse.

93. *Flentibus hinc Varius discedit*] *Hinc*, quod in libris aliquot extat, plerasque iam editiones occupavit. At principes illae, binae scilicet Venetae et Loscheriana, *hic*; quibus accedunt codex noster Reginensis cum duobus aliis, duo Bersmanni, et Torrentii sex. Atque haec lectio mihi etiam post Torrentium magis arridet.

97. *Dehinc Gnatia lymphis*] Franekeranus cum tribus Pulmanni *dein*, quod ideo praetulimus; ut evitetur asperrimus ille concursus quattuor consonantium.

4. *Legionibus imperitarint*] Ita Venetae et Loscheriana, unde in sequentes editiones derivatum est. Favent autem huic lectioni Magdalenensis codex et Battelianus. At multo plures tam aliorum, quam nostri,

- 5 Ut plerique solent, naso suspendis adunco
 Ignotos, ut me libertino patre natum.
 Cum referre negas, quali sit quisque parente
 Natus, dum ingenuus: persuades hoc tibi vere,
 Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum,
 10 Multos saepe viros nullis maioribus ortos
 Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos:
 Contra, Laevinum, Valeri genus, unde Superbus
 Tarquinius regno pulsus fugit, unius assis
 Non umquam pretio pluris licuisse, notante
 15 Iudice, quo nosti, populo: qui stultus honores
 Saepe dat indignis, et famae servit ineptus;

v. 13. Vulg. *Fuit*. 15. *Quem nosti*.

in quibus veterrimi duo Leidensis et Reginensis, *imperitarent*. Est et tertia lectio, quae in uno Bersmanni alteroque Pulmanni extat, *imperitarunt*. Lego: „*Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus, Olim qui magnis legionibus imperitarent.*“ Nempe in hac et simili locutione *Fuit qui, Fuerunt qui*, uterque quidem modus tam indicativus, quam subiectivus admittitur; tempus vero imperfectum in utroque, ut apud bonos Scriptores passim observabis. Sallust, Cat. XXIII. [XXII princ.] „*Fuero ea tempestate, qui dicerent Catilinam,*“ etc. Noster Epist. II, 2. v. 128. „*Fuit haud ignobilis Argis, Qui se credebat viros audire tragoedos; Cetera qui vitae servaret munia recto More; bonus sane vicinus, amabilis hospes, Comis in uxorem, posset qui ignoscere servis.*“

13. *Tarquinius regno pulsus fuit*] Ita libri et olim editi et nuperi. Enimvero indignor tot eruditos Interpretes lectionem veram in codicibus suis inventam tam imperite sprevisse. Ea sic habet: „*Contra, Laevinum, Valeri genus, unde superbus Tarquinius regno pulsus fugit, unius assis.*“ etc. Hanc in quattuor optimis Blandiniis Cruquius, in suis aliquot Lambinus Bersmannusque reppererunt: nosque itidem in veterrimo Leidensi, et aliis duobus, et pro varia lectione in Magdalenensi. Quanto hoc, nisi plane desipimus, elegantius pleniusque illo altero, quod hactenus editiones occupavit? Id solum, credo, ad corrumpendum locum Librarios impulit; quod *fugit*, praeterito tempore et priore syllaba producta, vi sententiae hic requiri arbitrarentur: atqui illud minime metuendum erat. Auctor de obitu Maecenatis [v. 24]: „*Sic illi vivere, quibus fuit avrea Virgo; Quae bene praecinctorum postmodo pulsa fugit.*“ Virgil. Aen. III, 121. „*Fama volat pulsam regnis cecidisse paternis Idomenaea ducem.*“ Idem, in Catalectis [11, 35]: „*Cuius et ob raptum pulsus liquere penates Tarquini patrios filius atque pater.*“ Aen. XI, 366. „*Pone animos, et pulsus abi.*“ Lactantius I, 13. [§ 6] „*Nimirum senex (Saturnus) a iuvene facile victus est, ac spoliatus imperio. Fugit igitur expulsus, et in Italiam navigio venit.*“ Et mox [§ 10]: „*Censetne aliquis deum esse, qui pulsus est, qui fugit, qui latuit?*“ Ovid. Metam. VII, 290. „*Pulsa fugit macies; abeunt pallorque situsque.*“ Haec quidem nitida sunt, culta sunt, et auctoribus suis digna: at vulgatam illud *pulsus fuit*, quam inees et languidum?

15. *Notante, Iudice, quem nosti, populo*] Ita nunc passim editum reperies; cum tamen et vetustae Editiones, et quicquid usquam est codicum manu scriptorum, sic clare exhibeant, „*Iudice, quo nosti, populo, qui stultus honores,*“ etc. Hoc certe de omnibus suis praedicant Cruquius, Palmannus, Bersmannus, Torrentiusque; hoc in meis universis reperi. Et Torrentius quidem Cruquiusque libenter hanc lectionem recipere; si per interrogationem efferatur, *Iudice: quo? nosti: populo:* vel hoc modo: *Iu-*

- Qui stupet in titulis et imaginibus. quid oportet
 Vos facere, a vulgo longe longeque remotos?
 Namque esto: populus Laevino mallet honorem
 20 Quam Decio mandare novo: Censorque *) moveret
 Appius, ingenuo si non essem patre natus:
 Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem

v. 18. Vulg. *Nos longe lateque*.

dice: quo, nosti? populo: metuebant scilicet, ne parum Latine dictum esset, nisi distinctionibus illis sublevaretur. Ponite vero, o boni, istos metus: elegantissima enim locutio est, a fonte Graeco hausta, *Iudice, quo nosti, populo:* ubi Pronomen eodem casu ponitur, quo Nomen antecedit. Terentius Heaut. I, 1. [v. 35] „*Scire hoc via? Hac quidem causa,* qua dixi tibi.“ Cicero Epist. Fam. V, 14. [§ 1] „*Cum scribas, et aliquid agas eorum,* quorum consuisti, gaudeo.“ Ovidius Trist. V, 6. [v. 36] „*Elige nostrorum minimum minimumque laborum, Illo, quo toris, grandis illud erit.*“ Gellius I, 3. [§ 21] „*Theophrastus autem, in ea,* quo dixi, libro disserit.“ Et I, 25. [§ 16] „*Iecirco ex his,* quibus dixi, *vocibus nomen induciarum connexum est.*“ Et II, 26. [§ 7] „*Sed id**; his tamen coloribus,* quibus modo dixisti, *denominandis.*“ Ceterum Graeca exempla passim feruntur. Vide Nos ad Ciceronis Tusculanas, V, 14

[§ 18. *Quid oportet Nos facere a vulgo longe lateque remotos?*] Id primo hic animadvertendum, male ex vetustis Editionibus retentum esse *longe lateque;* cum omnes fere omnium codices habuerint, *longe longeque.* Primus ex suis Cruquius, veram lectionem reposuit, (Ciceronis loco fretus de Finibus II, 21. [§ 68] „*Plurimum se, et longe longeque plurimum, tribuere honestati.*“ Cui tamen bene momenti nemo, quod sciam, obtemperavit, praeter Baxterum nostratem in nupera sua editione: adeo difficile est homines diuturno errore palantes in viam rectam reducere. Posthac tamen, ut spero, veritati manus dabunt, et corrigi se patientur. Ovid. Met. IV, 325. „*Sed longe cunctis longeque potentior illis.*“ Gellius XIII, 27. [c. 29 (28) § 3] „*Ego quidem sic existimo, longe longeque esse amplius, prolixius, fusius, multos mortales, quam multos homines divites.*“ Idem IV, 1. „*Ac nullo etiam antequam nascerentur, et supra longe atque longe per infinitum.*“ Digest IV, 4, 39. „*Fendentibus curatoribus minoris fundum, emptor extitit Lucius Titius, et sex fere annis possedit, et longe longeque rem meliorem fecit.*“ Mamertinus in Genethliaco Maximiani p. 308. [c. 16 § 3] „*Etenim quod ait ille Romani criminis primus auctor (lege, carminis, nam Ennium intelligit) A sole exoriente adusque Maeotidas paludos, id nunc longius longiusque protendere licet.*“ Germanam Latini Sermonis indolem haec spirant: ita passim, *Magis magisque, Minus minusque, Etiam etiamque, Iterum iterumque, Nimum nimumque, Minimum minimumque, Candidior candidiorque,* et alia similia. Atque haec, opinor, satis iustae sunt causae, cur lectionem hanc, quam codices fere ad unum omnes agnoscunt, in sedes avitas denuo revocemus. Est tamen adhuc maius, et in quo magis etiam desidero iudicium Interpretum. Fatemur quidem *Longe lateque* frequentissime apud Scriptores occurrere; *Longe lateque patere, spargi, diffundi* etc. nempe ubi res ipsae, de quibus sermo est, tam in latum diffunduntur, quam protendantur in longum. Idem tamen pernegamus, *Longe lateque removeri,* aut dictum esse a quocumque veterum, aut sane dici potuisse. Quippe vox *Remotos* longitudinem solam

*) [„Censorne — natus?“ et in marg. „Vulg. Censorque“ ed. a. 1711: „Censorque“ scribendum Bentl. iussit in praef. ed. 1711: hinc „Censorque — natus.“ ed. n. 1713.]

** [scr. ca.]

Sed fulgente trahit constrictos gloria curru
 Non minus ignotos generosis. quo tibi, Tulli,
 25 Sumere depositum clavom, fierique tribuno?
 Invidia aderevit, privato quae minor esset.
 Nam ut quisque insanus nigris medium inpediit crus
 Pellibus, et latum demisit pectore clavum;
 Audit continuo; Quis homo hic, aut quo patre natus?
 30 Ut si qui aegrotet quo morbo Barrus, haberi
 Ut cupiat formosus; eat quacumque, puellis
 Iniiciat curam quaerendi singula; quali

v. 24. Vulg. Tulli. 29. Hic est? 31. Et cup.

denotat, latitudinis sensum plane respuit. Et quod longe vel longissime a re quapiam remotum est; idem ex omni parte et quaque versus ab eadem re remotum sit necesse est. Ut ineptum plane fuerit late remotum dicere quid; ubi semel dixeris longe. Illud deinde excute, quod omnes codices et editiones maculavit, „quid oportet Nos facere a vulgo longe longeque remotos?“ Nihil profecto pravius tetriusque vidi. Quid enim narrat? Nos, hoc est, cum aliis se tam longe a vulgo remotum? quemne hoc ipso Ser-mone confitetur libertino esse patre, et nullis maioribus? quo vero nomine tam remotum? non genere, non re, non loco et conditione. At ingenio fortasse dices et virtute atque doctrina: apage sodes inanem iactantiam. Non cognosco Nostrum tam superbum et gloriosum. Quin, si oculos animumque advertis, videbis hoc pugnare cum totius orationis filo et contextu. Non ideo, inquit, o Maecenas, quia ipse summo genere natus es, contemnis homines novos et ignobiles; ut ego sum: quorum multos recte tibi persuades et privatim probos et egregio publico vixisse: contra aliquot praecclaris parentibus, ut Laevinum Valerium, non uno propterea asse pluris habitos esse, vel populo ipso iudice, qui ceteroqui genus et proavos, imagines et titulos, maxime admirari solet. Quod si vulgus tam recte iudicat; quanto magis id oportet „Vos facere a vulgo longe longeque remotos?“ Vos dico Augustos, Maecenates, Polliones, Messallas, etc. non quali quisque sit natus parente, sed quo ingenio, qua virtute sit, quaerere oportet. Sentis opinor emendationem; quam orationis ductu abreptus, priusquam constitueram, insciens posui. Quod si nos substituatur, pessum ibit tota sententia: quippe haud se inter generosos numerat, qui de hominibus novis candide et aequae iudicent: sed se istis novis accenset, qui aequa nobilium iudicia sperare sibi et polliceri audeant.

24. Quo tibi, Tulli] Quod editiones hactenus possedit, Tulli, ex versu nono videtur irrepisse. At ibi de Servio Tullio rege sermo est: hic de homine alio nescio quo. Quidni igitur revocamus plurium codicum lectionem, Tulli? ut de suis testantur Bersmannus, Pulmannus, Torrentius-que: in nostris hic quidem duobus duntaxat apparet, Regio et Petrensi: at infra versu 107, in Leidensi, Zulich, Magd. et Batteliano extat. Cicero Philip. II. cap. 11. [§ 27] Tullius Cimber. Idem Ep. Fam. VI. 12 [§ 2]. Seneca de Ira. III. 12. [c. 30 § 5] et Epist. LXXXIII. [§ 12]. Suetonius Iul. c. 85 [c. 82]. Cimber Tullius: quibus omnibus in locis eadem ac hic variatio est in scriptis codicibus. Gruterus in Inscript. [p. 584, 10] APER TILLIUS. et [p. 120, 1], Q. TILLIUS, et [p. 1158, 1], M. TILLIUS, M. L. PHANIAS, TILLIA. M. L. LUCCEIA.

29. Quis homo hic est? quo patre natus? Ita libri aliquot: alii, Quis homo hic? Et quo patre natus? Editiones vetustae, Quis homo hic? Aut quo: ut etiam codex Regius, et optimus Reginensis.

31. Et cupiat formosus] Ita Crnquius Torrentiusque ex suis, quos posteriores fere secuti sunt: At Venetæ editiones et Loscheri, una cum

Sit facie, sura, quali pede, dente, capillo:
 Sic qui promittit, civis, Urbem sibi curae,
 35 Imperium fore, et Italiam, et delubra Deorum;
 Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
 Omnis mortalis curare et quaerere cogit.
 Tune Syri, Damae, aut Dionysi filius, audes
 Deicere e saxo civis, aut tradere Cadmo?
 40 At Novius collega gradu post me sedet uno:
 Namque est ille, pater quod erat meus. Hoc tibi Paullus,
 Et Messalla videris? at hic, si prostra ducenta,
 Concurrentque foro tria funera, magna sonabit
 Cornua quod vincatque tubas: saltem tenet hoc nos.
 45 Nunc ad me redeo libertino patre natum:
 Quem rodunt omnes libertino patre natum:
 Nunc, quia sum tibi, Maecenas, convictor; at olim,
 Quod mihi pareret legio Romana tribuno.
 Dissimile hoc illi est: quia non, ut forsit honorem
 50 Iure mihi invidet quivis, ita te quoque amicum;
 Praesertim cautum dignos adsumere, prava
 Ambitione procul. felicem dicere non hoc
 Me possunt, casu quod te sortitus amicum:

v. 47. Vulg. Quia, Maecenas, tibi sim. 53. Possum.

pluribus Lambini Codicibus, et veterrimo nostro Leidensi aliisque tribus, „Ut si qui aegrotet, quo morbo Barrus, haberi Ut capiat [scr. cupiat] formosus.“ Atque hanc lectionem alteri illi praeferimus. Morbus enim sive vitium Barri erat, quod formosus haberi cuperet; morbus utique mentis, non corporis. Sed si et legeris; de morbo etiam corporis suspicari possis; quasi is scabie vel polypo fortasse laboraret, et tamen formosus haberi magnopere vellet: quod ab Horatii mente alienum esse existimo.

38. Dionysi filius] Scribe hic Dionysi, (non ut pleraeque editiones, Dionysi) a recto Dionysius. Syrus, Dama, et Dionysius nomina servilia. Cicero Ep. Fam. XIII. 77. [§ 3] „Dionysius servus meus aufugit.“ Sic alibi ibidem, et Ep. ad Atticum saepius. Suetonius vita Horatii: „Pertulit ad me Dionysius libellum tuum.“ Plin. Ep. X. 105. [104] „C. Valerius Dionysius.“ Gruterus, 1036. 2. PUBLICIO DIONYSIO. 845. 7. M. AYP. ΔΙΟΝΥΣΙΟΝ. Marm. Felsin. p. 425. M. ULPIUS DIONYSIUS [DIONYSIUS 'sic' Malvas]. M. IULIUS DIONYSIUS.

47. Nunc quia, Maecenas, tibi sim convictor] Editio prima Veneta alium verborum ordinem statuit; „Nunc, quia sum tibi, Maecenas, convictor; at olim, Quod mihi pareret legio Romana tribuno.“ quem etiam agnoscunt caeterae editiones priscae, et nostri codices praeter unum recentem omnes; praeterquam quod plures ex iis sim habeant, non sum. Idem de suis perhibent Pulmannus Bersmannusque; ne de caeterorum libris, etsi ipsi taceant, dubites. Quis primus contra veterum exemplarium fidem mutaverit, nescio: sed id, ut opinor, ausus est, quo versus numerosior evaderet. Nos vero, tam fastidiosus auribus valere iussis, ipsa simplicitate compositionis capimur. Neque vero numeri viliores hic sunt, quam saepe alias in his Sermonibus.

53. Felicem dicere non hoc Me possum] De interpunctionis loco iam, opinor, hic convenit inter interpretes; non felicem hoc casu distinguendum esse; sed hoc sive hac re felicem, quod casu sortitus. Quin et

- Nulla etenim tibi me fors obtulit. optimus olim
 55 Virgilius, post hunc Varius, dixere quid essem.
 Ut veni coram; singultim pauca locutus,
 (Infans namque pudor prohibebat plura profari)
 Non ego me claro natum patre, non ego circum
 Me Satureiano vectari rura caballo,
 60 Sed, quod eram, narro: respondes (ut tuus est mos)
 Pauca: abeo: et revocas nono post mense, iubesque
 Esse in amicorum numero. magnum hoc ego duco,
 Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
 Non patre praecelaro, sed vita et pectore puro.
 65 Atqui si vitis mediocribus ac mea paucis
 Mendosa est natura, alioqui recta; (velut si

v. 54. Vulg. *Mihi te.*

Danielis Heinsii non felix coniectura, qui *hic pro hoc* substituere voluit, iam ab omnibus explosa est. Sic ergo locum constituunt, „*felicem dicere non hoc Me possum, casu quod te sortitus amicum: Nulla etenim tibi me fors obtulit.*“ Et *possum* quidem, sive quod in pluribus est *possim*, omnes quos viderim libri exhibent, et veteres editiones. Tamen, si verum dicendum est, arrogantiae quid praes se ferre videtur illud, *Non possum eo me felicem dicere, quod nactus sim te amicum.* Itane vero? Non cognosco tuum, o Flacce, tam superbum. Ut enim hoc vere dici posset; tu tamen non idoneus qui id diceres. Neque vero, si bene te novimus, dicere unquam voluisti. Ecce enim, quam Commentator vetus memoriae tradidit, saniorum lectionem: „*felicem dicere non hoc Me possum; casu quod te sortitus amicum.*“ „*hoc est*“, ut verba sunt Scholiastae Cruquiani, „*non iccirco me felicem nominare debent, quod casu aliquo aut fortunae beneficio tibi sim factus amicus; cum nulla fors me tibi obtulerit, sed amicorum et virorum bonorum commendatio, qui me noverant.*“ Agnosce opinor, hunc, quisquis erat, enarratorem non *possum*, ut nunc habetur, sed *possunt* in suis olim exemplaribus reperisse. Quinam autem illi, qui hoc non possunt vere dicere? Invidi nempe et obtrectatores, qui quotidie *rudunt me libertino patre natum*; qui felicitate me quadam, et nullo meo merito, ad amicitiam tuam pervenisse mentiuntur. Sic enim Garrulus ille, Serm. IX, 45. de hac ipsa re, „*Nemo docterior fortuna est usus.*“ et VI, lib. II, vers. 49. „*Fortunae filius, omnes*“ secum mussitabant. Certe si ex illorum persona *possunt* legeris, verecunde dictum est; sin ex Horatii *possum*, insolenter et gloriose.

54. *Nulla etenim mihi te fors obtulit*] Disquirunt hic Interpretes, utrumne *Fors* an *sors* legendum sit; quorum illud in principe Veneta, hoc in Loscheri editione comparat. Certe in vetustioribus nostris codicibus clare exhibetur *fors*; ne hac de causa Lambini fidem labefactet semper erga illum iniquior Torrentius. Tacitus Annal. XIV, 5. [extr.] „*Contis, et remis, et, quae fors obtulerat, navalibus telis conficitur.*“ Ibidem II, 42. „*Struxitque caussas, aut forte oblatas arripuit.*“ At Hist. IV, 1. „*Passim truncatis, ut quemque sors obtulerat*“: ubi tamen, ut antea, *fors* reponendum est. Sed, dum leviculum hoc sollicitos eos habet, illud interim, quod longe gravius est, impune hic grassari patiuntur, „*Nulla etenim mihi te fors obtulit.*“ Ita omnes ubique dederunt editores: neque sentiant illud *mihi te* quam inscite et stolide hic dictum sit, ut nihil magis. Quid enim? An patrono et rege suo Maccenate, cui vitam, opes, omnia debuit, maiorem hic se gerit coactoris Graeculi filius? *Tibi* vero, o noster,

- Egregio inspersos reprendas corpore naevos)
 Si neque avaritiam, neque sordis, aut mala lustra
 Obiciet vere quisquam mihi; purus et insons,
 70 (Ut me collaudem) si et vivo carus amicis;
 Causa fuit pater his: qui macro pauper agello
 Noluit in Flavi ludum me mittere; magni
 Quo pueri magnis e centurionibus orti,
 Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,
 75 Ibant octonis referentes Idibus aera:
 Sed puerum est ausus Romam portare, docendum
 Artis, quas doceat quivis eques atque senator
 Semet prognatos. vestem servosque sequentis,

v. 68. Vulg. *Ac mala.*

Maccenatem fors obtulerit? quod sodes ex te verbum audio? Immo *te Maccenati*: nisi omnium quotcumque fuerunt, sunt, eruntve, Suffenorum primus es. Certe sic alibi solebas, ut Serm. I, 3. v. 64. „*Simplicior quis et est? qualem me saepe libenter* Obtulerim tibi, Maccenas.“ Recte hoc quidem, et verecunde: et bene factum, quod tam turpem maculam effugisti. Sic enim et hoc in loco nullus dubitabam, quin sic a principio fuerit: „*Nulla etenim tibi me fors obtulit.*“ Atque sic postea latentem hanc lectionem deprendi in Scholiastae Cruquiano, loco paullo ante laudato: „*Cum nulla fors, inquit, me tibi obtulerit, sed amicorum commendatio.*“ Denique ita clare extare vidi in codice manuscripto, quem nuper adeo Bibliothecae Collegii nostri donavit vir insigni eruditione et humanitate Thomas Rud.

68. *Neque sordes, nec mala lustra*] Editiones veteres; et codices quos viderim omnes *ac mala* habent: Perabsurdum tamen videtur, *sordes ac lustra* una inter se iungere; cum vitia prorsus contraria sint, neque in unum hominem eodem tempore possint recidere. Lambinus quidem ita loqui debuisse Nostrum putat; „*Si neque avaritiam, neque sordes, nec mala lustra.*“ Postea autem Cruquius, non ut ille ex coniectura, sed ex vetustissimo suo Blandinio *nec* illud protulit. Sane vir probus videtur fuisse Cruquius; neque temere fides ei detrahenda est: sed vereor, ne non fuerit a prima scriptoris manu *ro nec*, sed a correctore interpolatum: qua in re, quae maximi quidem momenti est, subinde annotanda nimium ille securus et indiligens erat. Equidem haud dubito, quin sic scripserit ipse auctor, „*Si neque avaritiam, neque sordes, aut mala lustra.*“ *Aut* enim et *Ac* passim a Librariis alterum pro altero substituuntur: et solet alias Noster post duas particulas negativas *Aut* tertio loco subiungere: ut Carm. III, 12. „*Miserarum est, neque amori dare ludum, neque dulci Mala vino lavere, aut exanimari meluente.*“ III, 23, 5. „*Nec pestilentem sentiet Africum Fecunda vilis, nec sterilem seges Robiginem, aut dulces alumnii Pomifero grave tempus anno.*“ Serm. II, 2, 22. „*neque ostrea, Nec scarus, aut poterit peregrina iuvare lagois.*“ I, 9, 32. „*nec hosticus auferet ensis, Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra.*“ II, 1, 15. „*neque enim quivis horrentia pilis Agmina, nec fracta percuntes cuspidae Gallos, Aut labentis equo describat vulnere Parthi.*“ Virgil. Aen. IV, 339. „*neque ego hanc abscondere furto Speravi, ne finge, fugam; nec coniugis unquam Praelendi laedas, aut haec in foedera veni.*“ Sed quid multis opus? cum *aut* clare habeat Scholiastes Aeron, cum in Bibliotheca Societatis Regiae manuscriptus, tum Venetiis olim editus anno MCCCCXC: recentiores enim locum contaminarunt.

In magno ut populo, si qui vidisset; avita
 80 Ex re praebere sumtus mihi crederet illos.
 Ipse mihi custos incorruptissimus omnis
 Circum doctores aderat. quid multa? pudicum
 (Qui primus virtutis honos) servavit ab omni
 Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi:
 85 Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret olim,
 Si praeco parvas, aut (ut fuit ipse) coactor
 Mercedes sequerer; neque ego essem questus. ad haec

nunc

Laus illi debetur, et a me gratia maior.
 Nil me poeniteat sanum patris huius: eoque
 90 Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
 Quod non ingenuos habeat clarosque parentes,
 Sic me defendam. longe mea discrepat istis
 Et vox et ratio. nam si natura iuberet
 A certis annis aevum remeare peractum,
 95 Atque alios legere ad fastum quoscumque parentes
 Optaret sibi quisque: meis contentus, honestos
 Fascibus et sellis nollem mihi sumere; demens
 Iudicio volgi, sanus fortasse tuo: quod
 Nollem onus, haud umquam solitus, portare molestum.
 100 Nam mihi continuo maior quaerenda foret res,

v. 79. Vulg. *Si quis* 87. *Ob hoc nunc.*

79. *In magno ut populo si quis vidisset*] Quia a vetustis editionibus demissum erat *si quis*, veriti sunt id eicere recentiores interpretes: atqui fatentur in Blandiniis aliisque melioris notae codicibus *si qui* haberi; ut et ego reperi in veterrimis meis Leidensi et Reginensi. Apage ergo stultam clementiam; et sibilantem illam literam exsecemur. Lenius certe eo pacto suaviusque procedit versus; neque aliter scribit Noster versu hic 30. „*Ut si qui aegrotet, quo morbo Barrus*“: Ceterum quod Lambinus ait, nescio quos verborum ordinem turbare; quem ipse sic constituit, „*Ut si quis magno in populo vidisset*“; in ea re multum fallitur, et plerique omnes, qui eum sequuntur. Sic enim distinguenda sunt verba; *Siqui, ut in magno populo, vestem vidisset*. Ovid, Pont. IV, 5. [v. 11] „*Siquis, ut in populo, qui sitis, et unde requiret*.“ Idem Trist. I, 1. [v. 17] „*Siquis, ut in populo, nostri non immemor illis*.“ Sulp. Severus I, 84. [c. 48 § 1] „*Ninive, atens virorum millia C et XX, atque, ut in magno populo, abundans vitis*.“

87. *Ob hoc nunc Laus illi debetur*] Ita editiones veteres, et ex Manuscriptis recentiores aliquot. At prisci codices uno fere consensu *ad hoc vel ad haec*. Acon Scholiastes: „*Ad hoc nunc*“ *Alii ad haec legunt, ut sit, Ad haec quae praestitit: alii ad hoc, scilicet ne me poeniteret, quia patrem habui operarium et libertum, qui bonus vir fuit*.“ Prius magis arridet; *ad haec* scilicet; quippe multa praestitit in educatione filii; non sumtus solum, sed studium pene supra facultates plane singulare. *Ad* saepe idem fere valet, quod *ob* vel *propter*: ut Epod. 9, 18. „*Ad hoc frementes verterunt bis mille equos*.“ Epist. I, 19. v. 45. „*ad haec ego naribus uli Formido*.“

Atque salutandi plures; ducendus et unus
 Et comes alter, uti ne solus rusve peregreve
 Exirem; plures calones atque caballi
 Pascendi; ducenda pectorrita. nunc mihi curto
 105 Ire licet mulo, vel si libet usque Tarentum,
 Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos.
 Obiiciet nemo sordis mihi, quas tibi, Tilli,
 Cum Tiburte via praetorem quinque sequuntur
 Te pueri, lasanum portantes oenophorumque.
 110 Hoc ego commodius, quam tu, praeclare senator,
 Millibus atque aliis vivo. quaecumque libido est,
 Incedo solus: percontor quanti olus, ac far:
 Fallacem Circum, vespertinumque pererro
 Saepe forum: adsisto divinis: inde domum me
 115 Ad porri et ciceris refero laganique catinum.
 Cena ministratur pueris tribus: et lapis albus
 Pocula cum cyatho duo sustinet: adstat echinus
 Vilis, cum patera guttus, Campana supellex.
 Deinde eo dormitum; non sollicitus, mihi quod cras
 120 Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
 Voltum ferre negat Noviorum posse minoris.
 Ad quartam iaceo: post hanc vagor, aut ego lecto,
 Aut scripto quod me tacitum iuvet. unguor olivo,
 Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
 125 Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
 Admonuit, fugio Campum lusumque trigonem.

v. 107. Vulg. *Tulli*. 126. *Fugio rabiosi tempora signi*.

107. *Quas tibi, Tulli*] Scribe potius *Tilli*, ut supra docui ad versum 24.

126. *Fugio rabiosi tempora signi*] Omnium, quotquot superiore saeculo extitisse novimus, vetustissimum optimumque codicem ex Bibliotheca Blandinia Gandavi nactus est Cruquius: quod exemplar utinam adhuc salvum esset (perisse enim opinor) et in manus nostras incidisset; multa, ni fallor, et praeclara inde crederemus, quae illius aut oculos aut captum effugerunt. Est tamen utrumque quod gaudeamus, non pauca ab ipso Cruquio depremita esse ex eo libro; quae, absque illo fuisset, frustra in ceteris omnibus quaereremus. Cuiusmodi hoc est, quantivis sane prelii, quod his verbis memorat: „*Codex*“ ait, „*Blandinius antiquissimus habet, fugio Campum lusumque trigonem: sed supposita sunt puncta, vulgataque lectio est adnotata, Fugio rabiosi tempora signi*.“ Haec tantum Cruquius: neque verbum praeterea addit: et, quod magis mirum est, nemo omnium Interpretum, qui tot tantique post illum manus Horatio admoverunt, vel mentione dignum iudicarunt variantem hanc lectionem. Bene vero factum, quod interpolator ille punctis subnotatis (ut Librariis, qui scripta sua lituris turpari volebant, facere sollemne erat) delenda ea verba significaverit; ne non ipso scalpello suo penitus eraserit. Aut enim egregie fallor, aut ea sola sincera lectio est; et Venusina lucerna digna. Videamus locum integrum. „*Ad quartam iaceo: post hanc vagor aut ego lecto, Aut scripto, quod me tacitum iuvet; unguor olivo, Non quo fraudatis immundus Natta*

Pransus non avide, quantum interpellat inani
Ventre diem durare, domesticus otior. haec est

lucernis. *Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum Admonuit, fugio Campum lusumque trigonem. Pransus non avide — domesticus otior.* Haec iam singula examinanda sunt. *Ad quartam iaceo*: quod cave accipias pro *dormio*, ut vulgo faciunt Interpretes: quippe non nisi otiosi hominis erat, vel ad horam usque primam somno indulgere: ut Epist. I, 17. v. 6. „*Si te grata quietes et primam somnus in horam Delectat.*“ et Epist. I, 18. v. 34. „*Dormiet in lucem, scorto postponet honestum Officium, nummos alienos paseet.*“ Ergo ad quartam stertere, desidiosi plane fuerit, et Nomentani nepotis potius quam Flacci. Quid ergo? *Iacere* hic perinde est ac *studere*, in *lectulo* scilicet lectioni aut scriptioni vacare: qui mos erat antiquorum, iam notissimus. Noster supra, Sat. I, 4. v. 133. „*neque enim cum lectulus aut me Porticus excepit, desum mihi.*“ Seneca Epist. LXXII. [§ 2] „*Quaedam sunt, quae possis et in cisio scribere: quaedam lectum et otium et secretum desiderant.*“ Plinius Epist. V, 5. [§ 5] „*Visus est sibi C. Fannius per nocturnam quietem iacere in lectulo suo compositus in habitum studentis, habere ante se scrinium, ita ut solebat.*“ Atque haec quidem interpretatio ex sequentibus verbis magis adhuc constabit; „*post hanc vagor aut ego lecto, Aut scripto, quod me tacitum iuvat.*“ ubi ordo est, *Post hanc*, horam scilicet quartam, quae nobis nunc decima est antemeridiana, *ego vagor; aut lecto, aut scripto, quod me tacitum iuvat.* Ubi sine dubio *lecto et scripto*, sunt ablativi participiorum *lectus et scriptus*. Cuiusmodi iam passim observata est a Grammaticis constructio. Tacitus Annal. II, 7. „*Caesar, auditio castellum Lupiae obsideri, sex legiones eo ducit.*“ IV, 36. „*Fonteus Capito absoluitur, comperto facta in eum crimina per Vibium Sorenium:*“ et alibi passim. Hoc quidem recte olim Ianus Douza: adeo ut me illorum misereat, qui *lecto* hic et *scripto* Verba esse volunt, pro *lectito et scriptito*: verba utique inaudita, et in ultimam Barbariam releganda. Decepit, credo, eos pronomen *Ego*, cum id extra locum suum hic positum videatur: quod tamen minime mirari debent, qui aut hunc Nostrum aut Terentium unquam versarunt. Noster loco iam citato: „*Neque enim cum lectulus aut me Porticus excepit.*“ Nihil usitatus: atque adeo elegantiam quandam prae se fert. Ergo hoc dicit Horatius, *Post horam quartam vagor; cum iam tunc aut legerim aut scripserim quid, quod me tacitum iuvat.* Sine dubio itaque non *ad quartam dormivit*, qui ante eam horam *scripsit aliquid aut legit*. Sed pergamus porro: et investigemus, *quo vagari* sit solitus: atque id quidem scire dabitur, ex iis quae sequuntur, „*ungor olivo: Post ubi me fessum sol acrior ire lavatum Admonuit, fugio Campum lusumque trigonem:*“ Nimirum in Campum Martium, ubi homines beatores aut spatiosi et alios ludentes visere, aut ipsi ludere et exercere se solebant. Describit hic scilicet quotidianae suae vitae consuetudinem, quo pacto diem integrum transigere solet. „*Vespere:*“ inquit, „*Circum et Forum pererro; inde ad cenam domum redeo: tandem eo dormitum; et mane experrectus; usque ad quartam studiis vaco; inde in Campum me confero, et olivo unctus (non rancido quidem foetidoque, ut Natta) pila ludo, et ludentes alios specto. Demum, ubi Solis aestus molestior est, relinquo Campum ac Trigonem, et lavatum eo: postque prandium, tenue id quidem et parcum, domi otior usque ad vespere.*“ Iam autem exercitia campestria prius oleo perunctos obfuisse, res pervulgata est, neque hic adeo probanda. Unde Noster de Sybari Carm. I, 8. v. 8. „*Cur olivum sanguine viperino cautius vitat; saepe disco, saepe trans finem iaculo nobilis expedito?*“ Ovid. Metam. X, 176. „*Corpora veste levant, et succo pinguis olivi Splendescunt, latique ineunt certamina disci.*“ Porro in

Campo pila lusitare solitum esse Nostrum, atque una interdum cum Maecenate, testis ipse de se est optimus, Serm. II, 6. v. 49. „*Iudus spectaverit una, Luserit in campo: Fortunae filius, omnes.*“ Quod erudite sic enarrat Scholiastes Cruquianus: „*Siquis me una cum Maecenate in Campo videbat, statim dicebat me esse fortunae filium. Solebant autem Romani in Campo Martio ludere pila trigonali.*“ Quibus, opinor, verbis iam, si minus antea, persentiscere incipis, quid sibi illa velint, „*fugio Campum lusumque trigonem.*“ *Trigonis enim lusus* pilae ludum significabit, ideo, ut creditur, sic dictus, quod lutores paribus inter se spatiis ad Trigoni sive trianguli formam distabant. Martialis in Apophoretiis, XIV, 44. [46] „*Pila trigonalis. Si me mobilibus scis expulsare sinistris, Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.*“ Idem IV, 19. [v. 5] „*Seu lentum ceroma teris, tepidumque trigona. Sive harpasta manu pulcherrima trahis.*“ et XII, 81. [84 v. 3] „*Capitabit tepidum dextra laevaue trigonem, Impulset exceptas ut tibi saepe pilas.*“ et VII, 72. [71 v. 9] „*Sic palmam tibi de trigone nudo Unetae det favor arbiter coronae: Nec laudet Polybi magis sinistras.*“ Quo postremo loco inductus, equidem libenter apud Nostrum pro illo *Lusum vel Ludum* reposuerim *nudum*, „*fugio Campum nudumque trigonem:*“ *Uneti enim, et proinde nudi, pila et disco* alisque id genus ludis certabant, ut iam vidimus. Atque haec omnia magis magisque confirmantur ex eo, quod Noster continuo addit, se tum *lavatum ire* solitum. Quippe a Pilae lusu statim balnea adibant, aut, si serius ludum inciderant Thermis iam clausis, in Tiberi vel Aqua Virgine lavabantur; ut iterum Martialis, XIV, 161. [163] „*TINTINNABULUM. Rodde pilam: sonat aes Thermarum. ludere pergis? Virgine vis sola lotus abire domum.*“ Vides iam, opinor, ut apte inter se cohaerent omnia: quae cum minime intelligeret interpolator ille; spongia, ut erat audacia, emendare voluit. At enimvero, quam egregia atque illis, ut par erat, meliora de suo nobis largitus sit, operae pretium erit cognoscere: „*Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum Admonuit, fugio rabiosi tempora signi.*“ Nempe *aestuosos dies caniculares* intelligit, ut recte enarrat Scholiastae veteres; veteres, inquam, nam diu est, quod haec macula fere omnes codices inquinavit. Ego vero ams *Caniculae, rabiem, calores* sub umbra *vitari* posse probe noveram; ut noster Carm. I, 17. v. 17. „*Hic in reducta valle Caniculae Vitabis aestus:*“ ipsa Caniculae tempora quo pacto effugerit noster, equidem nescio; nisi forte sub umbras illas se subduxerit, *unde negant redire quemquam, Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam.* Sed ut hoc ei condonemus; quippe et Tiberis haud multo minus improprie locutus est; Eleg. I, 1. [v. 27] „*Sed canis aestivos ortus vitare sub umbra Arboris, ad rivos praetereuntis aquae:*“ si sanus utique locus est, et non *ictus* potius quam *ortus* erit legendum: illud potius consideremus, quam concinne atque apte cum orationis serie et auctoris instituto congruat hoc, quod dedit, Emblemata. *Ab hora quarta*, inquit, *foras prodeambulo; tum ungor: et ubi appetente fere meridie Salis ardor ingravescit, fugio tempora Caniculae.* Quid, malum, Caniculam nobis narras? Describit utique poeta, quid quotidie facere soleat, communibus anni temporibus, Romae, ubi *Forum et Circus*: non quid diebus tantum Canicularibus, quorum intemperiem ruri plerumque in silva Sabina abditus fallere et solari consueverat. Iamne sentis, quam indignis modis impostor ille nobis illuserit? Quasi vero sub caelo Italo sol meridianus, non nisi ardente Sirio, molestus esset sub divo morantibus. Et profecto ineptum esse hoc absurdumque quasi per caliginem vidisse il videntur; qui *rabiosi tempora signi*, non *anni* tempus, sed *diei* interpretantur. Unde vero petillum, tam pulchrum commentum nobis propinant? Ex Persio nempe, cuius illud est, Sat. III. [v. 5] „*siccus insana Canicula messes iam dudum coquit, et patula pecus omne sub umbra est:*“ ubi *Canicula*, ut putant, improprie pro quovis die aestuoso ponitur. Bene sane: et est quod Persius gratiam iis habeat. At non videre interea, *siccus* illas *messes*

Vita solutorum misera ambitione gravique.
 130 His me consolor, victurum suavius, ac si
 Quaestor avus, pater atque meus, patruusque fuisset.

E C L O G A VII.

Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
 Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
 Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.

v. 131. Vulg. *Fuissent*.

tam bellam interpretationem prorsus evertere? Sed mittamus hos; quos merito sane castigat celeberrimus Dacierius: ipse interim maioris culpae reus, cum ex contaminato hoc Flacci loco illud nobis ut observatione dignum excudit, Veteres scilicet, nisi diebus Canicularibus, balneis non usos esse. Vestram fidem, Quirites! Satius profecto fuerat, non veteribus adeo omnibus, sed poetis solis (et in eis Flaceo) illaviem illam exprobrasse, quorum, ut ipse ait [A. Poët. 298], „*bona pars non unguis ponere curat. Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.*“ Rides: sed tamen recte id colligas, quantumvis falsum sit et inhonestum, si vulgatam hic lectionem semel admiseris. Vel foreis itaque expellenda est, quae tam lepidas enarrationes nobis procedit. Certe quocumque te verteris, sive *diei* tempus, sive *anni* tibi finxeris; laterem profecto laveris, ex ipso lavacro sordes colligentem.

131. *Patruusque fuissent*] Per saeculum, credo, et amplius editionibus omnibus insedit illud *Fuissent*: Et Interpretes omnes quasi compacto silentium agunt. At Venetae illae antiquae cum Loscheriana; „*suavius, ac si Quaestor avus, pater atque meus, patruusque fuisset*“; Neque aliter codices ex nostris, Battelianus, Regius, Galeanus cum aliis duobus. Enimvero bis peccavit, quicumque ex libris suis pluralem hic numerum primus reposuit. Quippe primo ignarus erat stili Horatiani; Noster enim pluribus licet Nominativis, modo ultimus sit numero singulari, etiam Verbum eodem numero semper subnectit; ut multis ostendi ad Carm. I, 24, 8. Deinde, quod multo gravius est, etiam Latinitatis ignarus erat; ut videbis, si sic verba solvas, *Ac si avus meus et pater patruusque fuissent quaestor*. Quid iam videtur? Utique, si *fuissent* legeris, dicendum fuerit *Quaestores*. Vah, quam multa prava et absurda nos effugiunt; dum quae pueri admirari solebamus, postea secure et supine grandiores natu percurrimus.

3. *Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse*] Tanaquillus Faber acutissimo vir ingenio, „*Si res,*“ inquit, „*et omnibus lippis et tonsoribus nota est, quid igitur attinet illam narrare? Ridiculus foret Horatius. Lego itaque Omnibus haud lippis notum et tonsoribus esse.*“ Ubi non dico, invitis omnibus libris reposuisse hoc Fabrum; idem enim et nos non semel fecimus et posthac faciemus, sed melioribus, ni valde fallimur, argumentis freti. Quorsum enim *ridiculus*? adeone oblitus est Faber, quod in Ovidio olim legerat, Arte I, 681. „*Fabula nota quidem, sed non indigna relatu*“? Celebris quidem tum vulgo erat Persii iocus: sed Horatius, qui Rupiliam male oderat, omnibus cum saeculis traductum et laecratum voluit. Ergo literis mandat perennaturis; quod alioqui, licet per ora hominum volitaret, cito tamen intercideret. Neque vero *haud notum lippis* melius hic aptiusve convenit. Quomodo enim tam arcana et paucis notum esse potuit; quod publice in Praetorio actum est, et populo et milite audiente? Quare optimum est, ut receptam lectionem teneatur: illad dumtaxat quaesituri, quo consilio Noster *lippis* hoc et tonsoribus notum esse dixerit. De *Tonsoribus* quidem res clara est: cum in tonstrinis homines otiosi et rumigeruli desiderare et tempus terere solerent; ut recte ex Plutarcho alisque

Persius hic permagna negotia dives habebat
 5 Clazomenis, etiam litis cum Rege molestas;
 Durus homo, atque odio qui posset vincere Regem;
 Confidens, tumidusque; adeo sermonis amari,
 Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.
 Ad Regem redeo. Postquam nihil inter utrumque
 10 Convenit: hoc etenim sunt omnes iure molesti,
 Quo fortes, quibus adversum bellum incidit. inter

Lambinus post Erasmus observavit. At quamobrem quaeso *Lippis*? Unde illis datum, ut magis aliis quibusvis rumores consecretentur? Lippi, aiunt, loquaces et curiosi esse solent; quia prae oculorum vitio nihil aliud, quod agant, habent; unde et proverbium esse natum de re pervulgata, *Lippis omnibus et tonsoribus notum*. Haec quidem recentiores: at quanto melius Vetus Scholiastes locum enarrat! „*Adeo ait divulgatum esse, quibus modis insectatur sit Persius Rupiliam, ut et in Tonstrinis haec et in Medicinis narrata sint. Fere autem in his officinis otiosi solent considerare, ac res rumoribus frequentatas fabulis celebrare.*“ Recte quidem et erudite. *Medicinis* autem hic posuit pro officinis medicorum; ubi non minor, quam in *Tonstrinis*, hominum erat frequentia: unde illa Plauti in Amphit. IV, 1. [v. 5] „*Nam omnis plateas perreptavi, gymnasia et myropolia: Apud emporium, atque in macello, in palaestra atque in foro:* In medicinis, in tonstrinis, apud omnis aedis sacras: *Suum defessus quaeritando; nusquam invenio Naucratem.*“ Sine dubio haec Flacci sententia est: et retum quidem erat, ut sic potius verum constitueret, „*Omnibus et medicis notum et tonsoribus esse.*“ Ut enim *tonsores*, ita et *medici*, quorum plerique tum liberti erant et in vilibus tabernis degebant, omnia illa audire poterant, quae adventores ibi garriebant. Hallucinantur itaque, qui adagium hinc nobis extundunt, *Lippis et Tonsoribus*: quod certe, si ullum est, sic omnino esse debet, *Medicis et Tonsoribus*. Quorsum itaque hic *Lippis* ab Horatio positum? Urbane quidem id ab eo factum: ut, cum inimicum suum Rupiliam insectari hic et proscindere voluit, a se primo inciperet, et quod haberet vitii ridens agnosceret: idque Vatini illius noto exemplo; quem (verba sunt Senecae de Constantia cap. XVII. [§ 3]) „*scurram fuisse venustum et dicacem memoriae proditum est. In pedes suos (ob podagram) ipse plurima dicebat, et in fauces concisas: (ob strumam) sic inimicorum, quos plures habebat quam morbos, et in primis Ciceronis urbanitatem effugit.*“ Pari itaque consilio, non medicos hic Noster cum tonsoribus iunxit, sed *Lippos*, qui inter alios curationis causa ad Medicinas confluebant; atque, ibi, ut fit, dum mora trahitur, et audiebant fabulas et narrabant.

4. *Negotia dives habebat Clazomenis*] Servius ad Aen. IV, 345. pro *habebat* citat hic *agebat*. Quamquam autem et *Negotium agere* et *Litem agere* recte dicitur: nihil tamen hic mutandum, adversus omnium Codicum fidem. Cicero Epist. Fam. I, 3. „*Auto Trebonio, qui in tua provincia magna negotia et ampla et expedita habet.*“ XIII, 30. „*Sed quum habet praeterea negotia vetera in Sicilia sua.*“ XIII, 57. [§ 2] „*Ut suum negotium, quod habet cum populo Sardinio conficiat.*“ Et alibi saepe.

7. *Confidens tumidusque*] Ita Editiones antiquae, et manu scriptorum pars longe maxima. Quid itaque attinet *que* eicere? quamnam lucrabimur elegantiam?

11. *Inter Hectora Priamiden*] Vitiosum sane loquendi genus et *idiotizor*; quodque magni emerim numquam ab Horatio prolatum: „*inter Hectora Priamiden, animosum atque inter Achillem Ira fuit capitalis.*“

Hectora Priamiden, animosum atque inter Achillem
 Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors:
 Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
 15 Summa fuit. duo si discordia verset inertis;
 Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
 Cum Lyeio Glaucō: discedat pigrior, ultro
 Muneribus missis. Bruto praetore tenente

v. 15. Vulg. *Vexet*.

ut alibi Epist. I, 2, 12. „Nestor componere lites Inter Peliden festinat, et inter Atriden.“ Quivis alius scriptor *et* Inter semel tantum posuerit; ut Terent. Andr. III, 3, [v. 20] „Irae sunt inter Glycerium et gnatum.“ ut et Graeci, Μεταξὺ Ζήλου καὶ Ζήλου ἄγρον. Μεταξὺ Κορίθου καὶ Σικωδῶνος. Et sic alii ubique omnes. Neque vero magis ab usu, quam a ratione recessit Noster. Quomodo enim sodes *inter Peliden*? cum praepositio illa duos hinc et hinc terminos vi sua et notione designet. Non ergo *inter Hectorem* fuit ira, atque iterum *inter Achillem*: sed semel et simul *inter utrumque*. Hebraismus quidem est; quem Septuaginta expresserunt [Genes. 1, 4], Ἀπὸ μέσση τοῦ φωτός καὶ ἀπὸ μέσση τοῦ σκότους: at Latinus interpres noluit dicere, *Inter lucem et inter tenebras*, utpote sermone Latino alienum. Cum haec*) scripsissem; sero animadverti, virum longe doctissimum, Gatakerum nostratrem Adversar. II, 2, de Hebraismo hoc praeter adnotasse; quem neque Latinis prorsus insolentem fuisse ex priore hoc Flacci loco conatus est ostendere: cui et addidit Livii illud, XXII, 35, [§ 5] „Romae iuri dicendo urbana sors Pomponio: inter cives Romanos et inter peregrinos P. Furio Philo evenit.“ Ita quidem olim ferebatur: at iam dudum est, cum meliorum codicum iussu posterior illud *inter* de Livio exulavit. Aliud vero suggerit Marcellus, ex Cicero. Paradox. I, [§ 14] „Sic te ipse abicies atque prosternes, ut nihil inter te atque inter quadrupedem aliquam putes interesse?“ Equidem nescio, ex qua cloaca foetorem hunc excitaverit; cum et editiones quas viderim omnes, et codices Graevio visi rite habeant, *Inter te atque quadrupedem*. Quid igitur? inquis: duras et indignas Horatii vices praedicat; si ex omnibus aliis eluetur, in illo solo macula residet? Ego vero, si Horatio contra Librarios faves, facile suppeditare possum, quod et huic tam inhonestam labem abstergat: in priore loco, si sic legas, „Hoc etenim sunt omnes iure molesti, Quo fortes, quibus adversum bellum incidit. Olim Hectora Priamiden animosum atque inter Achillem Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors“: In posteriore vero, si sic retingas, „Nestor componere lites Primus Peliden festinat et inter Atriden.“ At haec nimium quantum, inquis, a vulgata lectione recedunt. Fateor equidem; verum haud una est mendorum origo: alia literarum similitudini, alia interpretamentis debentur. Et, si tu dicis causa mihi concedes olim et primus ab Horatio prodidisse; qui venire poterit, ut *Inter* et *Inter* interpolatum sit hodie, iam ego tibi ostendam. Cum enim ista legerent olim, *Hectora atque inter Achillem, Peliden et inter Atriden*; novitate constructionis attoniti, prioribus illis accusativis *Inter* inter lineas apponebant: quo factum, ut ab aliis demum exscriptoribus in versum reciperetur *Inter*, quia forte fortuna cum metri rationibus apte quadraret. Ita alibi bis terque peccatum est; vide nos ad Carm. III, 25, v. 2. Epod. XI, 4. Epist. II, 1, v. 31.

15. *Duo si discordia vexet inertes*] Lambinus in suis nonnullis verset invenit: quod rectius puto. Sic alibi Serm. II, 3, 249. „Si quem delectat barbatum; amentia verset.“ tibi similiter codices nonnulli *vexet*. Passim haec verba inter se commutantur a Librariis.

*) [autem hic insertum habet ed. a. 1713]

Ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat, uti non
 20 Compositi melius cum Bitho Bacchius. in ius
 Aeres procurant; magnum spectaculum uterque.
 Persius exponit causam: ridetur ab omni
 Conventu: laudat Brutum, laudatque cohortem:
 Solem Asiae Brutum adpellat, stellasque salubris
 25 Adpellat comites, excepto Rege: Canem illum,
 Invisum agricolis sidus, venisse: ruebat
 Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.
 Tum Praenestinus salso multoque fluenti
 Expressa arbusto regerit convicia; durus
 30 Vindemiator, et invictus, cui saepe viator
 Cessisset magna compellans voce cuculum.
 At Graecus, postquam est Italo perfusus aceto,

v. 20. Vulg. *Compositus*. 28. *Multumque*.

20. *Compositus melius cum Bitho Bacchius*] Hic, ut fore semper in nominibus propriis, variant codices: *Bitho, Bito, Bico, et Bacchius, Bacchius*, etc. Sed bene habent receptae lectiones: Gruterus 782, 12. BITHUS CRESCENS. Marm. Felsinea p. 21. CN. POMPEIUS BITHUS, Gruterus iterum [903, 12]: L. BACCHIUS. et 961, 1. A. APPULEIUS A. L. BITUS. Ceterum quod editiones omnes praeferant, „Rupili et Persi par pugnat, uti non Compositus melius cum Bitho Bacchius“: dimidia fere pars codicum sic exhibent, „Compositum melius cum Bitho Bacchius.“ Et utrumque quidem sat bene habet, quantum ad constructionem attinet: illud defenditur ex Seneca Praefat. ad IV. Nat. Quaest. [§ 8] „Quamvis staturam habeas Threccis cum Threcco compositi“: hoc sic constituitur, *Par ita compositum*, uti non melius Bacchius cum Bitho. Cicero Acad. Quaest. II, 46. [§ 149] „Unum igitur par, quod depugnet, reliquum est, *Foluptas cum Honestate*.“ Auctor ad Liviam v. 301. „Par bene compositum, *invenum fortissimum alter, Altera tam forti mutua cura viro*.“ Sed omnium, ni fallor, optime codex Magdalenensis: „Compositi melius cum Bitho Bacchius.“ Ea vetus et vera lectio est; quam cum non caperent Librarii, partim *compositum*, partim *compositus* nobis dederunt. At elegantissima est illa Syllepsis, *Bithus cum Bacchio compositi*: ut Ovid. Fast. IV, 54. „*Alia cum Lauso de Nimitore sati*.“ et V, 339. „*Consul cum consule ludos Postunio Laenas persolvere mihi*.“ et Metam. II, 257. „*Fors eadem Ismaris Hohrum cum Strymone siccat*.“ et ita alii saepe. Certe hoc pacto evitabis sibilum illum auribus ingratum, *Compositus melius*.

28. *Salso multumque fluenti*] Ita editiones, et maior pars codicum. Torrentiani tamen aliquot melioris, ut ait, notae, *multoque*: quibus accedunt Bersmanni duo, et ex nostris Petrensis, Galei, et Franckeranus, et Scholiastes quoque Porphyrio. Agnosco veram Horatii manum: „*Tum Praenestinus salso multoque fluenti Expressa arbusto regerit convicia, durus Vindemiator*.“ etc. ubi ordo est: *Tum Praenestinus Rupilius, durus vindemiator, expressa arbusto convicia regerit Persio salso multoque fluenti*; qui scilicet, hiberno flumini modo comparatus, salus multusque contra Rupilium ruebat. *Multo fluenti, πολλῶν ῥέοντι*, ut ait Demosthenes, cuius profecto locum in animo habuit Noster, ex Oratione de Corona [§ 136]: *Τότε μὲν ἐγὼ τῷ Πύθωνι θρασυνομίην καὶ ΠΟΛΛῶ ΠΕΟΝΤΙ καὶ ἑμὸν οὐχ ἐπιχώρησα: Tunc quidem ego Pythoni rhetori, ferocienti et multo fluenti adversus vos, minime cessi*. Ita Graeci alibi, *Αυθρός ῥέων, Αὐθρός ἐπειγῶρον*: et adiectivum hic omnino elegantius est adverbio. Virgil.

Persius exclamat: Per magnos, Brute, Deos te
 Oro, qui reges consuesti tollere, cur non
 35 Hunc Regem iugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum est.

E C L O G A VIII.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
 Cum faber, incertus scammum faceretne Priapum,
 Maluit esse Deum. Deus inde ego, furum aviumque
 Maxima formido: nam fures dextra coëreet,
 5 Obscaenoque ruber porrectus ab inguine palus:
 Ast inportunas volucres in vertice arundo
 Terret fixa, vetatque novis considerare in hortis.
 Huc prius angustis eiecta cadavera cellis
 Conservus vili portanda locabat in area.
 10 Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum,
 Pantolabo scurrae, Nomentanoque nepoti.
 Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
 Hic dabat: heredes monumentum ne sequeretur.
 Nunc licet Esquilii habitare salubribus, atque
 15 Aggere in aprico spatium; qua modo tristes
 Albis informem spectabant ossibus agrum.

v. 34. Vulg. *Consueris*. 15. *Quo*.

Georg. III, 28. „Atque hic undantem bello, magnamque fluentem Nilum,
 ac navali surgentis aere columnas.“ i. e. μέγαν ῥέοντα, non genere neu-
 tro magnum pro magnè; ut male vulgo accipiunt. Porro et illud notan-
 dum, *salso* cum *fluenti* connectendum esse, itidem ut *multo*: ἄλυσσῃ ῥέοντι
 καὶ πολλῷ; multo enim venustius hoc, quam si *salso* separatim offeras.
 Quid iam clarius et apertius toto hoc loco? Quam inepta iam tibi videbitur
 Dan. Heinsii coniectura? quae tamen ipsi ne dubitanda quidem visa est,
 et magnos sibi fautores reperit; „*salso* mustoque *fluenti* *Espresso* *arbusto*.“
 Scilicet in eodem errore versatus est Heinsius, quo ceteri ante eum inter-
 pretes et veteres et novi: quibus id unum densissimum hic caliginem offudit,
 quod *salso* et *fluenti* non ad *Persium*, verum ad *arbustum* referrent. Atqui
 ea constructio nullo modo procedere potest: et laudandus utique est Dacie-
 rius, qui (ut nunc video, postquam haec commentatus sum) primus ista ad
 Persium spectare animadvertit, eo duntaxat infelix, quod partem aliquam
 veri attigit, integrum non potuit adsequi.

34. *Qui reges consueris tollere*] Editio Veneta cum Aconis et Por-
 phyriionis Scholiis MCCCCXC, tam in versu ipso, quam in utriusque Enar-
 ratione *consuesti* habet; atque ita sine ulla litura codex noster Galeanus.
 Zulichemianus vero, *Consueras*. Illud placet: modus enim Indicativus aptius
 hic convenit; et *Consuesti* potius dicere solebant, quam *consuevisti*. Cicero
 Epist. Fam. XV, 3. [extr.] „*Tu velim, ut consuesti, nos absentes diligas*
et defendas.“ Ad Attic. XII, 37. [§ 2] „*Etsi tu meam stultitiam con-*
suesti ferre.“

15. *Quo modo tristes*] Lege, invitis licet codicibus; „*Aggere in*
aprico spatium; qua modo tristes Albis informem spectabant ossibus
agrum.“ Quo enim neque ut adverbium, nec ut pronomen huc quadrat:
 tum autem ambigue et negligenter cum *modo* coniungitur: *Quo modo* enim

Cum mihi non tantum furesque feracque suetae
 Hunc vexare locum curae sunt atque labori,
 Quantum carminibus quae versant atque venenis
 20 Humanos animos. has nullo perdere possum
 Nec prohibere modo; simul ac vaga luna decorum
 Protulit os, quin ossa legant herbasque nocentis.
 Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
 Canidiam, pedibus nudis, passoque capillo,
 25 Cum Sagana maiore ululantem. pallor utrasque*)
 Fecerat horrendas aspectu. scalpere terram
 Unguibus, et pullam divellere mordicus agnam
 Coeperunt: cruor in fossam confusus*), ut inde
 Manes elicerent, animas responsa daturas.
 30 Lanca et effigies erat, altera cerea: maior
 Lanca, quae poenis conpesceret inferiorem.
 Cerea suppliciter stabat, servilibus ut quae
 Iam peritura modis. Hecaten vocat altera, saevam
 Altera Tisiphonen. serpentis atque videres
 35 Infernas errare canes; lunamque rubentem,
 Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
 Mentior at si quid, merdis caput inquirer albis
 Corvorum; atque in me veniat mictum atque cacatum

[v. 25. Vulg. *Utrasque*. 28. *Confusus*.“ ed. a. 1711]; v. 32. Vulg. *Utque*.
 38. *Veniant*.

aliud prorsus plerumque significat. More autem sollemni corruerunt locum
 Librarii, ut pro eruditione sua syntaxi consulerent, *Aggere in aprico, quo*.

32. *Servilibus utque iam peritura modis*] Lege ex duobus Torrentii,
 Pulmanni tribus, Gifanii uno, quem laudat in Indice Lucretiano v. *Com-*
mune sepulcrum; et nostris denique Galeano et Magdalensensi: „*Cerea*
suppliciter stabat, servilibus ut quae iam peritura modis.“ *suppliciter*
stabat, ut quae peritura: hoc est, utpote quae peritura esset. Sed insurgit
 hic doctissimus Lambinus: „*Errant*,“ inquit, „*vehementer, atque adeo*
plane caecutiunt, qui legi volunt, ut quae. *Nam si ita esset, deesset*
verbum erat seu esset.“ Atque haec quidem tam acerba in re levi Gifanii,
 ut videtur, caussa protulit, quem cane et angue peius oderat propter editum
 ab illo Lucretium: ut eadem opera ceteros, opinor, a lectione illa deterruit.
 Ne saevi vero tantopere, o bone. Quasi enim quicquam facilius aut fami-
 liaris, quam ut *esset* subintelligatur? Noster Serm. I, 1, 23. „*Practerea*
ne sic, ut qui *iocularia* ridens, *Percurram*“ et I, 3, 9. „*Nil aequale*
hominis fuit illi: saepe, velut qui, Currebat, fugiens hostem.“ ubi nunc,
 sodes, error ille et caecitas, quae exprobrasti? Enimvero ut quae longe
 hic elegantius est, quam *utque*: Terent. Andr. I, 1. [v. 121] „*Ita tum*
discedo ab illo, ut qui se filiam Negot daturam.“ Vido nos ad Serm.
 I, 4. v. 110.

38. *Veniant mictum atque cacatum*] Iam his terque, opinor, Horatii
 morem indicavimus: scilicet is, etsi post plures Nominativos, singulari
 tamen numero Verbum amat efferre. Recte itaque hic olim dederunt Edi-
 tiones Venetae et Loscheri, „*atque in me veniat mictum atque cacatum*
Iulius, et fragilis Pediatia, surque Voranus.“ Et diserte hoc exhibent,

*) [v. 25 *Utrasque* pro *Utranque*, et v. 28 *Confusus* pro *Cum fusus* reponenda iussit
 Bentl. praef. ed. a. 1711]

- Inlius, et fragilis Pediatia, furque Voranus.
 40 Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
 Umbrae cum Sagana resonarint triste et acutum?
 Utque lupi barbam variae cum dente colubrae
 Abdiderint furtim terris, et imagine cerea
 Largior arserit ignis? et ut non testis inultus
 45 Horruerim voces Furiarum et facta duarum?
 Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi
 Diffissa nate ficus. at illae currere in Urbem:
 Canidiae dentes, altum Saganae calicendum
 Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
 50 Vincula, cum magno risuque iocoque videres.

E C L O G A IX.

Ibam ut forte via Sacra, sicut meus est mos,
 Nescio quid meditans nugarum, totus in illis:
 Adeurrit quidam notus mihi nomine tantum;
 Arreptaque manu, Quid agis, dulcissime rerum?

v. 41. Vulg. *Resonarent*. 1. *Ibam forte*.

praeter sex Pulmannianos, nostri etiam codices, Leidensis, Reginensis cum aliis quattuor. Cruquius Torrentiusque tacent. Videat itaque Lambinus, qui *veniant* hic reposuit, idque ait habere omnes fere libros veteres. Utinam meliore fide in his rebus ageretur: iam non hic ceteros post se omnes in errorem induxisset. Priscianus quidem pag. 875, ubi locum hunc adducit, *veniant* habet hodie: at correctorum id facinus est, qui loca ex auctoribus illic citata ad vulgatas eorum editiones refingunt. Tria enim Prisciani scripta vidi exemplaria; quorum duo *veniat* ibi praefertur, tertium *veniet*. Revocetur itaque vetus lectio numero Singulari; et vide nos ad Carm. I, 24, 8. et alibi.

41. *Resonarent triste et acutum*] Videamus totum locum: „*Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes Umbrae cum Sagana resonarent triste et acutum? Utque lupi barbam variae cum dente colubrae Abdiderint furtim terris, et imagine cerea Largior arserit ignis? et ut non testis inultus Horruerim voces Furiarum et facta duarum?*“ Quis iam illud non videat, reclamantibus quantumvis codicibus, *resonarint* hic reponendum esse; ut cum sequentibus congruat, *Abdiderint, Arserit, Horruerim?* Hoc ab Horatio fuisse mea fide et periculo ausim contendere: illud a correctoribus, qui ex analogia opinati sunt non *resonarint*, sed *resonuerint* dici oportere. Atqui et alibi Noster *sono sonavi protulit*, Serm. I, 4. v. 44. „*Magna sonaturum: des nominis huius honorem*“; et similiter *tono tonavi*: Epod. II, 51. „*Si quos Eois intonata fluctibus*“ Manilius lib. V. [v. 565] „*Aura per extremas resonavit flebile rapax*“ Prudentius in fine Cathemerinon [Peri Stephan. praef. v. 34, sive Epilog. v. 34]: „*Iuvabil ore personasse Christum*“ Sane illud *resonarent* ne Latinum quidem hic est: quippe tempus perfectum necessario requiritur, *Quid memorem, ut abdiderint, ut arserit, ut horruerim, quo pacto resonarint*. Virgil. Eclog. VI. [v. 65] „*Tam canit, errantem Pormessi ad flumina Gallum Aonas in montes ut duxerit una sororum*; Utque *viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis*“ Ita alii semper in locis similibus.

1. *Ibam forte via sacra*] Etiam hic venia mihi impetranda est a lectore nimis religioso; quod sine ullius codicis auctoritate particulam *ut*

- 5 *Suaviter, ut nunc est, inquam; et cupio omnia quae vis.*
 Cum adsectaretur; Numquid vis? occupo. at ille,
 Noris nos, inquit: docti sumus. Hic ego, Pluris
 Hoc, inquam, mihi eris. Misere discedere quaerens,
 Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
 10 Dicere nescio quid puero. cum sudor ad imos
 Manaret talos; O te, Bolane, cerebri
 Felicem, aiebam tacitus. cum quidlibet ille
 Garriret; vicos, urbem laudaret; ut illi
 Nil respondebam: Misere cupis, inquit, abire,
 15 Iamdudum video: sed nil agis; usque tenebo:
 Prosequar hinc, quo nunc iter est tibi. Nil opus est te
 Circumagi: quendam volo visere non tibi notum:
 Trans Tiberim longe cubat is, prope Caesaris hortos.
 Nil habeo quod agam, et non sum piger; usque sequar te.
 20 Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus,
 Cum gravius dorso subiit onus. incipit ille:
 Si bene me novi, non Viscum plaris amicum,
 Non Varium facies: nam quis me scribere plaris
 Aut citius possit versus? quis membra movere
 25 Mollius? invideat quod et Hermogenes, ego canto.
 Interpellandi locus hic erat: Est tibi mater,
 Cognati, quis te salvo est opus? Haud mihi quisquam:

v. 11. Vulg. *Bollane*. 16. *Persequar*.

versum ingesserim. Displicebant enim ista concisa, et dissoluta, et hiantia. *Ibam via sacra. Accurrit mihi quidam*. Quae et vinculo melius continentur, et nitorem quoque lucrantur, si sic reflexioris: „*Ibam ut forte via sacra, sicut meus est mos, Nescio quid meditans nugarum, totus in illis: Accurrit quidam notus mihi*“ hoc est, *Ut ibam, accurrit mihi quidam*. Sic Terentius Phorm. IV, 3. [v. 12] „*Ut abii abs te, fit forte obviam mihi Phormio*“ Et Eunuch. II, 3. [v. 37] „*Is, dum hanc sequor, fit mihi obviam*“ Ita supra Serm. V. v. 15. ex codicibus restitimus, „*absentem ut cantat amicum*“ ubi vide quae adnotavimus.

11. *O te, Bollane, cerebri Felicem*] Nescio cur editiones *Bollane* iam nobis obtrudant; cum vetustae et codices fere omnes *Bolane* cum unica *l* habeant. Ita Ciceroni Ep. Fam. XIII, 77. *M. Bolanus*, Statio Silv. V, 2. ter quaterque *Bolanus*; Tacito saepius *Feltius Bolanus*; Grutero 128, 5. M. VETTHIO BOLANO COS. et 163, 7. M. VETTHI BOLANI COS.

16. *Persequar. Hinc quo nunc iter est tibi?*] Hoc quidem in omnibus editis visitur: at quanto melius est, quod in pluribus codicibus comparet? „*Prosequar hinc, quo nunc iter est tibi*“: Ita duo Blandinii apud Cruquium, tres Bersmanni, ex nostris Leidensis, Reginensis, Galeanus, Petrensis, Battelianus, cum aliis duobus. Sententia est, *Prosequar et comitabor te hinc, ad locum quo nunc tibi est iter; prosequar te honoris causa*. Passim eo sensu occurrit vox *Prosequor* apud Ciceronem, Livium, Tacitum, aliosque. Martialis XI, 25. [v. 1] „*Dum te prosequor, et domum reduco*“ Propertius III, 7. [9 v. 53] „*Prosequar et currus utroque ab littore evantes*“ Ovid. Amor. I, 4. [v. 62] „*Qua licet, ad saevas prosequar usque fores*“ ubi pariter codices deteriores *Persequar*. Ceterum *comitandi* hic sensum postulant ea, quae sequuntur, „*nil opus est te Circumagi: quendam volo visere non tibi notum*“: hoc est, *Non opus est,*

Omnis composui. Felices! nunc ego resto.

Confice: namque instat fatum mihi triste, Sabella

30 Quod puero cecinit mota divina anus urna:

Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,

Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra:

Garrulus hunc quando consumet cumque: loquacis,

v. 30. Vulg. *Divina mota*.

ut una mecum eas; viso quendam tibi ignotum, et perlonga est via. Persequar autem aliud quid notat, a sententia poetae alienum.

30. *Divina mota anus urna*] Ambigua sane oratio, ut adnotavit Scholiastes Aeron: „namque instat fatum mihi triste, Sabella Quod puero cecinit divina mota anus urna“: Nescias enim, utrum casu recto *mota anus*, an casu ablativo *mota urna divina*, dicatur. Mihi quidem neutrum placet. Etsi enim *urna divina* facile in poeta placere possit; ut in Silio Italico *flammae divinae*, lib. III. [v. 344] „*Fibrarum, et pennae, divinarumque sagacem Flammarum misil dives Gallaeia pubem*“: tamen si tertium illud addis, *divinam urnam motam*; adeo seabrum atque horridum exit, ut ne proletario quidem vate, nedum Horatio, dignum sit. Vel illud alterum tolerabilius est, *mota anus*, hoc est, *commota, agitata, furore percita*: qualis Manto apud Nasonem Metam. VI, 158. „*Per medias fuerat, divino concita motu, Faticinata vias*.“ Et illa apud Tibullum I, 7. [v. 44] „*Sic fieri iubet ipse deus: sic magna sacerdos Est mihi divino vaticinata sono. Haec ubi Bellonae motu est agitata; nec acrem Flammas, non amens verbera torta timet*.“ Sed vel hoc pacto haeret sordetque tota oratio: quid enim illis facias, *mota anus urnam divinam*? an illa ab urna in furorem acta est? Vel illud vis potius, *mota anus cecinit urnam divinam*, sive *ex urna*? an illa in urnam repserat? adde, quod sine praepositione ipsa dictio est utrobique vitiosa. Quare nihil, opinor, melius est veriusque, quam ut duo vocabula locum inter se permutent, hunc in modum: „namque instat fatum mihi triste, Sabella Quod puero cecinit mota divina anus urna“: hoc est, *fatum, quod Sabella anus, divina sive sortilega, mihi puero cecinit, postquam urnam moverat*. Urna enim mota, sortes eiciebantur; unde Seneca Troad. v. 974. [977] „*Versata dominos urna captivis dedit*.“ Virgil. Aen. VI, 432. „*Quaesitor Minos urnam movet*.“ Claud. II. Rapt. Proserp. 332. „*Urna nec incertas versat Minoia sortes*.“ Noster Carm. III, 1, 16. „*Omne capax movet urna nomen*.“ Sane hac parvula mutatione omnia expedita sunt, et, siquid ego iudico, multo meliora. Neque vero duplex epitheton timeas *Sabella anus divina*: facile enim hoc admittitur, cum alterutrum nomen est proprium: ut Noster Carm. I, 4, v. 17. „*Et domus exillis Plutonia*.“ et Virgil. Aen. X, 408. „*Horrida per latus acies Vulcania campos*.“ Ceterum et divinare licet, cur hanc lectionem, sic, ut iam dedimus, ab Horatio profectam, immutaverit Librarius: quantum haud dedita fortassis opera, sed forte fortuna, et aliud agens, mutare aliquis potuit. Is igitur, quicumque erat, *divina* hic non pro *hariola et coniectrice*, sed notiore sensu pro *caelesti* accepisse videntur: ut proinde non delirae ancillae, sed *urnae* potius convenire crediderit. Atque haec quidem mihi olim in mentem venerant; postea apud bonum Cruquium eandem coniecturam reperi. Is ergo, quando haec ei rara avis est et fere unica, gloriam hanc me volente obtineat. Mihi satis erit, si, cum nemo haec hunc momenti ei obtemperaverit, posthac me adiutore magis morigeros *) habuerit.

33. *Garrulus hunc quando consumet cumque*] Eequid erit pretii, si spinas hinc eximam, quae interpretes nostros diu male habuit? „*Hunc*

*) [Editores h. l. addit ed. a. 1713]

Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas.
35 Ventum erat ad Vestae, quarta iam parte diei
Praeterita: et casu tunc respondere vadatus

v. 36. Vulg. *Vadato*.

neque dira venena, nec hosticus auferet ensis, Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra: Garrulus hunc quando consumet cumque.“ Quorum verborum haec sententia sit necesse est: *Neque venenum, nec gladius, nec morbus hunc occidet; sed garrulus aliquando hunc enecabit*. De sententia, inquam, constat: de verbis non itidem liquet. Negant enim Lambinus Torrentiusque (at qui viri?) *quandocumque* ipsam alibi inveniri in significatione *toti aliquando*; neque sane quisquam hactenus exemplum aliud protulit. Ergo hanc viam insistunt, ut *quando* hic (ut saepe alias) valeat *quoniam, quandoquidem, siquidem*: et illud *cumque* absolute accipiatur pro *quovis tempore*; ut Carm. I, 32, v. 15. „*mihicumque salve Rite vocanti*.“ unde haec oritur constructio, *Non venenum, neque morbus hunc interimet: quoniam garrulus hunc quovis tempore consumet*. At quorsum, obsecro, illud *quovis tempore*? cum semel duntaxat emori quis possit. Si *quovis tempore* hic admittunt; tum necesse est, ut *consumet* perinde sit ac *consumere poterit*. Atqui eo pacto ipsam sententiam labefactant: falsum enim erit illud effatum, *Non venenum hunc tollet; quoniam garrulus quovis eum tempore poterit consumere*. Neque enim ideo a veneno tutus est, quod alteri etiam mortis obnoxius et expositus est. Quare haeret etiamnum aqua: sed bono animo estote; dabimus auctorem optimum, quo sponte *quandocumque* idem erit atque *aliquando*. Ovid. Metam. VI, 544. „*Si tamen haec superi cernunt; si numina Divum Sunt aliquid; si non perierunt omnia mecum; Quandocumque mihi poenas dabis*.“ hoc est, ut res ipsa indicat, *olim, tandem aliquando, aliquo tempore*. Idem Trist. III, 1, vers. 57. „*Quandocumque, precor, nostro placata parenti, Isdem sub dominis aspiciare domus*.“ Ergo ad haec exempla, quae tamen rarissima esse fateor, sic locum hunc interpretor: *Quandocumque hunc garrulus consumet*; hunc *olim* consumet garrulus; *erit tempus, cum hunc consumet garrulus*.

36. *Et casu tunc respondere vadato Debebat*] *Vadato*, quod omnes libri agnoscunt scripti editique, active hic sumendum erit, *homini qui ipsum vadatus erat sive vadimonio obstrinxerat*. Quippe *vador* verbum commune est, notante Diomede p. 445 [princ.], et nunc active, nunc passive accipitur. Livius III, 13, § 8] „*Tot vadibus accusator vadatus est reum*“: et sic alii saepe. Atque sic satis commode, ut arbitrantur, rem enarrant interpretes. Ego vero nullus debito, quin sic dederit Horatius: „*et casu tunc respondere vadatus Debebat, quod ni fecisset, perdere litem*.“ hoc est, *ipse vadimonio obstrictus debebat respondere. Respondeo enim in hac formula absolute poni solet*. Digest. IV, 1, 7. „*Itaque si citatus non respondit, et ob hac more pronuntialum est*.“ Cicero in Verrem [Act. II] I, 1, § 1] „*C. Ferron altera actione responsurum non esse, neque ad iudicium affuturum*. Et mox § 2]: „*Praesto est, respondet, defenditur*.“ et [Act. II] II, 40, § 98] „*Citat reum, non respondit, citat accusatorem — citatus accusator, nescio quo casu, non respondit, non affuit*.“ Livius XXXIX, 17, § 2] „*Diem certum fruicturos, ad quam nisi citatus respondisset, absens damnaretur*.“ Asconius in fine Comment. ad Milon. „*Multi praeterea, et praesentes, et cum citati non respondissent, damnati sunt*.“ Phaedrus IV, 17, [v. 8] „*Profecti sunt legati non celeri pede: Citati non respondent*.“ Ubi illud toties iteratum animalverte, *citatus respondit*: similis enim et hic constructio est, *vadatus respondere debuit. Vadatus* scilicet, quod iam ostendendum est, passivam quoque significationem obtinuit. Plautus in Bacchid. II, 2, [v. 3] „*Ita me vadatum amore vinculum*“

Debebat; quod ni fecisset, perdere litem.
 Si me amas, inquit, paullum hic ades. Inteream, si
 Aut valeo stare, aut novi civilia iura:
 40 Et propero, quo seis. Dubius sum, quid faciam, inquit;
 Tene relinquam, an rem. Me sodes. Non faciam, ille:
 Et praecedere coepit. ego, ut contendere durum
 Cum victore, sequor. Maecenas quomodo tecum,
 Hinc repetit, paucorum hominum, et mentis bene sanae?
 45 Nemo dexterius fortuna est usus: haberes
 Magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,
 Hunc hominem velles si tradere: dispeream, ni
 Submosses omnis. Non isto vivitur illic,
 Quo tu rere modo: domus hac nec purior ulla est,
 50 Nec magis his aliena malis: nil mi officit, inquam.
 Diltior hic, aut est quia doctior: est locus uni-
 Cuique suus. Magnum narras, vix credibile. Atqui

v. 42. Vulg. Durum est. 48. Vivimus. 50. Unquam*).

que attines.“ Lucilius Sat. XI. apud Nonium in *Tricuae* [p. 8. 24 Merc.]; „Nec mihi amatore hoc opus, nec tricone vadato.“ Fulgentius Planeides [p. 567. 13 Merc.]: „Vadatus, obstrictus, vel sub fideiussione ambulans, sicut Fenestella ait: Apud quem vadatus amicitiae nodulo tenebatur.“ Latinus Paecatus in Panegyri. [c. 17 § 1] „Pythiam etiam dicat et Damona: quorum alter in amici morte se vadem obtulit, alter ad diem vadatae mortis occurrit.“ Apuleius Metam. II, [XI p. 259. 40 Elm.] „Memento mihi reliqua vitae tuae curricula adusque terminos ultimi spiritus vadata.“ Symmachus Epist. I, 31. „Sic vadatum me honorabili more tenuisti.“ II, 45. „Frater meus, vadatus optimo testimonii tui munere.“ IV, 35. „Vadatum me tibi hoc munere velim credas.“ V, 45. [47] „Neque hac tantum gratia vadatum me esse sentio.“ VIII, 65. [66] „Cuius rei nomine vadari me tibi in maiori gratiae modum fateor.“ IX, 12. [74] „Ego tamen fateor ita me [tibi] vadatum gratia, ut si sperata perfeceris.“ Atque haec eo fusius deduximus; quia persuasissimum habemus ideo hoc a Librariis esse corruptum, cum quod *respondere* dativum post se exigere, tum quod *vadatus* non nisi active sumi posse, pro doctrina sua arbitrati sint.

42. *Ut contendere durum est Cum victore*] Meliores codices, tam alieni, quam nostri, in quibus Leidensis et Reginensis non agnoscunt *est*: quod elegantius omittitur. Terent. Phorm. II, 1. [v. 8] „Etiame id lex coegit? Illud durum. Ego expediam: sine.“

48. *Non isto vivimus illic Quo tu rere modo*] Eodem sensu, sed paulo venustius, Zuluichemianus, Galeanus, et codex Collegii Trinitatis, „non isto vivitur illic“: Ita Noster Carm. II, 16, 13. „Vivitur parvo bene, cui paternum Splendet in mensa tenui salinum.“ Terent. Heaut. I, 1. [v. 102] „hoc fit, ubi non vere vivitur.“ Persius Sat. IV, [v. 43] „Vivitur hoc pacto: sic novimus.“ Vulgata lectio est huius interpretamentum. Claudianus IV. Cons. Honorii v. 266. „tum durius irae Consulitur, cum poena patet.“ Sic ex melioribus libris edidit Nic. Heinsius; cum antea vulgo ibi ferretur, *Consulimus*.

50. *Nil mi officit unquam*] Haeret etiamnum hoc ex editionibus priscais; cum tamen omnes fateantur in melioribus codicibus sic haberi, „nil mi officit, inquam. Diltior hic, aut est quia doctior.“ Ita certe ex

) [v. 50. Unquam ed. a. 1711]

Sic habet. Accendis, quare cupiam magis illi
 Proximus esse. Velis tantummodo, quae tua virtus,
 55 Expugnabis: et est qui vinci possit; eoque
 Difficilis aditus primos habet. Haud mihi deero:
 Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
 Exclusus fuero, desistam; tempora quaeram;
 Occurram in triviis; deducam. nil sine magno
 60 Vita labore dedit mortalibus. Haec dum agit, ecce
 Fuscus Aristius occurrit, mihi carus, et illum
 Qui pulchre nosset. consistimus. Unde venis? et
 Quo tendis? rogat, et respondet. vellere coepi,
 Et prensare manu lentissima brachia, nutans,
 65 Distorquens oculos, ut me eriperet. male salsus
 Ridens dissimulare: meum iecur urere bilis.
 Certe nescio quid secreto velle loqui te
 Aiebas mecum. Memini bene; sed meliore

nostris Leidensis, Reginensis cum aliis septem. Revocetur itaque vetts lectio, quae et verior est et elegantior.

55. *Et est qui vinci possit*] Primus hanc lectionem, quae in libris omnibus comparet, sollicitavit Ianus Dousa, vir et nobilitate et eruditione insignis: „Expugnabis: et est qui vinci possit, eoque Difficiles aditus primos habet.“ Apage, inquit, *possit istud: Quis enim dixerit, eo facilis expugnabilem videri Maecenatem, quod asper et exoratu difficilis sit in principio? Quare omnino opus est, ut possit emendemus: hoc est, postulat se pertinaci ac indefessa sollicitatione vinci; eoque primos aditus se praesentibus solet occultare*. Haec fere Dousa; non cogitans se sententiam poetae prorsus invertere. Non enim id voluit Noster, *Maecenatem ideo vinci posse, quia difficiles primos aditus habet*; hoc enim ineptum et absurdum esset; sed contra, *ideo difficiles habere primos aditus, quia scilicet se vinci posse*. Rectissime. Conscius scilicet suae facilitatis Maecenas, se vel invitum expugnari posse ab improbis flagitatoribus, aditum adversus tales intercludit; ianitori, nomenclatori, cubiculario, duris et morosis servulis, mandando, ne quem nisi ex intima amicitia ad se intromittant. Haec sine dubio mens Flacci est; quam firmant et declarant ea quae statim sequuntur: „haud mihi deero: Muneribus servos corrumpam: non, hodie si Excludus fuero, desistam; tempora quaeram.“ Recta igitur et sana est recepta lectio; at illa Dousae quot secum fert incommoda? *Maecenas*, ait, *possit vinci*. Quo ore de Maecenate Noster hoc dixerit? *Poscere enim se vinci*, et per lenta obsequia tardasque moras expugnari denique, hominis est vani et stolidi superbi. Adde huc, quod, vel ex Dousae coniectura, non utique *Possit* dicendum fuerit; sed quod longius a libris recedit, *Poscat*. *Est qui vinci poscat*; ut Cic. ad Att. VII, 5. [§ 5] „Nam ego is sum, qui illi concedi putem utilius esse quod postulat, quam signa conferri.“ X, 10. [§ 2] „Sed ego is non sum, qui statuere debeam.“ Ep. ad Brutum XV. [XVI § 8] „Ego vero is sum, qui non modo non supplicem, sed etiam coerecam postulantes ut sibi supplicetur.“

68. *Sed meliori Tempore dicam*] Loscheri editio et Veneta MCCCXC habent *meliore*; quo modo Palmanni codices quattuor, et unus alterque ex nostris. Idque recte, ut opinor; sic enim solet Noster: [C. IV, 2, 33] „Concines maiore Poeta plectro.“ [C. I, 27, 20] „Digne puer meliore flamma.“ [C. IV, 6, 23] „Meliore* ductos alite muros.“ [S. II, 3, 15] *Quicquid vita*

*) [ser. Potiore]

Tempore dicam: hodie tricesima sabbata. Vis tu
 70 Curti Iudaeis oppedere? nulla mihi, inquam,
 Religio est. At mi: sum paullo infirmior, unus
 Multorum: ignosces: alias loquar. Huncce solem
 Tam nigrum surrexe mihi? fugit improbus, ac me
 Sub cultro linquit. casu venit obuius illi
 75 Adversarius: et, Quo tu, turpissime? magna
 Inclamat voce, et, Licet antestari? ego vero
 Oppono auriculam. rapit in ius: clamor utrimque,
 Undique concursus. sic me servavit Apollo.

E C L O G A X.

Nempe inconposito dixi pede currere versus
 Lucili. quis tam Lucili fautor inepte est,
 Ut non hoc fateatur? at idem, quod sale multo
 Urbem defricuit, charta laudatur eadem.
 5 Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque caetera: nam sic
 Et Laberi mimos, ut pulchra poemata, mirer.
 Ergo non satis est risu diducere rictum
 Auditoris: et est quaedam tamen hic quoque virtus:
 Est brevitatis opus, ut currat sententia, neu se
 10 Impediat verbis lassas onerantibus auris:
 Et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso:
 Defendente vicem modo rhetoris atque poetae;
 Interdum urbani parcentis viribus, atque
 Extenuantis eas consulto. ridiculum acri
 15 Fortius et melius magnas plerumque secat res.
 Illi, scripta quibus Comoedia prisca viris est,
 Hoc stabant, hoc sunt imitandi: quos neque pulcher
 Hermogenes unquam legit, neque simius iste,
 Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.
 20 At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis

v. 69. Vulg. *Vin tu*. 76. *Exclamat*.

meliore *parasti*. [Ep. II, 1, 218] „*Ut studio maiore petant*.“ [C. IV, 2, 19]
 „*Et centum potiore signis Carmine donat*.“ Cicero ad Atticum X, 7.
 [§ 1] „*Quod ut meliore tempore possimus, facit Dolabellus*.“

69. *Vin tu Curti Iudaeis oppedere?* Lege hic, *vis tu*; vide quae
 dicemus ad Sermon. II, 6, v. 92. „*Vis tu homines urbemque foris prae-*
ponere silvis?“

75. *Quo tu, turpissime? magna Exclamat voce*] Sic editiones:
 neque quidquam ex libris suis proferunt Interpretes, excepto Bersmanno,
 is vero in duobus se testatur invenisse, „*quo tu, turpissime? magna In-*
clamat voce.“ Et sic plane codices nostri, Galeanus, Regius, Societatis
 Regiae, et Collegii Trinitatis, et pro varia lectione Reginensis. Rectius
 sine dubio: *Inclamat et increpat hominem his verbis, Quo tu, turpissime?*
 Lucret. III, 967, [953] „*Non merito inclamet magis, et voce increpet*
aeri, Ausfer ab hinc lacrimas, harathro, et composes querelas.“ Vide
 Plautum, Ciceronem, Livium, alios.

Miscuit. O seri studiorum! quine putetis
 Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
 Contigit? At sermo lingua concinnus utraque
 Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est.
 25 Cum versus facias: teipsum percontor, an et cum
 Dura tibi peragenda rei sit caussa Petilli?
 Scilicet oblitus patriaeque patrisque Latini,
 Cum Pedius caussas exsudet Poplicola atque

v. 27. Vulg. *Latine*.

21. *Quine putetis Difficile et mirum*] Manuscripti quidam, tam
 aliorum, quam nostri *putatis*: sed plures et meliores *putetis*; et sic odi-
 tiones quoque priscae, et Priscianus p. 1032, ubi tria quae vidi exemplaria
 lectionem confirmant. Recte igitur habet, „*o seri studiorum, quine putetis*
Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti Contigit?“ Terent. Adolph.
 II, 3. [v. 9] „*Quid est? Quid sit? illius opera, Syre, nunc vivo: festi-*
vam caput, Quin' omnia sibi postputarit esse prae meo commodo?“ Ita
 ibi legendum, ex Donato, et codicibus Faerni, et duobus Britannicis notae
 optima: et hic quidem locus Horatiano geminus plane et germanus est.
 Ovid. Fast. II, 45. „*Ah nimium faciles, qui tristia crimina caedis Flu-*
minea talli posse putetis aqua.“ ubi codices non pauci, ut hic apud
 Nostrum, *putatis*. Atque hic etiam locus germanissimus est; unde illud
 quoque discere licet, *to ne* apud Terentium et Nostrum aut *παρόλιον* esse,
 ut ibi censet Donatus, aut, ut mihi potius videtur, interrogativum: certe
 non, ut Prisciano, confirmativum. Ceterum in Rhodii illius nomine variant
 codices: alii *Pitholeonti*, alii *Pitoleonti*, alii denique, ut nunc editum, at-
 que hoc rectum, *Pitholeon, Πειθολέων*. Scholiastes Acron: „*Dicitur Pitho-*
leon Epigrammata ridicule scripsisse, in quibus Graeca verba mixta
erant cum Latinis.“ Is ipse est, si fallor, qui Iulium Caesarem famosis
 carminibus laecavit: ut narrat Suetonius cap. LXXV. „*Auli*.“ ait, „*Caeci-*
nae criminosisimo libro et Pitholai carminibus maledicentissimis lacera-
tam existimationem suam civili animo tulit.“ *Pitholaus* enim iste, quia
 in Hexametrum versum non veniret, *Pitholeon* dictus est Nostro: quod
 nomen unum idemque ac illud alterum: *Πειθόλεος, Πειθόλεως, Πειθολέων*;
 ut *Τυόλεος, Τυόλέων; Μενέλεος, Μενέλεως; Αγγόλεος, Αγγόλεως*.
 Dictum eius non infectum memorat Macrobius, Saturn. II,
 2. [§ 13] „*Marcus*.“ inquit, „*Otaclius Pitholaus, cum Caninius Rebilus*
uno tantum die Consul fuisset, dixit, Aule Flamines, nunc Consules
diales fiunt.“ *Pitholaus* ergo iste, sive *Pitholeon*, natione Rhodius, sub
 domino Otaclio Romae serviebat; a quo demum manumissus, pro recepto
 more libertarum, nomine herili et cognomine servili, *Marcus Otaclius Pi-*
tholaus est dictus.

27. *Oblitus patriaeque patrisque, Latine*] Multum hic locus negotii
 interpretibus fucavit: „*an et cum Dura tibi peragenda rei sit caussa*
Petilli? Scilicet oblitus patriaeque patrisque, latine Cum Pedius caussas
exsudet Poplicola atque Corvinus, patriis intermiscere petita Verba foris
malis, Caussini more bilinguis?“ Ita primus reposuit Lambinus, ex duo-
 bus, ut ait, codicibus; quem secuti Cruquius Torrentiusque plerosque omnes
 sua auctoritate in hanc partem traxerunt. Male vero ab iis factum et
 prave: quippe, si verum libero dicendum est, *χάλαα* hic *ἔνρι χυσαίων*
 nobis dederunt. Quale enim illud, *oblitus patriae patrisque?* quorsum
 adeo *patriis*? cur non et *avorum maiorumque* omnium? Qualia etiam illa,
Cum Pedius et Corvinus Latino caussas agunt? Quasi vero alias solerent
 Graece agere? Iam vero non dicit *caussas agere*; sed, qua Satiram decet
 metaphora, *caussas exsudere*. At vero quicquid verbo proprio convenit,

- Corvinus, patriis intermiscere petita
 30 Verba foris malis, Canusini more bilinguis?
 Atqui ego cum Graecos facerem, natus mare citra,
 Versiculos; vetuit tali me voce Quirinus
 Post mediam noctem visus, cum somnia vera:
 In silvam non ligna feras insanius, ac si
 35 Magnas Graecorum malis implere catervas.
 Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dumque

v. 32. Vulg. *Me tali.*

non idem quoque verbo translato. *Latine caussas orare* recte dicitur; *Latine exsulare*, portentum plane est; et in ignotas terras deportandum, ubi incolae Latine vomunt et Latine ventrem exonerant. Haecine tam eruditus viris tantopere placuisse? Pudet profecto taedetque: et rovecemus illico lectionem veterem, quam indigne adeo Lambinus amovit, quamque omnes aliorum codices, nostri certe universi, uno consensu exhibent, „*Scilicet oblitus patriaeque patrisque Latini.*“ *Latinus* autem *pater*, is est socer Aeneae, poniturque hic tamquam vetustissimus Latini nominis. Virgil. Aen. VII. 61. „*Quam pater inventam, primas cum conderet aereas. Ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus.*“ 92. „*Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus.*“ XI. 469. „*Concilium ipse pater et magna incepta Latinus.*“ Vel *pater Latinus* adiective sumi potest, ut *pater Romanus*. Virgil. Aen. IX. 448. „*Dum domus Aeneae Capitoli immobile sacrum Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.*“ Utrovis modo acciperis, perinde est: sed prior magis arridet. Elegantissime vero dicitur; quasi quis Attico alicui dixisset. *Tunc, oblitus Athenarum et Cecropis, ex Graeculo Tuscus factus es?* Quemadmodum autem hic in ipso serpo nodum invenerunt interpretes; ita mox in ipsa nuee nihil duri repererunt. Sic enim sequentia constituunt et enarrant: *An cum Petillii causa tibi peragenda est, tu patrii sermonis oblitus Latinis Graeca intermiscere vis, cum Pedius et Corvinus contra Petillum causas exsudent?* Quot, obsecro, *caussas?* siquidem unicam litem habuit Petillius, furti scilicet reus, quod ex Capitolio coronam abstulerit. Id quod satis indicat versus praecedens, „*Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli.*“ Quare et hic *causam exsudent* dicendum fuerit: si de actione contra Petillum in his verbis agitur. At *causam* hic reponi vel metri ratio prohibet. Quid multa? Mihi quidem totus locus levi mutatione sic videtur refigendus: „*Cum versus facias: te ipsum percontor, an et cum Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli? Scilicet oblitus patriaeque patrisque Latini, Cum Pedius causas exsudet Pappicola atque Corvinus, patriis intermiscere petita Verba foris malis, Canusini more bilinguis?*“ Vel, ut Reginensis et Petrensis habent, *exsulat*. Quorum verborum hic ordo, haec sententia est: *Probas verba Graeca Latinis misceri: nempe in versibus faciendis. Rogo, an et in causis agendis? Scilicet, cum Pedius et Corvinus, clari oratores, causas orant, malis eos oblitus patrii sermonis verba foris petita orationibus suis inserere?* Hoc certe pacto evitantur omnia incommoda; quae utrinque hunc locum premunt, seu *Latini*, sive *Latine* legeris. Nam *Latine* quidem hic legi, non *Latinitas*, non *ratio*, non *codices* concessere. Quod si *Latini* legeris; nisi tamen *oblitus* pro *oblitus* substitueris; nescias sane quid hic faciant aut quorsum pertineant *Pedius* et *Corvinus* cum *caussis* suis.

32. *Vetuit me tali voce Quirinus*] Codex Collegii Trinitatis commodius verba haec collocat, „*Versiculos: vetuit tali me voce Quirinus.*“ Porro in versu praecedente atqui cum Cruquio et Lambino dedimus, eundem codicem et vetustissimum Leidensem secuti. Alii habent *Atque*.

- Defingit Rheni luteum caput; haec ego ludo,
 Quae neque in Aede sonent, certantia iudice Tarpa,
 Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.
 40 Arguta meretrice potes, Davoque Chremeta
 Eludente senem, comis garrere libellos
 Unus vivorum, Fundani: Pollio regum
 Facta canit pede ter percusso: forte epos acer,
 Ut nemo, Varius ducit: molle atque facetum
 45 Virgilio adnuerunt gaudentes rure Camenae.
 Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino,
 Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
 Inventore minor: neque ego illi detrahere ausim
 Haerentem capiti cum multa laude coronam.

v. 35. Vulg. *Nec. 49. Multa cum.*

37. *Defingit Rheni luteum caput*] *Defingit* hic habent cum editiones veteres, tum codicum pars melior. Quin et libri, qui *diffingit* exhibent, id ex vitiosa scribendi ratione facere censendi sunt: ut nobis observatum ad Carm. I. 35. v. 39. Perperam itaque agunt, qui *diffingunt* hic in suis editionibus reponunt. Hoc enim non *male fingere*, ut quidem putant, sed *fielium corrumpere* notat; ut Carm. III. 29. v. 47. „*Diffinget, infectumque reddet.*“ Recte itaque *defingit*; hoc est, versibus describit luteum caput Rheni fluminis. Sunt etiam codices, qui *depingit* hic habeant: sed perperam. Caput enim *luteum* formare, Victoris est sive Plastae, non Pictoris. Sed pessime omnium exemplaria illa, quae *defigit* hic repraesentant: quod nollem (referente Nie. Heinsio in libri sui margine) nostro Graevio placuisset, *ut ad definitiones magicas referatur*. Quid enim negotii aut Poetae aut Rheni cum definitionibus magicis esse posset, equidem nullus video. Ceterum quoniam fuerit iste *turgidus Alpinus*, docere nos voluit Scholiastes Aeron: „*Fivacium quendam.*“ inquit, „*postquam Gallum tangit.*“ Ubi vero gentium quaeramus istum *Fivacium*? Cruquius ex coniectura edidit, *Rivalem quendam*: et ea occasione data mirificum somnium vendidit. Tu vero pro *Fivacium* repone *Fivaculum*. Sic enim Librarii solent scribere apud Macrobius, Plinius, alios; quem fideliores codices *Bibaculum* vocant. Eundem alibi sugillat Noster Serm. II. 5. v. 41. „*seu pingui tentus omaso Furius hibernas cana nive conspuat Alpes.*“ ubi optime idem Aeron: „*Furius Bibaculus in pragmatia belli Gallici, Jupiter hibernas cana nive conspuat Alpes.*“ De eo vide Catullum, Suetonium, Tacitum, Quintilianum. Plinius Praefat. Hist. Natur. [§ 24] „*Nostris crassiores, Antiquitatem, Exemplorum, Artiumque* (libros inscripserunt): *facillissimi, Lucubratorum, ut qui Bibaculus erat et vocabatur.*“ Ita recte dederunt Hardinus, et ad Catullum Is. Vossius; scripti ibi codices *Fivaculus*. Ergo Furius ille *Bibaculus* cognomen haeratus est, qui *bibax* erat: idem erat *pingui tentus omaso*: utpote non minus cibi appetens, quam vini. Atque ex his omnibus facile equidem ab Aerone persuaderi me patior, non alium quam *Bibaculum* hic ab Horatio perstringi. *Turgidus* enim ille, quia pingui omaso tentus: *Alpinus* autem, vel quia *Gallus*, vel quia *Bellum Gallicum* versibus scripsit, vel (quod ego potius existimo) ob male natum istum versiculum, *Conspuat Alpes*; quo risus iocosque dedit illius aevi poetis, ipse alias et ingenio et fama non incelebris.

38. *Quae nec in aede sonant*] Pro *nec* repone *neque* ex Leidensi, Reginensi et multis aliis: de quo iam supra dixisse meminimus.

49. *Multa cum laude coronam*] Ita Editio Loseheri, et Veneta MCCCCXC: at altera his prior, anno nempe MCCCCXXVIII, alio ver-

- 50 At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. age, quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?
Non ridet versus Enni gravitate minores?
- 55 Cum de se loquitur, non ut maiore repressis.
Quid vetat et nosmet Lucili scripta legentis
Quaerere, num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos et euntis
Mollius, ac si quis, pedibus quid claudere senis
- 60 (Hoc tantum) contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem cenatus? Etrusci
Quale fuit Cassi rapido ferventius anni
Ingenium; capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis. fuerit Lucilius, inquam,
- 65 Comis et urbanus; fuerit limatior idem.
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor,
Quamque poetarum seniorum turba: sed ille,
Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum,
Detereret sibi multa: recideret omne, quod ultra
- 70 Perfectum traheretur: et in versu faciendo
Saepe caput scaberet, vivos et roderet unguis.
Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint
Scripturus: neque, te ut miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. an tua demens

borum ordine, „Haerentem capiti cum multa laude coronant“: quem et ipse in plus decem codicibus vidi. Amat Noster quotidiani sermonis inornatam simplicitatem. Sic Serm. I, 8, 50. „Fincula cum magno risuque iocose videres.“ II, 3, 112. „Porroculus vigilat cum longo fusto.“ II, 7, 35. „cum magno bilateras clamore, fugisque.“ Art. Poet. 260. „In scenam missus cum magno pondere versus.“ Plinius Epist. VII, 9. [§ 4] „Multos videmus eiusmodi certamina sibi cum multa laude sumsisse.“

59. *Mollius ac siquis*] Veneta princeps ac *siquis*: altera cum Leseheriana et Scholiaste Acone, AT *siquis*: unde nunc in hanc, nunc in illam partem trahuntur Interpretes. Dacierius vero neutram secutus, ex coniectura emendat, AN *siquis*. In qua, ut neque in altera AT, nullum orationis exitum invenias. AT *siquis*, vel AN *siquis*, contentus modo *Hexametros facere, ducentos versus ante cenam, et totidem a cena scribere soleat?* Quid tum? quid sequitur? Nihil enim. Tu vero lege cum pluribus et melioris notae codicibus, et sic distingue: „Quaerere, num illius num rerum dura negarit *Versiculos natura magis factos et euntis Mollius, ac si quis, pedibus quid claudere senis (Hoc tantum) contentus, amet scripsisse ducentos Ante cibum versus, totidem cenatus*“ *Mollius, ac si, hoc est, mollius, quam si*: ut passim apud Scriptores, ita Serm. I, 6, 130. „*victurum suavius, ac si Quaeator avis, pater atque meus, patruusque fuisset.*“ Sententia autem clara et luculenta: Quid vetat et nos quaerere, num Lucilii ingenium, num argumentum ipsum negaverit versus politiores et molliores, quam siquis sine cura et lima extemporales hexametros fundat? Scilicet Lucilius ipse, si maiorem diligentiam adhibuisset, etiam in Satiris

- 75 Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego: nam satis est equitem mihi plaudere: ut audax,
Contentis aliis, explosa Arbuscula dixit.
Men' moveat, cimex Pantilius, aut cruciet, quod
Vellicet absentem Demetrius? aut quod ineptus
- 80 Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli?
Plotius, et Varius, Maecenas, Virgiliusque,
Valgius, et probet haec Octavius, optimus atque
Fuscus; et haec utinam Viscorum laudet uterque:
Ambitione relegata, te dicere possum,

v. 75. Vulg. *Crucier*.

(argumento licet duro et ornari fere negante) cultiores utique versus dare potuisset, quam quales nunc dedit ipse et Cassius Parmensis, extemporales, impolitos, scabros et incomptos. Haec profecto mens Horatii est; quam nunc video et Theodorum Marcilium ex parte assecutum esse.

77. *Explosa Arbuscula dixit*] Codex vetustus Reginensis *Arbustula*, quasi ab *Arbusto*. Battellianus *Auricula*. Sed recte habet recepta Lectio: quam et firmat Servius ad Virgil. Eclogam X. [v. 6]. Cicero ad Attic. IV, 15. [§ 6] „*Quaeris nunc de Arbuscula. Falde placuit. Ludi magnifici et grati.*“ Ea ipsa est, quam hic memorat Horatius. Marmor Praenestinum apud Fabricium [Castigation. in Horat. ed. a. 1571, 1575, 1578] p. 89. SEX. NAEVIUS SEX. L. *; PHILEMO. NAEVIA SEX. LIBERTA ARBUSCULA. Unde tamen male colligit vir ille doctissimus, huic mimae nomen fuisse *Naeviam*; atque adeo hoc eius monumentum esse. Plures enim libertae erant eo cognomine. Reinesius XIX, 28. GRANIA P. L. ARBUSCULA. Gruterus 593, 2. VOLUSTIAE ARBUSCULAE. 1141, 5. FLAVIAE ARBUSCULAE CONIUGI. Ceterum servile nomen eae sunt naetae ab *arbuscula* sive *parva arbore*. Valer. Max. IX, 1. [§ 4] „*Si decem arbusculas inde succidero*“: et mox, „*Decem arbuscularum umbram.*“ Plin. Epist. I, 24. [§ 4] „*Omnesque viticulas suas nosse et numerare arbusculas possint.*“ II, 11. [§ 25] „*Quid arbusculae tuae, quid vineae, quid segetes agunt?*“ Quintil. Declam. XIII. [c. 4 med.] „*consulas manibus meis arbusculas.*“

78. *Men' moveat cimex Pantilius, aut cruciet*] In nullo, opinor, codice invenias *crucier*; quippe omnes cum vetustis editionibus *cruciet* clare exhibent. Mutatum est ab aliquo, qui constructionis hic modum ignoraret; quae sic instituenda: „*Men' moveat, cimex Pantilius, aut cruciet quod Vellicet absentem Demetrius*“: ubi ordo est, *Men' moveat, quod cimex Pantilius; aut men' cruciet, quod Demetrius absentem vellicet? Men' moveat* absolute hic ponitur, non ad *Pantilius* refertur. Sic Persius, qui hunc ipsum locum in animo habuit, Sat. I, 88. „*doctus posuisse figuras Laudatur: bellum hoc, hoc bellum? an Romule cives?*“ *Men' moveat?* quippe et, *cantet si naufragus, assom Protulorim?*“ Lucanus VII, 281. „*Armenios ne movet, Romana potentia cuius Sit ducis?*“ Digest. XIII, 1. 17. „*Nec me movet, praesens homo fuerit, necne.*“ XXXIX, 2. 32. „*Et hoc plerisque placet: sed movet me, quod ipse meas aedes reficere possim.*“ Ceterum illud hic advertendum; prius *Quod* hic omissum esse: plena enim oratio est: *Quod cimex Pantilius, quod Demetrius vellicet absentem*. Idque more plane Horatiano, ut Serm. II, 8, v. 16. „*Mic herus: Albanum, Maecenas, sive Falernum Te magis appositis doleat, habemus utrumque.*“ pro sive *Albanum, sive Falernum*; et hac ipsa Ecloga v. 90. „*Demetri, teque, Tigelli, Discipularum inter tibeo plorare cathedras,*“ pro, *Te, Demetri, teque, Tigelli*. Severus in Aetna [v. 81]: „*Minos, tua-*

*] [SEX. P. Fabricius in tribus illis editionibus]

85 Pollio; te, Messalla, tuo cum fratre; simulque
 Vos Bibule, et Servi; simul his te, candide Furni;
 Conpluris alios, doctos ego quos et amicos
 Prudens praetereo: quibus haec, sunt qualiacumque,
 Adridere velim; doliturus, si placeant spe
 90 Deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli,
 Discipularum inter iubeo plorare cathedras.
 I puer, atque meo citus haec subscribe libello.

v. 86. Vulg. *Bibuli*. 88. *Sint*.

que, *Acace, in umbris Iura canunt.*“ pro, *Tua, Minos, tuaque, Acace.*
 Equidem his fretus rationibus vulgatam lectionem esse sanam, et minime
 sollicitandam existimo.

86. *Vos, Bibuli et Servi*] Ergo plures hic alloquitur *Bibulos et Servios*, ut supra *Viscos* duos? Sed illud repugnat, quod *Servii* in vocativo plurali contractionem non admittit. Atqui illud extra dubitationem est, *Servi* hic a recto *Servius* fluere, non a *Servus*. Quare et elegantissima et certissima est Nicolai Heinsii emendatio, „*Vos, Bibule et Servi; simul his te, candide Furni.*“

88. *Quibus haec, sint qualiacumque*] Olim in vetustis editionibus dederunt, „*quibus haec, sunt qualiacumque*“: nunc a sacculo et amplius ubique obtinuit, *sint*. Codices quoque alii hoc habent, alii illud. In re levicula quid potius sequemur? Suetonius Aug. c. LXXXVII. „*Et cum hortatur ferenda esse praesentia, qualiacumque sint; contenti simus hoc Catone.*“ Cicero Oratore XXXVII. [§ 130] „*Quae, qualiacumque in me sunt, me ipsum poenitet quanta sint.*“ Sed haec et similia ex dubia librariorum fide pendunt: in Poëtis vel ex metri necessitate certius quid explorabimus. Ovid. Pont. IV, 13. [v. 6] „*Qualis enim cumque est, non latet esse meam.*“ Amor. III, 15. [v. 14] „*Quantulacumque estis, vos ego magna voco.*“ Martialis Epigr. I, 70. [71 v. 17] „*Sic licet excuses: quia, qualiacumque leguntur Ista, saluator scribere non potuit.*“ Quid ergo opus erat, Venetarum editionum et Loscherianae lectionem loco movere?

Q. HORATII FLACCI SERMONUM

LIBER II.

ECLOGA I.

Sunt quibus in Satira videar nimis acer, et ultra
 Legem tendere opus: sine nervis altera, quicquid
 Composui, pars esse putat, similisque meorum
 Mille die versus deduci posse. Trebati,
 5 Quid faciam, praescribe. Quiescas. Ne faciam, inquis,
 Omnino versus? Aio. Peream male, si non
 Optimum erat: verum nequeo dormire. Ter uncti
 Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto;
 Inriguumque mero sub noctem corpus habento.

10 Aut, si tantus amor scribendi te capit, aude

v. 10. Vulg. *Rapit*.

1. *Sunt quibus in Satira videar*] Dimidia fere codicum pars *videor*, altera *videar*. Utrumque probum: ut Carm. I, 7, 5. „*Sunt quibus unum opus est intactae Palladis urbem.*“ et I, 1, 3. „*Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse iuvat.*“ Serm. I, 4, 24. „*Quod sunt quos genus hoc minime iuvat.*“ Serm. II, 4, 47. „*Sunt quorum ingenium nova tantum crustula promit.*“ Persius Sat. I. [v. 77] „*Sunt quos Pacuvius et verrucosa moretur Antiopa.*“ et Sat. VI. [v. 19] „*Solis natalibus est qui Tingat olus.*“ Seneca Controv. XVI. [§ 14, p. 189, 9 Burs.] „*Sunt qui castra timeant, sunt qui cicatricibus gaudeant**.“ Et alii passim. Quare *videar*, quod haec editiones occupavit, possessione sua depellere et iniquum foret et inutile.

2. *Et ultra legem tendere opus*] Praestantissimus Nic. Heinsius mavult, „*et ultra legem intendere opus*“: quod et in libris quibusdam extare prodidit Lambinus. In nostris omnibus est *Tendere*. Sane in a praecedente litera *m* absorptum videri potest; *Intendere* enim pro augere, provehere, promovere passim occurrit: *tendere* in eo sensu legisse non memini. Lucanus tamen, VI, 39. „*Franguntur montes, planumque per ardua Caesar Ducit opus*“: ubi Codex Collegii Trinitatis, notae sane optima, *tendit opus*.

10. *Si tantus amor scribendi te rapit*] Mira hic pertinacia lectionem malam propugnant codices: solus Colbertinus recte dedit, „*Aut si tantus amor scribendi te capit.*“ *Amor te capit, odium capit*, ubique se legentibus ingerunt; ut ineptum sit exempla hic adducere. *Amor te rapi*

*) [*timent — gaudent* Burs.]

- Caesaris invicti res dicere, multa laborum
Praemia laturus. Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntis cuspide Gallos,
15 Aut labentis equo describit vulnera Parthi.
Attamen et iustum poterat et scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucilius. Haud mihi deero,
Cum res ipsa feret: nisi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem:
20 Cui male si palpere, recalcitret undique tutus.
Quanto rectius hoc, quam tristi laedere versu
Pantolabum scurram, Nomentanumve nepotem?
Cum sibi quisque timet; quamquam est intactus, et odit.
Quid faciam? saltat Milonius, ut semel icto

v. 15. Vulg. *Describat*. 20. *Recalcitrat*. 22. *Nomentanumque*.

nimum plane et affectatum esset, et, quod me movet maxime, Trebatii personae incongruens. Extat quidem hodie apud Nasonem Fast. II, 762. „*Interea juvenis furiosus regius ignes Concipit, et caeco raptus amore ruit.*“ Quod etsi in Ovidio praetulerim, quia praecedat *concepit*: decem tamen codices, referent ibi Heinsio, habent *captus amore*: ut Virgil. [Georg. III, 285] „*Singula dum capti circumvectamur amore*“: et alibi [Ecl. 6, 10]: „*siquis tamen haec quoque, siquis Captus amore leget.*“ Verum utrumque de Ovidii loco decernas, in Horatiano certe *capit* longe aptius et familiarius est.

15. *Describat vulnera Parthi*] Haesit hoc ex editionibus vetustis. Plures enim codices, in quibus Blandini veteres, *describet* vel *describit*. Placet posterius, quod agnoscunt ex nostris Reginensis, Regiae Societatis, Battelianus, Magdalenensis cum Petrensi. Sic Noster Arte Poet. 263. „*Non quivis videt immodulata poemata iudex.*“ Martialis VIII. 48. [v. 5] „*Non quicumque capit saturatas murice vestes: Nec nisi deliciis convenit iste color.*“

20. *Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus*] Vel lego cum codice Petrensi, „*Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus*“: vel potius cum Batteliano, „*Cui male si palpere, recalcitret undique tutus.*“ Melius enim est, ut utrumque Verbum eodem Modo efferatur. Sic Serm. II, 3, 214. „*Si quis lectica nilidam gestare amet agnam, — interdicto huic omno adimat ius Praetor, et ad sanos abeat tutela propinquos.*“ et 249. „*Si quem delectet barbatum, amentia verset.*“ et 259. „*Sume, catello; negat: si non des, optet.*“ Cum autem translatio hic sit ab equo calcitroso, et de Caesare sit sermo; mollior sane honestiorque est Subiunctivus modus, *Recalcitret sive Recalcitrare velit*, quam *Recalcitrat*; quod de Caesare nimis familiariter dictum foret, et pene contumeliose. Digest. IX, 1. 1. [§ 7] „*Ideoque si equus dolore concitatus, calce petierit, cessare actionem: — at si, cum equum permulsisset quis, vel palpatus est, (et) calce eum percusserit, erit actioni locus.*“ Ubi pro *palpatus est et*, sine dubio corrigendum, *palpatus esset*.

22. *Nomentanumque nepotem*] Rectius codex Reginensis, Colbertinus, Regiae Societatis, Petrensis, Collegii Trinitatis, cum duobus Bersmanni; „*Pantolabum Scurram, Nomentanumve nepotem.*“

24. *Saltat Milonius*] Codex Regius, *Milonius*. Gruterus 54, 1. M. MILLONIUS M. L. AUCTUS.

- 25 Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.
Castor gaudet equis; ovo prognatus eodem.
Pagnis. quot capitum vivunt, totidem studiorum
Millia. me pedibus delectat claudere verba,
Lucili ritu, nostrum melioris utroque.
30 Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris; neque, si male cesserat, usquam
Decurrens alio, neque si bene: quo fit ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis. sequor hunc, Lucanus an Appulus, anceps:
35 Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus,
Missus ad hoc, pulsus (vetus est ut fama) Sabellis,

v. 31. Vulg. *Gesserat*.

31. *Neque si male gesserat, usquam*] *Gesserat* quidem omnes quos vidi codices uno consensu exhibent; ut et Torrentii, Cruquii, et aliorum: „*Ille velut fidis arcana sodalibus olim Credebat libris; neque si male gesserat, usquam Decurrens alio, neque si bene.*“ Quod cum ne Latinum quidem esse recte viderat eruditissimus Lambinus; (desse enim *rem*; *si male rem gesserat*) lectionem in quibusdam editis inventam reposuit, *cesserat*. Hic vero reclamare illico Torrentius Cruquiusque; violari omnium codicum fidem; etiam *Gerere* interdum absolute poni, ut *Aspe bene gerendi abesse* dixit Cicero lib. V. de Finibus. Quorum auctoritate factum est, ut, spreto iam Lambino, illud *Gesserat* in nuperis editionibus denno compareat. Operae autem pretium est cognoscere, quali testimonio freti *ro Gerere* absolute poni praedicent. Locus integer Ciceronis sic se habet De Finibus V, 19. [§ 52] „*Quid, quod homines infima fortuna, nulla spe rerum gerendarum, opifices denique, delectantur historia? maximeque eos videre possumus res gestas audire et legere velle, qui a spe gerendi absunt confecti senectute.*“ Quid iam videtur? quis non videat *Gerendi* non absolute hic poni; sed *Res* e commate praecedente repeti hic et subintelligi? Quale cum nihil in hoc Flacci loco contingat; bene Latine hoc dictum esse, *si male gesserat*, fidenter negamus. Reviviscet itaque, credo, altera lectio, ex coniectura fortasse nata: quam sane tuetur sagacissimus Nic. Heinsius, tam hic in libri sui margine, quam ad Fastos Nasonis, II, 380. notissimam scilicet lectionem, et ex germana Latinitate. Ovid. Met. X, 80. „*omniumque refugerat Orpheus Famine Venerem; seu quod male cesserat illi, Sive fidem dederat.*“ et Heroid. X, 141. „*Non te per meritum, quoniam male cessit, adoro.*“ Plinius Paneg. c. 44. [§ 8] „*Pauci adeo ingenio valent, ut non turpe honestumque prout, bene ac (lege aut) seus cessit, expellant flagrant.*“ Vegetius III, 10. [p. 82, 22 Bip.] „*Illu autem ante tentanda sunt, quae si male cesserint, minus noceant; si bene, plurimum prosint.*“ Seneca De Benef. 1. 1. [§ 10] „*Dignus est recipi, qui de recipiendo cogitavit, cum daret. At malo cessit. Et liberi, et coninges spem fefellerunt.*“ Ibidem IV, 33. [§ 3] „*Especta, ut nisi bene cessura non facias, et nisi comperita veritate nihil moveris.*“ Agnoscis, opinor, phrasin cum primis legitimam: disquiramus porro, an loco serviat, et orationis filo apte conveniat: „*Ille velut fidis arcana sodalibus olim Credebat libris, neque si male cesserat, usquam Decurrens alio, neque si bene.*“ hoc est, ut aiunt, *sive quid ei male venerat, sive prospere, chartis suis committebat*. Nonne hoc pacto eadem redit sententia, quam Cruquius Torrentiusque volunt, eum sic legunt, *Seu male (rem) gesserat, sive bene*. Atqui aut nihil hic videmus, aut aliud prorsus hic cogitavit Horatius. Quid enim? Nihilne aliud in Satiris agebat Lucilius, quam ut de rebus propriis, seu adversis, sive

Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis:
Sive quod Appula gens, seu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. sed hic stilus haud petet vitro
40 Quemquam animantem, et me veluti custodiet ensis
Vagina tectus: quem cur destringere coner.
Tutus ab infestis latronibus? ô pater et rex
Iuppiter, ut pereat positum robigine telum,
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! at ille,

prosperis loqueretur? Extant hodie reliquiae earum satis ludentiae, quas Franciscus Douza collegit et digessit: ubi plerumque nihil minus quam res suas narrat Lucilius. Quin et Noster mox v. 34. se *Locutium sequi* et in argumentis Satirarum imitari proflitetur: at vero in his Sermonibus quotusquisque est, qui de Horatii rebus agit? qui non locum aliquem moralem et communem tractat? Quid multis opus? Equidem nova via insistens tam verba, quam sententiam, extra omnem reprehensionis ideam sic constituit: „neque si male cesserat, usquam Decurrens alio, neque si bene“: hoc est, *Nusquam alio proclerquam ad libros decurrens, seu bene ei cesserat* in scribendo, *seu male*. Scilicet quovis ille die scribere amabat, sive aptus tum ad studium, seu, ut saepe usu venit, ineptus; seu Musis faventibus, sive aversis. Suetonius in Vita Terentii [p. 31, 6 ed. Reiff.] „*Vepos auctore certo comperisse se ait, C. Laetium quondam in Puteolano Kal. Martii admonitum ab uxore, temporis ut discumberet, petiisse ab ea, ne interpellaretur: serius tandem ingressum triclinium, dixisse, Non saepe in scribendo magis successisse sibi: deinde rogatum ut scripta illa proferret, pronuntiassse versus, qui sunt in Heautontimorumeno, Satis pol proterve me Syri promissa huc induerunt.*“ Seneca Praef. ad Controv. lib. II. [§ 3, p. 116, 3 Burs.] „*Nec est quod insidias putes tibi fieri, quasi id agam, ut te bene cedentis studii labor teneat.*“ Idem Controv. XXVIII. [§ 17, p. 281, 8 Burs.] „*Nam et Ovidius nescit, quod bene cessit, relinquere.*“ Ovid. Pont. IV, 2. [v. 48] „*At tu, cui bibitur felicitus Aonius fons, Utiliter studium quod tibi cedit, ama.*“ Idem Trist. V, 12. [v. 43] „*An quia cesserunt primo bene carmina, suades Scribere, successus ut sequar ipse meos?*“

37. *Quo ne per vacuum Romano* Frustra Lambini aliquot codices, *Qua ne. Quo ne* idem est ac *ut ne*. Digest. 21, 1, 17. [§ 5] „*Si celandi causa, quo ne ad dominum revertetur, fugisset; fugitivum esse.*“ „*Missus ad hoc, pulsus (velus est ut fama) Sabellis, Quo ne per vacuum Romano incurroret hostis, Sive quod Appula gens, seu quod Lucania bellum Incuteret violenta.*“ Romano autem, non populo, ut vulgo hic interpretes; sed agro: *Ne hostis incurreret Romano*; hoc est, *ne incursionem faceret in agrum Romanum*: ut verba sunt Livii I, 32. [§ 3] *Romano* absolute, agro subauditio: ut Cicero, [Ep. Fam. XIII, 5 § 2] *in Volaterrano*, [Verr. act. II, 3, 15 § 38] *ex Leontino*; Caesar [B. Civ. III, 21 § 4], *in Thurinum*; et similia passim. Porro illud *Quod* ut pronomen sit, non coniunctio, necesse est: *bellum quod, bellum aliquod*. Sententia enim est, quam Aeron Scholiastes recte olim accepit: *Missus ad hoc, ne eum Appuli aut Lucani bellum forte inferrent, per locum illum praesidio vacuum facile in agrum Romanum incursionem facerent*. Fortasse tamen sic scripsit Horatius, et diserte magis, et minus ambigue: „*Sive quid Appula gens, seu quid Lucania belli Incuteret violenta.*“ ut mox infra v. 80. „*Sed tamen ut monitus caveas, ne forte negoti Inveniat tibi quid sanclarum inscilia legum.*“ Quin, si codicis alicuius auctoritas accederet, etiam amplius libens reponerem, „*Sive quid Appula gens, seu quid Lucania duelli.*“ Gens Appula, aut gens Lucana. *Duellum* autem amavit noster, ut qui

45 Qui me commorit, (melius non tangere, clamo)
Flebit, et insignis tota cantabitur urbe.
Cervius iratus leges minuitur et urnam;
Candida Albuçi, quibus est inimica, venenum;
Grande malum Turius, si quid se iudice certes.
50 Ut, quo quisque valet, suspectos terreat; utque
Imperet hoc natura potens, sic collige mecum.
Dente lupus, cornu taurus petit; unde, nisi intus
Monstratum? Scaevae vivacem crede nepoti
Matrem; nil faciet sceleris pia dextera; mirum

v. 49. Vulg. *Siquis. Certet.*

maxime: saepius enim is unus vocabulum illud usurpavit, quam ceteri omnes scriptores, qui nunc quidem extant. Ceterum pessime hic totus locus tractatur a recentioribus interpretibus.

45. *Qui me commorit*] Elegantissimus Rutgersius, „*Non inepte quis,*“ ait, „*commoritur legendum suspicari possit: verum nihil equidem malo.*“ Hoc sic timidiuscule vir ingeniosus: sed opinor, confidentior paullo fuisset, si rescivisset codicem Regium clare et a prima manu *commoritur* hic exhibere; quod ipse oculatus testis vere affirmare possum. Nihil tamen hoc est: et recepta lectio omnino retinenda. Priscianus p. 885. „*Invenio,*“ ait, „*Horatium auctoritate fecisse in quibusdam concisionem, quamvis positio Verbi habeat V consonantem. Moveo movi movisti: ex quo Commoritur pro Commoverit punit in II Sermon. at ille Qui me commorit, melius non tangere, clamo.*“ Idem fere iterum habet Priscianus p. 1037. Recte Scholiastes Aeron; „*Commoritur commoverit, laceraverit, provocavit.*“ Illud alterum et verbo ipso et sententia minus placet.

49. *Grande malum Turius*] Cruquius et Marcilius, ex Asconio Pediano, qui de *L. Furio Praetore* eandem fere historiam habet, quam hic de *Turio* memorant veteres Scholiastae, sic versiculum hunc resingunt, „*Grande malum Furius, si quis se iudice certet*“: oblitus scilicet nomen *Furius* primam syllabam productam habere. Noster Sermon II, 5, v. 41. „*Furius hibernas cana nive conspuat Alpes.*“ Catullus Epigr. IX. [XI v. 1] „*Furi et Aureli comites Catulli, Sive in extremos penetravit Indos.*“ Naso in Epigrammate [apud Quintil. Inst. IX, 3 § 70], „*Cur ego non dicam, Furia, te furiam?*“ Reiciatur itaque *Furius*; etsi id agnoscat codex Regius Societatis. *Turius* autem occurrit apud Gellium XIV, 2. [§ 26] *L. Turius* apud Ciceronem in Bruto c. 67. [§ 237]. *Q. Turius* Epist. Fam. XII, 26. Ceterum in editionibus praeis, utraque Veneta et Loscheriana, habetur, *si quid se iudice certet*: etiam in Reginensi codice siquid pro varia lectione ponitur. Vestigium sane hoc est verae lectionis. Scribe enim, ut clare exhibent Galeanus noster et Battelianus, et olim a prima manu Magdalenensis, „*Grande malum Turius, siquid se iudice certes.*“ hoc est, *si quam rem certes, siquam litem habbas*. Noster Sermon II, 5, v. 27. „*Magna minorae foro si res certabitur olim.*“ Valerianus Sedigitus apud Gellium XV, 23. [c. 24 v. 1] „*Multos incertos certare hanc rem vidimus, Palmam poëtae comico cui deserant.*“ Noli de hac lectione dubitare; quam paullatim corruerunt Librarii, primo *certet*, deinde *siquis* substituente: quod crederent *certare* non posse regere casum accusativum. Extabat quidem apud Martialem XIII, 89. [92] in vilioribus scilicet editionibus, „*Inter aves Turdas, siquis me iudice certet, Inter quadrupedes gloria prima Lepus.*“ At ex vetustis codicibus sic postea dedit diligentissimus Gruterus, „*Inter aves Turdas, siquid me iudice certum est, Inter quadrupedes mactea prima Lepus.*“ Adeo ut nihil ex hoc Martialis loco petere possis, quo receptam Flacci lectionem iure defendas.

55 Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos:
Sed mala tollet anum vitiatu melle cicuta.
Ne longum faciam: seu me tranquilla senectus
Exspectat, seu mors atris circumvolat alis;
Dives, inops; Romae, seu fors ita iusserit, exsul;
60 Quisquis erit vitae, scribam, color. O puer, ut sis
Vitalis metuo; et maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat. Quid? cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
65 Cederet, introrsum turpis; num Laelius, et qui

55. *Ut neque calce lupus quemquam*] Sic locum hunc exhibent codices plerique et editiones omnes: „*Scavae vicem crede nepoti Matrem; nil faciet sceleris pia dextera: mirum: Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos: Sed mala tollet anum vitiatu melle cicuta.*“ Ubi mirum ad superiora refert Scholiastes Aeron: „*Miraris; quia dixi, non ulitur dextera sua ad occidentam matrem: noli mirari, nam eam occidit veneno.*“ Atque eodem modo recentiores. Quid autem? Adeone mirum est, matrem a filio suo non occidi? dii meliora. Certe melius sententiae consulas, si mirum ad sequentia referas, „*mirum, Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos.*“ quasi dicas *εἰρωνεία*, Mirandum vero est, quod lupus calce non petit, neque bos dente. Ad quam interpretationem clarius nos ducunt veterrimus Codex Leidensis, et Regius, et Regiae Societatis; in quibus sic habetur, „*mirum Ut neque calce lupus quemquam; neque dente petit bos.*“ Mirum, ut petit. Sic Carm. III, 4, 13. „*mirum quod foret omnibus, Ut tuto ab atris corpore viperis Dormirem et ursis, ut praeferer sacra Lauro.*“ Tacitus Hist. I, 79. „*Mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos.*“ Atque hanc lectionem equidem alteri praetulerim. Potest tamen altius latere mendum: ut fortasse sic scripserit Horatius, „*nil sceleris facit pia dextera: mirum Ni neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos:*“ vel, quod in hac locutione aequè locum habet, *petat. Mirum ni perinde est ac nimirum. Pia, inquit, dextera nil sceleris faciet. Nimirum neque lupus dente, neque bos petit calce; Nempe neque lupus etc.* Ita Plautus et Terentius passim. Eunuch. II, 3. [v. 53] „*Miram ni hanc dicit modo huic quae data est dono.*“ Andria III, 4. [v. 19] „*Age igitur, ubi nunc est ipsus? Mirum ni domi est.*“ Amphit. I, 1. [v. 163] „*Miram ni hic me quasi muraenam iam exossare cogitat.*“ Sulpicius Lupercus in Catalectis Pithoei p. 23. [Burm. Anth. III, 74 v. 23] „*Miram ni pulchras artes Romana iuventus Discat, et egregio sudet in eloquio.*“ Ovid. Trist. III, 12. [v. 35] „*Ille quidem mirum ni de regione propinqua Non nisi vicinas tutus aravit aquas.*“ ubi illud obiter adnotandum, male ab optimo Nic. Heinsio *cautus* hic ex unico codice reponi; eum caeteri omnes *tutus* agnoscant. *Tutus* enim saepe idem est qui *cautus*, qui tutus esse cupit et laborat. Noster in Arte v. 28: „*Serpit humi tutus nimium, timidusque procellae.*“ Vel denique, praeter *Miram ut*, vel *Miram ni*, etiam tertium quid substitui poterit, „*mirum, Si neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos.*“ Sic Propertius II, 7, v. 28. [8, v. 40] „*Inferior multo cum sim vel matre vel armis. Mirum si de me iure triumphat amor.*“ Quintil. Declam. XIII [c. 9], de Apibus: „*At extra imperia positum est. Mirum hercle, si negato commercio sermonis humani sunt in ceterorum animalium forma.*“

65. *Nitidus qua quisque per ora Cederet*] Nicolaus Heinsius in libri

Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi? aut laeso dolere Metello,
Famosisque Lupo cooperto versibus? atqui
Primores populi arripuit populumque tributum;
70 Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis.
Quin ubi se a volgo et scena in secreta remorant
Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli;
Nugari cum illo, et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti. quicquid sum ego, quamvis
75 Infra Lucili censum ingeniumque; tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia; et fragili quaerens inlidere dentem,
Offendet solido: nisi quid tu, docte Trebati,
Dissentis. Equidem nihil hinc diffingere possum.
80 Sed tamen ut monitus caveas, ne forte negoti

v. 65. Vulg. *Aut qui.* 79. *Hic diffindere.*

sui ora, *Lege*, ait, „*nitidus qua quisque per ora IX—CEDERET, introrsum turpis.*“ Sane *incederet* vocabulum est hoc sensu maxime proprium. Ita Sallustius Iugurth. XXXI. [§ 10] „*Sed incedunt per ora vestra magnifici, sacerdotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes.*“ Virgil. Aen. I, 50. „*At ego, quae Dicim incedo regina.*“ et alii passim. Tamen cum *cedere* hic poni pro *incedere* discrete notent Scholiastae; et repetitio eiusdem Syllabae *incedere, introrsum* ingrata sit auribus; melius fuerit lectionem receptam non movere. Siquidem ex Plauto locum adducunt Iambinus Torrentiusque, ubi *cedere* itidem est pro *incedere*. Pseud. IV, 1. [v. 45] „*Non prorsus, verum ex transverso cedit, quasi cancer solet.*“ Possent quoque et aptiorem citasse ex Casina II, 8. [v. 10] „*At candidatus cedit hic mastigia.*“ *Candidatus cedit*, plane ut hic Noster, *nitidus cederet*. Porro in posteriore loco Plautino nulla mendi suspicio est; quia *incedit* ibi rationi carminis repugnat.

65. *Num Laelius aut qui*] Scribe ex vetustis editionibus, et melioribus libris, nostris certe Reginensi, Magdalenensi et Colbertino, „*num Laelius et qui Ducit ab oppressa meritum Carthagine nomen Ingenio offensi, aut laeso dolere Metello?*“ *Num Laelius et Scipio Africanus offensi dolere?* aut enim, quod editiones iam obsidet, ex peioris notae codicibus male petatum, ne Latinum quidem est: quippe tum verba singulari numero ponenda forent, *Num Laelius aut Scipio offensus doluit?*

79. *Equidem nihil hic diffindere possum*] Miris modis in hoc vocabulo indulserunt sibi Librarii, *Diffingere, Desfringere, Diffindere, Diffidere*. Cuiam ex his lectionibus palmam dabis? Iam a saeculo et quod excurrit *DIFFINDERE* hic maluerunt Interpretes, Aeronem Scholiasten secuti, qui hic adnotat, „*Auris verbo usum esse Trebatium. Praetor enim dicere solebat, Hic dies diffissus esto.*“ Praeterea ex Festo in voce *Reus*, ex Ulpiano Digest. II, 11, 2. [§ 3], ex Livio IX, 38. [§ 16], ex Gellio XIV, 2. [§ 11] ostendunt *Diem diffindere* perinde esse ac *diem proferre, prolatum*: quod in iudiciis fieri solebat, quoties aut iudex aut actor aut reus ob causam sententiam adesse non poterat; aut quoties de re controversa iudici nondum liquebat. Esto sane hoc: at quam deinde sententiam ex Flacci loco sic constituto possunt exendere? „*equidem nihil hic diffindere possum: Sed tamen ut monitus caveas*“ etc. hoc scilicet respondet Trebatius: *Equidem nihil hic possum cavere, non possum in aliud tempus reiicere*. Quid ergo? cur non sententiam fers? quid Horatium frustraris? At inquirunt; eo

Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est

ipso se ostendit pro Horatio *pronunciare*, quo se fatetur *ampliare* non posse. Itane vero? an quotiescunque iudex non *ampliat*; continuo tibi compertum est, pro *re*, et non pro actore, sententiam eum laturum esse? Duras sane actorum partes praedicens. Quinam autem hic *diffissioni* locus? Solius enim praetoris sive iudicis erat diem diffindere. At neque Trebatius tamquam iudex hic introducit, neque Horatius tamquam reus: sed ille ut iuris peritus, hic ut consultor. Quod si ille quantumvis personam iudicis sustineret; ineptus tamen foret, et putidus, qui diceret, *se non diffindere*: hoc enim satis innotesceret ex ipsa sententiae latitine. Illud vero quale est, *Non possum diffindere*? Dicere utique debuit, *Nolo*; utpote non vi et necessitate compulsus, sed opinione permotus. Postremo illud omnium obscurissimum est, *se nihil posse diffindere*. *Dies* enim duntaxat, non *res ipsa* sive *lis*, *diffindi* dicebatur; quantum hodie compertum habere possumus. Sic Festus, *Dies diffissus esto*; Ulpianus, *libet diem esse diffissum*; Livius, *Triste omen diem diffidit*; Gellius, *Iussi igitur diem diffindi*. Haec sola iam extant loca, in quibus haec formula comparet. Quae ad exempla etiam hic dictum oportuit, *Equidem diem hic diffindere non possum*. Ille vero *se nihil diffindere* ait; quasi non *dies* tantummodo, sed causae ipsae et earum partes diffindi dicerentur. Legimus quidem hodie apud Gellium, capite iam citato [§ 1] „*Atque in rerum quidem diffissionibus comperendinationibusque et aliis quibusdam legitimis ritibus*.“ Verum hic locus lubricus sane est: neque temere ad partes vocandus. Certe adeo insolens olim visa est haec locutio, *In rerum diffissionibus*; ut codex omnium qui nunc extant veterimus et optimus *diffinitionibus* hic dederit. Offensus scilicet aliquis insolita phrasi, in exemplari quo usus est Librarius, sic ex coniectura correxerat: in eo tamen falsus, quod vocem in mendo cubantem praeteriit, alteram, quae recta et sana erat, corrigendo depravit. Sic enim verba illa refingere debuit; *Atque in diem quidem diffissionibus*: cui quidem emendationi non dubie etiam favent ista quae sequuntur, *Comperendinationes, et ritus legitimi*. Ne multis morer; neque sententia, neque verba ipsa apud Flaccam procedent, si *diffundere* hic legeris. Ut mirer equidem enarrationem tot vitiiis scitentem tot interpretibus placuisse. Solus ex his Dacérius verbum hoc iuris non habere hic locum vidit; quod ipse melius sequeretur, non vidit. Nempe hoc modo, distinctione sublata, defungi se posse credit, „*Nisi quid tu, docto Trebati, Dissentis, equidem nihil hic diffundere possum*.“ Quod totum ex Horatii persona sic interpretatur: „*Nisi tu, Trebati, dissentis; ego quidem nihil hic dividere, sive rescare, auferre possum*.“ Sed ut ne dicam, *diffundere* in eo sensu nusquam reperiri, atque adeo vel prima fronte pravum et ineptum videri: illud certe adhuc peius est, quod totum hoc Horatio tribuit: cum tamen et hoc ipsum et ea quae sequuntur necessario flagitent, ut Trebatii responsio ab illo *Equidem* inchoetur. Quam ob rem, cum hac via minime successit, iam tempus est, ut aliam instituamus. Et quidem illud in proutu est, quod nobis offerunt tam editiones vetustae omnes, quam codicum maior pars; „*nisi quid tu, docto Trebati, Dissentis, Equidem nihil hinc diffingere possum*: *Sed tamen ut monitus caveas*“ etc. *Hinc*, inquam, habent, non *hic*, codices meliores. Clara utique sententia, nisi nodum in scirpo quaerere eupimus. *Equidem*, inquit Trebatius, *nihil ex his, quae dixisti, diffingere*, hoc est, *infirmare, refellere, refutare, convellere, labefactare possum*. *Poteris igitur in Satiris scribendis pergere; neque vereri, ne in magnorum amicorum offensivam incurras. Nam et Lucilli exemplum bono animo te esse iubet. Illud tamen vide, ut intra ius et leges licentiam Satirarum coerc eas; si quis enim malum carmen et famosum in aliquem scribat, lege agere contra eum licet*. Quis tam morosus et difficilis, ut

Iudiciumque. Esto: si quis mala. sed bona si quis
Iudice condiderit laudatus Caesare? si quis

v. 84. Vulg. *Laudatur*.

haec carere audeat? *Diffingere* et verbum Horatianum est, et sententiae huic aptissimum. Carm. III, 29, v. 47. „*non tamen irritum Quodcumque retro est, efficit; neque Diffinget insectumque reddet. Quod fugiens semel hora venit*.“ ubi *diffinget*, plane ut hic, est *labefactabit*, et in Serm. I, 10, v. 37. „*Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dumque Diffingit Rheni luteum caput*“: si cui ea lectio placuerit, necesse est ut intellegat, *corrumpit, labefactat*. Quare in hac scriptura et interpretatione licet acquiescamus. Neque tamen illud spreverim, certe receptae lectioni *diffindere* longe praetulerim, quod codex Cruquii Tonsanus exhibet: „*Equidem nihil hinc defringere possum*“: quod ad illa, quae proxime antecedunt, referam, „*et fragili quaerens illidere dentem, Offendet solido*.“ *Es vero*, inquit Trebatius, *solidus, et firmior, quam ut dentem tibi imprimere quis possit. Ego quidem, quantum ad me attinet, nihil hinc possum defringere*. Sic auctor ad Herennium IV, 55, [§ 65] „*Subsellii pedem defringit*“: Suetonius Claudio XLII. „*Defractis compluribus subselliis*.“ Virgil. Aen. XI, 748. „*Aut summa ipsius ab hasta Defringit ferrum*.“ Appuleius metaphorice, ut hic, in Floridis [p. 355, 1 Elm., p. 68 extr. Oud.]: „*Sed ut integrum et intemeratum vestrum esset beneficium, si nihil ex gratia eius petito mea defregisset*.“ Sic et alii poetae et Noster de Leonis morsu *Frangere* usurpant: Carm. 1, 23, v. 10. „*Atqui non ego te, Tigris ut aspera, Gae- tulusve leo, frangere persequar*.“ Quin et illud denique, quod codices aliquot praefertunt, et pro varia lectione Porphyrius apposuit, sic satis comode explicis; praesertim si pro *Hinc* vel *Hic* substituas *His*: „*Equidem nihil his diffidere possum*“: hoc est: „*neque a dictis tuis dissentire; non possum non fidem tuis habere; accedo, ut in Satiris scribendis fidenter pergas*.“ Lucretius I, 267. „*Ne qua forte tamen ceptes diffidere dictis, Quod nequeunt oculis rerum primordia cerni; Accipe praeterea*“ etc. et v. 333. „*Nec sine errantem dubitare et quaerere semper De summa rerum, et nostris diffidere dictis*.“ ubi sane *diffidere* est *prae dubitatione et metu dissentire*: quod apposite quidem huic Flacci loco convenit. Dixerat enim Trebatius: „*O quae, ut sis Vitalis, metuo; et maiorum ne quis amicus Frigore te feriat*“: iam vero ex Horatii responso confirmatio factus et fiducia plenior, *Equidem*, inquit, *nihil his, quae dictis, diffidere possum*. Vides iam opinor, quamvis ex variis lectionibus potiore esse illa, quam Interpretes arripuerunt: Si tamen ne audies, illam unicam amplexaberis, *diffingere*, quam editiones olim Venetae et Loscheriana exhibuerunt, priusquam altera illa ex Iuriconsultorum decreto in eius sedem intruderetur.

84. *Sed bona si quis Iudice condiderit laudatur Caesare*] Ita quidem editiones; sed rescribe ex quattuor Cruquii Codicibus, Fulmanni ano, Bersmanni altero, et nostro a prima manu Magdalensensi; „*esto; si quis mala; sed bona si quis Iudice condiderit laudatus Caesare*“? *Esto*, inquit; *lege agere liceat adversus eum, qui mala carmina condiderit; sed si quis bona condiderit, laudatus Caesare iudice? si ipse integer hominem nequam perstrinxerit? quid tum? Ille quidem*, ait Trebatius, *impune abit*. Illud recte tam a veteribus, quam novis Interpretibus observatum est, ludere Nostri in varia acceptione verbi. Trebatius *mala carmina* accepit pro *criminosis, famosis*; Noster pro *vitiosis, male factis, ineptis*. *Siquis ergo*, inquit, *ut ego, bona carmina fecerit, a Caesare probata*? Vides iam, opinor, lectionem illam *Laudatus* multis rebus recepta meliorem esse. Primo enim, non quicumque bona carmina fecerit, *laudabatur* iudice Caesare: non enim omnibus datum erat tam felicibus esse, ut Caesarem lectorem et iadi-

85 Opprobriis dignum laceraverit, integer ipse?
Solventur risu tabulae: tu missus abibis.

v. 85. Vulg. *Latraverit.*

cem nanciscerentur: Id Virgilio et Nostro cum paucis aliis concessum. Deinde in hac Synchysis est, quae venia sane indiget: in illa nitida sunt omnia, et per planum sine obice fluentia. Postremo in hac lectione turbata sententia est; neque habes, quo referas Trebatii illud responsum; „*Solventur risu tabulae, tu missus abibis*“: adeo ut hinc decepti interpretes aliquot totum hoc Horatio perperam ascripserint. Contra in illa nostra lectione continuatur pulchre oratio, sic per interrogationem efferenda, „*Esto: si quis mala. Sed bona si quis Iudice condiderit laudatus Caesar? si quis Opprobriis dignum laceraverit, integer ipse?*“ Quid tum fiet, Trebati? an etiam, si sic sit, dabitur iniuriarum actio? Immo enim, respondet Trebatius, alia iam caussa est, et dissimilis ratio: „*Solventur risu tabulae: tu missus abibis*“: si nebulo iste sale nigro perfrictus in ius te vocaverit; subvenient tibi cum risu iudices, et te impanitum dimittent.

85. *Si quis opprobriis dignum latraverit, integer ipse*] Iam diu est, cum Lambinus in suis aliquot codicibus invenit, *laceraverit*: alterum tamen illud *latraverit* omnes ubique editores ut melius elegantiusque amplexi sunt: mihi vero, quod bona eorum venia dictum sit, aliud plane videtur. *Latraverit*, inquit, positum est pro *allatraverit*. Esto sane hoc: nam et alibi noster active usurpavit, Epod. V, 58. *Senem adulterum latrant*. Epist. I, 2, 66. *Cervinum pellem latravit*: de constructione non litigabimus. Verum illud negamus vel *latrare* vel *allatrare* vel ulla huius verbi composita sententiae huic et loco convenire: „*si quis Opprobriis dignum latraverit, integer ipse*“ ubi hoc dici manifestum est, *si quis vitae integer, puris moribus, latraverit alium quendam, hominem infamem et impurum*. Iam primum aio metaphoram hanc a canibus ignavis tractantem, qui *latrant* scilicet, non mordent, nullo pacto hic locum habere. Recte quidem dixeris, *si homo malus et nequam latraverit virum integrum*: minime vero vice versa, *si vir integer latraverit hominem nequam*. Idque tum ratio ipsa, tum bonorum auctoritas satis te docebit. Nusquam enim quemquam hac metaphora usum reperies; nisi ubi significet, homines invidos vel ignavos obtractare aliis sese melioribus. Livius XXXVIII, 54 princ. „*Morte Africani crevere inimicorum animi: quorum princeps fuit M. Porcius Cato, vivo quoque eo allatrare eius magnitudinem solitus*“: ad quem locum respexit Quintilianus Inst. VIII, 6. [§ 9] ubi de Tropis agens, „*Et ut Livius*“ ait, „*Scipionem a Catone adlatrari solitum refert*“ Columella in Praefat. [§ 9] „*Sed ne caninum quidem, sicut dixerunt veteres, studium praerantius, locupletissimum quemque adlatrandi, et contra innocentes pro nocentibus latrocinium*“ Martialis Epigr. V, 62. [61 v. 1] „*Allatres licet usque nos et usque, Et gannitibus improbis laessas*“ Suetonius in Vespas. c. 13. „*Demetrium Cynicum in itinere obvium sibi post damnationem, ac neque assurgentem, neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit Canem appellare*“ Seneca de Vita beata XVII. [princ.] „*Siquis ex istis, qui Philosophiam conlatrant, quod solent, dixerit*“ Vides iam, opinor, *allatrare, oblatrare, collatrare*, contumeliae loco ubique poni; adeo ut turpissime peccaverit Horatius, si partes homini *integro* dederit, quae sunt *invidi* aut *ignavi*. Ergo et ipse *allatrasti* Pantolabum scurram, et Pantilium cimicem? Nempe tu homo nihili tunc obtractabas civi optimo, „*Qui melior multis, quam tu, fuit, improbe, rebus*“ Quis autem tibi fidem habeat, de te tam male et absurde loquenti? Equidem a me impetrare hoc nunquam potero: neque dubito, quin sic olim a te profectum fuerit, „*Siquis Opprobriis dignum laceraverit, integer ipse*“: quod vocabulum unice huic loco aptum et appositum est. Suetonius de

E C L O G A II.

Quae virtus et quanta, boni, sit vivere parvo,
(Nec meus hic sermo est; sed quae praecepit Ofellus

v. 2. Vulg. *Quem.*

Illust. Grammat. c. XV. „*Lenaeus tanto amore erga Pompeii memoriam existit, ut Sallustium Historicum, quod eum oris probi, animo invercundo scripsisset, acerbissima satira laceraverit*“ Idem in Julio c. LXXVI. [LXXV. extr.] „*carminibus maledicentissimis laceratam existimationem suam civili animo tulit*“ Tiberio c. LXXVI. „*Artabani Parthorum regis laceratus est literis, parricidia et caedes et ignaviam et horuriam obviocent*“ Domitiano XXIII. „*Contra Senatus adeo laetatus est, ut repleta certatim curia non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceraret*“ Livius XXXI, 6. [§ 5] „*Aegre eam rem passi Patres; laceratusque probris in senatu tribunus plebis*“ XXXII [XLII], 22. [§ 4] „*Hoc tractus vinculo quam redisset, ingenti cum invidia in Senatum venit: ibi quam laceratus iurgii multorum esset*“ XLIII, 4. [§ 6] „*Lucretium tribuni plebis absentem concionibus assiduis lacerabant*“ Tacitus Annal. IV, 42. „*Audivit Tiberius probra, quibus per occultum lacerabatur*“ Attilius Fortunatianus p. 2692. „*Iambica maledica carmina appellant, quod hoc metro olim lacerare et laedere solebant*“ Sed haec satis superque: plena enim exemplorum sunt omnia. Illud, credo, in his iam animadvertis, *Lacerare concionibus, literis, iurgiis, probis, Carminibus, Iambis, Satira*, plane apud illos dici, ut apud Nostrum *lacerare opprobriis*. Cave enim, *opprobriis* cum vulgo ad *dignum* retuleris. Ordo enim est, *siquis, ipse integer, opprobriis laceraverit dignum*. Multo utique elegantius hoc est, ut *dignum* absolute sine adiuncto ponatur. Sic Noster alibi, Serm. II, 2, v. 103. „*Cui egot indignus quisquam, te divite*“ Cicero apud Servium ad Aen. VI, 611. „*Dignis igitur largiendum est*“ Incertus apud Scholiastem Iuvenalis Sat. V. [v. 3] „*Digna dignis: sic Sarmentus habeat crassas compedes*“ Plautus Cureul. IV, 2, v. 27. „*Indignis si male dicitur, maledictum id esse duco: Verum si dignis dicitur, benedictum est meo quidem animo*“ Si male dicitur, inquit, *dignis*: prorsus ut apud Nostrum construenda sunt verba; *si opprobriis laceraverit dignum*. Atque hinc etiam recte colligas, spurium esse et interpolatum illud *Latraverit*. Quippe *latrare opprobriis* ne fando quidem auditum est; ut vel Interpretibus nostris absonum et absurdum videatur. Itaque eo confugiant necesse est, ut *opprobriis ad dignum* referant; quo tamen insignis, ut dixi, huius loci elegantia perditur. Denique haec legas velim S. Hieronymi in Epitaphio Nepotiani [p. 273, 27 ed. Ben.—p. 342 extr. ed. Vall.]: „*Cave, ne committas, quod aut qui reprehendere volunt, digne lacerasse videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere*“ Equidem nullus dubito, quin cum haec scriberet Patrum doctissimus, hunc ipsum Flacci locum in mente haberit, *dignum laceraverit*.

2. *Sed quem praecepit Ofellus*] Tres codices Torrentii: „*Nec meus hic sermo est; sed quem praecepit Ofellus*“ Quod et elegantius est, et castigatius. Sic alibi Noster Epist. I, 10, 49. „*Haec tibi dictavi*) post fanum putei Facunae*“ et Serm. II, 7, 45. „*Dum quae Crispini docuit me ianitor, edo*“ Terent. Heaut. III, 3. [v. 18] „*Clitipho, haec ego praecepit tibi?*“ Adelph. III, 3. [v. 80] „*Ubi siquid bene praecepis, nemo obtemperet*“ et V, 9. [v. 6] „*Docui, nonui, bene praecepit semper, quae potui, omnia*“ Equidem, *praecepit sermonem*, quod vulgata lectio exhibet, nollem dicere. Ceterum pro *Ofellus* legendum esse videatur *Ofella*; ut et v. 53. *Ofella*, pro *Ofello*; et v. 112. *Ofellam* pro *Ofellum*. Quippe

*) [scr. dictatam]

- Rusticus, abnormis Sapiens, crassaque Minerva)
 Discite, non inter lanceas mensasque nitentis;
 5 Cum stupet insanis acies fulgoribus, et cum
 Adclinis falsis animus meliora recusat:
 Verum hic inpransi mecum disquirite. Cur hoc,
 Dicam, si poterō. male verum examinat omnis
 Corruptus iudex. leporem sectatus, equove
 10 Lassus ab indomito; vel (si Romana fatigat
 Militia aduetum graecari) seu pila velox,
 Molliter austerum studio fallente laborem,
 Seu te discus agit, pete cedentem aëra disco:
 Cum labor expulerit fastidia; siccus, inanis
 15 Sperne cibum vilem: nisi Hymettia mella Falerno,
 Ne biberis, diluta. foris est promus, et atrum
 Defendens piscis hiemat mare: cum sale panis
 Latrantem stomachum bene leniet. unde putas, aut

v. 14. Vulg. *Extuderit*.

Ofella cognomen erat Romanis notum, ut Lucretiorum, Velleius Patereculus II, 27. [sub fin.] *Ofella Lucretius*. Aurelius Victor in C. Mario [c. 72]: *Lucretius Ofella*. Livii Epitome lib. LXXXVIII. „C. Marius Praeneste obsessus ab Lucretio Ofella;“ et LXXXIX. „Q. Lucretium Ofellam, contra voluntatem suam consulatum petere ausum, iussit (Sylla) interiri in foro.“ At *Ofellus* nusquam legisse memini. OFELLIUS quidem et OFILLIUS habes apud Gruterum et Reinesium: sic Plin. Hist. VII, 49. [§ 158] *Claudia Ofilius*; et ibidem 54. [§ 184] *M. Ofilius Hilarus*: Appianus de Bello Civili lib. V. [c. 125] *O ἰλιόχορος Ὀφίλλιος*. Iohannes tamen Saresberienensis a vulgata lectione stat, Polierat. II, 1. [prine.] „*Rusticanum et forte Ofelli procerbum est, Qui somniis et auguriis credit, numquam fore securum.*“ Quamobrem sine codicis scripti auctoritate nihil mutabimus.

3. *Abnormis sapiens, crassaque Minerva*] Nullus est interpretum, qui non prodiderit in suis aliquot *abnormi* haberi: in quibus sunt tres Blandinii apud Cruquium omnium veterimi. Idem nos invenimus in Leidensi, Battelliano, et tribus aliis: Quaeritur iam, utrum sit praefendum, *Abnormi et crassa Minerva*, an *Abnormis sapiens*. Mihi quidem posterius magis placet. *Sapiens* hic idem est, ac *Philosophus*. Quemadmodum autem *Stoicus sapiens, Academicus sapiens*, pro sectae ratione dicitur: ita *Ofellus erat abnormis sapiens*, hoc est, sapiens nullius normae, nullius sectae et disciplinae, *αὐτοδιδάκτος*, natura et moribus, non doctrina et disciplina sapiens. Cicero in Laelio c. 5. [§ 18] a Lambino hic olim citatus: „*Numquam ego dicam C. Fabricium, M. Curium, T. Coruncanium, quos Sapientes nostri maiores iudicabant, ad istorum (Graecorum) normam fuisse sapientes.*“ Ergo *abnormis sapiens* recte dicitur et eleganter: *abnormis* vero *Minerva* non ita concinne, meo quidem iudicio.

14. *Cum labor extuderit fastidia*] *Extuderit*, inquit Acon Scholias, *id est, excusserit, delicias tibi eiecerit*. Recte quidem hoc ad mentem Horatii, *excusserit fastidia*: ut Seneca Ep. CXIX. [§ 15] „*Inter reliqua hoc nobis natura praestitit praecipuum, quod necessitati fastidium excussit.*“ Sed illud valde dubito, an *extuderit fastidia* possit idem esse ac *excusserit et eiecerit*: immo alterum ab altero inmane quantum discrepare contendo. *Extundere enim aliquid*, non est *excutere*, ut *eiicias et expellis*, sed ut *inventas et obtineas*. Virgil. Georg. I, 133. „*Ut varias usus meditando extunderet artes*“: hoc est, ut recte Servius exponit, *studiose repe-*

- Qui partum? non in caro nidore voluptas
 20 Summa, sed in teipso est. tu pulmentaria quaere
 Sudando. pinguem vitis albumque neque ostrea,
 Nec searus, aut poterit peregrina iuvare lagois.
 Vix tamen eripiam, posito pavone, velis quin
 Hoc potius quam gallina tergere palatum,
 25 Corruptus vanis rerum; quia veneat auro
 Rara avis, et picta pandat spectacula cauda:
 Tamquam ad rem attineat quicquam. num vesceris ista,
 Quam laudas, pluma? cocto num adest honor idem?

v. 21. Vulg. *Nec*.

riret et coleret. Ibidem IV, 315. „*Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?*“ id est, ut iterum Servius, *studiose reperit*: et v. 326. „*En etiam, hanc ipsum vitae mortalis honorem, Quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers Omnia tentanti extuderat, te matre relinquo.*“ id est, *invenerat et acquisiverat*. Plautus Mostell. I, 3. v. 64. „*Atque olim, priusquam id extudi, quum illi subblandiebar*“: id est, *obtinuei, impetravi, extorsi*. Et eodem plane sensu Suetonius Vespas. cap. II. „*Nec compelli nisi a matre potuit: ea demum extudit, magis convicio, quam precibus vel auctoritate*“: et Valerius Max. I, 4, 4. [vel 5] „*Vixque extuderunt, ut domum rediret.*“ Gellius XVII, 20. [§ 4] „*Existimans eloquentiae unius extendendae gratia Athenas venisse*“: hoc est, *quaerendae, comparandae*. Auctor dialogi De causis corruptae eloquentiae c. 9. „*Ut cum toto anno unum librum extudit*“ et *elucubravit*.“ Ne multa: id polliceri tibi ausim, ubicumque hoc vocabulum occurrit, eodem quo in his locis sensu inveniendi, acquirendi, impetrandi, extorquendi venire. Iam ergo si ad haec exempla locum Flacci examines: *Extundere fastidia alicui*, erit homini euidam, nimium simplici et circa victum indifferenti, et ne immunda quidem aspernanti, tandem aliquando debitum fastidium creare et excitare. Quod quam alienum sit et quidem contrarium menti poetae, nihil opus est dicere. Quid nunc agimus? Ceteri quidem interpretes tacent: solus hic Torrentius ingenue lectorem monet, suos codices pene omnes habere *extulerit*, non *extuderit*: quod, inquit, *alii affirmant vix crediderim*. Quid ita vero, vir optime? quasi incredibile aut mirum sit vestigia sanae lectionis in ullis codicibus extare? Quin et nostri, Reginensis, Galeanus, Petrensis, clare itidem habent *extulerit*: et a prima manu Magdale- nensis. Unde minima mutatione mihi facile fuit sic locum reconcinare, „*Cum labor expulerit fastidia*.“ Idque postea Excerpta Bodleiana, annis opinor abhinc CCCC scripta, sine litura mihi exhibuerunt. *Fastidium expellere*, plane ut Plinius [XXIII § 161], *fastidium abigere*: Seneca [l. c.], *fastidium excutere*. Noster Epist. II, 2. v. 137. „*Expulit helleboro morbum bilemque moraco.*“ Sane et ipsum *extulerit* satis commode ferri potest, id est, *abstulerit, deduxerit*, ut alii sunt locuti.

21. *Nec ostrea, Nec searus*] Lege ex scriptis et olim editis, *neque ostrea*. Semel antea de his monui, quod satis est.

25. *Cocto num adest honor idem*] Vocula *num* non eliditur hic in scansione, sed pronunciat: ut frequenter apud Comicos, etiam vocali sequente. Sic Terentius. [Ad. I, 2, 38] „*Dum erit comuadum*“: [Andr. V, 4, 41] *Cum ego possim in hac re medicari mihi*: [Heaut. III, 3, 23] „*Quam ego argentum effecero.*“ Id duntaxat observandum, numquam hoc fieri in ultima pedis syllaba, cuius rei rationem soli Musici intelli- gent. Lucretius III, 1096. [1082] „*Sed dum adest quod avemus, id*

*) [vide edit. erit.]

Carne tamen quamvis distat nihil, hac magis illa;

30 Inparibus formis deceptum te patet. esto.

Unde datum sentis, lupus hic, Tiberinus, an alto
Captus hiet? pontisne inter iactatus, an amnis
Ostia sub Tusci? laudas, insane, trilibrem
Mullum; in singula quem minuas pulmenta necesse est.

35 Ducit te species, video. quo pertinet ergo

Proceros odisse lupos? quia scilicet illis
Maiorem natura modum dedit, his breve pondus.
Ieiunus raro stomachus volgaria temnit.

essuperare videtur. Nihil ergo opus est sagacissimi Nic. Heinsii coniectura, qui ad Claudiani II Cons. Stil. v. 167. fortassis ait legendum, *Coctone adest honor idem*; sine vocalis elisione. Hoc enim multo adhuc durius est et horridius: quippe vocalis brevis nusquam hiatum facit, sed semper eliditur, ut docui ad Carm. III, 14. v. 11. Equidem, siquid mutatum vellem sic potius legerem, „Coctone etiam est honor idem?“ Etiamne cocto honor idem est? Sane codex Battelianus, *Cocto num est honor*: Galeanus vero et alter, *Cocto nec adest*.

29. *Carne tamen quamvis*] Quam sudent hic et omnia moliantur interpretes, quo verborum constructionem explicent et evolvant, vide, si vacat aut copia est, apud ipsos. Nos sic in vulgata lectione, quam omnes fere exhibent scripti editique libri, simplicissime verba ordinamus: „*Carne tamen quamvis distat nihil, hac magis illa; Inparibus formis deceptum te patet. Esto. Unde datum sentis, lupus hic, Tiberinus an alto Captus hiet?*“ *Quamvis*, ait, nihil distat, nihil exellit carne hac pavonis, magis illa, gallinae; tamen patet te, deceptum inparibus formis avium, hanc carnem illi praeponeo. *Esto hoc*: concedo, permitto tibi, do veniam tuae stultitiae, ut forma hic decipiaris. *At unde sodes dignoscis et discernis*, hic lupus piscis utrumne in Tiberi an in alto mari captus sit? Certe eadem utrobique est forma: neque idem in lupo, quod in pavone, poteris praetendere. *Hac magis illa*, quod perinde est atque *haec magis quam illa*: ut Serm. II, S. v. 17. „*Albanum Maecenas, sive Falernum Te magis appositis delectat.*“ Lucret. V, 729. [730] „*Aut minus hoc illo sit cur amplectier ausis.*“ Iam, opinor, in hac expositione transitio ad sequentia plana est et a proximo petita: tum et tota sententia seriesque orationis clare elucescit. Nihil ergo opus est Xylandri hariolatione, sic locum refingentis; quam et Chabotius non improbat: „*Carne tamen, quam vis, distat nihil hac magis illa*“ ubi praeter alia iure culpanda vocabulum *haec* prorsus redundabit. Multo minus opus illa Marcilii correctione, cariosa sane et rancida: „*Carni tamen (quamvis distat nihil hac magis illa) Inparibus formis deceptum te patet.*“ Neque enim indigna illa veterum licentia Noster usquam abusum est, ut S in fine vocis elideret: neque vero *carnis*, sed *plumarum* forma deceptus est iste ganeo. Denique etiam libenter carere possumus Torventii opera, qui ex nescio quibus in uno et altero codice variis lectionibus sic locum constituit, „*Carne tamen quamvis distat nihil; hac magis illam Inparibus formis deceptum te petere esto.*“ ubi potius scribendum fuerit, *hanc magis illa*. Quippe si *haec magis illam* legeris; sic fiet, ut caro gallinae pavonis carni praefatur, prorsus contra poetae mentem. Sed quod hanc emendationem funditus evertit, illud est; quod *Esto*, vox concedentis, semper orationem inchoet; numquam, ut hic, claudat.

31. *Unde datum sentis*] Hoc est, *Unde tibi datum, quod sentis; Unde tibi concessum, ut sentias*. Doctissimus tamen Nic. Heinsius in ora sui codicis, *Forte*, ait, *legendum*, „*Unde ratum sentis, lupus hic, Tiberinus an alto Captus hiet?*“ Nolle factam: vulgata enim lectio, quam om-

Porrectum magno magnum spectare catino

40 Vellem, ait Harpyiis gula digna rapacibus. at vos
Praesentes, Austri, coquite horum obsonia. quamquam
Putet aper rhombusque recens, mala copia quando
Aegrum sollicitat stomachum; cum rapula plenus
Atque acidas mavolt inulas. needum omnis abacta

45 Pauperies epulis regum: nam vilibus ovis,
Nigrisque est oleis hodie locus. haud ita pridem
Gallon praecoris erat acipensere mensa
Infamis. quid? tum rhombos minus aequora alebant?
Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido;

50 Donec vos auctor docuit praetorius. ergo
Si quis nunc mergos suavis edixerit assos;
Parebit pravi docilis Romana iuventus.
Sordidus a tenui victu distabit, Ofello
Iudice. nam frustra vitium vitaveris illud;

v. 48. Vulg. *Aequor Alebat.*

nes ubique libri firmant, facile se tuetur loco illo Ovidii, Fast. VI, 103. „*Prima dies tibi, Carna, datur: Dea cardinis haec est. Numine clausa aperit, claudit aperta suo.* Unde datas habeat vires, obscurior aevo *Fama*: sed e nostro carmine certus eris.“ Sed et hic quoque vir idem praestantissimus emendat *ratas*, quamvis fatetur omnes ibi codices a recepta lectione stare. Scire equidem vellem, quid vitio vertat: ipse enim tacet. Atqui, aut plane nihil video, aut uterque locus, tam Horatii, quam Nasonis, firmo talo postea stabit, utpote a Persio fultus, cuius hoc est in Sat. V. v. 124. „*Liber ego.* Unde datum *hoc sumis, tot subdite rebus?*“ Neque enim dubites, quin perpetuus Nostri imitator hunc ipsum locum in animo habuerit; praesertim ubi scias in codice scripto Galeano, quem ipse olim versavi, sic clare haberi; „*Liber ego.* Unde datum *hoc se ut is, tot subdite rebus?*“ Datum igitur hic valet *concessum*: Unde concessum tibi, ut discernas, Lupus hic marinus sit, an fluvialis? natura et gustu, an prava opinione? Sic Martialis Epigr. I, 42. [v. 18] „*Non cuiquamque datum est habere nasum.*“ Terentius Eunuchus III, 1. [v. 5] „*est illuc datum Praefecto, ut grata mihi sint, quae facio omnia.*“ Lucret. II, 302. „*et crescent, inque valebant, Quantum cuique datum est per foedera naturae.*“

40. *Vellem, ait Harpyiis gula digna rapacibus*] Nic. Heinsius, *Lege*, inquit, *ais*. Sed recte habet persona tertia, *ait*; etiamsi aliquem ex adverso respondentem fingimus; ut docui ad Serm. I, 4. v. 79.

48. *Aequor alebat*] Plurali haec efferunt numero Editiones Venetae et Loscheriana, „*quid? tum rhombos minus aequora alebant?*“ quibus accedunt bona pars codicum, ut inter nostros Reginensis, Battelianus, Petrensis, Lambethanus, et a prima manu Magdalenensis. Quo igitur pertinebat, receptam in vetustis editionibus lectionem e loco suo eicere? Certe, siquid interest, hanc potius praetulerim. Neque enim unum aequor, sed *plura alebant* rhombos: et *minus aequor* in fronte gerit nescio quid ambigui, quod in altera lectione penitus evitatur.

53. *Sordidus a tenui victu distabit, Ofello Iudice*] Sic extat in editionibus priscae: at meliores Cruquii, Pulmanni, Bersmannique, et ex nostris optimi Leidensis, Reginensis cum quattuor aliis, *distabat*; quod fortasse nihilo deterius. Haec enim iam olim ab Ofello praeepta. Si *distabat* hic legis, tum Horatii verba sunt, de Ofello hoc narrantis: sin *distabit*, ipse Ofellus haec loquitur: et *Ofello iudice* perinde est ac *me iudice*. Sic Phae-

- 55 Si te alio pravus detorseris. Avidienus,
Cui Canis ex vero ductum cognomen adhaeret,
Quinquennis oleas est, et silvestria corna;
Ac, nisi mutatum, parcat defundere vinum; et
Cuius odorem olei nequeas perferre (licebit
60 Ille repotia, natalis, aliosve dierum

v. 55. Vulg. *Pravum*.

dra apud Nasonem Heroid. IV. v. 74. „*Quemque vocant aliae vultum rigidumque truceque. Pro rigido, Phaedra iudice, fortis erat.*“ Porro alius poeta sic potius scripsisset, „*Sordidus a tenui victus distabit.*“ Sed sic alibi noster Epod. I. 15. „*Roges, tuum labore quid iuvenem meo?*“ et Art. Poet. v. 237. „*Scimus inurbanam lepido seponere dicto.*“

55. *Si te alio pravum detorseris*] Elegantissima certissimaque est Bersmanni codicis lectio: nostri enim omnes a vulgata stant: „*Si te alio pravus detorseris.*“ qualis adiectivorum constructio sollemnis est Nostro, ut studiosus lector passim notabit. Ita Serm. II. 7. v. 74. „*quae bellua ruptis, Cum semel effugit, reddat se prava catenis?*“ et Serm. I. 4. v. 79. „*Laedere gaudes, Inquit, et hoc studio pravus facis.*“ ubi, si ita visum foret, studio pravo dicere potuisset; ut Livius XLII. 63. [§ 2] „*Non ob aliam causam, quam pravo studio; quo etiam in certaminibus ludicris vulgus utitur, deteriori atque infirmiori favendo.*“ Ceterum hoc in loco non constructio solum figuratio, sed et ipsa sententia melior efficitur: „*nam frustra vitium vitaveris illud; Si te alio pravus detorseris:*“ ideo scilicet pravus, quod te alio detorqueas. Atqui si pravum legeris; iam tum fuisse pravum criminaberis, priusquam ad aliud vitium se detorserit: quod falsum est.

56. *Cui canis ex vero ductum cognomen adhaeret*] Editiones veteres dederunt, *Ex vero dictum*; et sic codices multo plures, nostri certe ad unum omnes: sic Graeci: *Ετυμολογοῦντων*, quod ad verbum reddas, *ex vero dictum*. Livius I. 1. [extr.] „*Stirps virilis, cui Ascanium parentes dixerunt nomen.*“ Noster Epist. I. 7. v. 92. *pol me miserum, patrone, vocares, Si velles, inquit, verum mihi dicere nomen:*“ ut ibi habent tum editi antiqui, tum veterrimi aliquot codices, Graevianus, Leidensis, et alii. Sallustius Iugurth. c. 78. [§ 1] „*Ceterum situm inter duas Syrtis, quibus nomen ex re inditum.*“ — [§ 3] „*Syrtis a tractu nominatae.*“ Ovid. Fast. II. 859. „*Ex vero positum permansit Equiria nomen.*“ Sane *ex re inditum*, *ex vero positum* propius accedunt ad *dictum*, quam ad *ductum*. Tolerabilis itaque ea lectio est: ut mirum adeo non sit, si adhuc nonnullis placeat. *Ductum* tamen hic iure reposuerunt ex vetustissimo codice Blandinio. Sic Naso Fast. I. 467. „*Apsa mone, quae nomen habes a carmine ductum.*“ et Fast. III. 387. „*Iam dederat Saliis: a saltu nomina ducunt:*“ ubi vide Heinsium. Idem ibidem v. 733. „*Nomine ab auctoris ducunt Libanina nomen.*“ Noster Serm. II. 1. v. 65. „*nam Laetius et qui duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen.*“ Cicero De Nat. Deor. II. 27. [§ 68] „*Nec longe absunt ab hac vi dei Penates, sive a peni nomine ducto*“ etc. Et ibidem III. 24. [§ 62] „*Nullum est nomen, quod non possis una litera explicare, unde ductum sit.*“ Ceterum codex vetustus Pulmanni, „*Cui canis ex vero dictum cognomen adhaesit:*“ Sic Scirenus Sammonicus c. LXXV. [c. LXIV v. 1101], ubi hunc locum imitatus est, „*Interdum existit turpi verruca papilla; Hinc quondam Fabio verum cognomen adhaesit.*“ Sed in Flacco recte habet *Adhaeret*. Hic enim de Avidieno vivo, Sammonicus de Verrucoso mortuo locutus est.

59. *Cuius odorem olei*] Vide modo locum: „*Cuius odorem olei nequeas perferre (licebit Ille repotia, natalis, aliosve dierum Festos albatos*

- Festos albatos celebret) cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur, et horum
Utrum imitabitur? hac arguet lupus, hac canis, aiunt.
65 Mundus erit, qua non offendat sordibus, atque
In neutram partem cultus miser. hic neque servis,
Albuci senis exemplo, dum munia didit,
Saevus erit; nec sic ut simplex Naevius, unctam
Convivis praebebit aquam: vitium hoc quoque magnum.
70 Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque secum
Adferat. in primis valeas bene: nam variae res
Ut noceant homini, credas, memor illius escae
Quae simplex olim tibi sederit. at simul assis
Miscueris elixa, simul conchyliis turdis;

v. 65. Vulg. *Qui non offendit*.

celebret) cornu ipse bilibri Caulibus instillat.“ Quid? ane *instillat odorem olei?* immo *oleum* ipsum. Ergo tres Torrentii codices cum nostro Colbertino lectionem eam praeferrunt: „*Cuius odorem oleum nequeas perferre.*“ Quid agimus? sane utra harum potior sit, dictu difficile est. Quippe si *oleum* legis, Synchysis illa Horatio est familiaris: Sin *olei*, figurata est locutio, haud minus Nostro usitata. *Cuius olei odorem perferre nequeas, instillat.* Hoc est, *Oleum, cuius odorem.* Casum scilicet Nominis ad pronomen retulit, non ad verbum: ut in illis Terentii; [Andr. prol. v. 3] „*Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.*“ [Andr. I. 1 v. 20] „*Quas credis esse has, non sunt verae nuptiae.*“ Sententia igitur utrobique eadem reddi: et dabimus id tot editionibus, ut *olei* retineamus.

65. *Mundus erit, qui non offendat sordibus*] Locus hic et interpretes male habuit, et ab illis vicissim male habitus est: „*Quali igitur victu sapiens utetur. et horum Utrum imitabitur? hac urget lupus, hac canis, aiunt. Mundus erit, qui non offendat sordibus, atque In neutram partem cultus miser.*“ ubi in diversas partes trahuntur; alii ex praecedentibus *victus* huc repetunt; *Mundus victus erit*, qui non offendat sordibus; alii ex sequentibus *cultus* huc retrahunt, *Mundus cultus erit*, qui non offendat sordibus; atque miser in neutram partem: plures denique *Homo* subintelligunt, *Mundus homo is erit*, qui non offendat etc. Perperam omnes: neque enim Offensus hic definit aut statuit, Quinam homo, vel quinam *cultus victusve* sit mundus: id in vita communi notum erat omnibus. Quid igitur restat? Nimirum et in editionibus praesentibus et codicibus prope omnibus habetur *offendat*. Hoc recte: deinde in Blandiniis Cruquii et Scholiaste Aerone *qua*, non *qui*. Lege ergo, „*Mundus erit, qui non offendat sordibus.*“ Nempe supra quaesiverat, *Quali victu sapiens utetur*; nunc autem respondet: *Mundus erit, hoc est, Sapiens mundus erit, qua non offendat sordibus.* *Qua* hic absolute est positum, pro *Eatenus qua*, ut passim apud bonos auctores, *Eatenus mundus erit, qua non offendat sordibus*; qua non sordibus offensum et fastidium moveat: non affectabit cultum iusto mundiosem: *in neutram partem cultus miser erit*; neque inclians in nimiam et supervacuum munditiam, neque in victum immundum et sordidum. Noster Serm. I. 2. v. 123. „*Candida rectaque sit, munda haecenus, ut neque longa, Nec magis alba velit, quam det natura videri.*“ Seneca Controv. XV. [§ 3, p. 174, 7 Bars.] „*Matrona prodat in tantum ornata, ne immunda sit.*“ Varro apud Gellium XIII. 11. [§ 5] „*Dominum autem convivii esse oportet non tam lautum, quam sine sordibus.*“

75 Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. vides, ut pallidus omnis
Cena desurgat dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitis animum quoque praegravat una,
Atque affligit humo divinae particulam aurae.
80 Alter, ubi dicto citius curata sopori

v. 79. Vulg. *Affigit*.

79. *Atque affigit humo divinae particulam aurae*] *Affigit* et veteres editiones habent, et omnes omnium codices; praeterquam quibus usus est Lambinus, quorum duodecim, si fides est, *affligit* praeferebant. Nos sane in nullo id vidimus. Neque vero id multum refert, utrum ulli qui nunc quidem extant, ita habeant necne: cum satis constet tam ex alio Flacci loco Serm. 1, 1. v. 81. quam ex multis aliorum auctorum, voces *Affigere* et *Affligere* passim a Librariis confundi solere. Hoc igitur hic agamus; non utra lectio plures codices sponsores habeat, sed utra melior, loco aptior, et ad sententiam convenientior. Et de hoc quidem litigant Interpretes; neque ullus litigandi finis erit, nisi si auctor ab umbris excitatus controversiam ipse dirimat. Quippe utraque lectio proba est; ut necesse sit hanc illi, illam alteri pro vario hominum gustu magis placere. Ceterum *affigere humo* quid sit, norunt omnes; *affligere humo* est cum vi et impetu terrae illidere. Ovidius [Met.] XII, 139. „*Quem super impulsam resupino pectore Cygnum Vi multa vertit*, terraeque adfixit Achilles.“ et XIV, 206. „*quo vidi hinc meorum Ter quater affligi sociorum corpora terrae*.“ Auctor Octaviae v. 685. „*Affligat humo violenta manus Similes nimium vultus dominae*.“ Florus IV, 12. [prin.] „*Molieres, deficientibus telis, infantes ipsos Afflictos humo in ora militum adversa misera*.“ Valerius Max. IX, 2. 4. „*Infantesque alios in conspectu parentum humo infligi iussit*.“ Tacitus Hist. 1, 41. „*Dereptam Galbae imaginem solo afflixit*.“ Sueton. Domit. c. XXIII. „*Clypeos et imagines eius coram detrahi, et ibidem solo affligi iuberet*.“ Silius Italicus lib. VII [v. 612]. „*trepideque levantem Membra afflicta solo, pressa violentius hasta Implicuit terrae*.“ Lucanus, II, 31. „*haec lacrimis sparsere deos, haec pectora duro Adlixere solo*.“ Ubi tamen acutissimus Io. Frid. Gronovius, Observ. IV, 8. ex Manuscriptis suis reponit *Adliere*: neque enim, ait, impetu se humi prosternebant, sed procumbebant duntaxat. Nollem hoc a viro sagacissimae naris profectum. Recte enim ibi habet, *Adliere*; idque vel epitheton *duro* satis ostendit. Id enim rem exaggerat, quod etiam *duro* et marmoreo templorum solo pectora adlixerint. Frigebit autem epitheton, si placide et lente procubuerint: nihil enim tam intererit, *duro*ne dixeris an *mollis*. Quid quod in magno luctu sollemne erat humo corpora affligere, et capite et pectoribus solum tundere, ut pluribus probare facile foret, si id nunc ageremus. Sic de sene Amphitryone Seneca in Herc. Fur. v. 1317. „*Fivamus: artus alleva afflicto solo, Theseu, parentis*“: et Hypsipyle apud Statium Theb. V, 602. [592]. „*huc magno cursum rapit effera luctu, Agnoscitque nefas; terraeque illisa nocenti Fulminis in morem, non verba in finire primo, Non lacrimas habet*“ et de sene Gordiano Capitolinus in Maximino c. XIV. „*Gordianum, reclamantem et se terrae affingentem, opertum purpura imperare coegerunt*.“ Unde et in illo Silii de legatis Saguntinis; lib. I. sub finem [v. 674]. „*Tandem ut finitiae voces; miserabile visu Affugit prona squalentia corpora terrae*“ non dubitem reponere *Affugit*, repugnante licet Dausqueio, et eo multo maiore Gronovio. Atque satis iam, opinor, superque Lambino tulimus suppetias, qui copiose hunc locum enarrans eo maxime ad incitans redactus est, quod *affligere ad terram* compluribus exemplis, *affligere terrae* vel *humo* ne uno quidem confirmare potuit. Iam autem, si locutio tam bene se tuetur, haud minus, puto, et

Membra dedit, vegetus praescripta ad munia surgit.
Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam;
Sive diem festum rediens advexerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus: ubique
85 Accedent anni, et tractari mollius aetas
Imbecilla volet. tibi quidnam accedet ad istam,
Quam puer et*) validus praesumis, mollitiem? seu
Dura valetudo incidet, seu tarda senectus.

sententia ipsa se commendabit. *Corpus*, inquit, *hesterna crapula onustum, animum quoque divinae aurae particulam una secum praegravat, et humo affligit*. Certe nihil hic reprehendas; nisi illud forte, quod *humo affligere*, sive in solum deicere, non satis morae denotet, qua animus, etsi sua natura caelestis, vitis tamen praegravatus humi teneatur. Quod enim *humo afflictum* est, cito forte se erigere et sublevare potest; quod *humo semel afflicum*, vix aut sero potest resurgere. Recte quidem: sed contra reponit, Non requiri hic diuturnam moram, quae per totam vitam perduret; agi hic de *hesternis tantum vitis*, de *caena dubia*, de una adeo crapula, quae proinde animum ad terram *deprimat*, sed minime *defigat*: qua scilicet vel labore vel abstinentia vel denique somno discussa, animus se statim recuperet et humo tollat. Recta igitur, ni fallor, et extra omnem reprehensionem posita est lectio illa Lambini. Neque tamen hilo minus tibi arrideat illa altera, quam aliorum codices tanto consensu ministrant, „*Atque adigit humo divinae particulam aurae*.“ Sic enim Seneca Epist. LVIII. [§ 14]. „*Quaedam animantia impetum habent, incedunt, transeunt: quaedam solo affixa radicibus aluntur et crescunt*.“ Livius VIII, 7. [§ 11]. „*Quem Mantius ab ingulo, ita ut per costas ferrum emineret, terrae afflixit*“ et XXIX, 2. [§ 15]. „*Postquam ii, qui circa regem, seminecem restantem, deinde pilo terrae affixum, pugnabant*.“ Ergo *adligere humo animum* perinde erit, ac clavo vel fibula vel alio quodam vinculo, terrae adnectere. Id quod in re fere eadem Plato habet in Phaedone [p. 83 D], *Ἐλάσσει ἡδονῆ καὶ λύπῃ, ὡς περὶ ἕλον ἔχουσα, προσήλοι τὴν ψυχὴν πρὸς τὸ σῶμα καὶ προσπερονεῖ: Omnis voluptas ac dolor animum corpori, quasi clavo et fibula, affigit*. Quo alludit Plutarchus Symposiacis VIII, 2. [c. 1]. *Ὁ γὰρ ἡδονῆς καὶ ἀλγηθόνος ἕλος, ὡς πρὸς τὸ σῶμα τὴν ψυχὴν προσήλοι, μέγιστον κακὸν ἔχειν εἶναι: Doloris enim et voluptatis clavus, qui corpori animum affigit, magnum malum esse videtur*. Itaque hoc dicit Horatius, *Corpus tibi viniq[ue] onere gravatum una animum deprimere*, et quasi clavo terrae *affigere*, *προσπερονεῖν καὶ προσήλοῦν τὴν ψυχὴν εἰς γῆν*. Quo in primis pertinent illa Sancti Hieronymi contra Iovinianum Libro II. [p. 202, 41 Ben.] „*Porro ciborum aviditas, quod animum quasi quibusdam compedibus degravatum in terra teneat, quis ignorat?*“ Sane ut Horatius fortasse ad illum Platonis locum, ita ad hunc Horatii Hieronymus probabiliter admodum respexisse videntur.

85. *Accedent anni, et tractari*] In omnibus Pulmanni et Bersmanni codicibus, et in pluribus Torrentii desideratur particula *et*; adeo ut locus sic constituitur, „*Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam; Sive diem festum rediens advexerit annus, Seu recreare volet tenuatum corpus: ubique Accedent anni, tractari mollius aetas Imbecilla volet*.“ Abest etiam et ab editionibus vetustis, et a Libris meis praeter Reginensem omnibus. Si tollis *tō et*; tam clauditur oratio post illa *tenuatum corpus*; et reliqua sententiose proferuntur; *Ubi autem senectus ingravescat, ea aetas imbecilla lautius et delicatius tractari postulat*. Atque haec quidem lectio sic satis commoda est, et libris plerisque omnibus fundata. Ne-

*) [et. Beatt. praef. ed. prin. reponendum inastit]

Rancidum aprum antiqui laudabant: non quia nasus
 90 Illis nullus erat; sed, credo, hac mente, quod hospes
 Tardius adveniens vitiatum commodius, quam
 Integrum edax dominus consumeret. hos utinam inter
 Heroas natum tellus me prima tulisset.
 Das aliquid famae, quae carmine gratior aurem
 95 Occupat*) humanam? grandes rhombi, patinaeque
 Grande ferunt una cum damno dedecus. adde
 Iratum patrum, vicinos, te tibi iniquum,
 Et frustra mortis cupidum; cum deerit egenti

quaquam tamen ambigo, quin altera illa, quam clare habet Codex Reginensis, sola vera et sincera sit; dummodo pro *que* ex coniectura reponas *ve*: „Sive diem festum rediens adveverit annus: seu recreare volet tenuatum corpus; ubi *ve* Accedent anni, et tractari mollius aetas Imbecilla volet.“ Quo pacto orationis cursus sic continuabitur; Hic poterit ad melius transcurrere, sive dies festus sit; seu labore exhaustus recreare se volet; ubi *ve*, vel sive ubi senescere se sentit. *Ve* enim particula disiunctiva cum *seu* et *sive* tertium locum obtinere solet. Sic Noster Carm. IV, 2. [v. 13 et 21] „Seu per audaces nova dithyrambos. Seu deos regesve canit deorum. Sive quos Elea domum reducit. Flebili sponsae invenemve raptum.“ Et Arte Poët. v. 63. „Sive receptus terra Neptunus — sterilis ve diu palus — seu cursum mutavit.“ et Carm. III, 4. [v. 4] „Seu voce nunc mavis acuta Seu fidibus citharaxe Phoebi.“ et I, 22. [v. 7] „Sive per Syrtes iter aestuosas, Sive facturus per inhospitalem Caucasum, vel quae loca.“ Recte igitur hic habet *Ubi*: atque hoc modo evitabitur ambiguitas vocabuli *Ubi*que; quae legentem continuo offendit.

95. *Aurem Occupat humanam*] Plures vetustioresque codices *occupet*; et sic nostri Reginensis, Leidensis cum aliis quinque; atque hoc Lambino et Cruquio Torrentioque placuit; „Das aliquid famae, quae carmine gratior aurem Occupat humanam?“ *Fama* est vox τὴν φήμην, nunc bonam nunc malam significans: itaque haec erit constructio: *Das aliquid famae, quae bona et incunctissima sit?* Verum hoc pacto non aurem humanam, sed aurem tuam rectius dixisset. Quare malim hic sequi alios codices, licet numero et antiquitate inferiores, in quibus sunt Magdalenensis et Collegii Trinitatis cum editionibus praeis; „Das aliquid famae? quae carmine gratior aurem Occupat humanam“: Ubi famae absolute positum est pro *bonae famae*. Sic Seneca Clementia lib. I, 15. [§ 5] „Quilibet nostrum debuisse adversus opiniones malignas satis fiducia habere in bona conscientia; principes nulla debent etiam famae dare.“ Tacitus Annal. I, 7. [sub finem] „Dabat et famae; ut vocatus electusque potius a Rep. videretur.“ Iam autem bona fama, existimatio, laus, humanas aures iucundissime afficit. Plinius Epist. VII, 32. [extr.] „Est enim, ut Xenophon ait, ἡδίστον ἀκούσαι ἐπαινοῦ.“ Locus extat in Hierone [c. I § 14], ubi Simonides loquitur; Τοῦ αἰὲν ἡδίστου ἀκούμενος ἐπαινοῦ οὔποτε σπενδίζετε τοῦ δ' αἰ γελειώτατον, λοιδορίας ἀνέχομαι ἔστι. Cicero pro Archia c. 9. [§ 20] „Themistoclem dixisse aiunt, cum ex eo quaereretur, Quod acroama aut cuius vocem libentissime audiret: Eius, a quo sua virtus optime praedicaretur.“ Eleganter hic Porphyrio: „Hoc Antisthenes dicisse traditur: Is enim cum vidisset adolescentem luxuriosum Acroamatibus deditum, ait, Miserum te, adolescens, qui numquam audisti summum acroama, laudem tuam.“ Ergo *occupat* elegantius hic et verius quam *occupet*.

* [Occupat pro Occupet reponendum iussit Beault. praef. ed. pr.]

As, laquei pretium. Iure, inquit, Trausius istis
 100 Iurgatur verbis: ego vectigalia magna,
 Divitias habeo tribus amplas regibus. Ergo,
 Quod superat, non est melius quo insumere possis?
 Cur eget indignus quisquam, te divite? quare
 Templam ruunt antiqua Deum? cur, inprobe, carae
 105 Non aliquid patriae tanto emetiris acervo?
 Uni nimirum tibi recte semper erunt res.

v. 99. Vulg. *Inquis, Trausius.* 106. *Recte tibi.* semper erunt.

99. *As laquei pretium*] Editiones quidem veteres, et codicum maior pars *as*, i. e. ut Petrensis inter lineas enarrat, *Obolus*. Lucianus in Timone [§ 20]: *Eγὼ δὲ καὶ πολλοὺς ἂν εἰπεῖν ἔχομαι σοί, γῆρις μὲν οὐδὲ ὀβολὸν ὥστε πρῶτον βροχὸν ἐσχηκότας, ἄφρων δὲ τήμερον πλουσίους*: hoc est, *Ego vero multos tibi memorare possum; hodie repente divites, qui heri ne Obolum quidem, quo laqueum emerent, habuerint.* Placet tamen potius *as* ex Blandiniis et nostris aliquot, ut unum nummulum indicet; quam *as*, quod summae incertae est. Lucianus itaque *obolus*, Noster *assem*, Plautus *drachmam*, certum omnes nummulum, pro laquei pretio nominarunt. Pseud. I, 1. v. 83. „CA. *Actum hodie de me est. Sed potes multum drachmam dare mi unam, quam eras reddidit tibi?* PS. *Vix hercle opinor, si me opponam pignori Sed quid de drachma facere vis?* CA. *Restim volo Mihi emere.* PS. *Quamobrem?* CA. *Qui me faciam pensile: Certum est mihi ante tenebras tenebras persequi.* Ita ille Plauti locus est legendus.

Ibid. *Iure, inquit, Trausius istis iurgatur verbis*] Primo *inquit* hic legendum cum editionibus vetustis et codicibus melioris notae, ut Leidensi et Reginensi cum aliis. Vide nos ad Serm. I, 4. v. 79. Deinde in nomine illo mire variant, et solent, exemplaria: *Trausius, Trausius, Trausius, Trausius, Tosius, Tralius, Traulius, Trallius, Travius.* Nos *Trausius*, sive *Prosius* quod idem est, ut *Claudius Clodius, Planstrum plostrum* etc. ex Blandiniis Cruquii, et nostris quibusdam, et editione prima Veneta praeferimus. Gruterus 744, 3. C. TRAUSIO LUCRIONI, TRAUSIVS PARIS. TRAUSIA AUGE LIB. et 64, 2. IN HONOREM M. TROSI DAHNI ET M. TROSI CISSI M. TROSIUS MODESTUS, et 176, 3. C. AVILIO LICINIO TROSIUS, Reinesius XVI, 40. P. TROSIUS P. F. PORTIO. — TROSA C. F. TERTIA. Apud eosdem et TRAVIUS habes; uti hic apud Placum exhibent Leidensis et Reginensis. Capitolinus in Marco c. 11. „*Usus est Grammaticis Latinis, Troso Apro,*“ etc.

106. *Uni nimirum recte tibi semper erunt res*] Alio ordine Codices nostri, Leidensis, Zulichemianus, Galeanus, et Reg. Societatis. *tibi recte*; nisi quod nonnulli male praeferant *rectae*. *Uni nimirum tibi*, id est, *Soli tibi*: ita haec melius coniunguntur. Deinde pro *erant* legendum ex ingeniosa Nie. Heinsii coniectura *erunt*: „*Uni nimirum tibi recte semper erunt res.*“ Ita Cicero ad Atticum XIV, 15. [§ 3] „*Incipit res melius ire, quam putaram.*“ et XIV, 20. [§ 4] „*Dolabellae et prima illa actio, et haec contra Antonium concio mihi profuerunt permultum videtur: proorsus ibat res.*“ Tacitus Annal. XII, 68. „*Crebraque vulgabat, Ire in melius valedudinem principis.*“ Ita *res procedere, bene cadere, passum ire, retro ire, redire* dicuntur. Ceterum facilis erat Librariorum lapsus ab *erunt* ad *erant*. Sic Serm. II, 7, 59. „*Auctoratus eas*“: duo Cruquiani et Reginensis noster *eras*. Porro hic versus non, ut vulgo, per interrogationem referendus est: sed affirmative et *ἰσχυρισμός*; Qui in bonis scriptoribus versati sunt, id ex ipso verbo *Nimirum* verum esse intellegunt.

- O magnus posthac inimicis risus! uterne
 Ad casus dubios fidet sibi certius? hic qui
 Pluribus assuerit mentem corpusque superbum;
 110 An qui contentus parvo metuensque futuri,
 In pace, ut sapiens, aptarit idonea bello?
 Quo magis his credas: puer hunc ego parvus Ofellum
 Integris opibus novi non latius usum,
 Quam nunc accisis. videas metato in agello
 115 Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum,
 Non ego, narrantem, temere edi luce profesta
 Quicquam, praeter olus fumosae cum pede pernae.
 Ae mihi seu longum post tempus venerat hospes,
 Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
 120 Vicinus; bene erat, non piscibus urbe petitis,
 Sed pullo atque hoedo: tum pensilis uva secundas
 Et nux ornabat mensas, cum duplice ficu.
 Post hoc ludus erat cupa potare magistra.

v. 118. Vulg. *Ac m. eum.* 123. *Culpa.*

113. *Integris opibus novi non latius usum*] Scripti omnes editique *Lautius*; at Henricus Stephanus ex coniectura, plaudente Cruquio, *Lautius*: acutissimus Nic. Heinsius in libri sui margine, *Lautius*. Dolet dictum hoc a vivo praestantissimo. Siquidem melior longe est Stephani correctio. Ulpianus Digest. V, 3, 25 [§ 12] „*Si quis re sua lautius usus sit contemplatione delatae sibi hereditatis.*“ et infra ibidem [§ 16], „*Si quid lautius contemplatione hereditatis impendit.*“ et iterum [§ 16], „*Utiq; enim, etsi non tam laute erogasset, aliquid tamen ad victum cottidianum erogasset.*“ Sed nihil in Nostro mutandum: accederem potius ad Duareni sententiam, qui in Ulpiano *Lautius* substituit. Iuvenalis Sat. XIV, 234. „*Nemo satis eredit tantum delinquere, quantum Permittas: adeo indulgent sibi lautius ipsi.*“ Recte igitur *Lautius uti*; ut contra *Auguste uti*. Caesar de Bello Civili III, 16. [§ 1] „*Item frumentarium expediendam, qua anguste utebatur.*“ Sic *res angusta, res arcta*. Eodem redeunt *largius uti, lautius uti*. Sallustius Catil. XVI [§ 4] „*Plerique Sullani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriae veteris memores, civile bellum exoptabant.*“ Seneca de Brevitate Vitae c. VIII. [§ 2] „*Nemo aestimat tempus: utuntur illo laxius, quasi gratuito.*“

118. *Ac mihi, cum longum*] Miror, unde malum huc pedem intulerit illud *cum*, cum omnes codices et editiones vetustae habeant *seu*. *Seu hospes, sive conviva*. Quid manifestius?

123. *Post hoc ludus erat culpa potare magistra*] Locus omnium difficillimus, quique Interpretibus summam molestiam creavit. Nobis quoque pro pensis nostri ratione iam eadem adeunda est aena: quae si post tot et tantos viros melius forte aut saltem non deterius cesserit, erit quod ab aequo lectore vel gratiam vel veniam impetremus. Tam primum id ab omnibus testatum est, universos qui adhuc visi sunt codices uno consensu habere, *culpa magistra*. Id quid sibi velit, et an huic sententiae possit adaptari, iam disquirendum erit. Cato in Diris [v. 159]. „*Istius atque ulinam facti mea culpa magistra Prima foret: letum vita mihi dulcius esset.*“ ubi *magistra istius facti*, sive Veneris furtivae, est *dux, inventrix, auctor*. Eodem sensu Curtius III, 5. [2 § 15] „*Atque illa disciplina paupertate magistra stetit.*“ Cicero [Offic. I, 35 § 120], „*Natura ipsa magistra ac duce.*“

Virgilius semel atque iterum [Aen. VIII, 442 et XII, 427], *Arte magistra*. Silius Italicus IV. [v. 121] „*Exclamat Ligur: huic superos sentire moventes Ars fuit, ac penna monstrare futura magistra.*“ Quid ergo? an culpa hic erit *magistra*, dux, et inventrix potandi? Atqui ex hac significatione nullus huius loci sensus elici potest, qui sit paullo tolerabilis. Sed praeter hanc laxiorem significationem alia propria est ad computationes pertinens; ut proinde illam ab Horatio hic innui sit veri simillimum. Quippe in conviviis moris erat vel iactu talorum vel coronae impositione Magistrum aliquem bibendi arbitrum constituere, qui poculorum modum et numerum omnibus praescriberet. Persaepae autem femina ad id munus delecta, si forte scorta in convivio aderant. Catullus Epigr. XXVII. [v. 3] „*Minister vetuli puer Falerni, Inger mi calices amariores, Ut lex Postumiae iubet magistrae.*“ Plautus Persa IV [V], 1. [v. 18] „*Do hanc tibi florentem florenti, tu hic eris dietatrix nobis.*“ Atque ad hunc morem sine dubio respicit Horatius; si modo tam felix esse poterit quispiam, ut latentem hinc sententiam extundat: „*Post hoc ludus erat culpa potare magistra.*“ Sunt qui, dux Turnebo, sic exponant: ludum scilicet hunc fuisse, ut siquis convivarum in aliqua re culpam admiserat, is calicem vice poenae exhaurire iuberetur: atque ideo *culpam* hic vocari bibendi *magistram*. Unde vero tam bellum ludum nobis comminiscuntur? nimirum ex Plautino illo. Stich. V, 4. [v. 43] „*Agedum, Stiche, uter demutassit, poculo multabitur.*“ hoc est, ut aiunt, *poculum unum ebibet extra ordinem*. Atqui contrarium plane ibi est *poculo multari*: id enim *privari* denotat; ut *multari agris, pecunia, dote, fortunis, regno*, passim apud auctores: id quod ex versu sequente clare apparet: „*Age ergo observa: si peccassis, multum hic retinebo illico.*“ Ergo ad hoc exemplum, id potius voluerit Ofellus; Ut siquis quid peccaverit, is culpa sua magistra cyatho plecteretur, neque prius biberet, quam rursus ad se cyathus per mensam redisset. Sed utrovis modo acceperis, dura sane et coacta haec expositio est; ut pleraeq; magni illius Turnebi, dum falsis lectionibus supra modum adhaeret. Quale enim illud convivium; ubi singula verba captanda et torquenda erant, siquam *culpam* faterentur? censura utique foret, non *ludus*: citiusque rixae inde et iurgia, quam ioci et hilaritatis nascerentur. Quod si optime et suavissime haec cesserint; putidum tamen et *zozōçivov* esset, ideo *culpam* nominare *magistram*, ut alii *Postumiam* aut *Lydiam*. Equidem quidvis potius quam hoc ab Horatio profectum crediderim. Et recte sane Lambinus, qui sribligine hac non contentus melius quiddam ex coniectura indagandum sibi putavit. Is igitur levissima mutatione sic defungi se posse credidit, „*Post hoc ludus erat cuppa potare magistra*“: id est, ut ipse explicat, nullo alio bibendi magistro adhibito, nisi ipsa cuppa; suo scilicet arbitrato quisque potabat, seu grandia mallet pocula, sive modica. *Cuppam* itaque pro poculo, calice, cyatho accepit Lambinus. Atqui illud virum eximium fefellit, *Cuppam*, non poculum esse, sed ingens vas vinarium instar seriae, vel dolii. Ita tribus locis usurpat Varro apud Nonium Marcellum [p. 83, 24, 27 et p. 544, 7 Merc.]. Inde ad frumentum conservandum et ad pontium fabricam adhiberi solita. Lucanus IV, 420. „*Namque ratem vacuae sustentant undique cuppa.*“ Vegetius III, 7. „*Navigari amues, colligatis inanibus cuppis additisque trabibus, transitum praebent.*“ Capitolinus in Maximinis c. XXIV. [XXII med.] „*Ponte itaque cuppis facto, Maximinus fluvium transivit.*“ Frontinus Strateg. III, 14. [§ 3] „*Mircius Cos. salem cuppis conditum per ansem intromisit.*“ Caesar Bel. Civ. II, 11. [§ 2] „*Cupas taeda ac pice refertas incendunt, easque de muro in musculum devolvunt.*“ De iisdem vide Catonem [c. 12 et c. 21 § 1] et Palladium [I, 18 § 2] de Re Rustica, Glossaria Labbaei, Ulpianus Digest. VII, 1, 15. [§ 6]. XXXIII, 6, 3. XXXIII, 7, 8. et 12. [§ 1] Senevolam XXXII, 1, 93. [§ 4]. Allenum XIV [XIX], 2, 31. Augustinus Confess. lib. IX. c. 8. [§ 18 princ.] „*Nam cum de more puella iuberetur a parentibus, de cuppa vinum depromere submisso poculo.*“

Ex his, opinor, abunde constat *Cuppam* sive *Cupam*, grande vas esse; cuius quidem *aedificandae* rationem docet Cato cap. XXI. Quod autem viri eruditi tradunt, *cuppam* etiam poculum notare, ut in linguis hodiernis *Cup*, et apud Hesychium *Κύββα, ποτήριον*; id sane gratis dicunt et sine ullo auctore. Ipsum enim Hesychiū *Κύββα* mendosum est pro *Κύμβα*. Athenaeus XI, 9. [c. 65, p. 483] *Κύμβα ποτήριον Διολύδωρος Παιρσιος*. Hoc ipsum voluit Hesychius; sed deceptus est, ut saepe alias, similitudine literarum *μ* et *υ*: sic enim *τὸ β* ante aliquot saecula scribere solebant. Tum autem, quod ex Naevio citant, „*Qui duas cuppas mero plenas exhausit*,” id spurium est, et ex turbidis Hugutionis lacunis petitum. Et, si maxime genuinum foret, nihil tamen colligas ex hoc fragmento, quo minus *cupa* hic, ut alibi, sit dolii species, non poculi. Denique quod ex Epigrammate laudat Turnebus, „*Sunt cupae, calices, cyathi*; id quidem olim ferebatur in Virgilii *Copa* [v. 7]: „*Sunt cupae, calices, cyathi, rosa, tibia, chordae. Et trichila umbriferis frigida arundinibus*”: sed in scriptis codicibus alia longe est lectio, „*Sunt topia et calybae, cyathi*” etc. quam solam veram esse iam diu est quod ostenderunt viri maximi, Jos. Scaliger ad locum, et Salmasius ad Historiam Augustam [ad Carin. 19, p. 822 Hack]. Quid ergo? Iam plane concedit Lambini enarratio: neque enim *cuppa* bibebant, tamquam calicee, ut eius modulus pro magistro inservire posset: ut ne dicam, eandem hic ineptiam et *κακοζήλιαν* redire, quam in Turnebi expositione iam ante fastidivimus. Ut enim *cuppa* notaverit calicem; quis tamen illud tulerit, calicem bibendi magistrum et modimperatorem dici? In eodem luto haerent Danielis Heinsii, et Theodori Marcilii interpretationes; quas proinde non est operae pretium hic ventilare. Erit etiam fortasse, qui *cupam* hic pro cado vel dolio accipiat, et ideo *cupam magistram* dici velit; quasi ea bibendi lex et conditio esset, ut tota *cupa* exhauriretur: quemadmodum apud Nostrum *Pholoen decebant* Carm. III, 15, 16. „*Epoti [sic] vetula faece tenuis cadit*”; et Serm. II, 8, v. 39. *Fibidius Balatroque vinaria tota invertebant*. Hoc sane, quantum ad dictionem attinet, speciosius illis prioribus esse videatur: sed in re ipsa et decori ratione peccat. Non enim convenit, adeo damnose bibere Sapientem nostrum rusticum, ut integram *cupam* una caena invertat et capite sistat. Hoc non est parci illius et sobrii Ofelli, sed Trausii et Nomentani nepotum. Vir summus Nic. Heinsius in libri sui ora, *Forte*, ait, *pulpa*. *Pulpa* autem proprie est caro sine ossibus; at apud Persium per translationem usurpatur, Sat. II, 63. „*Quid iuvat hos templis nostros immittere mores? Et bona diis ex hac scelerata ducere pulpa?*” Sed nequeo equidem divinare, quo sensu vir ingeniosus hoc verbum huc intruserit: neque enim caelum nec terram tangere videtur. Dicis, opinor, caussa et aliud agens hoc adnotabat; magis ut de eo postea deliberaret, quam quod tum serio probaret. Me quod attinet, (his enim repudiatis mea iam proferenda sunt) duplex mihi huc illuc mentem versanti coniectura incidit. Primo haud ita magna mutatione nulla substituebam pro *culpa*; „*Post hoc ludus erat nulla potare magistra*”: hoc est, nullis *ἀνευζωλοσίας* legibus obstrictos, suo quemque, non bibacis alicuius magistrae arbitrio, potare. Hoc ipsum est, quod in rure suo Sabino beatum praedicat Noster Serm. II, 6, v. 67. „*proul cuique libido est. Siccant inaequales calices conviva, solutus Legibus insanis: seu quis capit acria fortis Pocula, seu modicis uvescit lactius*.” Nulla autem *magistra*: ut Ovidius Trist. I, 5. [6 v. 23] licet nihil ibi de convivio, „*Sive tibi hoc debes, nulla pia facta magistra*” et in Arte amandi, II, 479. „*Quid facerent, ipsi nullo didicere magistro*.” Prudentius Hamartigenia v. 204. „*qui se corrumpere primum, Mox hominem didicit, nullo informante magistro*.” Quis hoc ausit reprehendere, et vulgatae lectioni propius, et adhuc, ni fallor, ad sententiam convenientius; „*Post hoc ludus erat cupa potare magistra*.” Ubi *Cupa* eadem erit, quae *Copa*, *Caupona*,

Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
125 Explicuit vino contractae seria frontis.
Saeviat atque novos moveat fortuna tumultus;
Quantum hinc imminuet? quanto aut ego parcius, aut vos,
O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?

v. 124. Vulg. *Ut culmo*.

Καυλίς, mulier quae vinum e taberna vendit. Vox *Cupa* eo sensu occurrit apud Ciceronem, et Virgilium. Quippe poemation illud Virgilio inscriptum, quod *Copa* hodie dicitur, olim *Cupa* vocabatur. Sosipater Chavarius p. 47. „*Communia, Cupo cuponis, Fallo fallonis; quamvis Virgilius librum suum Cupam inscripserit*.” *Caupo*, *copo*, *cupo*; et *copa*, *cupa*: sic plaustrum plostrum, claudio cludo, et similia. Lege igitur apud Virgilium [v. 1]. „*Cupa Syrisca, caput Graia redimita mitella*.” *Copa* tamen est apud Suetonium in Nerone c. 27. „*Insignes ganvae, et matronarum institoria copas imitantium atque hinc inde hortantium, ut appelleret*.” Porro illud hinc intellegas, Ofellum nostrum non domi e cella sua, sed foris e taberna venale vinum petiisse. Id enim apud veteres sollemne erat hominibus modico censu. Unde Noster Epist. I, 14. ideo angulum illum raris Sabini displicere villicio suo memorat, quia, ait, [v. 24] *Non vicina subest, vinum praebere taberna Quae possit tibi; nec meretrix libicina, cuius Ad strepitum salius, terrae gravis*.” Quippe vini expertus et prorsus abstemius ibi Villicus debebat: nulla enim domi cella, nulla foris taberna. Qui tenui, inquam, censu erant, de *cupa* vinum emebant: nam ditiores domi de suo habebant. Unde illud in Claudio tamquam extremi stuporis arguit Suetonius; quod iam imperator, in ipsa Curia, fassus est se olim e tabernis vinum sibi petivisse; cap. XL. „*Cum de lanis*,” ait, „*ac vinariis ageretur, Exclamavit in curia, Rogo vos, quis potest sine offula vivere? descripsitque abundantiam veterum tabernarum, unde solitus esset vinum olim et ipse petere*.” Et L. Pisoni Cicero inelegantem luxuriam et sordidam gulam exprobrat, Orat. c. 27. [§ 67] quod „*pistor ei domi nullus, nulla cella: panis et vinum a propala, atque de cupa*.” Itaque Ofellus noster, quo hospitium suum lautius et prolixius acciperet, vinum de taberna petiit; et mensis demum remotis ipsam *Cupam*, *τὴν καυλίδα*, ut Horatius suam Lyden aut Phyllidem, accersivit, qua et *polandi magistra*, et saltatrice, et crotalistris, et siquid amplius vellent, convivae uterentur. Omnia enim illa praestitit *Cupa* Virgilii, [v. 2] „*Crispum sub crotalo docta movere latus*,” [v. 33] „*Candida formosae decerpes ora puellae: Ah pereat, cui sunt prisca supercilia*,” [v. 37] „*Pone merum et talos: pereat qui crastina curat: Mors autem velleus, Vivite, ait, venio*.” Habes iam meam coniecturam; quae, si omne punctum tulerit, gratus accipies: sin minus; ipse, me plaudente, meliorem excogitabis. Certe idem error in Pandectis Florentinis haesit, XIX, 2, 31. „*Quod si separatim libulis aut heronibus aut in alia culpa elusum uniuscuiusque triticum fuisset*.” Ubi pro *culpa* reponendum esse *cupa* iam pridem viderunt iuris periti. Palma in medio posita est; defat optimo coniectori.

124. *Ac venerata Ceres, ut culmo surgeret alto*] *Ut* iam in editionibus fere obtinet, sed sine codicum auctoritate. Cruquius et Lambinus sic dederunt, „*Ac venerata Ceres, uti culmo surgeret alto*.” et nuper vir eruditus, „*Ac venerata Ceres, ita culmo uti surgeret alto*”: oblitus scilicet vocabulum *uti* posteriorem syllabam semper producere. Editiones priscae, et membranae, opinor, omnes, certe nostrae exhibent, „*Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto*.” Rectissime: *ut* enim hic abesse, tralatitium est. *Ita surget*; ita scilicet, ut iam nunc surgit. Nempe *per imbrem* convivium hoc actum est; caelo autem pluvio, et Ceres crescit, et rustici otian-

Nam propriae telluris herum natura neque illum,
 130 Nec me, nec quemquam statuit. nos expulit ille;
 Illum aut nequities aut vafri insecitia iuris,
 Postremum expellet certe vivacior heres.
 Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
 Dictus erat: nulli proprius; sed cedit in usum
 135 Nunc mihi, nunc alii. quocirca vivite fortes,
 Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

E C L O G A III.

Si raro scribes, ut toto non quater anno
 Membranam poscas, scriptorum quaeque retexens,

v. 132. Vulg. *Postremo*. 134. *Erit. cedet*. 1. *Sic raro scribis*.

tur ac bibunt. Aristophanes in Pace; p. 477. Edit. Bas. [v. 1078 (1143)]
 Ὁ γὰρ ἐσθ' ἰδιον, ἢ τυχὲν μὲν ἰδιῶ σπαρομένα, τὸν θεὸν δ' ἐπιφει-
 χάζων καὶ τῶ ἐπιφειχέτορα, εἶπαι μοι, εἰ τρηκαῖτα θρόνον, ὦ Κω-
 μαγγίδη; Εὐαυτὸν ἑαυτὸ γ' ἀγιάσει, τοῦ θεοῦ θρόνονος καὶ δῶς.

132. *Postremo expellet* Nescio, quare post Lambinum et Cruquium iam omnes fere editiones *Postremo* hic praeferant: Venetae enim et Loescheriana, et membranac omnes notae melioris *Postremum*.

134. *Erit nulli proprius, sed cedet in usum* Ita omnes et olim et nuper editi: neque quidquam ex libris suis afferunt magni Interpretes. Solum Bersmannus in duobus *erat*, in uno *cedit* reperisse se testatus est. Lege ergo, et distingue: „Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli Dictus erat: nulli proprius; sed cedit in usum Nunc mihi, nunc alii.“ Et *cedit* quidem Battelianus noster; *erat* cum ille, tum Galeanus, Magdalenensis, Societatis Regiae, et Collegii Trinitatis habent. Quae sine dubio vulgata lectione meliora sunt. Si *cedit* hic admittis, perpetui temporis erit; et *cedit mihi* etiam praeteritum tempus includet, cum Ofellus agri dominus erat. At si *cedet* legis, tum non recte addideris *mihi Ofello*, utpote iam possessione depulso. Dicendum utique fuerit, *Nunc huic, nunc alii*; huic scilicet Umbreno. Quare recte habent *erat* et *cedit*. Ceterum et alio modo ordinare verba et construere potes; „Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli, Dictus erat nulli proprius; sed cedit“ etc. ubi notat Servius, tam a dico dicas, *dicatus*, quam a dico dicis *dictus* eodem sensu usurpari; ut in illo Aen. VI, 138. „Aureus et foliis et lentis vimine ramus Iunoni infernae dictus sacer.“ *dictus*, inquit, *dicatus*. Sic agrum, pecuniam, vel aliud quid doti *dicere*, est constituere. Ergo, ait, hic ager nunc sub Umbreni, nuper sub Ofelli nomine, nulli proprius et perpetuus a natura *dicatus*, *constitutus* erat.

1. *Sic raro scribis* Permansit hoc ex editionibus priseis. Tres Blandinii et alter apud Cruquium, si *raro scribis*: duo Fulmanni, si *raro scribes*; *scribes* etiam tertius habet. Repone igitur, „si *raro scribes*, ut *toto non quater anno Membranam poscas, scriptorum quaeque retexens, Iratus tibi, quod vini somnique benignus Nil dignum sermone canas: quid fiet?*“ Atque hoc est quod voluit Aeron Scholiastes: „*Quid fiet? Hyperbaton*“ inquit, „a superioribus, si *raro scribis* — *quid fiet?*“ Ita Terentius Phorm. IV, 4. [v. 12] „*cedo nunc porro, Phormio Dotem* si

Iratus tibi, quod vini somnique benignus
 Nil dignum sermone canas: quid fiet? at ipsis
 5 Saturnalibus huc fugisti sobrius. ergo
 Dic aliquid dignum promissis. incipe. nil est.
 Culpantur frustra calami, inmeritusque laborat
 Iratis natus paries Dis atque poetis.
 Atqui voltus erat multa et praeclara minantis,
 10 Si vacuum tepido cepisset villula tecto.

v. 4. Vulg. *Ab ipsis*.

accipiet, uxor ducenda est domum; Quid fiet?“ — *Raro scribes, ut non quater poscas membranam*; hoc est, *adeo ut*; ut saepe Noster alibi: Serm. I, 7. v. 13. „*Ira fuit capitalis, ut ultima dividoret mors*.“ Quod cum non intelligerent boni Librarii, *sic* substituerant, quia deesse videbatur particula comparandi. Quod si *sic* retinere velis, tum per interrogationem efferas censeo, „*Sic raro scribes, ut toto non quater etc. Nil dignum sermone canas? quid fiet?*“

4. *Ab ipsis Saturnalibus huc fugisti* Neglegenter sane hic versati sunt interpretes; ut nusquam magis: Cruquius in vetustissimo Blandinio at *ipsis* invenerat; sed fortuna sua uti nescivit. Idem et nos reperimus in optimo Leidensi, et a prima manu in Reginensi. Agnosco veram Horatii manum: „*Quid fiet? At ipsis Saturnalibus huc fugisti*.“ *Saturnalibus* absolute positum, ut passim apud alios: Catull. XV. [XIV, 15] „*Misti, continuo ut die periret, Saturnalibus, optimo dierum*.“ Martialis VI, 24. [v. 2] „*Nil lascivius est Charisiano: Saturnalibus ambulat togatus*.“ At in vulgata lectione ne sententia quidem consistit: Quomodo enim *ab Saturnalibus* fugere potuit? quid, ualiam, annon tam rure, quam in urbe, dies Saturnalium erant? an ad villam abeundo, triduum de mense decembri sustulit? Mirum vero, tot enarratoribus tam spissum et absurdum mendum placere potuisse. Neque vero in sequentibus feliciter rem gesserunt, „*Sobrius ergo die aliquid dignum promissis*.“ Quid hoc est, obsecro, nisi palam insimulare, Nostrum plerumque fuisse ebrium? Quanto melior ea distinctio est, quae in pluribus membranis apparet? „*at ipsis Saturnalibus huc fugisti sobrius. Ergo die aliquid dignum promissis*.“ Tu, inquit, sobrius in villam te abdidisti, dum alii festos dies Romae luxuriose celebrant. Seneca Epist. XVIII. [§ 4] de Saturnalibus loquens: „*Hoc multo fortius est, ebrio ac vomitante populo, siccum ac sobrium esse*.“ Iuvenalis Sat. VII, 96. „*Tunc par ingenio pretium, tunc utile multis Pallere, et vinum toto nescire decembri*.“ De poetis loquitur, qui ipsis Saturnalibus, ut Noster, turba et epulis abstinebant, et carminibus scribendis operam dabant. Ceterum in uno Cruquii Blandinio pro *ergo* erat *esto*: ut sane haec a Librariis confundi solere non semel animadverti. Venusta sane lectio: „*Quid fiet? at ipsis Saturnalibus huc fugisti sobrius. esto: die aliquid dignum promissis*.“ Castigaverat Nostrum Damasippus ut desidiosum: „*Si toto*, inquit, „*anno via quater scriptoribus vacabis; quid fiet?*“ Mox illa subiungit, tanquam occupato et respondente Horatio: „*At dices*“ ait, „*ipsis Saturnalibus huc fugi sobrius*. Agnosco hoc: *esto: die igitur aliquid dignum hoc recessu atque otio*.“ Sane utrumvis, tam *esto* quam *ergo*, tuto poteris admittere: sed illud *At* prorsus necessarium est.

10. *Cepisset villula tecto* Nihil quidem hic muto, quandoquidem omnia exemplaria in hac lectione consentiunt. Sic alibi Serm. I, 5. v. 45. „*Proxima Campano ponti quae villula tectum Praebuit*.“ Nolo tamen hic dissimulare, quod in coniecturam mihi venerat: ne quis forte posthac in eandem incidens me tardiusculum fuisse criminetur, qui illam non viderim. Quid si igitur legas? „*Si vacuum tepido cepisset villula tecto*“:

Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro,
 Eupolin Archilocho? comites educere tantos?
 Invidiam placare paras, virtute relieta?
 Contemnere, miser. vitanda est improba Siren
 15 Desidia; aut quicquid vita meliore parasti
 Ponendum aequo animo. Di te, Damasippe, Deaque
 Verum ob consilium donent tonsore. sed unde
 Tam bene me nosti? Postquam omnis res mea Ianum
 Ad medium fracta est; aliena negotia curo,
 20 Excussus propriis. olim nam quaerere amabam,
 Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere;
 Quid sculptum infabre, quid fustum durius esset:
 Callidus huic signo ponebam millia centum:
 Hortos egregiasque domos mercarier unus
 25 Cum lucro noram: unde frequentia Mercuriale
 Inposuere mihi cognomen compita. Novi;
 Et miror morbi purgatum te illius. Atqui
 Emovit veterem mire novus; ut solet, in cor

v. 12. Vulg. *Archilochum*. 27. *Et morbi miror*.

lecto scilicet lucubratorio: ut Serm. I, 4. v. 133. „neque enim cum lectulus aut me Porticus excepit, desum mihi.“ Seneca Epist. LXXII. [§ 2] „Quaedam sunt, quae possis et in cisio scribere: quaedam lectum, et olium, et secretum desiderant.“ Catullus XXXII. [XXIX vel XXXI v. 10] „O quid beatissis est solutius curis? Cum mens onus reponit; ac peregrino Labore fessi venimus larem ad nostrum, Desideratoque acquiescimus lecto.“

12. *Eupolin, Archilochum, comites*] Venusta lectio est in codice Reginensi, etsi a manu secunda: „Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro, Eupolin Archilocho? comites educere tantos?“ Certe iratis Musis natus sit oportet, qui vulgata elegantiore hanc esse non persentiret. *Tantos* autem, *tam grandes*, tot ac tantis voluminibus: ut recte Acron; *Tantos, ad codices retulit*. Sed fortassis altius hic mendam latet: vetus enim Persii Scholiastes ad Sat. III. [v. 21] sic locum hunc profert, *Quin tu invidiam placare paras*: quam eandem scripturam inveni etiam in alio quodam Persii enarratore MSto, qui habetur in Bibliotheca Regia. Unde ex doctissimi Rutgersii [p. 429 ed. Traiect. 1699] coniectura totus hic locus sic concinnari poterit: „Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro? Eupolin, Archilochum, comites educere? quid, tu Invidiam placare paras, virtute relieta? Contemnere, miser.“ ut illud Terentii Eun. II, 2. [v. 14] „Quid, tu his rebus credis fieri? tota erras via.“ Sane apte satis hoc et comode exire, nemo potest inficiari: contenti tamen erimus lectione illa, quam hodie suppeditant Flacci exemplaria. Ceterum quam secundo loco coniecturam protulit idem Rutgersius [p. 430], *Quin et te*; ut Horatium hic praenominem compellet blandiens Damasippus; eam, etsi auctori mirifice placuit, multo deteriorem esse iudico.

27. *Et morbi miror purgatum te illius*] Miror equidem, unde hoc malo pede se in omnes superiore saeculo editiones intulerit. Alium enim verborum ordinem servant, et antiquitus excusi libri, et scripti credo universi, nostri certe ad unum omnes, „*Et miror morbi purgatum te illius*.“ Quod et soni suavitate, et compositionis simplicitate, altero praestat.

Traiecto lateris miseri capitisve dolore:
 30 Ut lethargicus hic cum fit pugil, et medicum urguet.
 Dum ne quid simile huic, esto ut libet. O bone, ne te
 Frustrere: insanis et tu, stultique prope omnes,
 Si quid Stertinius veri crepat; unde ego mira
 Descripsi docilis praecepta haec, tempore quo me
 35 Solatus iussit sapientem pascere barbam,
 Atque a Fabricio non tristem ponte reverti.
 Nam, male re gesta, cum vellem mittere operto
 Me capite in flumen; dexter stetit, et, Cave faxis
 Te quicquam indignum: pudor, inquit, te malus angit,
 40 Insanos qui inter vereare insanus haberi.
 Primum nam inquiram, quid sit furere: hoc si erit in te
 Solo; nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
 Quem mala stultitia, et quemcumque inscitia veri
 Caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
 45 Autumat. haec populos, haec magnos formula reges,
 Excepto sapiente, tenet. nunc accipe quare
 Desipiant omnes, aequae ac tu, qui tibi nomen
 Insano posuere. velut silvis, ubi passim
 Palantis error certo de tramite pellit,
 50 Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit; unus utrique
 Error, sed variis inludit partibus: hoc te
 Crede modo insanum; nihilo ut sapientior ille,
 Qui te deridet, caudam trahat. est genus unum
 Stultitiae, nihilum metuenda timentis; ut ignis,
 55 Ut rupis fluviosque in campo obstare queratur:
 Alterum et huic varium et nihilo sapientius, ignis

v. 29. Vulg. *Capitisque*. 39. *Urget*.

29. *Lateris miseri capitisque dolore*] Etiam hic per interpretum negligentiam impune grassata est sciolorum hominum audacia. Cum enim Venetae et Loscheriana editio recte habuissent *ve*; — „*ut solet in cor Traiecto lateris miseri capitisve dolore*“: nescio quomodo iam per saeculum et amplius illud *ave* in excusis omnibus locum obtinuit. Atqui non illud vult Horatius, eundem hominem et latere et capite dolere, atque utrumque dolorem in cor una traieci. Nam ex comparatione, *Et miror morbi purgatum te illius*, de uno hic morbo, non de pluribus agi manifestum est. Ergo *ve* huc restituendum; in alio scilicet *capitis dolor*, in alio *lateris*, in *cor* traieci solet. *Ve* etiam habet Battelianus et Regius, cum uno Bersmanni: quin et Scholiastes Acron clare agnoscit; ubi sic locum enarrat; *Qui lateris aut capitis dolore correpti sunt*.

39. *Pudor, inquit, te malus urget*] Reducenda est Blandiniorum codicum lectio, *angit*, quam Torrentius, Bersmannus, Pulmannus in compluribus suis invenerunt. Ex nostris solus habet Battelianus. Similis librarium lapsus alibi occurrit: ut in Virg. Aen. IX, 89. „*nunc sollicitam timor anxius urget*.“ In melioribus membranis *angit* reperit Pierius, et sic in sua editione dedit Nic. Heinsius. Ceterum *urget* paullo ante habuimus v. 30; ut inconcinne hic repetatur.

- Per medios fluuiosque ruentis, clamet amica
 Mater, honesta soror, cum cognatis pater, uxor,
 Hic fossa est ingens, hic rupes maxima; serua:
 60 Non magis audierit, quam Fufius ebrius olim,
 Cum Iliam edormit; Catienis mille ducentis,
 MATER, TE ADPELLO, clamantibus. huic ego vulgus
 Errori similem cunctum insanire docebo.
 Insanit veteres statuas Damasippus emendo:
 65 Integer est mentis Damasippi creditor? esto:
 Accipe, quod numquam reddas mihi, si tibi dicam;
 Tunc insanus eris, si acceperis? an magis excoors
 Reiecta praeda, quam praesens Mercurius fert?
 Scribe decem a Nerio: non est satis: adde Cicutae
 70 Nodosi tabulas centum, mille adde catenas:
 Effugiet tamen haec secleratus vincula Proteus.
 Cum rapies in ius malis ridentem alienis;
 Fiet aper, modo avis, modo saxum, et, cum volet, arbor.
 Si male rem gerere insani, contra bene sani est;
 75 Putidius multo cerebrum est (mihî crede) Perilli
 Dictantis, quod tu numquam rescribere possis.
 Audire, atque togam iubeo componere, quisquis
 Ambitione mala, aut argenti pallet amore;
 Quisquis luxuria, tristive superstitione,
 80 Aut alio mentis morbo calet: huc propius me,
 v. 60. Vulg. *Fufius*. 62. *Vulgum*. 74. Insani est, c. b. sani.

60. *Quam Fufius ebrius olim*] Melius Torrentii codices quinque, Pulmannique unus, *Fufius*. Et sic a prima manu noster Reginensis. *Fufius* saepe habes apud Gruterum et Reinesium, sed nullo *Fufio*. *Fufii* etiam apud Cicronem, Caesarem, Tacitum, alios occurrunt: sed deteriores libri passim ibi *Fufios* obtudunt.

62. *Huic ego vulgum*] Repono *vulgus* ex duobus Pulmanni et Galeano nostro. Nusquam alibi *vulgus* masculino genere usurpat Horatius; semper neutro. Adde, quod *vulgum similem cunctum* ingratam *zaxoqvoiviar* habent.

74. *Si male rem gerere insani est, contra bene sani*] Duo ex nostris, Galeanus et Regiae Societatis, „*Si male rem gerere insani, contra bene sani est.*“ Et sic credo in pluribus aliorum, etsi ipsi taceant. Res quidem parvula est: ex duabus tamen lectionibus hanc praetulerim; quia hoc pacto clare magis oratio ad sequentia continuatur.

76. *Quod tu numquam rescribere possis*] Praestantissimus Nic. Heinsius in libri sui margine, *Forte, ait, legendum, orot.* Perperam, ut opinor. *Rescribere* enim est, *reddere, solvere*; et accusativum post se trahit. Terentius Phorm. V, 7. [S v. 29] „*Sed transi sodes ad forum atque illud mihi Argentum rursus iube rescribi, Phormio.*“ Quod ego perscripsi porro illis quibus debui? ubi Donatus: „*Quoniam ad numerationem pecuniae antecessit scriptura, rescribere dicebant pro remunerare.*“ Servius ad Virgiliae Aen. VII, 422. „*Scribi est dari, Rescribi reddi.*“ Horatius: *Dictantis, quod tu numquam rescribere possis.*“ Vide nos ad Epist. II, 1. v. 105. ubi illud etiam ad examen revocabimus, *Scribe decem a Nerio.*

- Dum doceo insanire omnis, vos ordine adite.
 Danda est ellebori multo pars maxima avaris:
 Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
 Heredes Staberi summam incidere sepulcro;
 85 Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
 Damnati populo paria, atque epulum arbitrio Arri, et
 Frumenti quantum metit Africa. Sive ego prave,
 Seu recte; hoc volui: ne sis patruus mihi. Credo
 Hoc Staberi prudentem animum vidisse. Quid ergo
 90 Sensit, cum summam patrimonio insculpere saxo
 Heredes voluit? Quoad vixit, credidit ingens
 Pauperiem vitium, et cavuit nihil acrius: ut, si
 Forte minus locuples uno quadrante periret,
 Ipse videretur sibi nequior. omnis enim res,
 95 Virtus, fama, decus, divina humanaque, pulchris
 Divitiis parent; quas qui construxerit, ille
 Clarus erit, fortis, iustus. Sapiensne? Etiam et rex,
 Et quicquid volet. hoc, veluti virtute paratum,
 Speravit magnae laudi fore. Quid simile isti
 100 Graecus Aristippus? qui servos proicere aurum

v. 86. Vulg. *Et deest.*

86. *Arbitrio Arri, Frumenti quantum*] Lego, „*atque epulum arbitrio Arri, et Frumenti quantum metit Africa.*“ *Centum paria, atque epulum, et frumentum.* Id Librariis perpetuum est, ut voculam vel syllabam, si qua ultra senos versiculi pedes excurrit, penitus omitant. *Et vero omnium facillime intercipi solebat, quia non literis, sed punctis duntaxat, olim notabatur.*

93. *Uno quadrante periret*] Ita editiones priscae, et pleraeque ex recentioribus. Sed codices Blandinii, et ex nostris vetustiores Leidensis, Reginensis, *perisset.* — „*ut, si Forte minus locuples uno quadrante perisset, Ipse videretur sibi nequior.*“ Substituiebant, credo, *periret*; quia utrumque verbum, et *periret* et *videretur*, eodem Tempore efferendum esse autumabant. Atqui hoc minime necesse est. Terent. Phorm. I, 1. [2 v. 69] „*Non, si redisset, ei pater veniam daret?*“ Adelp. II, 2. [1 v. 24] „*Si attigisses, ferres infortunium.*“ Noster Serm. I, 6. v. 79. „*In magno ut populo si qui vidisset, avita Ex re praebere sumtus mihi crederet illos.*“

96. *Divitiis parent, quas qui construxerit*] Sic priscae editiones dederunt, unde in ceteris derivatum est. Bona tamen pars codicum, in quibus nostri Leidensis, Reginensis cum quattuor aliis, *constraxerit*: neque aliter Scholiastes Fabricii. Quod nuper adeo a docto Editore in Textum receptum est, altero reiecto. Sane sic usurpat Apuleius Metam. IX. [p. 220, 38 Elm.] „*Ad istum modum, divinationis astu captioso, non parvas contraxerant pecunias.*“ Verius tamen elegantiusque est *construxerit*: ut Noster alibi Serm. I, 1. v. 44. „*At ni id fit, quid habet pulchri constructus aceruus?*“ Carm. II, 3, 19. „*et exstructis in altum Divitiis potietur heres.*“ Cicero I. contra Rullum [5 § 14]: „*Idetis omnibus rebus et modis constructam et coacervatam pecuniam decemviralem.*“ Phil. II, 38. [§ 97] „*Itaque tanti acerui nummorum apud istum construantur.*“ Persius Sat. II, 44. „*Rem struere exoptas, caeso bove.*“ Nihil igitur hic immutandum.

- In media iussit Libya; quia tardius irent
 Propter onus segnes. uter est insanior horum?
 Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
 Si quis emat citharas, emtas conportet in unum,
 105 Nec studio citharae, nec Musae deditus ulli;
 Si scalpra et formas non sutor; nautica vela
 Aversus mercaturis: delirus et amens
 Undique dicatur merito. qui discrepat istis,
 Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
 110 Conpositis, metuensque velut contingere sacrum?
 Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
 Proiectus vigilet cum longo fuste; neque illinc
 Audeat esuriens dominus contingere granum;
 Ac potius foliis parcus vescatur amaris:
 115 Si, positus intus Chii veterisque Falerni
 Mille cadis, nihil est, tercentum millibus, aere
 Potet acetum: age, si et stramentis incubet unde-
 Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
 Blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca:
 120 Nimirum insanus paucis videatur; eo quod
 Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.
 Filius aut etiam haec libertus ut eibat heres,

v. 108. Vulg. *Quid*. 112. *Porrectus*.

108. *Quid discrepat istis?* Miror plerasque editiones *quid* hic obtrudere: cum Venetae antiquae et Loscheriana *qui* recte dedissent: quibus astipulantur quicquid usquam fere est codicum scriptorum. „*Qui*, i. e. *quomodo*: ut Aeron Scholiastes. Ita infra v. 260. „*Amator exclusus qui distat?*“

112. *Porrectus vigilet cum longo fuste*] Iam antea, Carm. scilicet III, 10, 3. et Epod. X, 22. pro *porrectus*, quod omnes ibi codices quasi de compacto perperam exhibebant, substituimus *proiectus*. Atque hic quoque vox eadem reponenda erit, quantumvis reclamantibus librariis, quorum paucis datum erat habere nasum. „*Si quis ad ingentem frumenti semper acervum Proiectus vigilet cum longo fuste*.“ Quid enim hic facit *porrectus*? An tu credis avarum hunc, sordidum et tripareum, in molli lectulo et culcitra plumea ad acervum frumenti decubuisse? atque adeo prae deliciis membra sibi exporrexisse? Certe id denotat *porrectus*, ut Serm. II, 6. v. 106. „*Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit*.“ et ibidem v. 88. „*Cum pater ipse domus palea porrectus in horna*“: molliter enim tum et delicate recubuit mus ille rusticus, cui recens palea pro cubili erat. Prudentius Hamartig. v. 856. „*Illic purpureo latus exporrecta cubili Floribus aeternis spirantes libat odores*.“ Immo vero nudo, opinor, solo vel vili stramine *proiectus* vigilabat ille, Euclionum omnium miserimus. Silius Italicus lib. XV. [v. 109] „*Stramine proiectus duro patiere sub astris Insomnes noctes*.“ Statius Theb. [I] v. 587. „*viridi nam cespite terrae Proiectum temere, et patulo caelum ore trahentem*.“ Vide plura ad Carm. III, 10. v. 3. Ceterum *porrectus* et *proiectus* passim a Librariis confundi testantur, qui Catallum, Ovidium, alios ad scriptorum codicum fidem ediderunt.

- Dis inimice senex, custodis? ne tibi desit:
 Quantum enim summae curtabit quisque dierum,
 125 Unguere si caulis oleo meliore, caputque
 Coeperis inpexa foedum porrigine? quare,
 Si quidvis satis est, periuras, surripis, aufers
 Undique? tun' sanus? populum si cadere saxis
 Incipias, servosve tuo quos aere pararis;
 130 Insanum te omnes pueri, clamentque puellae.
 Cum laqueo uxorem interimis, matremque veneno,
 Incolumi capite es? quid ni? neque enim hoc facis Argis,
 v. 129. Vulg. *Tuos*. 132. *Quid enim?* neque *tu* hoc.

127. *Si quidvis satis est*] Codex Petrensis, *quodvis*: Excerpta Bodleiana, *quod* *hs* cum virgula superne posita; id est, *Si quod habes satis est*. Ex compendiosa scribendi ratione orta est variatio. Ceterum, etsi illud *quod habes* arridere cuiquam possit, tamen recte habet *quidvis*, ut editiones dederunt. Plautus Mil. III, 1. v. 155. „*Commodulum obsona, ne magno sumtu: mihi quidvis sat est*.“ Turpilium Lindia [v. 144 Ribb.], apud Priscianum de Metris Comicis [p. 1326 P.]: „*Profecto ut quisque minimo contentus fuit, Ita fortunatam vitam vixit maxime, Ut philosophi aiunt, isti quibus quidvis sat est*.“

129. *Servosve tuos, quos aere pararis*] Recte quidem *aere pararis*, ut Sallustius Iugurth. c. XXXI. [§ 11] „*Servi, aere parati, iniusta imperia dominarum non perferunt*.“ Sed illud inconcinne admodum, „*servosve tuos, quos aere pararis*.“ Si enim semel *tuos* dixeris, nihil attinet illa adiciere, *quos aere pararis*: ut ne addam *servos tuos quos xaxoxoxiq* sua aures offendere et vulnerare. Equidem ausim quavis sponsione contendere nunquam hoc ab Horatio profectum esse. Quid multa? levissima sane mutatione locum integrum olim praestiti; quod postea vidi ab elegantis ingenii viro Tanaquillo Fabro occupatum, et a celeberrimo Dacero comprobatum: „*Servos ve, tuo quos aere pararis*.“ Nihil vel e tripode verius dici potuit. Terent. Phorm. III, 2. v. 26. „*J'enditid. Quem indignum facinus, ancillam aere emiam suo*.“ Noster Epist. II, 2. v. 12. „*meo sum pauper in aere*.“ Sic *aere de suo monumentum posuit*. Gruter. pag. 549, 10. C. LANIUS C. L. EROS AERE DE SUO.

132. *Quid enim? neque tu hoc facis Argis*] Locus sane difficilis et interpretibus molestus: „*Cum laqueo uxorem interimis matremque veneno, Incolumi capite es? quid enim? neque tu hoc facis Argis, Nec ferro, ut demens genetricem occidit Orestes*.“ Ubi *quid enim* matricidae verba esse volunt, negantis se ideo insanire. Atqui *quid enim* non negantis est oratio, sed confirmantis. Ita Serm. I, 1. v. 7. „*Militia est potior: quid enim? concurritur: horae Momento aut cita mors venit, aut victoria laeta*.“ Probat hic, ut vides, colligitque, militiam esse potiorum. Atque ita passim usurpant boni auctores. Sine dubio igitur sunt verba haec Stoici, in argumentatione pergentis. Atque adeo priora illa sine interrogatione per Ironiam proferenda sunt, *Incolumi capite es. Quid enim?* Sic enim recte procedet oratio, et *Quid enim* hoc pacto confirmantis erit, quod post interrogationem est negantis. Quae autem sequuntur, *Neque tu hoc facis Argis*, Stoicus quidem loquitur, sed ex matricidae persona: et perinde est ac si diceret, *Dices, neque hoc Argis facio, neque ferro matrem occido: var itaque, ut Orestes, insanus vocer? Quid? respondet Stoicus, An tu Argis demum, occisa ibi matre, tum primum insanisse Orestem putas? Quia multo ante, dum peregre fuit, insanivit, priusquam matrem occidisset. Nihil itaque attinet, quo loco, aut quo*

- Nec ferro ut demens genetricem occidis Orestes.
 An tu reris eum occisa insanisse parente?
 135 Ac non ante malis dementem actum Furiis, quam
 In matris iugulo ferrum tepefecit acutum?
 Quin, ex quo est habitus male tutae mentis Orestes,
 Nil sane fecit quod tu reprehendere possis:
 Non Pyladen ferro violare, aususve sororem est
 140 Electram: tantum maledicis utriusque, vocando
 Hanc furiam, hunc aliud, iussit quod splendida bilis.
 Pauper Opimius argenti positi intus et auri,
 Qui Veientanum festis potare diebus
 Campana solitus trulla vappamque profestis,
 145 Quondam lethargo grandi est oppressus; ut heres
 Iam circum loculos et clavis laetus ovanisque
 v. 133. Vulg. *Occidit.* 139. *Est* deest.

modo id scelus perpetres: siquidem matrem interimis, certe insanus haberi debes. Nullam aliam, si sapiis, in recepta lectione sententiam quaeres. Sane quattuor apud Pulmannum codices pro *quid enim* *quid* *ni* exhibent. Quippe *enim* in scriptis exemplaribus hoc fere modo (*n.*) compendiose notatur; unde proclivis erat librariis lapsus a *quid ni* ad *quid enim*, et vicissim. Porro et *tu* in illis quae sequuntur, *Neque tu hoc facis Argis*, facile pro *n* sive *enim* decipere potuit; quin et a codice Reginensi omnino abest. Levi igitur brachio sic verum concinnare poteris, „*Incolumî capite es? quid ni? neque enim hoc facis Argis.*“ quorum alterum a scriptis codicibus venit, alterum ab eruditissimi Lambini coniectura. *Quidni incolumî?* ait Stoicus, urbane et *εἰπωρίζως*: *neque enim aut Argis aut ferro matrem iugulas; ut pro Oreste habendus sis.* Eadem facietia, Noster alibi Art. Poët. 382. „*Qui nescit; versus tamen audet fingere.* quid ni? *Liber et ingenuus, praesertim census equestrem Summam nummorum, viliusque remotus ab omni.*“ Equidem, ut vulgata lectionem, demta interrogatione, non improbo: ita hanc fortiolem et elegantiolem esse plures, opinor, censebunt.

133. *Ut demens genetricem occidit Orestes*] Ita sane: quia in proximo erat nominativus *Orestes*, tertiam in verbo *occidit* personam nobis dederunt, ut supra Epod. X, 22. *Iuverit* substituerunt pro *Iuervis*; nempe quia *praeda* id flagitium videbatur. At quanto melius Pulmanni codices duo, Bersmanni unus, ex nostris Regius et Magdalenensis et Lambethanus et a prima manu optimus Reginensis, „*neque tu hoc facis Argis, Nec ferro, ut demens, genetricem occidis, Orestes.*“ Sententia quidem eadem utrobique est: at orationem hoc modo nitidiorum venustiorumque fieri, hospes plane in potis sit, qui non ultro agnoscat.

137. *Male tutae mentis Orestes*] Non placuit hoc summo viro Nic. Heinsio: „*Fortis*“ ait, „*male motae, ut infra v. 278. commotae crimine mentis.*“ Scilicet haud meminerat medicorum verbum esse *Tutus*, perinde fere ac *sanus, incolumis*. Celsus II, 3. [p. 32, 34 Daremb.] „*Haec valetudo, ut spatium aliquod habeat, sic tuta erit.*“ II, 8. [p. 45, 17] „*Alvus in hac valetudine ea tuta est, quae quotidie coacta, eaque convenientia his quae assumuntur reddit.*“ et ibidem [p. 45, 36] „*In quo omnia haec sunt, is ex toto tutus est.*“ Ergo eleganter dictum est, *male tutae mentis, ut male sanae*: neque quidquam hic immutandum.

139. *Aususve sororem Electram*] Pulmanni liber optimus cum Regio addunt *est: aususve sororem est Electram*. Recte. Librarii pro more suo omiserunt; quia Hexameter citra id integer est.

- Curreret. hunc medicus multum celer atque fidelis
 Excitat hoc pacto: mensam poni iubet, atque
 Effundi saccos nummorum, accedere pluris
 150 Ad numerandum: hominem sic erigit. addit et illud;
 Ni tua custodis, avidus iam haec auferet heres.
 Men' vivo? Ut vivas igitur, vigila: hoc age. Quid vis?
 Deficient inopem venae te, ni cibus atque
 Ingens accedit stomacho futura ruenti.
 155 Tu cessas? Agedum, sume hoc ptisanarium oryzae.
 Quanti emtae? Parvo. Quanti ergo? Octussibus. Eheu!
 v. 154. Vulg. *Accedat.* 156. *Octo assibus.*

151. *Avidus iam haec auferet heres*] Nic. Heinsius ex coniectura emendat: „*Ni tua custodis, avidus iam iam auferet heres.*“ Satis quidem probabiliter: neque tamen recepta lectio temere efficienda.

154. *Ingens accedit stomacho*] Vide modo hos duos versiculos: „*Deficient inopem venae te, ni cibus atque Ingens accedat stomacho futura ruenti.*“ Ubi primo *accedit* reponendum est, fide codicum multo plurium, novem scilicet ex nostris, quinque ex sex Pulmannianis, trium ex Bersmannianis quattuor. Ceteri interpretes, editiones veteres patienter secuti, variantem hic lectionem dissimulant. *Ni accedit*; ut paulo ante v. 151. „*Ni tua custodis.*“ Serm. I, 2. 95. „*Ni Catia est.*“ II, 7. v. 118. „*Ocius hinc te Ni rapis.*“ Illud deinde mecum considera, *Ni cibus atque ingens futura accedit stomacho ruenti*. Quid sodes sibi illa volunt *cibus atque ingens futura*? Sane *cibus* stomachi futura est; ut Lucret. II, [1147] „*Et fulcire cibus atque omnia sustentare.*“ IV, 865. [867] „*Propterea capitur cibus, ut suffulciat artus.*“ Columella VI, 24. [§ 4] „*Quae vacca, cum partum edidit, nisi cibus fulta est, quamvis bona nutrit, labore fatigata nato subtrahit alimentum.*“ Vinum quoque potentissime reficit et fulcit *venas deficientes*. Seneca Epist. XCV. [§ 22] „*Antiqui medicis nesciebant dare cibum saepius, et vino fulcire venas cadentes.*“ Idem De Beneficiis III, 9. [§ 2] „*Quid assedisse aegro, et cum valetudo eius ac salus momenti constaret, excepisse idonea cibo tempora, et cadentes venas vino refecisse, et medicum adduxisse morienti?*“ Naso in Pont. I, 3. [v. 9] „*Et iam deficiens sic ad tua verba revixi, Ut solet infuso vena redire meno.*“ Recte ergo et eleganter hic habet *futura*: locum tamen integrum et sanum esse nondum ausim praestare. Quippe illud *ingens futura*, ut quovis loco non optimum foret epitheton, ita hic pessimum esse videtur. Non enim ideo deficiunt venae, si non *ingenti* futura sustinentur: modica utique et quantulacumque futura praecaveri id malum potest. *Deficient*, inquit, *venae, nisi ingens futura accedit*: quod perinde est ac si diceret, *Morieris; nisi ex toto incolumis es*: cui enim *ingens futura* suppetit, is ex toto tutus est. Quare facile inducor, ut illud *ingens* in mendo cubare existimem. Quid si sic corrigamus? „*Deficient inopem venae te; ni cibus, atque Praesens accedit stomacho futura ruenti.*“ *Ni futura praesens accedit*: unde aegrotus, maturandum esse auxilium ratus, continuo infert: *Tu cessas? Sic praesens auxilium, praesens remedium, praesens medicina* passim apud auctores. Certe *praesens* vel simile quid necessarium videtur sententiae. Non enim de moribundo duntaxat, sed de quovis etiam sanissimo id verum erit, *Deficient te venae, nisi cibus accedit*: fame enim tandem morietur. Sed illud interest, quod alteri *praesenti* auxilio opus est; alter sine periculo differre potest aliquantisper. Qui melius quid coniecerit, cum ego vatem optimum libens perhibebo.

156. *Quanti ergo? octo assibus*] Lambini hoc facinus est; qui explosa vetere lectione *octussibus*, primus hanc quae nunc passim circum-

Quid refert, morbo, an furtis pereamve rapinis?

v. 157. Vulg. *Pereamque*.

fertur in eius sedem intrusit: *ineptam* scilicet alteram et *corruptam* clamitans, quippe *oclusse* numero singulari, non *oclussibus* numero multitudinis dictum oportuisse. Hunc sequuntur Cruquius Torrentiusque, etsi inviti quodammodo et repugnantes. Ita denum evenit, ut quod germanissimae Latinitatis et nativae elegantiae est, indignis modis quasi furca hinc eiceretur. Nos pro more et penso nostro pergemus de Horatio bene mereri; et veram lectionem, negligentia interpretum proditam, postminimo revocabimus: „*Quanti emlae? parva. quanti ergo? octussibus.*“ Utrumvis quidem recte dixeris, *Ptisanarium oryzae venit occlusse*, vel *venit oclussibus*: magis tamen amabant veteres in hac locutione numerum pluralem. Cicero De Officiis II, 17. [§ 58] „*Ne Marco quidem Seio vitio datum est, quod in caritate asse modium populo dedit.*“ Vides hic numerum singularem: sed Livius, Plinius alique pluralem maluerunt. Livius IV, 16. [§ 2] „*L. Minucius bove avrato donatus est, ne plebe quidem invita, quia frumentum Maelianum assibus in modios aestimatum plebi divisit.*“ Plinius Hist. XVIII, 3. [§ 15] „*Manius Marcius aedilis plebis primum (lege primus) frumentum populo in modios assibus donavit.*“ Et mox [§ 16], „*Trebius in aedilitate assibus populo frumentum praestitit.*“ Et iterum [§ 17], „*M. Varro auctor est, cum L. Metellus in triumpho plurimos duxit elephantos, assibus singulis (lege singulos) farris modios fuisse.*“ Festus in voce Peculatus [p. 237 col. 1 l. 20 Muell.]: „*Postquam aere signato uti coepit populus R. Tarpedia lege cautum est, ut bos centussibus, ovis decussibus aestimaretur.*“ Animadvertis, opinor, non modo *assibus modios* gemino plurali dici; sed et *assibus frumentum, bovem centussibus, ovem decussibus* altero singulari: plane ut apud Nostrum, *ptisanarium oclussibus*. Quod perinde est, ac si diceret, *singula id genus ptisanaria de medicorum officinis oclussibus emi solere*. Sic itaque loquebantur; *Hoc quidem, quod in manibus fero, ptisanarium occlusse sive oclonis assibus entum est: hoc genus ptisanarium oclussibus emitur*. Posterioriorem autem phrasin hic usurpavit medicus; quia non unico ptisanario ingesto sanari potuit Opimius; sed pluribus quotidie opus habuit, donec paulatim integre convalesceret. Itaque uno responso et pretium ptisanarii indicavit Medicus; et illud insuper significavit, plura id genus sumi oportere. Quo damno exanimatus ille avarus, continuo exclamat, *Eheu, quid refert, morbo an medendi sumptibus peream*. Rectius igitur *oclussibus* hic legemus; quod et editiones veteres et omnes omnium codices exhibuerunt. Nam quod Lambinus suspicatur, olim hic extitisse *occl' assibus*; quia *U* litera in libris aliquot litura non vacabat; in ea re, credo, fallitur: et potius est, ut *oclussibus* fuerit; quod in codice Regio habetur, litera *U* superne adscripta. Tum autem, quod Cruquius memorat, in vetustissimo Blandinio esse *occl' assibus*, id quidem a manu secunda interpolatum fuisse veri simillimum est: nam in ea re subinde annotanda nimium is indiligens erat. Sic in Magdalenensi nostro nunc quidem *ocloassibus* praefertur; at a principio erat *oclussibus*, ut rasura et literae vestigia manifeste indicant.

157. *An furtis pereamque rapinis*] Ita olim dederunt editiones praeae: mox exorta est interpolatorum natio, qui ne pro *que* passim ediderunt; „*Quid refert morbo, an furtis, pereamve rapinis.*“ Quod ne Latinum quidem est: ne enim in hac locutione semper anteedidit *ro an*, nunquam subsequitur; ut Carm. II, 3, 21. „*Divesne prisco natus ab Inacho Nil interest, an pauper.*“ Hoc igitur, ut sane meritum erat, repudiato, veterem lectionem *que* in sedes pristinas restituerunt Lambinus et Cruquius. Sed cum codices ex nostris aliquot, Regius scilicet, Galeanus, et Magdalenensis clare habeant *re*; idque ipsum voluisse videantur, qui *ne* hic exhi-

Quisnam igitur sanus? Qui non stultus. Quid avarus? Stultus et insanus. Quid? si quis non sit avarus; 160 Continuo sanus? minime. Cur, Stoice? Dicam. Non est cardiacus, Craterum dixisse putato, Hic aeger. recte est igitur, surgetque? negabit: Quod latus, aut renes morbo tentantur acuto.

v. 163. Vulg. *Tententur*.

beant; nulla mihi dubitatio est, quin ea sola vera sit Horatii scriptura, „*Quid refert morbo, an furtis pereamve rapinis.*“ Quid refert, morbo peream, an furtis medici, rapinisve heredis? Ceterum *ve* et *oclussibus* probavit etiam doctissimus Baxterus. Si ne admittis, tum tollendum erit *an*: „*Quid refert, morbo, furtis, pereamve rapinis.*“

158. *Quisnam igitur sanus? Qui non stultus*] Non animadvertunt Interpretes elegantiam huius loci; cum sic verba illa accipiant, *Qui non est stultus*. Tu vero sic potius interpretere, *Qui est non stultus*. Haec autem quam non prorsus eadem sint, aut iam, opinor, sentis, aut mox persenties. Cicero pro Fonteio cap. VI. [§ 11] „*Quid opus est sapiente iudice? quid oratore non stulto.*“ Idem in Oratore c. 7. [71 § 236] „*Ut ea qui utantur, non stulti homines haberi possint, etiam plerumque prudentes.*“ Seneca Controv. XXI. [§ 7, p. 221, 18 Burs.] „*Servus non stultus tergum et caput suum deliciis praesentibus praetulit.*“ Controv. XXXII. [§ 7, p. 313, 15] „*Ego sanitatis meae, si potuero, argumenta colligam. Dicam in Senatu non stulte sententiam.*“ Plautus Mostell. I, 3. [v. 30] „*Equidem pul miror te non stultam stulte facere.*“ Terent. Heaut. II, 3. [v. 82] „*Tuum esse in potuendo periculum non vis: haud stulte sapias.*“ Restituenda ea lectio Nasoni, perspicacissimo Nic. Heinsio non intellecta, Trist. lib. V. Eleg. 5. [v. 39] ubi poeta inter Getas uxoris natalem celebrans et rem divinam faciens, miratur fumos e ture ascendentes Italiam versus ferri: „*Aspice, ut aura tamen fumos e ture coortos in partes Italas et loca dextra ferat.*“ Igitur prope est, ut sensu eos praeditos esse credat; quales olim in funere Eteoclis et Polynicis in duas partes se scidisse, tamquam odiis ardentium fratrum ipsi essent animati, Callimachus tradidit: „*Sensus inest igitur nebulis, quas exigit ignis.*“ Et se quidem antea pro fabula habuisse illud Callimachi; nunc tamen fidem ei habere, cum huic ipsi fumo sensum inesse videat: „*Hoc memini quondam fieri non posse loquebar: Et me Balliades iudice falsus erat. Omnia nunc credo: cum tu consultus ab Arcto Terga, Vapor, dederis, Ausoniamque petas.*“ Ita ex coniectura edidit Heinsius, et consultus ad *αρωακάρειαν* refert. Perperam profecto; neque pro solita sua sagacitate: nulla enim hinc omnia aut praesagia captabat Ovidius: ne unicum verbum est, quod illo trahi possit. Enimvero reponenda est elegantissima scriptorum codicum lectio, quam *nihili esse* vir summus pronuntiat, ipse mirum in modum deceptus et falsus animi: „*Omnia nunc credo: cum tu non stultus ab Arcto Terga, Vapor, dederis, Ausoniamque petas.*“ Non sensu modo praeditus erat ille fumus, sed *non stulte* sapuit, Nasoni iudice; cum relictis regionibus Geticis Italiam versus volaret, ab horrido illo caelo ad beatiores tractus migraturus: ipso scilicet poeta idem facturo, si copia daretur. Quid, rogo te, hac lectione verius? quid venustius? Sic idem alibi in Arte Am. III, 253. „*Aut Helene; quam non stulte, Menelae, reposeis; Tu quoque non stulte, Troice raptor, habes.*“ et ibidem 357. „*Cantaque non stulte Latronum praelia ludat.*“ Propertius III, 21. [23 v. 17] „*Et quaecumque volens reperit non stulta puella.*“ Iterum Cicero De Oratore II, 68. [§ 274] „*Ut vi non stultus quasi stulte cum sale dicat aliquid.*“

163. *Morbo tententur acuto*] Venetae praeae et Loseheriana, *tentantur*, atque ita maior pars codicum; ex nostris octo: neque aliter citat

Non est periurus, neque sordidus. innolet aequis
 165 Hic porcum Laribus. verum ambitiosus et audax.
 Naviget Antieyram. quid enim differt, balatrone
 Dones quicquid habes, an numquam utare paratis?
 Servius Oppidius Canusi duo praedia, dives

v. Vulg. 166. *Barathrone.*

Priseianus p. 69], ubi et tres manuscriptos in eadem lectione consentire vidi, „*Quod latus aut renes morbo tentantur acuto.*“ Quod indicativum modum hic recipit, ut supra v. 120. „*eo quod Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.*“ Revoceatur itaque antiqua scriptura, nullo suo merito de avitis sedibus depulsa. Ceterum imitatus est Serenus Sammonicus cap. III. [II; v. 29] „*Portio si capitis morbo tentetur acuto.*“ et XXIII. [XXII; v. 392] „*Si latus inmeritum morbo tentatur acuto.*“

166. *Barathrone Dones quicquid habes*] Iam olim, ut ex Scholiasticis dicere licet, locus hic ambiguae erat lectionis. Plures quidem codices, et editiones omnes habent, *Barathrone dones*; quod erit, in ventrem et ingluviem profundere: ut Epist. I, 15, 31. Maenius ille belluo *macelli barathrum* dicitur. Atque hanc enarrationem secuti sunt Tresviri Interpretes. Quam tamen si admittitis; vide annon elegantius reponere possis *damnes pro dones*: „*quid enim differt, barathrone Damnes quicquid habes, an numquam utare paratis?*“ ut Sidonius Apollinaris Carm. V. vers. 325. „*post quina Vitelli Millia, famosi ventris damnata barathro.*“ Illud tamen lectionem hanc penitus evertit, quod nondum *helluones et nepotes* perstringit noster (quos versu demum 224 insectatur) sed *ambitiosos et audaces* hic sugillat, ut recte vidit vir egregius Dan. Heinsius. Consideranda itaque est alia, quam suppeditant codices nostri Reginensis et Galeanus, et Scholiasticae quoque agnoscent; „*quid enim differt, balatro ne Dones quicquid habes, an numquam utare paratis?*“ hoc est, *dones ne et profundas quicquid habes, ut balatro*. Balatro autem est homo nihili, decoctor, qui sua stulte prodigit. Glossae Labbaei: *ἄσματος, ganearius, luxuriosus, prodigus, profusus, sumtuosus, balatro.*“ Varro de Re Rust. II, 5. [§ 1] „*Videbo iam vos, inquit, balatrones, et huc afferam meum corium et flagra.*“ Lucretius III, 968. [954] „*Aufer abhinc lacrimas, balatro, et compesce querelas.*“ Ita verissime emendavit Nic. Heinsius ad Ovidii Amor. III, 3 [v. 1] cum scripti codices ibi *barathro* habeant, ut hic apud Flaccum. Profecto sua se facilitate et bonitate satis commendat haec lectio, *Balatrone*: atque illud haud levem ei gratiam conciliat, quod Nic. Heinsio placuerit: adhuc tamen restat altera, in duobus codicibus a Bersmanno reperta, quae fortassis omnibus palmam praeripere suo iure mereatur. „*quid enim differt, balatrone Dones quicquid habes, an numquam utare paratis?*“ Certe particula disiunctiva *Ne* tuto hinc abesse potest; ut Epist. II, 2. v. 166. „*Quid refert, vitas numerato nuper, an olim?*“ et Serm. II, 7. v. 58. „*Quid refert, uri virgis ferroque necari Auctoratus eas, an turpi clausus in arca?*“ Iam autem sententia erit, Quid differt, utrumne avarus numquam rebus partis utare, an ambitiosus et *audax* sive turbulentus, seditiosus, bona omnia profundas in aucupanda plebis gratia et suffragiis venandis? *Dones balatrone*, ut Serm. I, 2. v. 56. „*Qui patrium mimae donat fundumque laremque.*“ *Balatrones* autem et eiusmodi nebulones nullius bonae frugis sectari et comedere solebant ambitiosos, qui muneribus ludisque exhibendis, et pauperibus sportula delinendis, aliisque id genus sumtibus, largos se benignosque esse et haberi studebant. Unde illud initio Sermone I, 2, 2. „*Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne Moestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli; Quippe benignus erat.*“ Favent quoque huic lectioni appositissima loca Vopisci in Carino c. 20. et 21. [c. 19 et 20] ubi Iunium quendam Messallam, plane *ambitiosum* hunc Ho-

Antiquo censu, gnatis divisisse duobus
 170 Fertur, et hoc moriens pueris dixisse vocatis
 Ad lectum: Postquam te talos, Aule, nucesque
 Ferre sinu laxo, donare, et perdere vidi;

v. 170. Vulg. Haec. 172. *Ludere.*

ratianum, culpatis; quod popularis aurae gratia patrimonium omne in balatrones et histriones prodegerat. „*Legat, inquit, hunc locum Iunius Messalla, quem ego libere culpate audeo: ille enim patrimonium suum Scenicis dedit, heredibus abnegavit; matris tunicam dedit mimae, lacernam patris mimo.*“ etc. „*Et haec quidem idcirco in literas retuli, quo futuros editores (munerum) pudor tangeret, ne patrimonium sua, proscriptis legitimis haeredibus, mimis et balatronibus deputarent.*“ Sane Vopiscus hunc ipsum Flacci locum respexisse videatur. Et res enim et verba utrobique sunt eadem. Nam inter alia de impensis *munerum et ludorum* hic agi, vel ex versu 182 constiterit, „*In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis?*“ *Donare* autem *balatrone* id ipsum est quod *deputare balatronibus*: singularem enim hic numerum vim pluralis habere, vulgatum est et tralatitium. Ceterum debita laude fraudandus non est Heinsius pater; qui hoc ipsum ex coniectura, ut videtur, feliciter protulit; in eo tantum se frustratus, quod *balatronem* de uno quodam parasito, non de tota nebulonum et seurarum turba interpretatus est.

170. *Et haec moriens*] Editiones vetustae, et manuscripti fere omnes, *Hoc moriens pueris divisisse*. Quod altero rectius: sic infra v. 190. Dicere quod sentit: non ut vulgo, *Quae*.

172. *Donare et ludere vidi*] Sic quidem Librarii quasi coniurati in omnibus codicibus tradiderunt: quaero, an ipse Auctor? Equidem cras fortassis id credere possim, hodie certe nihil. Expendamus paullisper locum integrum: „*postquam te talos, Aule, nucesque Ferro sinu laxo, donare et ludere vidi; Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristum.*“ „*Donare, inquit Scholiastes, ad Nuces refertur, ludere ad Talos.*“ Nihil potuit ineptius: *Ludere* enim tam ad nuces, quam talos refertur; et *donare* etiam ad utrumque. Suetonius Augusto c. 83. „*Animi laxandi causa modo piscabatur hamo, modo talis aut ocellatis nucibusque ludebat cum pueris minutis.*“ Ergo vitio hic dat pater Aulo filiolo, quod *talos nucibusque luderet*. Nimum profecto iracunde, atque, ut illud addam, stulte. Quorsum enim datos esse talos aut nuces, nisi ut iis *luderetur*? Hocine ut in puerulo quis criminetur? Quin et alter ille Tiberius, qui iam tum avaritiae semina ostendebat, *ludebat* sine dubio cum fraterculo. Illud etiam vide, quam praepostere ista socientur, *Donare et ludere*: qui enim semel talos *donaverit*, quomodo sodes *ludere* iis postea poterit? Haec sane absurditatem omnem superant. Quid ergo hic reprehendit pater Oppidius? Non utique quod talis *luderet* filius; sed quod *sinu laxo* et neglegenter eos ferret, ut saepe exciderent et *perderentur*; temere etiam cuivis eos *donaret*; finito lusu, si profectos relinqueret, neque in posterum servandos reponeret; atque adeo negligentis et prodigi olim hominis specimen exhiberet. In fratre vero contraria indoles elucebat, avaritiae scilicet et sordium; cum statim a lusu studioso talos *numeraret*, qui et in cavis angulisque *absconderet*, metuens et sollicitus ne a quoquam surriperentur. *Sinu laxo*, ut eleganter Seneca de Beneficiis IV, 24. [§ 2] „*Non recipit sordidum Virtus amatorem, soluto ad illam sinu veniendum est.*“ Quid ergo? Equidem, vel centum Librariis obnitentibus, aio et contendo sic Horatium dedisse; „*Ferre sinu laxo, donare et perdere vidi.*“ Sententiam, opinor, iam vidisti: verba ipsa se inter se conveniunt, ut nequeant sine iniuria divelli. Martialis IV, 40. [v. 7] „*Iam donare potes, iam perdere: plenus honorum, Largus opum. Expecta, Postume, quid facias.*“ VI, 30. „*Sex sosterlia si statim de-*

Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem:
 Extimui, ne vos ageret vesania discors;
 175 Tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam.
 Quare per Divos oratus uterque Penatis,
 Tu cave ne minuas, tu ne maius facias id,
 Quod satis esse putat pater, et natura coëreet.
 Praeterea, ne vos titillet gloria, iure-
 180 Iurando obstringam ambo: uter aedilis, fueritve
 Vestrum praetor, is instabilis et sacer esto.
 In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
 Latus ut in circo spatier, et aëneus ut stes;
 Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?

v. 183. Vulg. *Aut aeneus.*

disses, *Cum dicti mihi, Sume, tolle, dono: Deberem tibi, Paete, pro ducentis. At nunc cum dederis diu moratus. Sex sestertia, Paete, perdidisti.* Seneca de Benef. VI, 4. [§ 6] „Si cum daret, suspiravit, cultum adduxit, perdere se cre[di]dit, non donare.“ VII, 32. „Non est magni animi dare et perdere: hoc est magni animi perdere et dare.“ De Vita Beata XXIV. [§ 2] „Quid tu, inquis, recepturus donas? immo, non perditurus.“ Tacitus Hist. I, 30. „Falluntur, quibus luxuria specie liberalitatis imponit: perdere iste sciet, non donare.“ Ceterum perdere talos non solum extralatum, sed in ipso etiam lusu potuit Aulus; cum frater scilicet Tiberius, ludo lueroque attentior, omnes illius talos victor auferret. Elegantissimus locus est apud Apollonium Rhodium, ubi Cupidinem et Ganymedem inducit talis aureis ludentes; quorum ille astutus et nequam simpliciter Ganymedi manum adierit, et os sublevertit; hic omnes talos, duobus exceptis, mox et istos quoque moerens perdidit. Digni sane sunt versus, qui et hic legantur; lib. III, v. 117. ἀμφ' ἀστραγάλοις δὲ τῷγε Χρυσίουσ' αἰεὶ κοῦροι ὀμῆθεις ἐπιόωντο. Καὶ ὃ ὁ μὲν ἦδη πάμπαν ἐνείλεον ᾧ ὑπὸ μαζῶν Μόργος Ἐρως καὶς ὑποτάχωνε χειρὸς ἰσοστάτῳ Οοδῶς ἐρεστήως· γλυκερὸν δὲ οἱ ἀμφὶ παρὰ τὴν Χρυσίουσ' θάλλεν ἔρεθδος. ὃ δ' ἔγγυθεν ὀκλαδὸν ἤστο Σίγα κατηγνῶον, δαῖω δ' ἔχεν, ἄλλον ἔθ' αὐτως ἄλλῃ ἐπιτροπίει, καχόλωτο δὲ καυχάλοωντι. Καὶ μὲν τοὺς γε παρῆσσον ἐπὶ προτέρωσιν ΟΑΕΣΣΑΣ Βῆ κενεαὶσιν σὺν χειρῶν ἀμίζανος. Quare omnino reponendum est *perdere*; seu in lusu id factum esse malis, seu extralatum: certe de Horatii corio et fama ludebant, qui primi hic substituebant *ludere*.

174. *Ageret vesania discors*] Nic. Heinsius in libri sui margine, *Forte*, inquit, *legendum, Vesania discors*. De quo vocabulo consule ipsum, si vacat, ad Epistolam Sabini primam, vers. 35. et nos ad Carm. III, 29. v. 28. Ceterum hic potius retineo vulgatam lectionem: Avaritia quippe et Luxuria dissident inter se et discordant.

183. *Latus ut in circo spatier, aut aeneus ut stes*] Editiones Venetae et Loscheriana, et aliae credo omnes ante Lambinum *laetus*. Quod et scriptis codicibus repugnat, et manifeste vitiosum est. Heinsius filius ex coniectura, *Forte*, inquit, *lentus*; quod et mihi in mentem venerat. Sane *lentus* et *spatiari* aptissime iunguntur, ut apud Ovidium Art. I, 67. „Tu modo Pompeia lentus spatiare sub umbra.“ Metam. II, 572. „nam dum per litora lentis Passibus, ut soleo, summa spatier arena.“ Sed illud huic emendationi incommode accidit, quod non *Aedilis* et *Praetor* duntaxat, sed cuiusvis hominis otiosi erat, *lento in circo spatiari*: quid enim vetuit? Noster, cum a negotiis vacuus *Fallacem* Circum *resortiniumque pererrabat Saepae forum*, lente, opinor, et tardo gradu incedebat, non

*) [sciet, donare nesciet codex]

185 Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,
 Astuta ingenuum volpes imitata leonem.
 Ne quis humasse velit Aiace, Atrida, vetas cur?
 Rex sum: nil ultra quaere plebeius: et aequam

v. 188. Vulg. *Quaero.*

quasi hostem fugiens currebat. Quare satius erit, ut lectionem omnium codicum auctoritate nixam, *latus*, retineamus. Ut enim *sublimis incedere*, pro fastuose et magnifice, saepius occurrit: Auctor Octaviae v. 704. „Sublimis inter civium laeta omnia Incessit“: ita eodem sensu, et pari metaphora, *latus incedere* vel *spatiari* dictum esse videatur. Cicero certe et *erigi* et *latiorem fieri* eadem translatione pro *animos tollere* posuit; Acad. II, 41. [§ 127] „Est enim animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum consideratio contemplatioque naturae: erigimur, latiores*) *fieri* videmur, humana despiciamus.“ Et ut Graeci ἀκροῖς ποσὶ βαίνειν, ἐπὶ ἄκρων ὀρέγων βαδίζειν, summis pedibus ingredi, de homine sublimiter et superbe incedente usurpant: ita qui alis subnixis et cubitis ansatis fastuose ambulant, nescio cur non *lati incedere* recte dicantur. Plautus Persa II, 5. [v. 6] „Subnixis alis me inferam, atque amicibor gloriose. Sed quis hic ansatus ambulat? Magnifice conscreabor.“ Seneca Epist. LXXVI. [§ 31] de Histrionibus: „Cum praesente populo elati incesserunt et cothurnati; simul exierunt, excalceantur, et ad staturam suam redeunt,“ ubi MSti omnes *lati*, teste Grutero. Iterum de iisdem Epist. LXXX. [§ 7] „Ille qui in scena elatus incedit, et haec resupinus dicit, ‘En impero Argis.’“ Etiam hic plerique apud Gruterum codices *latus* vel *latus*. Et iterum de divitibus et nobilibus Epist. CXV. [§ 9] „Omnium istorum, quos incedere altos vidis, bracteata felicitas est.“ Silet hic Gruterus: tu perpende, annon hic olim fuerit *latus*. Ovid. Heroid. IX, 127. „Ingrreditur late lato spectabilis auro.“ Verum hic potius *late* referendum erit ad *spectabilis*; ut Noster Carm. [III, 16, 19] „Late conspiciam tollere verticem.“ Ceterum, pro *aut aeneus*, repono ex veterrimo Leicensi et Colbertino, „*Latus ut in circo spatier, et AENEUS ut stes*“: ut non alteruter tantum honos, sed uterque ei obtingat. Necessaria est sane haec emendatio: nusquam enim *aeneus* trisyllabon apud veteres poetas invenias (nisi forte ubi prave ediderunt pro *aeneus*) sed ubique aut *aeneus* aut *aenus*.

187. *Atrida, vetas cur?*] Ita recte Editiones: at perperam codices aliquot notae deterioris, *Atride*: hoc enim ultimam producit, ut *Argidē*. Sane insignis iniuria facta est optimo Prisciano; cum vel in celebri illa Putschii editione sic eius verba exhibentur p. 731. „*Latina vero proportio in E correptam vult Vocativum primae declinationis terminari, etiam in Graecis; unde Horatius in II Sermonum; ‘Nequis humasse velit Aiace, Atride, vetas cur?’*“ Quattuor enim manuscripti, quibus usus sum, clare ibi habent, in *A correptam*, et postea, *Atrida*. Servius ad Aen. III, 475. „*Anchisa Vocativus Graecus: sic Atrides, Atrida facit, ut Horatius; ‘Nequis humasse velit Aiace, Atrida, vetas cur?’*“

188. *Nil ultra quaero plebeius*] *Quaero* et in editionibus et in plerisque omnibus scriptis habetur; tam aliorum, quam nostris; nisi quod in uno Collegii Trinitatis, *quaeram*. Agnoscit quoque eam lectionem Acron Scholiastes. At vetustissimus Cruquii Blandinius a prima manu habuit *quaero*; quomodo, vel contra omnium exemplarium fidem, ex coniectura legendum censuit Gul. Canterus Novar. Lect. IV, 12. [p. 602 extr. in Gruteri Lamp. III]. Quid hic agimus? Certe subtili hic, si usquam alias, iudicio opus est; quo Bonum a Meliore discernamus, exiguo sane fine separatim. Utraque quidem lectio satis comoda; sed utraque vera et genuina esse

*) [altiores aia lectio]

nequit. Prior illa, quam pluribus placuisse video, „*Rex sum. Nil ultra quaero plebeius. Et aequam Rem imperito.*“ etc. verba haec vult esse eius, qui supra ex Agamemnone quaesiverat, *Cur Aiacem sepeliri veluisset.* Si hoc, inquit, tamquam rex, et pro imperio duntaxat iubeo; ego unus de plebe nihil amplius quaero. Similis fere locus est Iuvenalis Sat. X, 72. de nece Sciani: „*sed quo cecidit sub crimine? quisnam Delator? quibus indicibus, quo teste probavit? Nil horum: verbosa et grandis epistola venit A Capreis. Bene habet: nil plus interrogo.*“ Posterior autem lectio totam hanc orationem Agamemnoni tribuit: „*Rex sum: nil ultra quaere plebeius: et aequam Rem imperito: ac si cui videor, non iustus; inulto Dicere, quod sentit, permitto.*“ Rex, inquit, sum; hoc satis est tibi plebeio, cuius non est in regem tuum, quid aut quare faciat, curiosius inquirere: et praeterea etiam aequum bonumque est, quod iubeo: ac si tibi vel alii cuiumque iniustum hoc et iniquum videtur, impune contradicere et redarguere licebit. Mihi quidem, pace tot interpretum qui aliter sentiunt, posterior haec enarratio melior et concinnior videtur. Quippe in altera id, opinor, iure reprehendas; quod, ut primum Agamemnon dixerat, *Rex sum*; continuo ille respondet, *Nil ultra quaero.* Atqui iam plus quaesiverat in versu superiore, „*Ne quis humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur?*“ *Cur*, inquit, *vetas?* quam ob rem, qua de causa, quibus rationibus inductus, hoc vetas? Deserit ergo orationem inceptam: si statim, audit ille *Rex sum*, contentus et mutus abiturus est. Siquidem illud *Rex sum* non omnino satisfacit interrogationi *Cur vetas*: immo responsionem potius abnegat. Hoc primum: quod vel solum, nisi fallor, perspicaci lectori suffecerit. Sed et alterum etiam est, quo si non aequae, aliquatenus tamen peccat ea lectio. Quippe vox *plebeius* inclementius paulo ac convitiū loco hic dicitur; et Agamemnoni quidem aptissime convenit: qui subiratus et indigno ferens a peregrinatorum interpellari, conditionis cum suae verbo illo admonere voluit: ut Ulixes Iliad. B. v. 209. [198] *Τὸν δ' εὖ ἄλλοιόυ τ' ἄνδρα ἴδου, ἰσοστάτ' ἐπέροισι, Τὸν ἀσπίδιον ἑλέσασιν, ὑποζήσαντι τὸ νόθον, Λαίοντι, ἄροίαν ἦσο,* etc. At contra, peregrinatoris hoc personae non ita belle aptatur: cur enim ipse se ultro vili pendendum indicaret? Iam autem, quod hic obiciunt viri eruditi, si Agamemnoni illud tribuas, *Nil ultra quaere plebeius*, pugnatum esse cum iis quae sequuntur, „*ac si cui videor non iustus, inulto Dicere quod sentit permitto*“: quomodo enim, aiunt, et vetat quaerere, et permittit? In eo certe valde falluntur, neque totius orationis oeconomiam percipiunt. Primo enim ostendit Agamemnon, se, si regium decus et fastigium tutari vellet, nullum responsum fore daturum: tamen, quod apud omnes gratiosus esse cuperet, et edicti sui aequitati fideret, paratum esse cuiumque rationem eius reddere. Quid, amabo, aut indecorum hic, aut sibi ipsi repugnans? Quin et eadem prorsus redit, si qua est quam volunt, repugnantia; sive Agamemnoni verba illa tribuas, sive plebeio. Qui enim dicit, *Rex sum*; etiam, cum tacet, praedicat *nihil ultra quaerendum esse* seu plebeio, seu nobili. Ita apud Nasonem ipse Agamemnon, ubi Briseida sibi arrogat, Remed. Amor. v. 475. „*Est, ait Atrides, illi quam proxima forma; Et, si prima sint syllaba, nomen idem: Hanc mihi, si sapiat, per se concedat Achilles: Si minus: imperium sentiat ille meum. Quod si quis vestrum factum hoc inuasit, Achivi: Est aliquid, valida scepra tenere manu. Nam, si rex ego sum, nec meum dormiet illa, in mea Thersites regna licebit eat.*“ Enimvero Salmoneus ille ad hunc ipsum Flacci locum respexisse videtur. Unum tantummodo hoc addam; quod, qui usu et diligenti scriptorum codicum lectione Librariorum ingenium bene noverit, facile credet, illud *quaere* interpolari potuisse ab illis sciolis, ut laboranti versui moderentur; ignavis scilicet et virtute Caesurae et ob duplicem consonantem *tō quaere* hic posteriozem syllabam producere; contra, si *quaero* ab Horatii manu fuisset, nusquam quemquam inventum iri, qui *tō quaere* vel somnio substitueret.

Rem imperito. at si cui videor non iustus; inulto
190 Dicere, quod sentit, permitto. Maxime regum,
Di tibi dent capta classem deducere Troia.
Ergo consulere, et mox respondere licebit?
Consule. Cur Aiax heros ab Achille secundus
Putrescit, totiens servatis clarus Achivis:
195 Gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato,
Per quem tot iuvenes patrio caruere sepulcro?
v. 190. Vulg. *Quae.* 191. *Reducere.*

189. *At si cui videor non iustus* Ita nuper ediderunt, *at si*, ex codice omnium veterrimo Blandinio. Sed rectius est *ac si*, ut alii omnes, scripti editique, summo consensu exhibent.

190. *Dicere quae sentit permitto* Cum Venetae antiquae et Loscheriana quod sentit olim dedissent, postea exorti sunt nesio qui, qui *quae sentit* substituerent. Idque per interpretum negligentiam passim nunc obtinet, contra omnium fere codicum fidem, quorum plurimi quod habent, pauci quid Revocetur vetus lectio, „*Dicere, quod sentit, permitto.*“ Cicero Philip. II [XI]. 15. [§ 39] „*Ego autem, dicendum enim est, Patres conscripti, quod sentio.*“ Ibidem, V, 2. [§ 3] „*Non iam levitatis est, sed ut quod sentio dicam, dementiae.*“ De Oratore, I, 40. [44 § 195] „*Fremant omnes licet, dicam quod sentio.*“ Et II, 90. [§ 365] „*Dicam enim vere, amicissimi homines, quod sentio.*“ In Bruto c. 41. [§ 151] „*De Servio autem et tu probe dicis, et ego dicam, quod sentio.*“ Et c. 85. [§ 292] „*Dicam, opinor, quod sentio.*“ Paradox. I [1 § 6] „*Dicam tamen, quod sentio.*“ Seneca Controv. I, 5. [§ 3, p. 89, 13 Burs.] „*Dicam quod sentio, magis irascetur, si unam tantum rapuisset.*“ Quintil. Declam. VI. [c. 10] „*Dicam tamen quod sentio; excusatus odisset virum, quam filium.*“ Seneca Epist. LXXV. [§ 4] „*Quod sentimus, loquamur; quod loquimur, sentiamus.*“ Ceterum illud quid stare non potest, nisi modus Subiunctivus sequatur, *Dicere, quid sentiat.*

191. *Classem reducere Troia* Veneta princeps *reducere*, altera anni MCCCXC cum Loscheriana *deducere*. Prius, ut video, interpretibus placuit; qui id satagunt, ut ostendant *reducere* primam syllabam interdum habere productam. Quasi vero illud potissimum hic ageretur; ac non ipsa potius sententia in considerationem veniret. Quam si attendissent; vidissent atque *tō deducere*, quod et codex Zulichemianus exhibet, solum esse sinuatum et ab Horatio profectum. Quippe in Asia haec dicuntur, ubi in agro Troiano insepultus iacuit Aiax: *deduci* igitur inde debuit classis, ut postea ad Graeciam appelleretur. *Reduci* vero eam rursus in Asiam, qui deus orat; is sane malam pestem et magnum infortunium Agamemnoni precatur. Recte igitur habet, „*Di tibi dent capta classem deducere Troia.*“ Virgil. Georg. I, 255. „*Conveniat quando armatas deducere classes.*“ Aen. III, 71. „*Deducunt socii naves, et litora complent.*“ et IV, 398. „*et litore celsas deducunt toto naves: natat inacta carina.*“

194. *Cur Aiax Putrescit* Scriptorum codicum bona pars *putrescit*: quam scripturam sunt qui alteri praeferant; sunt qui nihil interesse dicant, hanc an illam sequaris. Ego vero neutris accedo: quippe *putrescit* nusquam alibi legitur, non magis quam *fontescit*. Tum autem, etsi legeretur alicubi, ambigue tamen hic et prave poneretur; quia *putere et foetere* etiam de hominibus vicis dicuntur. *Putrescit* igitur, atque id solum, recipimus: quod est ipsum illud Homeri, *Πύθηται*. Iliad. A. 395. ὁ δὲ δ' ἀΐακτι γέλασ' ἱερῶν ΠΥΘΗΤΑΙ· αἰωνοὶ δὲ ἀπὸ αἰῶν ἢ γυναικας et Odys. A. 162 [161] Ἀΐακος, ὃ δὲ αὐτὸν λέξ' ὄντι ΠΥΘΗΤΑΙ ὄψρη. Seneca de Tranquill. c. XIV. [§ 3] „*Nam quod ad sepulturam attinet,*

- Mille ovium insanus morti dedit, inclutum Ulixen
 Et Menelaum una mecum se occidere clamans.
 Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam
 200 Ante aras, spargisque mola caput, inprobe, salsa;
 Rectum animi servas? quorsum insanus, quid enim Ajax
 Fecit? cum stravit ferro pecus; abstinuit vim
 Uxore et gnato, mala multa precatu Atridis:
 Non ille aut Teucerum, aut ipsum violavit Ulixen.
 205 Verum ego, ut haerentis adverso litore navis
 Eriperem, prudens placavi sanguine Divos.
 Nempe tuo, furiose. Meo, sed non furiosus.
 Qui species alias, veri scelerisque tumultu
 Permixtas, capiet, conmotus habebitur: atque
 210 Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.

o te ineptum, si putas [mea] interesse, supra terram an infra putreoseam.“ Quintilianus Declam. VI. [c. 3] de proiecto cadavere: „Patrescit interim corpus, nec totum in siccio iacet.“

208. Qui species alias veri scelerisque tumultu Permixtas capiet] Locus lubricus, quem nullus Interpretum non attingit, nullus dubium adhuc et incertum non reliquit. Veri quidem et codices et veteres editiones exhibent; nisi quod unus Cruquianus a prima manu *veris* habuit, alter a secunda *vero*. Sane Lambinus, nondum visa Cruquiani codicis lectione, ex coniectura reposuit *alias veris*, id est, *alienas* et *diversas a veris*, sive falsas: ut Noster alibi, [Epist. II, 1, 240] „*alius Lysippo*“, [Epist. I, 16, 20] „*alium sapiente bonoque*“, et Phaedrus III, 1. [prol. 41] „*Quod si accusator alius Seiano foret*“. Contra hunc insurgunt Xylander Torrentiusque, qui *alias veri* sensu non dispari pro *alias a vero* stare posse existimant; ut *alienus* tam cum genitivo, quam ablativo sociant Latini, *alienum maiestate, officio, existimatione; alienum salutis, assensionis, naturae Deorum*: Graeci autem ἄλλο ἐπιστήμῳ, ἔτινος τοῦ νόμου et alia id genus passim usurpant, ipso Lambino plura exempla suggerente. Equidem ex his duobus prius illud Lambini praetulerim: concinnius enim est, siquid iudico, *alias species a veris*, scil. speciebus, quam *alias a vero*, ubi in diversum genus transitur. Sic Curtius IV, 59. [c. 15 § 26] „*Sive ludibrium oculorum, sive vera species fuit*“. Sed in neutra, opinor, lectione pede recto procedit oratio; sive legeris, „*Qui species alias veris, scelerisque tumultu Permixtas capiet*“, sive *alias veri*, quod in hac constructione eandem sententiam parit. Quid enim illo fiet, *scelerisque tumultu permixtas*? Non cognosco illum *sceleris tumultum*. Certe tumultus est, ubi res diversae et contrariae miscentur inter se et confunduntur; ut Noster Serm. II, 2. v. 75. „*at simul assis Miscueris elixa, simul conchyliis turdis, Dulcia se in bilem vertunt, stomachoque tumultum Lenta feret piluita*“. Quare vide, annon sic potius distinguenda sint verba, „*Qui species alias, veri scelerisque tumultu Permixtas, capiet*“. Quae enarratio et olim Scholiastae Aeroni, et nuperius Xylandro Torrentioque placuit. Iam enim recte *tumultum* dixeris, ubi verum et scelus permiscentur. *Verum* autem hic erit *rectum, aequum, bonum*, ut sapienter apud Nostrum aliosque usurpatur. Quod divos placaverit Agamemnon, ut propitiis eis classem deduceret, hoc *verum* et *rectum* erat; quod ea de causa filiam immolaverit, illud *scelus*. Itaque scelus et verum tumultu permixta; ut Virgil. Georg. I, 505. „*Quippe ubi fas versum atque nefas*“. Catullus Epithalamio Pelei prope finem [64 v. 406]. „*Omnia fanda nefanda malo permixta furere*“. *Alias* autem *species* absolute, pro alienis a veritate, aliis ac ipse

- Ajax, cum inmeritos occidit, desipit, agnos:
 Tu, prudens scelus ob titulos cum admittis inanes,
 Stas animo? et purum est, vitio tibi cum tumidum est cor?
 Si quis lectica nitidam gestare amet agnam;
 215 Huic vestem, ut gnatae, paret ancillas, paret aurum;
 Rufam aut Posillam adpellet, fortique marito

v. 211. Vulg. Ajax imm. dum occ. 212. Cum p. s. ob t. adm. 216. Pusam aut Pusillam.

opinatus est, quidni cum Xylandro accipere possimus? aut levi mutatione, *falsas* vel *vanas* non incommode substituere? quemadmodum initio Art. Poët. [v. 7] „*celut aegri somnia vanae finguntur species*“: et apud Livium III, 5. [§ 14] „*Portentaque alia, aut observata oculis, aut vanas exterritis ostentavere species*“: et Celsum III, 18. [p. 98, 22 Daremb.] „*Aut cum aeger, quamvis adhuc sapiat, tamen quasdam vanas imagines accipit*“. Ubi animadvertite etiam illud *accipit*. Recte enim inde colligas, *species capiet*, hic legendum; non ut codices quidam habent, *cupiet*. Quippe et Seneca Epist. LIV. [LIII § 7] „*Nam qui leviter dormit, et species secundum quietem caput*“. Et De Ira, II, 1. [§ 4] „*Nam speciem capere acceptae iniuriae, et alionem eius concupiscere*“. Et II, 3. [§ 5] „*Sed ille sequens impetus, qui speciem iniuriae non tantum accipit, sed approbavit*“. Ceterum satis mihi erit, diversas hic sententias proposuisse, nova aliqua luce perlusas: quenam autem ex his palmam auferre debeat, lectoris iudicio permittendum censeo.

211. *Aias inmeritos dum occidit*] Derivatum est hoc ab Editionibus praescis; inde in plerisque nunc circumfertur. At solus ex nostris Reginensis dum; ceteri cum, ut plerique aliorum, habent; et id versus sequens confirmat, *Cum prudens admittis*. Ceterum aliter verba ordinantur, cum in Cruquianis, tum in nostris, Zulichemiano, Magdalenensi, et Regiae Societatis; „*Aias cum inmeritos occidit, desipit, agnos*“. Quod altero concinnius cultiusque exire, qui aurem habet, facile sentiet; et merito viris eruditus Cruquio Baxteroque placuisse.

212. *Cum prudens scelus ob titulos admittis inanes*] Pro *admittis* Cruquiani plures, unus Pulmanni, et duo nostri *committis*. Id, opinor, ortum est ex veteri lectione, *cum admittis*. Sic enim lego; „*Tu prudens scelus ob titulos cum admittis inanes*“. Tu vim hic et venustatem affert sententiae; ut supra v. 199. „*Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam*“ et Serm. II, 7. v. 40. „*Tu cum sis quod ego et fortassis nequior*“ et 53. „*Tu cum proiectis insignibus, annulo equestri*“. Noli dubitare, quin sic Horatius scripserit.

215. *Huic vestem, natae ut, paret*] Eleganter codex Magdalenensis, „*Huic vestem, natae ut, paret*“ ut alibi Noster Serm. I, 3. v. 89. „*Prorecto iugulo historias, captivus ut, audit*“. Ovid. Amor. III, 11. [v. 12] „*Excubui clausam, servus ut, ante domum*“.

216. *Pusam aut Pusillam adpellet*] Exemplum hic ponit cuiusdam, qui *imaginibus, non mente, falsus*, ut Celsi verbis utar III, 18. [p. 101. 33 Dar.] agnam sub humana specie viderit, et filiam esse suam crediderit, vestem illi et ancillas paraverit, nomen muliebri ei indiderit, et marito uxorem destinaverit; Aiaci similem errorem insaniens, qui tres arietes iugulavit, Atridas et Ulixen se credens occidere. Videamus auctoris verba: „*Siquis lectica nitidam gestare amet agnam; Huic vestem, ut natae, paret ancillas, paret aurum; Pusam aut pusillam adpellet, fortique marito Destinet uxorem*“: Ubi Manuscriptorum quantum ubique est, et editiones praeae habent *Rufam aut Pusillam*; nisi quod nonnulli et pro *aut*, et vetustissimus Blandinius *Posillam*. Ceterae quae circumferuntur lectiones, sunt febriculosae con-

- Destinet uxorem; interdicto huic omne adimat ius
Praetor, et ad sanos abeat tutela propinquos.
Quid? si qui gnatam pro muta devovet agna,
220 Integer est animi? ne dixeris, ergo ubi prava
Stultitia, hic summa est insania: qui sceleratus,
Et furiosus erit: quem cepit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc, age, luxuriam et Nomentanum arripe mecum:
225 Vincet enim stultos ratio insanire nepotes.
Hic simul accepit patrimonii mille talenta,
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tusei turba incipia vici,
Cum securis fartor, cum Velabro omne macellum
230 Mane domum veniant, qui cum venere frequentes,

v. 230. Vulg. *Quid tum.*

lecturae, quae per vanas imagines auctoribus suis illudebant. *Pusam aut pusillam* Craquius dedit, *Pupam aut pupillam* Lambinus; *Putam aut putillam*, Scaliger: *Pupam aut pusillam* Nic. Heinsius: quae omnia, cum nomina sint appellativa et *ἰσοζωοειδέα*, minime hic locum habere possunt. Quivis enim sine ulla dementiae suspitione vel *agnam* vel *catellam* vel *dorcadam* vel simile aliud delictum istis vocabulis appellare poterit. Prudentius certe illi faciunt, qui *Rufam aut Rufillam* legunt; ipsa nimirum sententia flagitante non blanda verba et *ἰσοζωοειδέα*, sed vera faeminarum nomina: quale siquis *agnae* imponat, faeminam eam esse credens, proque filia nuptum daturus, is sine dubio ad agnatos et gentiles erit deducendus. Sed quid opus *Rufillam* hic, invitis codicibus, reponere? Vera sola et genuina lectio est, quam ipsi suppeditant, „*Rufam aut pusillam appellet.*“ Ita, ut dixi, codex veterrimus Blandinius; sed eodem redit, quod in ceteris libris extat, *pusillam*. Et *Rufa*, et *Posilla* sive *Pusilla*, frequens mulierum cognomen. Gruterus DCCCLIX, 1. ATILIAE, M. F. POSILLAE, et CCCCLXX, 9. MELENSIA SEX. F. POSILLA, et DCCXXXVII, 8. T. POMPEIUS T. F. REGINUS POSILLAE UXORI SUAE. Reinesius XVII, 178. CASTRICIA POSILLAE. Iterum Gruterus DCLXI, 11. OCTAVIAE*) C. L. PUSILLAE, CXV, 5. PRO SE ET IULIA PUSILLA VOTUM SOLVIT. DCI, 6. IULIAE PUSILLAE CON. SUAE. Marmora Felsin. pag. 438. L. IULIUS ARISTEAS ET AELIA PUSILLA. Porro *Rufae* cognomen passim habes apud Gruterum et Reinesium, in gentibus Apustia, Aurelia, Calpurnia, Eppia, Flavia, Manlia, Maria, etc.

230. *Quid tum? venere frequentes*] Locus integer ita se habet: „*Edicit, piscator uti, pomarius, auceps etc. Mane domum veniant. Quid tum? venere frequentes. Verba facit leno.*“ Ubi recte illud *venere frequentes*: sic enim et Cicero pro Quintio c. VI, [§ 25] „*Ipsae suos necessarios corrogat, ut ad tabulam Sextiam sibi adsint hora secunda postridie.* veniant frequentes. *Testificatur ille*“ etc. Livius I, 50. [§ 2] „*In diem certum ut ad lucum Ferenlinae conveniant, iudicet: esse, quae agere de rebus communibus velit*: conveniunt frequentes *prima luce.*“ Atqui his, opinor, exemplis animadvertis, illud *Quid tum* ultra perfectum trahi; atque adeo, si commode potest, recidi debere. Quorsum enim pertinuit, orationem incidere et interturbare, quasi res inexpectata sequeretur? Cui personae convenit *quid tum?* Damasippe narranti, an Horatio interloquenti? neutri certe: neque enim mirum erit, si turba illa nebulonum de re et

*) [OCTAVI. Grut.]

- Verba facit leno: Quicquid mihi, quicquid et horum
Cuique domi est, id crede tuum; et vel nunc pete, vel cras.
Accipe, quid contra juvenis responderit aequus.
Tu nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum
235 Cenem ego: tu piscis hiberno ex aequore verris:
Segnis ego, indignus qui tantum possideam. aufer;
Sume; tibi decies: tibi tantundem: tibi triplex,
Unde uxor media currit de nocte vocata.

v. 234. Vulg. *In nive.* 238. *Currit.*

commodo suo convocati *venirent frequentes*. Torrentii duo codices *quid enim* hic habent: quod, etsi illi displicuit, mihi quidem prae vulgato probatur: et plena oratio erit, *Quid enim aliud facerent? venire frequentes*. Sed codex noster Battelianus, *qui tum*; quod levi mutatione sic potes refingere: „*Mane domum veniant, qui cum venere frequentes, Verba facit leno.*“ Certe hoc pacto leniter fuit oratio, quae, ut nunc habet, scabra est et interiecta. *Qui cum*, ut passim boni auctores. Terentius [Andr. prol. 18]: „*Qui cum hunc accusant, Naevium, Plautum, Ennium Accusant.*“ Cicero pro Sextio c. XLVI. [§ 99] „*Qui cum auctores sunt et duces suorum studiorum vitiorumque nacti, in rep. fluctus excitantur.*“ Et XLVII. [§ 101] „*Qui cum L. Saturni[n]um censor nolasset, de civitate maluit, quam de sententia dimoveri.*“ Et alii passim.

234. *In nive Lucana dormis*] Quis non hic quoque, ut supra v. 212. *tu desiderari videat?* „*Tu nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum Caenam ego: tu piscis hiberno ex aequore verris.*“ Praepositio in facile abesse potest: ut Noster Epodis [10, 21], „*Proiecta curro litore.*“ Virgilius [Aen. II, 557]: „*Jacet ingens litore truncus.*“ Vel legere etiam poteris, „*Tu in nive Lucana dormis ocreatus*“: qualis synaloepha apud Nostrum non est infrequens: ut infra v. 291. „*Mane die quo tu iudicis ieiunia nudus.*“ Epist. I, 14. v. 41. „*Horum tu in numerum voto ruis.*“

235. *Tu piscis hiberno ex aequore verris*] Duplex iam olim hic ferebatur scriptura, Scholiastae quoque observata, *verris et vellis*. Et *vellis* quidem Editiones priscae exhibent, ac dimidia fere pars codicum: ceteri ab altera lectione stant. Si *vellis* hic admittitur, tum ad arundinem piscatoriam et hamum; sin *verris*, tum ad rete et everriculum referri debet. Atque hoc placet. Ausonius Mosella, v. 244. „*Illic medio procul amne trahens lumentia lina, Nodosis decepta plagis examina verrit.*“ et 281. „*Ille hamis et rete potens, scrutator operi Nereus, aequoream solitus convertere Tethyn.*“ Apuleius Apologia [p. 292, 40 Elm. = p. 457 Oud.]: „*Ut faber mihi piscem everreret, ut piscator mutuo lignum dedolaret.*“ Silius Italicus XIV, 264. [263] „*Tergemino venit numero secunda Panormis. Seu silvis agitare feras, seu retibus aequor Verrere, seu caelo libet traxisse volucem.*“ Ita legendum puto: *agitare*, non *sectare*: unde enim *secto* pro *sector* in illius aevi poeta?

238. *Currit de nocte vocata*] Editiones antiquae *currit*, et codices fere omnes. Sed *currat*, quod postea per Typographos irroperat, et a Lambino intactum permanens, nunc passim circumfertur. Si *currat*, erit pactum de stupro uxoris futuro; si *currit*, erit stupri iam consueti pretium: quae probabilior sententia est. Ceterum Torrentii unus, et alter Collegii Trinitatis, *surgit*: etiam eleganter; ut Carm. III, 6, 30. „*Sed iussa coram non sine conscio Surgit marito.*“ Tamen recepta lectio placet: *currere* enim dicit, ut ostendat, quam officiosa et morigera sit. Ob eandem rem aliae *venire* dicebantur, haec vero *currere*. Noster Scrm. I, 2. v. 122. „*Neque cunctetur, cum est iussa venire.*“ Martialis I, 71. [72 v. 4] „*Et*

Filius Aesopi detractam ex aure Metellae
 240 (Scilicet ut decies solidum absorberet) aceto
 Diluit insignem baccam: qui sanior, ac si
 Illud idem in rapidum flumen iaceretve cloacam?
 Quinti progenies Arri, par nobile fratrum,
 Nequitia et nugis pravorum et amore gemellum,
 245 Lusciniis soliti inpenso prandere coëntas:
 Quorsum abeant? sanin' creta, an carbone notati?
 Aedificare casas, plostello adiungere mures,
 Ludere par impar, equitare in arundine longa,

v. 240. Vulg. *Exsorberet.* 246. *Sani, notandi.*

quia nulla venit, tu mihi, somne, veni.⁴ Vide plura apud elegantissimum Nic. Heinsium ad Nason. II. Art. v. 11. Porro et *citata* allegat Porphyrius pro *vocata*: sed hoc rectius, ut Carm. III, 6, 30. „*Seu vocat insular.*“

240. *Scilicet ut decies solidum absorberet*] Ita quidem editiones veteres; unde, dissimulantibus Lambino, Cruquio, et Torrentio, iam in omnibus obtinet. At in pluribus suis Pulmannus Bersmannusque *absorberet*; idemque ego in meorum meliore parte reperi: quo accedunt nonnulli, qui nimis antike *absorberet* exhibent. Placet illud alterum, ut pote plarium exemplarium suffragiis munitum. Macrobius de re simili Saturn. II, 13. [§ 17] „*Cleopatra unionem dentum ex aure et aceto dissolutum absorbit.*“ Et Plinius Hist. IX, 35. [§ 121] „*Itaque expectante quidam esset actura (Cleopatra) detractum alterum (ex aure unionem aceto) mersit, ac liquefactum absorbit.*“ Et paullo post [§ 122], de hac ipsa re, quam hic narrat Horatius: „*Prius id fecerat Romae in unionibus magnae taxationis Clodius tragoedi Aesopi filius; ut experiretur in gloria palati, quid saperent margaritae: atque ut mire placere, ne solus hoc sciret, singulos uniones convivis quoque absorbendos dedit.*“ Unde et illud forte colligi possit, sic olim dedisse Horatium: „*Clodius Aesopi detractam ex aure Metellae*“: et illud *filius* ex glossemate et interpretatione fluxisse.

246. *Quorsum abeant sani? creta, an carbone notandi?* Principio, distinctione prava iam vulgo laborat hic locus; *Quorsum abeant sani?* si enim *sani* sunt, nulla iam dubitatio est, *quorsum*, hoc est, *quo abeant*: nempe ad partes sanorum. Sic Terentius Eunuch. II, 3. [v. 14] „*Nescio hercle, neque unde eam, neque quorsum eam.*“ Interpungendum itaque post *abeant*, *Quorsum abeant?* ut et Acron aliique viderunt. Deinde et codices aliquot tam aliorum, quam nostri, *Sani ut, creta*: quod elegantia non caret, ut alibi Serm. I, 3. v. 89. „*Porrecto ingulo historias, captivus ut, audit.*“ Vide quae supra diximus ad v. 215. Sed praeterea sunt codices, qui *sani creta* habent; codex Regius *sani an creta*, ut et editiones veteres, Veneta utraque et Loscheriana. Inter utrasque has lectiones quae media venit correctio, verissima mihi videtur: „*Quorsum abeant? Sanin' creta, an carbone notati?*“ *Sanin'* autem ut passim apud Comicos, *Divin', Nostin'*. Virgilius [Aen. III, 319]: „*Pyrrhin' connubia servas?*“ [XII, 797] „*Mortalin' decuit violari vulnere Divum?*“ Denique notari habent plures melioresque codices: non quod ex editionibus praescis nunc passim obtinet, *Notandi*. Atque illud, opinor, melius: non enim *abeant* ablegati ad insanos, *notandi* carbone; sed iam tum *notati* illuc deportantur. Sed mira sane lectio est in codice Colbertino, et a manu secunda in Reginensi, *Samii creta*: quod annotator in margine sic enarrat, „*Creta Pythagorae Samii: is enim invenit, ut mala notarentur nigro lapillo, bona albo.*“ Nugae mrae, et indoctorum hominum somnia. Certe, siquid in hac lectione bo-

⁴) [sic Hard., absorbit eod.].

Si quem delectet barbatum; amentia verset.
 250 Si puerilius his ratio esse evincet amare;
 Nec quicquam differre, utrumne in pulvere, trimus
 Quale prius, Iudas opus, an meretricis amore
 Sollicitus piores: quaero, faciasne quod olim
 Mutatus Polemon? ponas insignia morbi,
 255 Fasciolas, cubital, focalia? potus ut ille
 Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
 Postquam est inpransi correptus voce magistri.
 Porrigis irato puero cum poma, recusat:
 Sume, Catelle; negat: si non des, optet, amator
 260 Exclusus qui distat? agit ubi secum, eat, an non,
 Quo rediturus erat non accessitus; et haeret
 Invisis foribus: Ne nunc, cum me vocat ultro,

v. 259. Vulg. *Optat.* 262. *Nec vocet.*

nae fragis est, sic locum potius distinguendum et interpretandum censuerim: „*Quorsum abeant Samii? creta, an carbone notati?*“ ubi *Samii* erant *ἱαριυκροί*, *stigmatibus notati*: ut allusum sit ad celebrem Aristophanis versum [Βαβίλ. fr. 2 Mein.], ubi conspiciens quis Babylonios e pistrino prodire notis punctos, *Samios* eos appellavit, quia Samii captivi ab Atheniensibus notis inuri in fronte solebant; *Σαμίων ὁ δῆμος ἱαριυκροί*. Vide de hoc Suidam, Hesychium, et Plutarchum in Pericle [c. 26]. Sed nihil omnino sani est in hac scriptura; quae, ut facile licet coniectere, a *sanin'* profluxit; ubi enim punctum supra literam *i* abest, ut abesse solet a scriptis vetustis, vix poteris *Sanin'* et *Samii* inter se dignoscere. *Sanin'*, ut iam video, etiam Marcellius dedit.

259. *Sume, Catelle, negat: si non des, optat*] Editio prima Veneta, *Catelle*; altera cum Loscheriana, *Citelle*, quod et codices aliquot agnoscent. Petrensis, *Catille*; Nic. Heinsius ex coniectura, *Catulle*. Placet, quod et meliores codices et editiones pleraeque exhibent, *CATELLE*. Est *verbum blandientis*, ut recte accepit Scholiastes; et puer ipse eo *ἱεροζογῶντι* compellatur; contra ac nuper sensit interpret cruditus. *Agnellus, hoedillus, vitellus, catellus*, et similia plura, blanditiae erant amantium. Plautus Asin. III, 3. v. 76. „*Dic igitur me passerulum, gallinam, coturnicem; Agnellum, hoedillum me tuum dic esse, vel vitellum.*“ et v. 103. „*Dic igitur me anaticulam, columbulam, catellum, Hirundinem, monedulam, passerulum, pulillum.*“ Hieronymus Epist. ad Eustoch. [p. 41 extr. Bened.] Torrentio etiam laudatus; „*Asinus modi mulierculae scortari**) *solent et dicere*, Mi *Catelle, rebus tuis utere, et, Vive dum vivis; et, Numquid filiis tuis servas?*“ Praeterea, pro *optet*, quod editiones veteres repraesentant, nescio cur in omnibus fore nunc appareat, *optat*. Quo admissio, legendum insuper fuerit, *si non das*: quod tamen in nullo codice visum est hactenus. Vide nos ad Serm. II, 1. v. 20. Revocanda est igitur lectio antiqua, „*Sume, Catelle; negat: si non des, optet*“: atque hanc agnoscit multo melior maiorque pars membranarum veterum.

262. *Nec nunc, cum me vocat ultro*] Inolevit hoc ex editionibus vetustis: Tu rescribe *NE NUNC* ex codice Leidensi, Zulichemiano, Battelliano, Collegii Trin. et a manu secunda Reginensi: et praeterea *VOCAT* pro *vocat*, etiam invitis membranarum: „*NE NUNC, cum me vocat ultro, Accedam, an potius mediter finire dolores?*“ Expressit scilicet Terentium in Eunuch. I, 1. [v. 1] „*Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem, Cum ad-*

*) [ser. horat.]

- Accedam? an potius mediter finire dolores?
 Exclusit; revocat: redeam? non, si obsecret. ecce
 265 Servus non paullo sapientior: O here, quae res
 Nec modum habet neque consilium, ratione modoque
 Tractari non volt. in amore haec sunt mala: bellum,
 Pax rursum. haec si quis tempestatis prope ritu
 Mobilia, et caeca fluitantia sorte, laboret
 270 Reddere certa sibi; nihilo plus explicet, ac si
 Insanire paret certa ratione modoque.
 Quid? cum Picenis excerpens semina pomis,
 Gaudes, si cameram percussisti forte; penes te es?
 Quid? cum balba feris annoso verba palato,
 275 Aedificante casus qui sanior? adde cruorem
 Stultitiae, atque ignem gladio scrutare. modo, inquam,
 Hellade percussa, Marius cum praecipitat se,
 Cerritus fuit? an commotae erimine mentis
 Absolves hominem, et sceleris damnabis eundem,
 280 Ex more imponens cognata vocabula rebus?
 Libertinus erat, qui circum compita siccus
 Lautis mane senex manibus currebat, et, Unum
 (Quid tam magnum? addens) unum me sarpite morti
 Dis etenim facile est, orabat; sanus utrisque

cursor *ultra*? Seneca de Benef. VII, 26. [§ 2] „Semper illum poenitet, si te ne nunc quidem poenitet.“ Sallust. Iugurth. 31. [§ 3] „Qui ne nunc quidem obnoxiis inimicis exurgitis.“ Cicero Epist. ad Quintum fratrem III, 1. [§ 21] „Hippodamus ne nunc quidem quid velim rogavit.“ Paradox. IV. [1 § 29] „Ergo ego semper civis; tu ne nunc quidem.“ Epist. ad Fam. III, 6. [§ 5] „Quod ne nunc quidem despero.“ XIV, 9. [XIV, 19] „Sed nulla me impediunt, quae ne nunc quidem expedita sunt.“ Eundem Terentii locum expressit etiam Persius Sat. V, 172. „Quidnam igitur faciam? ne nunc, cum accersat, et *ultra* supplicet, accedam? si totus et integer illinc *Exieris*, ne nunc.“ Ita ediderunt viri maximi, Pithoeus et Casaubonus: unde quisvis colligat vocer in Horatio legendum; ut hic *accersat* et *supplicet*. Sed et Persius in mendo cubat, eodem modo corrigendus: „ne nunc, cum accersor, et *ultra* supplicet, accedam? si totus et integer illinc *Exieris*, ne nunc.“ *Accersor* habent tres manuscripti, Galeanus, Regius, et Collegii Trinitatis: *supplicet*, Galeanus; *ne nunc* Coll. Trin. et veterrimus Pithoei. Porro pro *ne* passim in quibusvis scriptoribus Librarii dederunt *nec*: ut Virgil. Georg. I, 124. [126] „*Nec signare quidem aut partiri limite campum*.“ Ita habet et castigatissima Nic. Heinsii editio: sed repono ex veterrimo codice Romano apud Pierium, et ex Lactantio Divin. Inst. V, 5. [§ 5] „*NE signare quidem*.“ Plura hoc genus errata detexerunt viri summi Gronovius pater et Graevius ad Sueton. Tiberium c. XV: quos tibi vide [ita edit. a. 1672].

283. *Quid tam magnum? addens*] Cum in editionibus priscais haberetur *Quiddam magnum*: recte hic viri eruditi ex melioribus codicibus, quibus accedunt Zulichemianus, Colbertinus, Lambethanus, et a prima manu Regiensis, reposerunt *Quid tam magnum?* *Non magnum*, ait, *rem postulo: ut unum saltem ex tot millibus morti eripiatis: vobis certe, o di, hoc facte facillimum est*. Poterat quidem eodem plane sensu dixisse, *Quid tam parvum?* ut Persius Sat. V, vers. 120. „*Nil tibi concessit ratio:*

- 285 Auribus atque oculis. mentem, nisi litigiosus,
 Exceperet dominus, cum venderet. hoc quoque volgus
 Chrysippus ponit fecunda in gente Meneni.
 IUPPITER, ingentis qui das adimisque dolores,
 Mater ait pueri mensis iam quinque cubantis,
 290 Frigida si puerum quartana reliquerit; illo
 Mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus
 In Tiberi stabit. Casus medicusve levarit
 Aegrum ex praecipiti; mater delira necabit
 In gelida fixum ripa, febrimque reducet.
 295 Quone malo mentem concussa? timore Deorum.
 Haec mihi Stertinius, sapientum octavus, amico
 Arma dedit, posthaec ne compellarer inultus.
 Dixit insanum qui me, totidem audiet; atque
 Respicere ignoto discet pendentia tergo.
 300 Stoice, post damnum sic vendas omnia pluris;
 Quam me stultitiam (quoniam non est genus unum)
 Insanire putas? ego nam videor mihi sanus.
 Quid? caput abscissum manibus cum portat Agave
 Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?

v. 301. Vulg. *Qua me stultitia*. 303. *Demens eum*.

digitum cedere, peccus. Et quid tam *parvum?* sed nullo ture litabis, Haereat in stultis brevis ut *sententia recti*.“ Et apposite admodum Seneca, Consol. ad Polyb. XXII. [c. II § 7] „*QUANTULUM* erat tibi, *O Iortuna*, *immunem ab hac iniuria praestare eum hominem, in quem videbatur indulgentia tua ratione certa pervenisse, et non ex tuo more tenere incidisse*.“ Sed maluit Noster, *Quid tam magnum?* quod *εἰσωνεύω*; dictum eodem recidit. Virgilius Aen. XI, 705. „*quid tam egregium, si femina forti Fidis equo?*“ Stat. Theb. X, 871. [876] „*Et quidnam egregium, prosternere moenia nulli Structa lyra?*“ Ubi, vel ex ipso Virgilio, corrigendum, *Et quid tam egregium*: etsi tres codices scripti, quorum copia mihi obtigit, vulgatam ibi lectionem tulerunt. Perperam itaque fecit Theodorus Marcellus, qui *Quidnam magnum* apud Nostrum reposuit: sed peius adhuc nuperrime doctus interpres, qui vulgatum illud, *Quiddam magnum*, inauspicate revocavit, non magis membranarum vetustioribus, quam sententiae ipsi iniuriam faciens.

301. *Qua me stultitia*] Recte, opinor, Craquius ex codice Martinio, et Lambinus ante eum ex coniectura, dederunt, *quam me stultitiam, quoniam non est genus unum, insanire putas?* ut Noster supra v. 63. „*huic ego vulgus Errori similem cunctum insanire docebo*.“ et Epist. I, l. v. 101. „*Insanire putas sollemnia me, neque rides?*“ Certè plus fidei vel uni codici habendum est in servando Hellenismo, quam centum in interpolando.

303. *Quid? caput abscissum demens cum portat Agave?* Non hic eum quoquam litigabimus, utrum eum editionibus *abscissum* legendum sit, an eum codicibus plerisque omnibus *abscisum*: quorum illud ex *ab* et *scissum*, hoc ex *abs* et *cardo* componitur: ut *cardo*, *concido* pariter dicunt, ac *rescindo*, *conscindo*. Vido viros doctissimos, Gronovium patrem ad Livium [XLIV, 5 § 5] et Senecam Tragicum [Medea 296], Heinsium filium ad Prudentium [Apotheos. v. 945], et Munckerum ad Scriptores Mythologos [Fulgent. myth. l. c. 2]. Sane, etsi membranarum *abscisus* plerumque apud

- 305 Stultum me fateor (liceat concedere veris)
Atque etiam insanum: tantum hoc edissere, quo me
Aegrotare putes animi vitio. Accipe: primum
Aedificas; hoc est, longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis: et idem
310 Corpore maiorem rides Turbonis in armis
Spiritus et incessum: qui ridiculus minus illo?
An quodcumque facit Maecenas, te quoque verum est,

quosvis scriptores, non *abscissos* exhibent; utrumque tamen in usu fuisse ex praeteritis verborum constat. Martialis III, 66. [v. 2] „*Par scelus admisit Phariis Antonius armis: Abscidit cultus uterque sacros*“: quod a praesente *Abscido* deducitur. Seneca Thyeste, 1062. „*illa lentis ignibus Stillare iussi: membra nervosque abscidi*“: hoc a praesente *abscindo*. Verum haec leviora sunt; illud maioris momenti, quod in vetustissimo Blandinio invenit Cruquius, in optimo suorum Pulmannus, ego denique in Regio et Zulichemiano, et pro varia lectione in codice Regiae Societatis: „*Quid? caput abscisum manibus cum portat Agave Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?*“ Equidem iudicium Interpretum hic desidero; qui quantivis pretii lectionem iam a sesquisaeculo proiectam neglectamque reliquerunt. Certe illud *demens* non modo otiosum hic est (id enim aliquo modo esset ferendum) sed sententiam plane onerat et gravat, immo putidam reddit et infectam. Ego, inquit Horatius, *videor mihi putchre sanus. Tibi nempo*, regerit Damasippus: *quid tum postea? an, pulsus, cum Agave filii caput avulsam gestaret, vituli esse credens, sibi tum furiosa esse videbatur?* Pone iam in priore orationis membro *demens Agave*; et sententiae vim diminuis addendo: ut lector emunctae naris facile agnoscat. Satis enim est, si in posteriore membro *tu furiosa* comparat; in utroque vitiose ponitur. At contra, illud *manibus portat*, quod liber omnium optimus suppeditat, non iners hic stat et aures lassat, sed atrocitatem foeditatemque facinoris mirifice auget; unde et ab aliis poetis est inculcatum. Sic Euripides Bacchis, v. 967 [962]; de hac ipsa re, *Φρόμιρος ἕξει ἐν ΧΕΡΣΙ ΜΗΤΡΟΣ* et v. 1137. [1129] *ζωῖα δ' ἔδλιον, ὕπερ ζωῖα τυχάνει ΜΗΤΗΡ ΧΕΡΟΙΝ, ἠΐσα δ' ἔζγορ θεῶσσορ.* et 1275. [1266] *Τίρος πρόσωπον δέτ' ἐν ΑΤΚΑΑΙΑΣ ἕξει:* [1269] *Εἰ, τί λέσσω; τί τίγομαι τόδ' ἐν ΧΕΡΟΙΝ;* Seneca, sive alius potius, in Phoenissis v. 363. „*Felix Agave facinus horrendum manu, Qua fecerat, gestavit: et spoliū tulit Cruenta nati Maenas in partes dati.*“ et v. 18. ibidem: „*qua per obscurum nomen, Silvamque opacae vallis instinctis deo Egil sorores mator; et gaudens malo, Vibrante fixum praetulit thyrso caput.*“ Ovid. Metam. III, 725. [727] „*visis ululavit Agave, Collaque iactavit, movitque per aera erinem, Avulsamque caput digitis complexa eruentis Clamat, Io*“ etc. Aconius Pedianus de re non dissimili, ad Ciceronis Orationem In toga candida [p. 940, 35 Orelli-Halm]: *M. etiam Marii Gratidiani caput abessum per urbem sua manu Catilina tulerat:* ubi ipsius Ciceronis verba sunt haec [p. 943, 16 Or.-Halm]: „*Quod caput, etiam tum plenum animae et spiritus, ad Sullam usque ab ianiculo ad aedem Apollinis, MANIBUS ipse suis detulit.*“

310. *Turbonis in armis* Codex Zulichemianus *TURRONIS*; unde, credo, inductus praestantissimus Nic. Heinsius, *Forte*, inquit, *TURRONIS*. Sed receptam in scriptis editisque lectionem vel solus satis tuetur Priscianus p. 683. „*Turbo turbinis, quando de vi ventorum loquimur: nam si sit proprium, servat O in genitivo, hic Turbo, nomen proprium gladiatoris, Turbonis. Sic Horatius in II Sermonum: Corpore maiorem rides Turbonis in armis Spiritum.*“ Cui adde Servium ad Virgiliae Aen. VII, 378.

- Tantum dissimilem, et tanto certare minorem?
Absentis ranae pullis vituli pede pressis,
315 Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Belua cognatos eliserit illa rogare,
Quantane? num tantum, sufflans se, magna fuisset?
Maior dimidio. Num tantum? cum magis atque

v. 313. Vulg. *Tanto* diss. 317. Num *tandem, se inflans, sic*. 318. *Tanto*.

„*Hic turbo, unde turbinis facit: nam si turbonis sit, erit a proprio nomine genitivus, ut Horatius, Turbonis in armis.*“ Ceterum *Turbo*, cognomen Romanis laud ignotum. *Martius Livianus Turbo* saepe laudatur Spartiano in Vita Hadriani: idem Xiphilino *Τουρῶσσορ* vocatur. Gruterus CCCCXXXVII, 1. Q. MARIO TURBONI: ubi aut MARTIO corrigendum; aut apud Spartianum *Marius* reponendum erit; de uno enim eodemque utrobique agi videtur.

313. *Tanto dissimilem, et tanto certare minorem*] Turpissimum hic mendum incedit; dum lectionem ex antiquis derivatam secute transmittunt Interpretes. Atqui hic Cruquius in Blandinio veterrimo ut et altero bonae notae Tonsano, *TANTUM* invenit: quod non tam ipsam, quam alios postea doctiores neglexisse miror et indignor. *Tantum dissimilis*; non *tanto*, quod ne Latinum quidem est: sic *multum similis* aut *dissimilis*, non *multo*; Serm. II, 5. v. 92. „*Stes capite obstipo, multum similis metuenti.*“ Epist. I, 10. v. 3. „*haec in re scilicet una Multum dissimiles, al cetera pene gemelli.*“ Ergo *tantum dissimilem* perinde est, ac *tam dissimilem*; ut mox v. 317. *tantum magna pro tam magna*. Sic alibi Serm. II, 5, 80. „*Nec tantum Feneris, quantum studiosa culinae*“; id est, *tam, quam studiosa*. Ceterum pro *certare* Nic. Heinsius ex conjectura ponit *captare*. Vir egregius, ut video, non recte accepit loci huius constructionem: et nescio sane an alius quisquam: tacent enim omnes quos noverim: solo Cruquio excepto, qui in errore hic versatur. „*An quodcumque facit Maecenas, te quoque verum est, Tanto dissimilem, et tanto certare minorem?*“ ubi ordo est; *An verum et par est, te facere, quodcumque Maecenas facit?* te, inquam, *tantum* ei *dissimilem, et tanto minorem certare* cum illo? *Tanto minor certare*, tam impar certamini; Hellenismus Nostro valde amatus; de quo consule nos ad Carm. I, 1. [v. 6]. Sic alibi Carm. III, 3. v. 50. „*Aurum irrepertum spernere fortior.*“ et III, 24, 56. „*Ludere doctior.*“ Persius Sat. IV, 16. „*Desinis, Anticyras melior sorbere meracas.*“ *Minor* autem hic valet *inferior*; ut Epist. I, 10. v. 35. „*Equus minor in certamine longo.*“ Eleganter imitatus est hunc locum Silius Italicus lib. V. v. 76. „*Neu vani monitus, frustra que morantia Parcae Prodigia! heu fatis superi certasse minores!*“

317. *Num tandem se inflans, sic magna fuisset?* Locus hic in vulgatis editionibus foede interpolatus, iam olim a Cruquio ex melioribus membranis recte constitutus est; cui tamen certissimam faciem praefertenti nemo hactenus fidem habuit. Sic autem vulgo exhibent: „*illa rogare, Quantane? num tandem, se inflans, sic magna fuisset? Maior dimidio, num tanto? cum magis*“ etc. Cruquius vero ex suis sic reposuit: „*num TANTUM, SUFFLANS SE, magna fuisset? Maior dimidio? num TANTUM?*“ Ubi primo, *num tantum* praefertunt vetustissimus Blandinius cum Tonsano, et codex Coll. Trinitatis. Agnoscit etiam Porphyrio, si modo verba eius leviter emendentur: „*Num tandem? Adnotandum tandem pro tam positum, id est, tam magna.*“ Quis enim non videt, *tandem* hic pro *tantum* ex contextu irrepsisse? *Tantum* pro *tam*; hoc quidem recte habet, et satis frequenter occurrit: at illud *Tandem* pro *tum* quis umquam vel fando inaudivit? Ergo olim hic *num tantum* legebat Porphyrio: et recte quidem.

Ipsa memor praecepta eanam: celabitur auctor.
 Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
 Ut succi melioris, et ut magis alma rotundis,
 Ponere: namque marem cohibent callosa vitellum.

v. 13. Vulg. *Alba*.

iuvēta Fervidus; et, matrona potens, an sedula nutrit; Mercatorne vagus, cultorū virentis agelli; Colchus, an Assyrius; Thebis nutritus, an Argis: Ubi mendose vulgo, ut hic, editur *an matrona*; contra codicum meliorum fidem, ut ibi docebimus.

13. *Et ut magis alba rotundis*] Videamus, quo pacto suas hic partes tutati sint Interpretes: „*Longa quibus facies ovis erit, illa memento, Ut succi melioris et ut magis alba rotundis, Ponere; namque marem*“ *) *cohibent callosa vitellum.*“ Haec illi albo calculo signant; nempe quia nihil variant codices. Atqui si ea diligentius paulo excusseris, quantum hic furfuris invenies. *Longa*, inquit, *ova sunt magis alba rotundis*. Primo, hoc falsissimum est: alia enim aliis in utroque genere candidiora sunt, nulla figurae ratione habita. Ponatur tamen hoc verum esse: pulchrum sane praeceptum, et Pythagoricis omnibus Socraticisque palmam, ut gloriatur, praecepturum. Quid, malum? nonne quisvis coctus, qui oculis recte utitur, tam facile ovorum colores dignoscet, quam summus Philosophorum? *Ova longa rotundis albiora*: magnum mereculo secretum; cuius addiscendi caussa *remotas fontes adire*, et vel vadimonium describere, par est. Sed ut hoc quoque condonemus; illud, quod sequitur, vincit omnem omnium stultitiam: „*namque marem cohibent callosa vitellum.*“ Vide sodes illud *namque*: eo enim causa et ratio praecepti explicatur. *Idecirco*, inquit, *longa ova candidiora sunt rotundis, quia marem foetum, si incubantur, excludunt*. Vestram fidem, Interpretes! cui sano credibile est, vel ex aliena Nestorum persona tam stolidam effutiisse? Deridet sane hic Apitios et gulae philosophos; sed minime eos tam fatuos et plumbeos esse fingit, neque caetera praecepta ad hoc exemplum sensu cassa et absurda sunt. Quid multis opis? scribere levissima mutatione, „*Ut succi melioris et ut magis ALMA rotundis Ponere; namque marem cohibent callosa vitellum.*“ *Alma* hic accipio *(ab abo) bene alentia, valide nutrientia, τροφίμα, ἰτροφα, πολύτροφα, multum et firmum alimentum praestantia*. Coniunxit hic duo illa, quae in ciborum natura inquiri et considerari solent; quaeque pariter coniunxit Celsus lib. II. cap. 19. et 20. scilicet ut et sint *bani succi*, quae *ἰτροφία* Graeci vocant; et *firmi robustique alimenti*, quae *ἰτροφα*. Ergo ova oblonga melioris esse succi et magis alentia dicit, quam rotunda; cur istud? *namque callosa sunt, et marem vitellum cohibent*. Iam certe recto pede procedit argumentum: quippe secundum medicorum placita, in quovis genere mares valentioris sunt materiae, femellae contra leviores et imbecilliores cibum praestant. Tum autem oblonga ova mares edere, quantumvis, sit falsum et ineptum, gravissimi tamen auctores tradiderunt, Columella VIII. 5. [§ 11] et Plinius Hist. X. 74. [§ 145] cuius verba sunt, „*Quae oblonga sunt ova, gravioris saporis palat Horatius Flaccus. Femina edunt, quae rotundiora gignuntur, reliqua marem.*“ De colore, ut vides, ne verbum quidem. Fallitur tamen hic scriptor egregius, cum *melioris succi* interpretatur *gravioris saporis*. Alia enim res est: *sapor* ad palatum duntaxat spectat; *succus* ad totum corporis habitum; vide Celsum loco laudato, et alios. Ceterum dioces fortassis, vix alibi occurrere *alma* pro *alentibus, nutrientibus*. Ob eam ipsam causam, inquam ego, Librarii *alba* substituerunt. At ea vocabuli vis et sensus est, ut eleganter huic significationi aptari queat: at alii, quorum scripta perierunt, sic forte usurparunt. „*Alma,*“ inquit Festus [p. 7 Muell.], „*sancta sive pulchra, vel ALENIS ab alendo*

*) [gramm. ed. a. 1711 et 1713]

- 15 *Caule suburbano, qui siccis crevit in agris,
 Dulcior: inriguo nihil est elutius horto.
 Si vespertinus subito te oppresserit hospes;
 Ne gallina malum responset dura palato,
 Doctus eris vivam musto mersare Falerno:*
 20 *Hoc teneram faciet. pratensibus optima fungis
 Natura est: aliis male creditur. ille salubris
 Aestates peraget, qui nigris prandia moris
 Finiet, ante gravem quae legerit arbore solem.
 Aufidius forti miscerat mella Falerno,*

v. 19. Vulg. *Misto*.

scilicet: „*Alma proprio tellus est,*“ ait Servius [Aen. X. 252], „*ab eo quod nos alat.*“ [Aen. I. 306] „*Lux alma dicta, quod alat universa; unde alma Ceres, quod nos alat.*“ Quin et Aeron Scholiastes ita olim legisse videntur: cuius verba sic habent in editione prima Veneta et codice MSto Regiae Societatis: „*Quia meliora sunt longiora ova, quam rotunda; et albiora aut fortiora.*“ Equidem scripsisse credo, *albiora aut fortiora, quippe magis alma* perinde est ac *fortiora, firmiora, robustiora, valentiora*, ad nutriendum scilicet. At qui *albiora* (ut nunc editum est) per *fortiora* enarrat; nae ille dignus est, quem vel pueri sub ferula adhuc militantes albis, quod aiunt, dentibus derideant.

16. *Inriguo nihil est elutius horto*] Ita omnes scripti editique uno consensu: „*Caule suburbano, qui siccis crevit in agris Dulcior: inriguo nihil est elutius horto.*“ Summo tamen vir ingenio Daniel Heinsius, *Scriptiserat*, inquit, *absque dubio poeta, Inrigui nihil est elutius horti; ut caule a superioribus repetatur*. Vide, quo proventus sit prurigne corrigendi. Certe, si bene hominem novi, in suis ipse carminibus prius longe praetulisset. Dictum quippe est, ut illud Plinii Hist. XVIII. 5. [§ 28] „*Nihil est damnosius deserto agro.*“ Neque ullam venerem habet Heinsii lectio, quam non altera maiorem in modum possideat.

19. *Doctus eris vivam misto mersare Falerno*] Quid, rogo, sibi vult *misto Falerno*; cum nihil quicquam hic sit, quo cum miscatur? Ergo subintelligi hic volunt interpretes, *cum aqua*. Unde hoc iis compertum? Cur magis *cum aqua*, quam *cum melle, oleo*, vel alio quovis liquore? Oedipus enim aut hariosus sit oportet; qui, cum auctor nihil dicat, mentem eius asequi coniectando profiteatur. Quod si is recte coniecerit; auctor tamen haud minore in culpa est, cui, ut scias quid velit, coniectore est opus. Certe Noster, si Suetonio fides, *obscuritatis vitio minime tenebatur*: numquam ergo crederim obscurum hoc, incertum, maneam ab Horatio profectum esse. Christophorus quidem Landinus ante annos ducentos *Mulso Falerno* hic edidit, ex coniectura, ut opinor. Sed nemo postea in eius sententiam concessit. Nos meliore, nisi fallimur, auspicio sic locum refingimus: „*Ne gallina malum responset dura palato, Doctus eris vivam musto mersare Falerno: Hoc teneram faciet.*“ Teneritatem, inquit, gallinae conciliabis, si vivam suffocaveris in musto Falerno, capite eius in liquorem demerso. *Mustum* autem per totum annum servari solebat: quod qua ratione fieret, docet Cato de Re Rust. cap. CXX. Columella XII. 29. Plinius XIV. 11 [§ 80 seqq.]; et tandem Gallienus imperator, referente Pollione c. XVI. „*mustum quemadmodum toto anno haberetur, edocuit.*“ Ergo lepide hic sugillat hellaonum divitum *αργυρίων* et ineptam diligentiam: quod *vino* gallinam suffocarent, non *aqua*; quod non quovis vino, sed *Falerno*; quod non quovis Falerno, sed *musto*. Prudentius contra Symmachum I. 26. [127] de Baccho loquens, „*Atque avidus vini multo so*

- 25 Mendose: quoniam vacuis committere venis
 Nil nisi lene decet. Ieni praecordia mulso
 Prolueris melius. si dura morabitur alvus;
 Mitulus et viles pellent obstantia conchae,
 Et lapathi brevis herba; sed albo non sine Coo.
 30 Lubrica nascentes implent conchylija lunae.
 Sed non omne mare est generosae fertile testae.
 Murice Baiano melior Luerina peloris:
 Ostrea Circacis, Miseno oriuntur echini:
 Pectinibus patulis iactat se molle Tarentum.
 35 Nec sibi cenarum quivis temere arroget artem,
 Non prius exacta tenui ratione saporum.
 Nec satis est cara pisces avertere mensa,
 Ignarum quibus est ius aptius, et quibus assis
 Languidus in cubitum iam se conviva reponet.
 40 Umber, et iligna nutritus glande, rotundas

v. 37. Vulg. *Avertere*.

*proluit haustu, Gemmantis paterae spumis MUSTOQUE PALERNO Perfundens
 bilingum rostantia terga ferarum.* Ceterum Gallinas a coquis suffocatione
 occidi solitas, vel illud Ciceronis ostendit pro Muraena cap. 29. [§ 61]
*„Nec minus delinquere eum; qui gallum gallinaeum, cum opus non fuerit,
 quam eum, qui patrem suffocaverit.“*

37. *Nec satis est cara pisces avertere mensa*] Editiones veteres
 aliaeque ante Lambinum *AVERTERE*; atque ita uterque Scholiastes. Primus
 ille ex codicibus suis dedit *AVERTERE*, quem secutus est Cruquius; et ex eo
 tempore nunc hoc, nunc illud editoribus placuit pro diverso hominum sensu
 et palato. In eo sane iactare se potest lectio prior, quod acutissimo Grono-
 novio patri se probavit Observat. lib. IV. c. 5. ubi *„avertere cara mensa
 pisces“* ait esse *„fraudare mensam alicuius delicati obsonio illo; com-
 parare pisces caros et pretiosos, quibus aliquam nepolinam mensam de-
 fraudas.“* Haec ibi vir eximius; et eadem fere ante ipsam quidam apud
 Lambinum, sic verba enarrantes; *„Pisces divitibus destinatos praeripere
 pretio persolato, et ita ab eorum mensis aversos in tuam transferre.“*
 Recte quidem; et nos quoque ab ea parte stamus; si modo *avertere* veram
 hic lectionem esse semel admittimus. Sed pace tanti viri, liceat nobis alteri
 illi lectioni fidem et auctoritatem adiungere, *„Nec satis est cara pisces
 AVERTERE mensa“*: quam Cruquiani codices suppeditant, praeter unum omnes;
 et bona etiam pars eorum, quos Lambinus, Torrentius, Pulmannus, Bers-
 mannusque viderunt; et denique ex nostris meliores, Leidensis, Reginensis,
 Zulichemianus, et Battelianus. Liceat etiam in veteri lectione novam ex-
 plicationem promere. Non ut hic *mensam piscatoriam* in macello cum
 veteribus novisque intelligamus; sed mensum eius, cui haec praeccepta tra-
 duntur. Sunt, inquit, qui in cenis praebendis se officio suo satisfecisse
 credant, si ingentes sumtus in cibos fecerint; ignari interea, quid elixum,
 quid assum pro varia saporum ratione gratius meliusque siti: *„Nec satis est
 cara pisces avertere mensa, Ignarum, quibus est ius aptius, et quibus
 assis Languidus in cubitum iam se conviva reponet“*: hoc est, Neque
 sufficit pisces impenso pretio coemptos in mensa sua exhibere, qui pro reli-
 quiis *averrantur*; utpote quos nemo convivarum tangere velit, propterea
 quod aptum cuique condimentum desit. Opera potius danda est, ut et
 pisces pretiosi ponantur, et ita suaviter conditi, ut vel languido convivae

- Curvet aper lances carnem vitantis inertem:
 Nam Laurens malus est, ulvis et arundine pinguis.
 Vinea submittit capreas non semper edulis.
 Fecundae leporis sapiens sectabitur armos.
 45 Piscibus atque avibus quae natura et foret aetas,
 Ante meum nulli patuit quaesita palatum.

v. 41. Vulg. *Curvat*. 44. *Fecundi*.

appetitum renovent; adeo ut nihil demum ex iis reliquum sit, quod a
 ministrantibus pueris *averrri* possit. Non satis est pisces intactos *cara
 mensa avertere*, et solo sumtu te ostentare: si autem cenarum tibi arrogas,
 id potius effice, ut prae suavitate omnia consumantur, nihil supersit. Haec,
 ni fallor, enarratio et sententiae et verbo apposite congruit. Cicero ad
 Cassium Epist. XII. 4. [princ.] *„Vellem idibus Martiis me ad cenam
 invitasses: reliquiarum nihil fuisset.“* Priscianus p. 900. *„Verro secun-
 dum Charisium in praerito Verri facit, quod et usus comprobat: Lic-
 nius Maceo pro Tuscis: Quis oportuit amissa restituere, hisce etiam re-
 liquias averrant.“* Seneca Controv. XXV. [§ 24, p. 258, 18 Burs.] *„Inter
 temulentas ebriorum reliquias humanum everritur caput.“* Et iterum [§ 4,
 p. 251, 26], *„Inter purgamenta et tactus cenantium, et sparsam in con-
 vivio scobem, humanus sanguis everritur.“* Non deerunt, opinor, qui huic,
 quam primi nunc proponimus, sententiae accedent. Sed et alterae duae,
 tam Gronovii, quam veterum, fautores adhaec suos sine dubio habebunt.
 Quid mirum? ubi quaevis ex tribus, pari probabilitatis specie certans, du-
 biam duabus ceteris palmam facit.

41. *Curvat aper lances*] Veteres quidem Editiones cum multo maiore
 parte codicum *curvat*: postea fere obtinuit altera lectio *curvet*, quam sup-
 peditant Torrentii libri aliquot, unus Pulmanni, et codex Collegii Trinitatis.
 Utramvis tuto sequi poteris: si *curvet*, erit vox praecipientis, quid fieri
 oportet; si *curvat*, erit approbantis, quod recte fit.

44. *Fecundi leporis*] Sic editiones priscae cum codicibus plerisque,
 nostris quidem omnibus: neque aliter nunc extat apud Donatum ad Terentii
 Eunuchum, III. 1. vers. 36. Scio etiam *leporem* masculino genere dici
 solere, etiam *secundum et praegnantem*. Varro de Re Rust. III. 12. [§ 5]
„qui lepus dicitur, cum praegnans sit, etiam concipere.“ Plinius Hist.
 VIII. 55. [§ 219] *„Lepus solus praeter dasypodem superfetat, aliud edu-
 cans, aliud in utero gerens.“* Vulgatam igitur lectionem tantis auctoribus,
 qui volet, facile tuebitur. Vide virum summum Gerardum Vossium de Ana-
 logia lib. I. cap. 16. Mirifice tamen placet, quod in omnium optimo Blan-
 dinio, et in altero non contemnendo codice Tonsano Cruquius invenit,
„FECUNDAE LEPORIS SAPIENS SECTABITUR ARMOS.“ Unde enim hoc Librariis,
 nisi ab ipso auctore profectum esset? Ignoscendum quidem est iis, qui cum
 vulgo loquantur: sed rationi naturaeque magis congruum hic femininum
 genus esse quis negabit? Sapit etiam, siquid ego iudico, morem Horatia-
 num; et ingenium novandi sermonis cupidissimum. Priscianus pag. 658.
hic et haec lepus prisca auctoritate dici memorat: quod fortassis ex hoc
 ipso loco petitum habuit; vel si ex alio scriptore nescio quo, at certe vel
 sic, novo demum tibicine haec lectio fulcitur. Quod si spernis ista, quae
 Priscianus nullo teste producit; imo vero, si nusquam quemquam *hanc le-
 porem* dixisse concedimus: nihilo tamen minus *secundae* et doctior et prob-
 abilius hic lectio erit, quam *secundi*. Ita Plautus in Stich. I. 3. v. 14.
*„audivi saepe hoc vulgo dici, Salere elephantum gravidam perpetuos
 decem esse annos“*: noluit dicere *gravidum*, quamvis nemo alias *hanc ele-
 phantum* vel fando audivit. Ita ipso Plinius IX. 18. [§ 47] *„Cordylae
 appellantur Thynnorum partus, qui foetas redeuntes in mare auctumno*

Sunt quorum ingenium nova tantum crustula promit.
 Nequaquam satis in re una consumere curam:
 Ut si quis solum hoc, mala ne sint vina, laboret:
 50 Quali perfundat piscis securus olivo.
 Massica si caelo subpones vina sereno;
 Nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura.

v. 51. Vulg. *Supponas*.

comitantur. Et X, 56. [§ 185] „Generatio marium lambendo constare, non coitu, dicitur; ex una genitos cxx tradiderunt: apud Persas vero, praegnantem et in ventre parentis repertas.“ Vide de Thynnibus et Muribus feminis foetas, una, reperbas, dixisse: licet nemo alias Thynnium aut Murum feminino genere extulerit. Demus itaque hoc venerandae antiquitatis codicis: ut ex duabus lectionibus, quarum utraque quidem tuta est, altera et erudita, hanc potius sequamur, quam ipse subministrat. Quin et observatione dignum est, eosdem illos codices, Blandinium dico et Tonsanum Cruquii, *anseris albae* exhibere Serm. II, 8, v. 88. ubi ceteri fere omnes, ut hic, masculinum genus supposuerunt.

48. *Nequaquam satis in re una*] Nimum hic arguitur Dan. Heinsius, cum hoc modo distinguere iubet: „Sunt quorum ingenium nova tantum crustula promit: Nequaquam satis in re una consumere curam“: et *to satis* explicat non *illis*, sed *illis or.* hoc est, *Cum non sit satis, vel Quandoquidem nequaquam est satis.* Sed quis, obsecro, sic locutus est? nam profecto exempla, quae ibi profert, nihil ad rem faciunt. Immo enimvero *satis* hic est *illis toti*: quippe hoc ad sequentes versus potius, quam ad praecedentem refertur. Unde factum, ut *to est* in nonnullis codicibus versui inseratur: in duobus Cruquianis sic, „*Nequaquam satis in re una est cons. curam.*“ in Regio, „*Nequaquam satis in re una cons. curam est.*“ Equidem sic potius constituerim, „*Nequaquam est satis in re una cons. curam.*“ vel sic, „*Neq. satis est in rem unam insumere curam.*“ Nam Lambethanus codex, etsi is recentior est, „*Neq. satis est in re una absumere curam.*“ Certe, etsi haec locutione noster vehementer delectari et saepissime usus esse deprehenditur, numquam tamen *to satis* nudum et incomitatum posuit sine verbo *est*, ut Carm. III, 1, 25. „*Desiderantem quod satis est.*“ III, 16, 44. „*Parca quod satis est manu.*“ Serm. I, 1, 62. „*Nil satis est, inquit.*“ Et v. 120, „*Jam satis est, nemo.*“ I, 2, 60. „*At tibi abunde Personam satis est.*“ Et v. 66, „*Usque superque Quam satis est.*“ I, 4, 54. „*Non satis est puris.*“ et v. 116, „*Mi satis est, si.*“ I, 5, 13. „*Ohe, iam satis est.*“ I, 10, 7. „*Ergo non satis est.*“ et v. 76, „*Non ego, nam satis est.*“ II, 3, 69. „*Scribe decem a Nerio non est satis.*“ et v. 127, „*Si quidvis satis est.*“ II, 4, 37. „*Nec satis est cara.*“ II, 5, 4. „*Non satis est Ithacam revehi.*“ Epist. I, 2, 46. „*Quod satis est, cui contingit.*“ I, 6, 16. „*Ultra quam satis est.*“ I, 7, 16. „*Jam satis est.*“ et v. 83, „*Ultra quam satis est.*“ I, 10, 46. „*Ubi plura Cogere quam satis est.*“ I, 18, 111. „*Haec satis est orare Iovem.*“ Art. Poët. v. 99. „*Non satis est pulchra esse poemata.*“ et v. 416, „*Nec satis est divisisse.*“ Ergo ad haec exempla etiam hunc locum liceat reſingere.

51. *Massica si caelo supponas vina sereno*] Editiones veteres, duae Venetae et Loscheriana *suppones*. Postea Typographi Aldum, opinor, ducenti secuti *supponas* passim dederunt: quod per interpretum indiligentiam etiamnum obtinet. Revocetur lectio antiqua, cui plures Lambini et Bersmanni codices astipulantur: ceteri Editores silentio hoc male transcurrunt. Equidem in plus decem exemplaribus *suppones* inveni, *supponas* in solo Magdalenensi.

Et decedet odor nervis inimicus: at illa
 Integrum perdunt lino vitata saporem.
 55 Surrentina vafer qui miscet faece Falerna
 Vina, columbino limum bene colligit ovo:
 Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
 Tostis marcentem squillis recreabis et Afra
 Potorem cochlea: nam lactuca innatat acri
 60 Post vinum*) stomacho: perna magis, ac magis hillis
 Flagitat in morsus refici: quin omnia mavolt,

v. 61. Vulg. *Malit*.

61. *Flagitat in morsus refici*] „*Refici in morsus*“, ait Lambinus, „ita dictum est, ut Virgil. Aen. XI, 731. „*Reficitque in praelia pulsus.*“ Haud vidi magis. Quisnam, obsecro, hic reficitur in morsus? videamus locum integrum: „*Tostis marcentem squillis recreabis et Afra Potorem cochlea: nam lactuca innatat acri Post vinum stomacho: perna magis ac magis hillis Flagitat in morsus refici: quin omnia malit Quaecumque immundis fervent allota popinis.*“ Quis, inquam, hic *flagitat*? *potor*, an, *stomachus*? Equidem hic *stomachum* intelligo: is scilicet *flagitat*, is *malit* a popinis allata: ut Serm. II, 2, v. 44. „*mala copia quando Aegrum sollicitat stomachum: cum rapula plenus Atque acidus mavolt inulas.*“ Quod si ita sit, nihil iam haec lectione stultius: qui enim stomachus refici potest in morsus? an stomachus dentes habet? Immo enimvero, licet *potorem* hoc *flagitare* dixeris, quam tamen malam esse constructionem puto, ineptum hoc nihilominus erit ac putidum. Perna scilicet et hillis *comestis*, reficitur *potor in morsus*: quid magis praeposterum? utique in morsus debet refici, priusquam quidquam possit comedere. Nihil certe in *morsus refici* tolerabiliter dici potest, nisi *dentes* hebetati et instabiles, qui iam morsibus inhabiles sunt; non *potor*, non *stomachus*: et absit, ut cultissimo poetae tam illepidum dictum affingamus. Neque vero audiendi sunt Cruquius et Chabotius, qui *morsus* hic *minuta frustula* interpretantur; *morsus* enim et *morsellus* pro offa, frusto, non nisi barbarorum est. At editio prisca Loscheri, cui illa Roberti Stephani accedit, *immorsus* hic exhibet. Neque aliud voluit codices nostri Reginensis, Petrensis, Regius, Galeanus, Magdalenensis, Battelianus, Collegii Trinitatis; qui uno vocabulo ex prisca scribendi ratione *immorsus* clare praefereunt. Atque haec lectio eruditissimis viris placuit, Bonaventurae Vulcanio, Petro Scriverio, Danieli Heinsio. *Immorsus* autem exponunt ex Glossario Isidori, *ieiunus*: et sic etiam codex Regius inter lineas enarrat, *immorsus, ieiunus*. „*Sane sensu optimo*“, ait Heinsius: „*ante ostendit, quomodo marcentem reficere; iam vero, quomodo ieiunum excipere oporteat.*“ Ego vero neque sensum orationi, neque verbum sensui convenire dico. De *marcente* enim stomacho, non *ieiuno* et famelico, hic agi tam manifestum est, quam quod usquam manifestissimum. Cui autem ereditibile est, *immorsus* activam significationem habere, qui *non momordit, qui nihil comedit*? Quis auctor, quis sponsor rei tam inaudita? Glossographus nescio quis, semibarbarus; cuius ex turbidis lacunis pudeat quicquam haurire, quod Horatio impertiatur. Passivam significationem huic verbo donat Cyrillus apud Labbaeum, *Αδύκτος, immorsus*; hoc est, qui non est morsus. Ego vero contra *immorsus* sic accipio, ut *admorsus, demorsus*, pro eo qui morsus est. Statius Theb. II, 628. ubi Chromis quidam „*Dum clamat, subit ore cavo Theumesia cornus, Nec prohibet fauces — transmissa morte per artus Labitur, immorsaque*

*) [vina et in morg. „Vulg. Vinum“ ed. 1711; vina reponendum iussit Bentl. praef.]

Quaecumque immundis fervent adlata popinis.
Est operae precium duplicis pernoscere iuris

eadens obmutuit hasta. Ubi, ut hic apud Nostrum, *immorsa* habet vetus codex Collegii Petrensis. Propertius III, 6. v. 2. [§ v. 21] „*Immors aequales videant mea vulnera collo: Me doceat livor mecum habuisse meam.*“ Ita ex coniectura dederunt viri et eruditione et ingenio praestantes Nic. Heinsius et Ianus Broukhusius; cum in vulgatis sit *In morsu*, diviso, ut hic, vocabulo. Quid ergo hinc extundemus? profecto levi mutatione sic satis commode constituit locus poterit: „*perna magis ac magis hillis Flagitat immorsus refici.*“ *perna ac hillis immorsis*, hoc est, admorsis, commanducatis, degustatis: quippe, *mordere*, etsi id rarius, est ubi *mandere et comedere* significat. Iuvenalis Sat. VI, 301. [302] „*Grandia quae mediis iam noctibus ostrea mordet.*“ IV, 142. „*Lucrinum ad saxum Rutupinove edita fundo Ostrea, callebat primo deprendere morsu.*“ Sed quid opus est ulla mutatione? sine dubio sincera lectio est, quam discrete exhibent manuscripti, „*perna magis ac magis hillis Flagitat immorsus refici.*“ Stomachus flagitat refici *immorsus perna et hillis*, aliisque id genus salsis cibis atque acribus, qui *in popinis* scilicet vendi solent; ut praeter Nostrum Martialis I, 41. [42 v. 9] „*Quod fumantia qui tomacla raucus Circumfert tepidis coquus popinis.*“ *Immorsus* hic est *vellicatus, excitatus, punctus, pervulsus*. Acria enim et salsa *mordere* dicuntur Latinis, ut Graecis *δάσσειν*: inde *mordax aelum* Persio, *δάσσειν* *δέσσειν*, Sat. V, 86. „*Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.*“ Martialis VII, 24. [v. 5] „*Nec cibis ipse iuvat morsu fraudatus aceti.*“ Plinius Hist. XII, 25. [§ 119] „*Balsami semen, mordens gustu, fervensque in ore.*“ et ibid. 19. [§ 97] „*Casia lento tepore leniter mordens.*“ XV, 29. [§ 123] „*Folia myrti, leniter mordaci pulvere.*“ XXVII, 13. [§ 133] „*Radix smyrnii gustu acri mordet.*“ XXI, 18. [§ 120] „*Odoratus iuncus, vinosae mordacitatis ad linguam.*“ Et sic alibi saepe. Ergo hoc vult Catii magister, Marcentem et resolutum stomachum eo pacto optime refici, si cibis acribus *immorsus* et vellicatus fuerit; quales Serm. II, 8, 8 Nasidienus ille in eodem, ut videtur, iudo edoctus apposuit; „*acria circum Rapula, lactucae, radices*, qualia lassum Pervellunt stomachum, *siser, allec, faecula Coa.*“

Ibid. v. 61. *Quin omnia malit* Rectius codex Galeanus et unus Bersmanni, „*Flagitat immorsus refici: qui omnia MAVULT.*“ *Flagitat et mavult*, eodem modo offerri debent. Ita Serm. I, 4. v. 30. „*Illic mutat merces surgente a sole, ad eum quo Vespertina tepet regio: quin per mala praeceps fertur, uti pulvis collectus turbine.*“ Carm. II, 13. 36. „*et intorti capillis Eumenidum recreantur angues: Quin et Prometheus et Pelopis parens Dulci laborem decipitur sono.*“ Et alibi passim, cum apud hunc, tam apud alios.

62. *Quaecumque immundis fervent allata popinis* Crauquii codices, uti affirmat, omnes *in mundis* quibus ipse assentitur. Ita et nostri unus et alter ex deterioribus: ceteri uno verbo *immundis*, ex prisca orthographiae ratione, ut paullo ante *immorsus*. *Immunda popina* perpetuo epitheto, ut Martiali *nigra* VII, 60. [v. 8] „*Occupat aut totas nigra popina vias.*“ Porro, ait Lambinus, „*quidam libri excusi habent illata* (ita editio Simonis Colinaei) *qua ex scriptura suspicatus sum aliquando legendum illota. Sed codices omnes allata, quos sequor.*“ Unde nuper vir eruditus etiam in contextu dedit *illata*; quippe, ait, *auctore Lambino, alii codices illata, alii illota habent*. Vide, incuria et festinatio quid facit. Coniectura mera, ipsi quoque auctori spreta et repudiata, iam pro codicum scriptorum lectione venditatur. Quorsum autem *illota*? an *ferventia* tomacla, et iam convivis ponenda, lavari debuerunt postea? Nullus quidem ex nostris codicibus aut *illata* aut *illota*; unus et alter ex vilioribus *ablata*, ceteri cum editionibus *ALLATA* habent; quod rectissimum est. *Fervent allata*, perinde est ac si

Naturam. Simplex e dulci constat olivo.
65 At pingui Miscere mero muriaque decebit,

v. 65. Vulg. *Quod pingui misc.*

dixisset, *ferventia afferuntur*, a coquis scilicet vel ministris. Noster Serm. II, 8. v. 42. „*Afferunt squillas inter muraena natantes.*“ et v. 86. „*discerpta ferentes Membra grais.*“ Martialis, loco iam ante laudato, I, 41. [42 v. 9] „*Quod fumantia qui tomacla raucus Circumfert tepidis coquus popinis.*“ Petronius in Cena Trimalechionis [c. 31]: „*Adlata est tum gustatio valde lauta.*“ et mox [c. 33], „*Gustantibus adhuc nobis, repositorium adlatum est cum corbe.*“ Et iterum [c. 34], „*Statim adlatae amphorae vitreae diligenter gypsatae.*“

65. *Quod pingui miscere mero*] Locus intricatus et molestus: „*Est operae pretium duplicis cognoscere iuris Naturam. Simplex e dulci constat olivo: Quod pingui miscere mero muriaque decebit, Non alia, quam qua Byzantia putruit orca.*“ Ubi principio, sunt qui longe melius, mutatis hinc et hinc partibus, *pingui olivo et dulci mero* dictum fore putent; ut aut sic legendum fuerit, „*simplex e pingui constat olivo: Quod dulci miscere mero muriaque decebit.*“; aut consulto poeta sic prave locutus sit, quo Catium magis deridendum lectori propinet. Ita sane *pingue oleum et pinguis olivi* Virgilius [Aen. VI, 254; Ecl. 5, 68]; *dulci vino et dulci mero* Noster alibi [Carm. III, 12, 1; III, 13, 2] dixit. Haec quidem illi: in quibus, ut plerumque alias, iudicium magis quam eruditionem desideres. Quippe illud hic non vident, *oleum pingue et merum dulce* generalia et perpetua epitheta esse, et idcirco huic Catii orationi, qua iuris compositionem tradit, inepta prorsus et aliena. Quid enim attinet *pingue olivum* praescribere; cum omne oleum pingue sit? aut *dulce merum*, cum merum quodcumque eo nomine vocent poetae, *amara curarum eluere effica*? Quod si merum *dulce*, non cum poetis, sed cum medicis et rei rusticae scriptoribus, *austero* hic opponas: tamen vel sic, ambiguum esset praeceptum; quot enim et quam diversa meri dulcis genera sunt? Satis ergo est receptam omnium codicum lectionem sequi, „*simplex e dulci constat olivo.*“ hoc est, non rancido, non foetido: ut in simplici iure munditiam, in composito artem et sapientiam praeceptor hic ostendet. Ista vero quae sequuntur, „*Quod pingui miscere mero muriaque decebit.*“, crucem sane figunt interpretibus. Quodnam enim est *pingue merum*? Porphyrii *mulsum* est. At qui, quaequo, fieri potest, ut idem et *merum* sit et *mulsum*; et *ἀκρατον* et *μελικρατον*; et nulla re mixtum, et melle temperatum? Hoc absurdissimum est: unde sunt qui pro mulso *mustum* apud Scholiastem reponunt: idque iure factum esse videatur: mustum enim *pingue* dicitur. Tibullus I, 1. [v. 9] „*Nec spes destituit, sed frugum semper acervos Praebet, et pleno pinguis musta lacu.*“ Columella libro X, ipso sine [v. 432]: „*Ferveat ut lacus, et multo completa Falerno Exsudent pingui spumantia dolia musto.*“ Itaque, si hoc voluit Noster, recte utique dixisset, „*Quod pingui musto et muria miscere decebit.*“ Verum aliud longe est *pingue mustum* dicere, aliud *pingue merum* pro musto ponere: illud elegans et poetium; hoc putidum, *κακόζηλον*, et Horatio prorsus indignum. An *pingue* ergo *merum* cum Lambino et Torrentio interpretabimur *crassum, non defaecatum, non sacco colatum*? An potius *pingue* hic opponetur *tenui*? Celsus I, 6. [p. 23, 29 Daremb.] „*Numquam vinum salsum bibere expedit, ne tenuis quidem, aut dulce: sed austerum, et plenus, neque id ipsum pervetus.*“ Idem itaque fortassis erit *pingue vinum, quod plenum*. Iterum Celsus II, 18. [p. 66, 15] „*Ad vinum, quod paucorum annorum, vel austerum, vel pingue est, in media materia est.*“ Ita edidit eruditissimus Lindenius: Ronsaeus in contextu *Lene* dederat, *pingue* ad marginem ablegaverat. Habemus igitur *merum pingue*: sed

haeret hic nihilominus aqua: quo enim referemus illud *Quod*? „*Est operae pretium duplicis cognoscere iuris Naturam. Simplex e dulci constat olivo*: Quod pingui miscere mero muriaque decebit.“ *Quod ius* hic accipimus, an *quod olivum*? Prius placuit Torrentio; qui, ut constructio aperior fiat, verba illa (*simplex e dulci constat olivo*) parentesi includi velit. Bene sane: sed nullis parentheseos hamis aut unciis (qui in veteribus membranis nusquam comparent) id clarum aut elegans effloietur; quod vel sine illis nativam perspicuitatem nitoremque non habeat. Recentiorum haec inventa sunt, et utiliter sane excogitata: sed non ut quovis in loco cuiusquam que ulceri sanando efficaciter adhiberi queant. Sane illud *quod* nullis machinis aut technis divelli potest ab *olivo*: et non leviter peccavit Horatius, si, his verbis interiectis, *ius* suum iam frigidum et *εὐχὸν* huc transferre voluit. Ergo alii, ut sane ordo et constructio flagitat, *quod olivum* hic intelligunt, atque ad *ius duplex* condiendum, *oleum* hic mero muriaque miscendum praescribi volunt. Sed illud interea non animadvertunt, non hic, sed versus abhinc quarto, *oleum* in hanc mixturam venire; „*insuper addes Pressa Venafranae quod bacca remisit olivae*.“ Ius quidem hoc mixtum erat *vino, muria, sectis herbis, croco, et oleo*: ut Nasidieni illud non absimile, *oleo, garo, vino, pipere, et aceto*. At certe eidem iuri bis *oleum* praescribi et ingeri, absurdissimum est. Quid ergo? videamus, an codices aliqui suppetias nobis adveniant. Liber Collegii Trinitatis cum *pingui* habet; sed ille mendis ubique scatet, neque is est, cui confidere possis. Simeo Bosius, vir tam ingenio quam doctrina praestans, in antiquo suo invenit, AT *PINGUE IMMISCERE*: unde sic locum constituit, „*Quod pingue immiscere mero muriaque decebit*“: et *pingue* interpretatus est *ius duplex*. Nihil vidi deterius. Profecto ipsa codicis lectio longe potior est emendatione Bosii: tollit enim scrupulum istum *Quod*, qui iam diu nos male habuit. Sed in eo utraque vitiosa est, quod *ius* illud compositum *pingue* appellat. Quis, malum, *pingue*? cum *simplex* eo longe sit pinguius, utpote ex solo olivo constans: alterum, quod mero et muria miscetur, eo maerius profecto et minus unctum sit. Ne multis morer (iam enim tempus est, ut suspiciones meas proferam) *ius* illud, cui nomen *duplici* male indiderunt Interpretes, *quintuplex* potius dicendum erat; utpote quinque rebus constans, oleo, vino, muria, herbis, et croco. Quorsum enim *duplici*? Equidem *duplicis iuris naturam* non sic interpretor, quasi *ius* aliud *duplici* hic vocetur; sed *duorum iurium* naturam, quorum alterum *simplex*, alterum *mixtum* sit: simplex solo oleo, mixtum variis rebus constat. Ergo sic fortasse reponendum fuerit, *vocula* ex Bosii codice petita; „*simplex e dulci constat olivo*. Ar *pingui miscere mero muriaque decebit*.“ Hoc certe Librarios fefellit, et interpolatoribus ansam dedit, quod nesciebant *miscere* absolute hic positum esse; ut *αἰγάσαι* passim apud Graeces. In vernal V. v. 60. [61] „*nescit tot millibus emptus Pauperibus miscere puer*.“ *Miscere* igitur perinde est ac *miscere ius, ius mixtum facere*: ut Serm. II, 8. v. 45. „*His mixtum ius est; oleo, quod prima Venafrae*“ etc. Atque haec quidem lectio, quae tota in membranis extat, vulgatae longe antecellere videtur. Veruntamen, cum tot et tam vetusti codices in vocabulo *Quod* consentiant, neque de Bosiani libri bonitate quidquam mihi aliunde compertum sit; equidem altius mendum latere suspicor, a literarum similitudine ortum, et pro *quod pingui* Horatium *quinquenni* dedisse: „*QUINQUENNI miscere mero muriaque decebit*“: ut infra in Nasidieni cena [S. II, 8. 47], „*His mixtum ius est; oleo, quod prima Venafrae Misit cella; garo de succis piscis Iberi; Vino quinquenni, verum citra mare nato*.“ Certe ubi semel Librariis persuasum erat, *τὸ miscere* casum accusativum post se requirere; nihil propius erat, quam ut *quinquenni* in *quod pingui* commutarent. Quamobrem omnes rogatos velim, quibus codicum vetustorum copia est, ut in hoc loco aliisque pariter suspectis videant, annon aliud olim fuerit a primo scriptore, aliud nunc post rasuram vel lituram ab altera

Non alia quam qua Byzantia putuit orca:
Hoc tibi confusum sectis inferbuit herbis,
Corycioque eroco sparsum stetit; insuper addes
Pressa Venafranae quod bacca remisit olivae.
70 Picenis cedunt pomis Tiburtia succo:

v. 66. Valg. *Putruit*.

manu feratur; idque inventum in commune conferant. Auguror enim, neque id opinor vane, multa post cineres nostros in codicibus repertum iri, quae nos nunc sola, sed non socordi, coniectura indagavimus.

66. *Quam qua Byzantia putruit orca*] Illud *putruit* in tribus praeis editionibus habetur, et Lambino patrocinate, adhuc fere in recentioribus obtinet. *Orcam* igitur hic *piscem* interpretatur, et quidem *thynnium*: nihil peius potuit. *Oreynus* quidem thynni species est: sed *ora* est bellua ingens balaeis fere par, et in pugna superior: (vide Plinium IX, 6. [§ 12 seqq.]) quae, cum in Oceano se contineat, ac rarissime in mari mediterraneo visatur, unde nobis *Byzantia* dicta? Quis porro ex tali bellua *muriam* fieri memoravit? Sed condonemus ei haec omnia; esto *orca*, quam velit: quis cum docuit, *piscem in muria putrescere*? enimvero ea de causa in muria conduntur, ne computrescant. Quod si forte ibi putruerint: iam muria nulli usui est, nedum ut Catii magistro tam eleganti homini placere possit. Scio equidem putrescentium piscium pretiosam saniem *muriam* quandoque dici, ut saepius *garum*; atque hoc ipso Flacci loco sic accipi debere; nemo tamen eo sensu sic loqueretur, *Muria, quae piscis putruit* (quomodo enim in eo putrescat, in quam numquam positus est?) sed potius *quam putruit*, quam computrescens et liquefactus exhibuit. Vides iam, quot et quanta incommoda lectionem hanc sequantur; quamque indigne ferendum sit tam diu eam circumlatam esse: praesertim cum iam olim Cruquius Torrentiusque veram scripturam ex suis dederint, recteque interpretati sint: „*muriaque decebit Non alia, quam qua Byzantia putruit orca*.“ Ita etiam nostri codices fere omnes. Ubi *orca* notat fas, testam, in qua salsamenta, garum, muria servabantur; ab *ὄρχη* verbo Aelico, ut plerumque Latinorum nomina ex ea dialecto ducuntur. Suidas et alii, *ὄρχη*, *περάμνη ὄρχη*, *ἰσοδελτιὸν ὄρχη*, *vasa fictilia, quibus salsamenta reconduntur*. Persius Sat. III, 76. „*Maenaque quod prima nondum defecerit orca*.“ Haec quidem nota sunt: sed et hic erant attingenda. *Orca* autem *Byzantia*, est Byzantio advecta; quia Thynni pisces, unde muria confici solebat, ibi optimi erant. Arcestratus apud Athenaeum VII, 14. [c. 63 p. 302a] de Thynno: *Ἐστὶ δὲ γενναῖος ΒΥΖΑΝΤΙΩ ἔντε Καρύσιω*. et iterum [c. 67 p. 303c] *Καὶ θύνην οὐραῖον ἔχει, ἣν θυννίδα φωνῶ τὴν μεγάλην, ἣς μεγάλην πόλιν ΒΥΖΑΝΤΙΟΝ ἔστιν*. et Antiphanes ibidem [c. 67 p. 303f]: *τῆς τε βελτίστης μεσσίον θυννίδος ΒΥΖΑΝΤΙΑΣ Τέμαχος ἐν ταῖσιν λακιστοῖς κοραῖται σιγάσκει*. et idem apud eundem, III, 32. [c. 88 p. 118d] *ΒΥΖΑΝΤΙΑΣ δὲ θυννίδος ὁμοία χαιρέει*. Iam autem *muriam* ex Thynnorum sanie fieri, et in testis sive oreis recondi, res notissima est. Martialis XII, 103. „*MURIA. Antipolitani fateor sum filia Thynni; Essem si Scombri, non tibi missa forem*.“ et IV, 89. [v. 5] „*Antipolitani nec quae de sanguine Thynni Testa rubet, nec quae coctana parva gerit*.“ Quin et non Thynnus duntaxat, sed et Scombri etiam nobilitatum erat Byzantium: ibi enim omnium piscium captura erat, qui in Pontum quotannis intrabant. Plinius IX, 15. [§ 49] „*Cum thynnus amia et pelamides in Pontum ad dulciora pabula intrant gregalim cum suis quaeque decibus, et primi omnium scombri*.“ Hesiodus, vel alius potius apud Athenaeum III, 30. [p. 146b] *Θύννων δ' ὀκλίον ΒΥΖΑΝΤΙΟΝ ἔπιετο μίτρον, καὶ ΣΚΟΜΒΡΩΝ ἀεθίων*. Ut fortasse nobilior illa Scombriorum sanies, non Thynnorum hic intelligatur. Utrumque tamen hoc sit,

- Nam facie praestant. Venucula convenit ollis:
 Rectius Albanam fumo duraveris uvam.
 Hanc ego cum malis, ego faecem primus et allec,
 Primus et invenior piper album eum sale nigro
 75 Ineretum puris circumposuisse catillis.
 Inmane est vitium, dare millia terua macello,
 Angustoque vagos piseis urguere catino.
 Magna movet stomacho fastidia; seu puer unctis
 Tractavit calicem manibus, dum furta ligurrit:
 80 Sive gravis veteri craterae limus adhaesit.
 Vilibus in scopis, in mappis, in scobe, quantus
 Consistit sumtus? neglectis, flagitium ingens.
 Ten' lapides varios lutulenta radere palma,
 Et Tyrias dare circum inlota toralia vestis;
 85 Oblitum, quanto curam suntumque minorem
 Haec habeant, tanto reprehendi iustius illis,
 Quae nisi divitibus nequeant contingere mensis?
 Docte Cati, per amicitiam Divosque rogatus,
 Ducere me auditum, perges quocumque, memento.
 90 Nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta;
 v. 78. Vulg. *Movent*. 87. *Nequeunt*. 90. *Referas memori*.

iterum vides curiosam gulam praeceptoris Catiani, qui noluit *muriam* de propinquo ex Antipoli petitam, sed a dissito loco vel a Byzantio usque. Iam autem, quod restat, garum et muriam graviter *olere* et *putere* quis nescit? magisque adeo vasa, in quibus servantur? Unde Terentius III, 72. [73] „*nec incideas, quod multa fidelia putet In locuplete penu.*“ Ergo plana iam sunt omnia; *Muria*, inquit, *utendum est, qua orca Byzantia*, sive testa a Byzantio per mercatores allata, *putuit*. Ceterum doleo virum eruditum in nupera sua editione sic perperam exhibuisse, „*Non alia, quam quae Byzantia putuit orca.*“ Qua enim, non *quae*, habent omnes scripti melioris notae. Quid autem in hac lectione boni est, quod non in recepta longe melius sit? Certe *orca putere* multo honestius dicitur, quam ipsa *muria* in ius ingerenda. Tum autem diva illa *Synaeresis*, versui foede claudicanti e machina subveniens, in malam rem ire et suas sibi res habere possit: neque enim ullum hic ulcus est, quod tam deformem medicinam postulet.

78. *Magna movent stomacho fastidia*] Sic veteres editiones: neque Cruquius Lambinusve quicquam diversi ex codicibus suis proferunt. At Torrentius in quinque suorum mover reperit: idque recte vulgatae lectioni praetulit, et post eum doctissimus Baxterus. Equidem in sex meis idem inveni, Galeano, Petrensi, Batteliano, Vigorniensis, Societatis Regiae, et Collegii Trinitatis: quae sine dubio melior scriptura est, „*Magna mover stomacho fastidia, seu puer*“ etc. *Movet* hic absolute et impersonaliter positum est; vide Nos ad Serm. I, 10, v. 78. Et praeterea, cum *seu* et *sive* disiunctiva sint; singularem utique numerum, non pluralem, hic requirunt.

87. *Nequeunt contingere mensis*] Editiones quidem priscae, *nequeunt*. Lambinus et Cruquius *nequeant* in contextu dederunt, *codices* suos secuti. Ego quoque in optimo Reginensi et quattuor aliis idem reperi: idque placet. *Nequeant*, ut prius *habeant*.

90. *Nam quamvis referas memori mihi pectore cuncta*] Ita sane:

- Non tamen interpres tantundem iuveris. adde
 Voltum habitumque hominis; quem tu vidisse beatus
 Non magni pendis, quia contigit: at mihi cura
 Non mediocris inest, fontis ut adire remotos,
 95 Atque haurire queam vitae praecepta beatæ.

E C L O G A V.

- Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata, petenti
 Responde: quibus amissas reparare queam res
 Artibus atque modis. quid rides? Iamne, dolose,
 Non satis est Ithacam revehi, patriosque penatis
 5 Aspiceret? O nulli quicquam mentite, vides, ut
 Nudus inopsque domum redeam, te vate: neque illic
 Aut apotheca precis intacta est, aut pecus. atqui
 Et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est.
 Quando pauperiem missis ambagibus horres;
 10 Accipe, qua ratione queas ditescere. turdus,
 Sive aliud privum dabitur tibi; devolet illuc,
 Res ubi magna nitet domino sene. dulcia poma,
 Et quoscumque feret cultus tibi fundus honores,
 Ante Larem gustet venerabilior Lare dives:
 15 Qui quamvis periurus erit, sine gente, cruentus
 Sanguine fraterno, fugitivus; ne tamen illi
 Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.
 Utne tegam spureo Damae latus? haud ita Troiae

v. 3. Vulg. *Doloso*.

quia in primis editionibus sic semel obtinuit, nemo omnium de loco suo hoc movere vel cogitavit, vel sustinuit. Atqui in omnibus tam Bersmanni, quam nostris codicibus (adde, si vis, et aliorum, qui hic tacent) alio ordine verba collocantur, „*Nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta.*“ Quin et eodem modo haec citat Priscianus p. 772. atque ibi sic exhibent quattuor Prisciani exemplaria manuscripta, quae consulendi mihi copia erat. Ceterum, qui hanc lectionem vulgata elegantiore esse non statim persentiscit; is, moneo, ut poetarum scripta diligentius legat: hospes enim iam in iis sit necesse est.

3. *Iamne doloso Non satis est Ithacam revehi*] Ita editiones; et membranae fere omnes. *Non satis est tibi doloso?* Ut Serm. I, 2, v. 59. „*An tibi abunde personam satis est evitare?*“ et I, 4, v. 116. „*Mi satis est.*“ Ergo hic dativus *doloso* satis commode stare potest. Mirifice tamen placet Danielis Heinsii coniectura: „*Scribe, inquit, Dolose; ut lepidissime illi alteri respondeat, O nulli quicquam mentite.*“ Recte quidem, siquid iudico: et ita clare habet codex Petrensis, *dolose*; alterum autem illud *doloso* pro varia lectione. „*Iamne, dolose Non satis est Ithacam revehi, patriosque penates Aspiceret? O nulli quicquam mentite, vides*“ etc. Alter alterum, ut vides, vocativo casu compellat. *Non satis est* absolute ponitur, sine dativo sequente; ut saepe alias. Noster Serm. I, 10, v. 97. [v. 76] „*Non ego: nam satis est, equitem mihi plaudere.*“ Terent. Phorm. V, 6, v. 17. [v. 16] „*Satin' est, si te delibutum gaudio reddo?*“

- Me gessi, certans semper melioribus. Ergo
 20 Pauper eris. Fortem hoc animum tolerare iubebo:
 Et quondam maiora tui. tu protenus, unde
 Divitias acrisque ruam, dic. augur, acervos.
 Dixi equidem, et dico. captes astutus ubique
 Testamenta senum: neu, si vafer unus et alter
 25 Insidiatorem praeroso fugerit hamo,
 Aut spem deponas, aut artem inlusus omittas.
 Magna minorve foro si res certabitur olim;
 Vivet uter locuples sine natis, improbus, ultro
 Qui meliorem audax vocet in ius, illius esto
 30 Defensor: fama civem causaque priorem
 Sperne; domi si natus erit, fecundave coniunx.
 Quinte, puta, aut Publi (gaudent praenomine molles
 Auriculae) tibi me virtus tua fecit amicum:
 Ius anceps novi: causas defendere possum:
 35 Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
 Contentum cassa nuce pauperet: haec mea cura est,
 Ne quid tu perdas, neu sis iocus. ire domum, atque
 Pelliculam curare iube: si cognitor ipse:
 Persta, atque obdura; seu rubra Canicula findet
 40 Infantis statuas, seu pingui tentus omaso
 Furius hibernas cana nive conspuet Alps.
 Nonne vides (aliquis cubito stantem prope tangens

38. *Fi cognitor ipse: Persta atque obdura*] Quinam sit *cognitor*, vide hic apud Interpretes, et acutissimum Gronovium patrem de Pecunia veterum [IV, 3: p. 605 ed. a. 1656]. Ceterum pro *Fi* editio Veneta princeps *Si*; altera et Loscheriana *Sis*, unde in sequentes editiones propagatum est. Sed recte Lambinus Cruquiusque ex membranis dederunt, *si cognitor*: atque ita ex nostris Leidensis, Zulichemianus, Battelianus et Magdalenensis. Sic Livius XXXIX, 5. [§ 2] „*Alienarum vero simulatum tribunum plebis cognitorem fieri, turpe.*“ Quintilianus Instit. III, 8. [III, 6 § 71] „*Non licet tibi agere mecum; cognitor enim fieri non potuisti.*“ Cicero pro Q. Roscio Comoedo, c. 18. [§ 53] „*Qui per se litem contestatur, sibi soli petit: alteri nemo potest, nisi qui cognitor est factus.*“ [§ 54] „*Quodsi quisquam petere potest alteri, qui cognitor non est factus.*“ — „*Tu in eam litem Roscii cognitor sis factus.*“ — „*Quoniam tuus cognitor non est factus.*“ Idem in Verrem [act. II] II, 43. [§ 106] „*Invenire neminem Siculum potuit, qui pro se cognitor fieret?*“ — „*Cedo, cui Siculo, cum is vovet fieri, civis Romanus cognitor factus umquam sit.*“ Porro elegantius, opinor, veriusque sic verba interpunxeris: „*Pelliculam curare iube: si cognitor: ipse Persta atque obdura.*“ Illum locupletem reum iube ire domum, et genio indulgere: ipse vero perfer et obdura, nec frigus neque aestum flocci faciens.

40. *Seu rubra canicula findet Infantis statuas*] Statuas *infantes* tam veteres quam novi Interpretes *mutas, quae fari non possunt*, hic intelligunt. Sane ita Noster Epist. II, 2. v. 83. „*Statua taciturnus.*“ et Serm. I, 6. v. 57. „*Infans namque pudor prohibebat plura profari.*“ Ita Cicero *infans*, pro infacundo, indiserto; [Brut. 19 § 77] „*Scipionem accipimus non infantem fuisse.*“ [Ep. Q. fr. III, 4 § 1] „*Nihil accusatore*

- Inquiet) ut patiens, ut amicis aptus, ut acer?
 Plures adnabunt thunni, et cetaria crescent.
 45 Si cui praeterea validus male filius in re
 Praeclara sublatus aletur; ne manifestum
 Caelibis obsequium nudet te, leniter in spem
 Adrepe officiosus, ut et scribare secundus
 Heres; et, si quis casus puerum egerit Orco,
 50 In vacuum venias. perraro haec alea fallit.
 Qui testamentum tradet tibi cumque legendum,
 Abnuere, et tabulas a te removere memento:
 Sic tamen, ut limis rapias, quid prima secundo
 Cera velit versu: solus, multisne coheres,
 55 Veloci percurre oculo. plerumque recoctus
 Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem;
 Captatorque dabit risus Nasica Corano.
 Num furis, an prudens ludis me, obscura canendo?
 O Laertiade, quicquid dicam, aut erit, aut non:
 60 Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.

Lentulo infantius.“ [Cluent. 18 § 51] „*Si nihil dixissem, ne infantissimus existimarer.*“ Haec quidem recte habent: sed quid tum postea? an quia homo stupidus et elinguis *statua infantior* vel taciturnior recte dicitur; ideireo et ipsae *statuae infantis* dicentur? credo, quia haec *statuae* magis mutae erant, quam aliae: et cum ceterae magna voce opem Quiritium implerent contra aestum caniculae, haec mutae et elingues impune findebantur. Sensit hanc absurditatem celeberrimus Dacierius; et hoc a poeta quodam suntum comminiscitur, quem Horatius derideat. Sed unde hoc ei compertum? quibus signis et indiciis? Certe illud quod sequitur, *conspuit Alps*, palam Noster ascribit Furio Bibaculo: hoc, cum adeo tecte et occulte nescio cui surripiat, *incipit esse suum*. Quam vellem, non a Poeta suntum diceretur, sed a poetria, cui nomen *Canicula*: scilicet ut eodem iure haec *infantes statuas findere* dicatur, quo *Furius Alps conspuere*. Sed misso ioco, equidem Dacierii suspicionem tutari malim, quam frigidum eorum commentum, qui *mutas Caussidicos* perstringi hic existimant. Certe obmutescere multo satius est, quam talia proferre. Quid ergo? Ut homo recens natus *infans* dicitur, ita *statuae* recentes, novellae, nuper factae, nuper natae, eleganter *infantes* appellantur: eoque magis, quia forma sunt humana: „*seu rubra canicula findet Infantis statuas*“: *lignaeas* intellige, quae aestivo calore rimas plerumque agunt et finduntur, praesertim recente et viridi materia. Etsi et *aereas* hic accipere poteris cum Servio, qui ad illa Virgiliae Georg. III, 363. „*Aerique dissiliunt vulgo*“, haec habet: „*Passim crepant; nam tam nimio frigore, quam calore aera rumpuntur: Persius, findit infantis statuas.*“ Hunc ipsum locum respexit, etsi vel memoriae vel Librarii culpa Persius pro Horatio auctor citetur. *Infans statua*, ut Plinio *infans boletus* lib. XXII, c. 22 [§ 93] „*Nec tunicae minor gralia in cibo infantis balati.*“ Ovidius Fast. VI, 145. „*Pectoraque exsorbent avidis infantia linguis.*“ et alibi, *infantia ora, infantia guttura, infantis umbras*. Vide Nic. Heinsium ad Heroid. IX, 86. Ceterum, postquam haec scripserim, didici etiam ante me virum summum Franciscum Junium, in libro de Pictura veterum p. 284. recte hic *infantes statuas* pro novellis accepisse.

59. *Quicquid dicam, aut erit aut non*] Torrentii codices, ut ipse ait, meliores *dico* habent: nostri omnes cum editionibus praeis, *dicens*.

- Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.
 Tempore quo iuvenis Parthis horrendus, ab alto
 Demissum genus Aenea, tellure marique
 Magnus erit; forti nubet procera Corano
 05 Filia Nasicae, metuentis reddere soldum.
 Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit, atque
 Ut legat orabit: multum Nasica negatas
 Accipiet tandem, et tacitus leget; invenietque
 Nil sibi legatum, praeter plorare, suisque.
 70 Illud ad haec iubeo: mulier si forte dolosa,
 Libertusve senem delirum temperet; illis
 Accedas socius: laudes, lauderis ut absens.
 Adiuvat hoc quoque: sed vincit longe prius ipsum
 Expugnare caput. scribes mala carmina vecors?
 75 Laudato. scortator erit? cave te roget: ultro
 Penelopam facilis potiori trade. Putasne,

Neque aliter hunc locum citat Priscianus p. 730. etiam in tribus, quos consului, scriptis. Boët. Consol. V. 3. [p. 244, 4 Hack] „Quae haec est praesentia, quae nihil certum, nihil stabile comprehendit? aut quid hoc refert (lege, differt, vaticinio illo ridiculo Tiresiae, Quidquid dicam, aut erit, aut non?“ Ceterum, ut hoc obiter dicam, recte huius loci sententiam cepit Boëtius: et ipsi se deridendo praebent, qui nihil ridiculi his verbis inesse volunt. Tamen in his magna nomina habes, Turnebos, Torrentios, Marellios, aliosque. Neque vero novum hoc est recentiorum acumen; sed et in codicum veterum marginibus haec legimus adscripta: „Quicquid dicam, aut erit, si dixerō fore; aut non, si dixerō non fore. Quicquid dicam futurum, erit; quicquid dicam non futurum, non erit.“ Atqui, o boni, nullis umquam fideulis hanc sententiam ex verbis auctoris extorquebitis. Nihil ex iis extundi potest, praeterquam hoc: quicquid dicam, aut eveniet, aut non eveniet. Itaque deridet Noster et tollit omnem divinationem, utpote Epicureus. Factum autem est, et Schema, ut Grammatici vocant, παρά προσδοκίαν, praeter expectationem, tanto apparatu nihil dicere: „O Laërtiade, quicquid dicam, aut erit, aut non: Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.“ Quale illud Plauti, sed multo minus lepdatum, in prologo Captivorum [v. 2]: „Nos quos videtis stare hic captivos duos, Illi qui astant, hi stant ambo, non sedent: Vos vos mihi testes estis me verum loqui.“ Contra, si ex illorum sententia verba enarrantur, nihil frigidius, aut proposito minus conducens excogitari potest. Porro in codice Reginensi et illo Regiae Societatis, non magnus mihi habetur, sed mihi magnus: unde suspicetur quis τὸ μῆτι, cum locum certum non sit nactum, spurium esse et ex glossa petitum: atque adeo legendum esse cum codice Collegii Trinitatis, etsi is notae sit non optimae, „Divinare etenim magnus DONAVIT Apollo.“ Certe iam olim divinationis munus permanens et perpetuum ei donaverat vel Phoebus, vel, ut alii, Minerva, vel, ut alii denique, Iuppiter: at si donat admittis, iam tum Phoebi numine afflatum et novo allapsu entheum intelliges.

76. Penelopem facilis potiori trade] Editiones quidem veteres Penelopem, idque nunc passim obtinet. At Lambinus Cruquiusque, ex codicibus, opinor, dederunt PENELOPAM: in annotationibus tacent. Nostri sane Reginensis et Franckeranus Latina terminatione Penelopam exhibent: eaque vera lectio est. Nempe in Carminibus, ubi Alcaeam et Sappho imitatur, graecissat magis; in Sermonibus, ubi Lucilium sequitur, Latinus est. Vide

- Perduci poterit tam frugi tamque pudica,
 Quam nequiere proci recto depellere cursu?
 Venit enim (indignum) donandi parca iuventus,
 80 Nec tantum veneris, quantum studiosa culinae.
 Sic tibi Penelopa frugi est: quae, si semel uno
 De sene gustarit tecum partita lucellum,

v. 79. Vulg. Venit enim magnum.

nos ad Epod. XVII. v. 17. Sic Epist. I. 2. v. 23. et 28. „Sirenum voces, et Circae pocula nosti.“ „Sponsi Penelopae, nebulones, Alcinoique.“ ut ibi habent codices meliores. Plautus Stichus I. 1. [v. 1] „Credo ego miseram fuisse Penelopam.“ Lucilius in VII. [XVII fr. 4 Dousa] apud Priscianum p. 864. „ad Penelopam conversus ait sic: Nupturam te nupta negas, quia vivere Ulixen Speras.“ Ausonius Epist. IX. [v. 14] „Qualem Penelopae nebulonum mensa procorum.“ Porro et versu mox 81, „Sic tibi Penelope frugi est.“ et Lambini Cruquique editiones, et nostri codices habent, inflexione Graeca. At eodem exemplo Penelopa ibi posuit Horatius, quo antea Penelopam. Syllaba autem sustentatur, cum caesurae virtute, tum ob duas, quae statim eam excipiunt, consonantes. Quod cum Librarii nescirent: mirum foret, ni verbum interpolavissent. Seneca Epist. LXXXVIII. [§ 8 Haase] „Quid quaeris, an Penelopa*) impudica fuerit, et verba suo saeculo dederit?“

79. Venit enim magnum donandi parca iuventus] Sic sane habent omnes, quos noverim, scripti editique. Et nimium quidem patienter hoc admittunt Interpretes, more suo, ubi nihil in codicibus variae lectionis est. Neque posthac, opinor, deerunt, alii qui excusabunt, alii qui defendent et admirabuntur. Equidem magnum donandi, si alio comitatu veniret, libens admitterem: ut Propert. II [I], 8. [v. 37] „Quamvis magna daret, quamvis maiora daturus.“ et Pers. Sat. V. v. 66. „quid quasi magnum, Nempe diem donas?“ At illud totum parca donandi magnum perinde est ac si dixeris, parcus largitalis, garrulitatis modicus, aliaque eiusmodi, quae ipsa secum pugnant, et mutuo se tollunt. Mihi quidem non vana, credo, suspicio est τὸ magnum in mendo cubare, et parca donandi absolute hic poni; ut apud Lampridium in Alexandro cap. XXXVII. [princ.], „Spectacula frequentavit cum summa DONANDI PARSIMONIA.“ Hoc semel posito fundamento, videamus siquid huc auxilii ex coniectura peti possit. Elegans sane et concinna, ac Tanaquillo Fabro iudice admirabilis est Simeonis Bosii emendatio, quam cum Lambino is communicavit, „Venit enim magno: donandi parca iuventus: Nec tantum Veneris, quantum studiosa culinae.“ Venit magno tua Penelope, hoc est, magno se emi postulat: illi vero parci et sordidi, ac ventri magis quam Veneri studentes: casta est itaque, quia nemo eam pretio suo praestinavit. Certe vel a dissentientibus laudem meretur haec egregii viri coniectura: mihi tamen, ut quod sentio dicam, ingeniosior videtur quam verior. Principio enim, nimium sane et perniciosum saltem nigro indulisit Noster, si pro Penelopa Thaidem quandam aut Baechidem nobis depinxit. Non omnia vel ipsi Satirae licent. Haetenus quidem fas erat, Castam eam nunc esse, adeo tamen ut ingentibus muneribus expugnari tandem possit eius pudicitia: hoc scilicet mulieris est: at illud venire et, licet quamplurimo, venalem se habere, meretricis est plane, et quidem procaecis. Hoc igitur vult Tiresias, perduci demum posse Penelopam, si donis usque et usque cumuletur: ut ultro se venalem prostituere, atque adeo quaestum meretricium sponte occipere, quis ea calumniantem

*) [v. codices]

Ut canis a corio numquam absterrebitur uncto.

Me sene quod dicam factum est. anus improba Thebis

85 Ex testamento sic est elata: cadaver

Unctum oleo largo nudis humeris tulit heres:

ferat? Illud quoque in hac coniectura displicet, quod verba ea, *Donandi parca iuventus*, absolute iam posita, non procos illos nebulones qui ad Penelopam accesserant, sed omnem omnino iuventutem significare debent. Ergo hoc nunc dicit, *Omnes iuvenes donandi parcos esse, et culinæ quam Veneris studiosiores*: quorum utrumque falsissimum esse Comoedia omnis clamat. Noster ipse in caractere Iuvenis, Art. Poët. v. 164. „*Utilium tardus provisor, prodigus aeris. Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.*“ Aristoteles Rhetor. II, 12. [§ 3] *Οἱ μὲν οὖν νέοι, τὰ ἤθη εἰσὶν ἐπιθυμητικοί, καὶ τῶν περὶ τὸ σῶμα ἐπιθυμιῶν, μέγιστα ἀκολοῦθητικοί εἰσι τοῖς (lege τῆ) περὶ τὰ ἀφροδίσια, καὶ ἀκαταίτητος.* Iuvenes, ait, *rebus Veneris maxime sunt dediti, et in iis intemperantes.* Denique et illud venit, a *Venio*, aptissimum huic loco vocabulum, non pati possum, ut ad alteram significationem detorqueatur. *Venerunt*, ait, *proci*; ut Terentius, *amans accessit*, Andria I, 1. [v. 49] „*Seil postquam amans accessit, pretium pollicens.*“ Sic *commear* ad mulierem idem Heaut. III, 1. v. 35. „*Primum olim potius quam paterere filium Commear* ad mulierculam, *quae paululo Tum erat contenta.*“ ubi versum claudicantem, qui tot viros doctissimos frustra exercitos habuit, sic levi manu obiter sanare, erit parvae opellae pretium: lego enim, „*Commétare ad mulierculam, quae paululo.*“ *Comméto* est verbum frequentativum a *commeo*: *comméto*, *comméto*, ut iacto iactito, dicto dictito et similia, et deinde per crasin *comméto*. Plautus Captivus I, 2. v. 82. „*Nam meus scruposam victus commetat viam.*“ Ita codex vetustissimus Camerarii cum aliis Latinis apud Paraeum. Vulgo *commeat* (ut hic apud Terentium) perperam; raro enim aut nusquam in sede quinta Iambum pedem usurpant Comici Latini. Nennius Marcellus [p. 89, 30 Merc.]: „*COMMETARE, commear: Afranius Virgine: Quo tu commétras? ubi confixus desides? Novius Bubulco cordone: Quom ad lupam nostram tam multi crebro commétran lupi.*“ Sed haec pluribus, si maioribus negotiis otium erit, ad ipsum Terentium: illud inhaedvertas velim, loca illa Afranii et Novii apposite ad Horatium facere: ibi enim *commelant* ad mulierem amatores, plane et apud Nostrum *veniant*. Quid ergo? Quamquam periculosa alea est post Bosii emendationem quicquam tentare; vide annon haec nostra iure non reformidet se illi comparari: „*Venit enim (INDIGNUM) donandi parca iuventus, Nec tantum Veneris, quantum studiosa culinæ.*“ Tiresias scilicet male salsus haec loquitur, quasi et Penelopae et Ulixei vicem indignabundus: Quid tu mihi *frugi et pudicam* narras? quippe *venerunt* ad eam nescio qui nebulones et ventres meri, culinæ magis nidore quam amoris aura conceitati, qui nesciunt donare et profundere, ut veri amatores solent: facinus hercle *indignum*: nam si alii venissent, ad largiendum alacres et potentes; iam absens ex uxoris quaestu dives factus esses, et rem tuam constabilivisses; hi contra, tantum abest ut donent, ut ipsi asymboli tua comedant: quid mirum autem, si inter tales pudica est? Sed bono esto animo: tu domum redux locupletes et scortatores senes conquire; quorum unum insecutum si semel uxor emunererit, nunquam postea illius praedae obliviscetur. Haec quidem sententia totius Sermonis illo videtur aptissima: verbum autem ita appositum, ut nihil magis. Sic Noster Epist. I, 6. v. 22. „*Ne plus frumenti dotalibus emetat agris Mutus, et (INDIGNUM) qui sit peioribus ortus, Hic tibi sit potius, quam tu mirabilis illi.*“ Ovidius Amorum I, 6. [v. 1] „*Ianitor (INDIGNUM) dura religate catena, Difficilem moto cardine pande forem.*“ et Metam. V. v. 37. „*Pectora rupisset: nisi post altaria Phineus Isset:*

Scilicet, elabi si posset mortua; credo,

Quod nimium institerat viventi. cautus adito:

Neu desis operae, neve immoderatus abundes.

90 Difficilem et morosum offendes garrulus ultro.

Non etiam sileas. Davus sis comicus; atque

Stes capite obstipo, multum similis metuenti.

Obsequio grassare: mone, si increbruit aura,

Cautus uti velet carum caput: extrahe turba

95 Oppositis humeris: aurem substringe loquaci.

Inportunus amat laudari? donec Ohe iam!

Ad caelum manibus sublatis dixerit, urgue; et

Crecentem tumidis infla sermonibus utrem.

Cum te servitio longo curaque levarit;

100 Et certum vigilans, Quartae esto partis Ulixes,

Audieris, heres: Ergo nunc Dama sodalis

Nusquam est? unde mihi tam fortem, tamque fidelem?

v. 90. Vulg. *Offendet.* 100. *Quartae sit.*

et (INDIGNUM) scelerato profuit ara.“ Iam autem, quam prope abscedat a vulgata scriptura, quid attinet dicere? *in et m* in codicibus eandem speciem habent; *di et a* non valde dissimilem. Certe qui emendationem hanc respiciunt, id vel invita fatebuntur; si Horatius, ut nos quidem credimus, *indignum* scripserat, vix tamen in hac sententia evenire aliter potuisse, quam ut Librarii *magnam* substituerent. Quare aut hoc nobiscum utantur, aut ipsi aliquid rectius de suo impertiant. Nam qui pro recepta lectione contendere et depugnare parati erunt, nihil interea novi in medium proferentes, tales equidem nihil morabor.

90. *Difficilem et morosum offendet garrulus ultro*] Ita omnes ubique, nisi quod Leidensis habeat *offendit*. Mendosus tamen est locus, et non multo labore sic restituendus: „*cautus adito: Neu desis operae, neve immoderatus abundes: Difficilem et morosum offendes garrulus ultro: Non etiam sileas: Davus sis comicus.*“ Caceus sit oportet, qui emendationem hanc non agnoscat: nam ni ita sit, videbit et advertet omnia haec secunda persona offerri. More autem suo tertiam hic supposuerunt Librarii, quia *garrulus* eam flagitare videbatur. Ita alibi Epod. X, 22. *praeda iuverit* dederunt, pro *iuveris*; et Serm. II, 3. v. 133. *Occidit Orestes, pro occidis*. Offendes autem *garrulus*, hoc est, si garrulus fueris; locutione huic Nostro valde familiari.

100. *Quartae sit partis Ulixes*] Lege ex nostris, Magdalenensi et Colbertino, et Lambini quibusdam: „*Et certum vigilans, Quartae esto partis Ulixes, Audieris, heres.*“ Imitatus est scilicet Testamentorum formulam: Seneca Controv. XV. [§ 6, p. 175, 17 Barb.] „*Sola mihi heres esto.*“ — [§ 7, p. 175, 22] „*Omnia pecuniae meae sola heres esto.*“ — [§ 9, p. 176, 19] „*Uxor mea heres esto.*“ Iustin. Instit. II, 13 [§ 1]. 14 [§ 9], 15 [pr.], 16 [pr.]. „*Tibius filius meus exheres esto.*“ — „*Quicumque mihi filius genitus fuerit, exheres esto.*“ — „*Usque ad calendas illas heres esto.*“ Digest. L, 16, 142. „*Titius et Maevius ex parte dimidia heredes sunt.*“ — „*Sempronius ex parte dimidia heres esto.*“ Et alibi saepe. Porro *certum vigilans* quid sibi velit, non aliunde melius sciveris quam ex contraria locutione *incertum vigilans*. Ovidius Epist. Ariadnae [Her. 10 v. 9]: „*Incertum vigilans, a somno languida, novi Thesae praesuras semisupina manus.*“ Statius Theb. V. v. 212. „*Turbidus, incertumque oculis vigilantibus, hostem Occupat.*“

Sparge subinde: et, si paullum potes inlaerimare, est
Gaudia prodentem vultum celare. sepulcrum

104. *Gaudia prodentem vultum celare*] Locus sane scaber et morosus; etsi Interpretes secure illum praetervolent: „*Sparge subinde: et si paullum potes, illacrimare. Est Gaudia prodentem vultum celare.*“ Ita nunc vulgo distinguunt, ut *illacrimare* sit modi imperativi ab *illacrimor*, tum autem *Est* valebit licet, ἔξεστι, δευατόν ἐστι. Quidni autem *possibite est vultum celare?* dubiumne id cuiquam est? putida quidem sententia et Horatio indigna. Quare aliae editiones sic interpungunt, „*et, si paullum potes, illacrimare, est Gaudia prodentem vultum celare.*“ ut ordo sit, Et illacrimare, si paullum potes, est celare vultum prodentem gaudia. Ita *illacrimo* usurparunt Livius, Virgilius, Valerius Flaccus aliique. Melius profecto hoc quam alterum. Pictis enim lacrimis commodissime celantur inclusa mentis gaudia. Lucanus IX, 1040. de Caesare loquens, Pompeii caput abscisum spectante, „*lacrimas non sponte cadentes Effudit, gemitusque expressit pectore laeto: Non aliter manifesta putans abscondere mentis Gaudia, quam lacrimis.*“ Tamen, vel hac sententia, sic potius scripserim, nitidius paullo et clarius; „*Sparge subinde: et sic paullum potes illacrimare, et Gaudia prodentem vultum celare.*“ Sed quid illud demum est, *celare vultum gaudia prodentem?* haec videntur ἀόρατα et secum pugnancia. Quippe si vultus *celatur*, quomodo *prodit*? Vultus quidem saepe *prodit* secretos animi affectus; ut Seneca Hippol. 362. „*et inclusus quoque, Quamvis legatur, proditur vultu furor.*“ Lucanus III, 356. „*cum turbato iam prodita vultu Ira ducis, tandem testata est voce dolorem.*“ Silius Italicus VI, 384. „*Servabam vultus ducis, et prodentia sensum Lumina, et obtutu perstabam intentus eodem.*“ Auctor Consolationis ad Liviam, v. 87. „*Fidimus attonitum fraterna morte Neronem Squallida promissa flere per ora coma, Dissimilemque sui vultu profitente dolorem. Hei mihi, quam toto luctus in ore fuit!*“ Ubi Heinsius ὁ νὰν malit *profitente colore* vel *prodente colore*. Quid enim est *dolor dissimilis sui?* laetus, credo. quid potest absurdius? Neque enim quicquam nos adiuvat vir ingeniosus et celebris, sub ficto Goralli nomine editionis nuperae auctor; qui, quamvis fatetur *vultum* hic *dissimilem sui* dici debuisse, non *dolorem*, tamen hoc per *Metathesin* excusari posse credit. Placetne vero? ergo omnis opera, recensendis libris impensa, frustra et incassum erit. Quidvis enim et quantumvis ineptum sic poterit defendi: *omnia protinus alba erunt, et favente modo Figuræ alicuius numine, Scire licet gigni posse et non sensibus sensus.* Quin nihil hic opus est aut huius excusatione, aut illius correctione. Quippe *dissimilem sui* neque ad *dolorem*, nec ad *colorem* refertur, verum ad Neronem: *vidimus*, inquit, *Neronem attonitum fraterna morte, Dissimilemque sui; vultu profitente dolorem.*“ Sic verba distingue. Ovidius Metam. XI, 273. „*Lucifero genitore satius, patriamque nitorem Ore ferens Coyx; illo qui tempore maestas Dissimilisque sui, fratrem lugebat adentum.*“ Nimirum alter alterutrum hic compilavit; adeo gemina sunt loca. Porro *profitente* hic lege, non cum Heinsio *prodente*. Nevo enim non *invitus* prodebat dolorem, sed *volens* profitebatur. Sed, his missis, qui fiat, ut iam dixi, ut et vultus *prodat* affectus, et tamen *celatur*, nullus equidem video. Mutila, ut videtur, oratio est, et ita suppleri debet; *Celare vultum*, alioqui *prodentem gaudia*. Sed quo iure, quæ venia, vox sententiæ tam necessaria desiderari et subintelligi potest? Quin et illud *celare vultum* vix video intelligere. Non enim iubet pallio vultum obtegere et velare. Vultus itaque non *celatur* nisi alio vultu simulato: sed et sic, non *celatur*, sed *mutatur*: ut Noster Serm. II, 8. v. 84. „*Nasidiane, redis mutatae frontis,*“ et Terentius Hee. III, 3. v. 9. „*Sed continuo vultum earum sensi immutari omnium.*“ Equidem *vultu celare, tegere, abscondere* aliquid, saepe meminî legere; ipsam *vultum celare* hæc

105 Permissum arbitrio, sine sordibus extrue. funus
Egregie factum laudet vicinia. si quis
Forte coheredum senior male tussiet; huic tu
Dic, ex parte tua seu fundi, sive domus sit
Emtor, gaudentem nummo te addicere. sed me
110 Imperiosa trahit Proserpina. vive, valeque.

ECLOGA VI.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, et tecto vicinus iugis aquae fons,

quidem sententia nunquam. Quare vide, annon melius forte hic quadret illa scriptura, quam ὁ χαλκίεντερος et infinitae vir lectionis Barthius ex veterimo, ut ait, codice depromit, Advers. XXVII, 1. quamque ille tanti facit, ut *prosus lectu inserendam putet*: „*et, si paullum potes, illacrimare, est Gaudia prodentem vultu celare.*“ *Prudentem est officium, ut illud Livii, XI, 11, 62. [§ 4] „Modum imponere secundis rebus, nec nimis credere serenitati praesentis fortunæ, prudentis hominis et merito felicitis est.*“ Vultu autem celare, ut Apuleius Metam. VIII, [p. 203, 24 Elm. = p. 520 Oud.] „*Vultu tamen gaudium tegit, et frontem asseverat, et dolorem simulat.*“ Contra, Ovid. Art. Amat. I, 678. „*Ut simulet vultu gaudia, tristis vult.*“ Cicero pro Sextio c. 10. [c. 9 § 22] „*Animus eius vultu, flagitia parietibus tegebantur.*“ Idem in Verrem I, 8. [§ 21] „*Cupiebam animi dolorem vultu tegere, et taciturnitate celare.*“ Lucan. IX, 1106. „*abscondunt gemitus et pectora læta Fronte tegunt.*“ Nemesianus Ecloga IV, [v. 17] „*Quid vultu mentem premis, et spem fronte serenat?*“ Virgil. Aen. IV, 477. „*Consilium vultu tegit, et spem fronte serenat.*“ Ergo ad hanc faciendam quidem codex Barthianus, *vultu gaudia celare*: totum tamen illud, *Prudentem est celare gaudia vultu*, nescio qui minus placet. Neque enim convenit, Tiresiam, qui per totam hanc Satiram seurræ personam sustinet, iam *sententias loqui*; praesertim hanc, quæ tantum abest ut in universum vere dicatur, ut plerumque falsa sit. Raro enim *prudentibus* usu venit, ut *gaudia vultu celare*; saepe contra, ut aperte *profiteri*; saepius ut *simulare* debeant: utpote quibus plura secundis adversa soleant contingere. Aeneas itaque viri *prudentis* officio fungitur, cum [Aen. I, 209] „*Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.*“ Quid multa? Neque hæc Barthii lectio, neque illa vulgata placet: alios libros excutiant, quibus copia est, et qui de Horatio bene mereri student. Simplicius quidem, me iudice, clariusque sic scribere potuisset, „*Sparge subinde: et sic paullum potes illacrimare, et Gaudia prudenter vultu celare.*“

106. *Funus Egregie factum laudet vicinia*] Ita omnes, quos noverim, codices: sed Nic. Heinsius in margine sui libri, *Legit, ait, LAUDENT.* Nempe quia *vicinia* est nomen collectivum, ideo numero singulari verbum plurale subiungi voluit. Amavit sane vir summus hanc figuram, quam Synthesin vel Syllepsin vocant; eamque fero omnibus in locis inculcat, quæ iure, quæ iniuria. Vide ipsam ad Ovidii Fast. III, 189. Metamorph. II, 688. Remed. Amor. 164. At Noster singularem numeram praetulit, tam hic, quam alibi: Epist. I, 17. v. 62. „*Quaere peregrinum, vicinia rauca reclamat.*“ et Epist. I, 16. v. 44. „*Sed videt hunc omnis domus et vicinia sola.*“ ubi non codices tantum, sed et metri ratio lectionem certam facit. Persius IV, 45. [46] „*egregium cum me vicinia dicat.*“ Ita praeter editos habent tria scripta, quibus usus sum, exemplaria. Idem Heinsius post duos nominativos, quorum prior est singularis, verbum tamen plurale ubique

*) [lego esse]

- Et paullum silvae super his foret. auctius atque
 Di melius fecere. bene est. nil amplius oro.
 5 Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.
 Si neque maiorem feci ratione mala rem,
 Nec sum facturus vitio culpave minorem:
 Si veneror stultus nihil horum, O si angulus ille
 Proximus accedat. qui nunc denormat agellum!
 10 O si urnam argenti fors quae mihi monstret! ut illi,
 Thesauro invento qui mercenarius agrum
 Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
 Hercule: si, quod adest, gratum iuvat: hae prece te oro,
 Pingue pecus domino facias, et cetera praeter
 15 Ingenium; utque soles, custos mihi maximus adsis.
 Ergo ubi me in montis et in arcem ex Urbe removi,
 Quid prius inlustrem Satiris Musa que pedestri?
 Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auster,
 Autumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.
 20 Matutine pater, seu Iane libentius audis,
 Unde homines operum primos vitaeque labores

v. 4. Vulg. *Nihil*. 10. Fors *qua*.

ingerit, contra plurium et meliorum codicum fidem; ut Fast. IV, 104. et 156. „*Quem toti saltus, quem nemus omne tremunt.*“ „*Et forma, et mores, et bona fama manent.*“ Sic ille ex unico dedit codice, eoque non uideo vetusto: cum ceteri magno numero *tremunt et manent* habeant, idque meis auribus gratius. Certe aliter in Virgilio suo reperit, Aen. V, 343. „*Tutatur favor Euryatum, lacrimaeque decorae.*“ Horatius vero nusquam plurali usus est in simili locutione, sed semper singulari, ut docuit ad Carm. I, 24. v. 8. et alibi.

4. *Nihil amplius oro*] Scribe ex plus decem nostris codicibus, NIL amplius oro: et sic quinque Pulmanni.

10. *O si urnam argenti fors qua mihi monstret*] Ita libri post Aldum exenti; quae, id est, *si qua ratione*: unde dormitantibus hic interpretibus, etiamnum circumfertur. At praesae editiones tres, et Pulmanni Bersmannique plures, omnes denique a nobis visi codices: „*O si urnam argenti fors quae mihi monstret*“: praeterquam quod Reginus habet *quam*: „*O si quam urnam argenti fors mihi monstret.*“ Sed placet *Quae*, quod plurium auctoritate favebitur. *O si quae fors urnam argenti mihi monstret.* *Siquae fors*, ut alibi *siquis casus*. Serm. II, 5. v. 49. „*siquis casus puerum egerit orco.*“ Terentius Heeyra III, 3. v. 26. „*Quaeque fors fortuna est, inquit, nobis quae te hodie obtulit.*“ Virgilius Aen. II, 94. „*et me, fors siqua tulisset, Promisi ultorem.*“ et VII, 559. „*Cedo locis, ego, siqua super fortuna laborum est.*“ IX, 41. „*siqua interea fortuna fuisset.*“ et 214. „*siqua id fortuna vetabit.*“ XI, 128. „*Et te siqua viam dederit fortuna.*“ ad quae exempla, forte et illud X, 458. „*Ire prior Pallas; si qua fors adiuvet ausum Viribus imparibus*“: sic refigendum erit, „*siquae fors adiuvet ausum*“: ut Terentius Prologo Heautont. [v. 44] „*Siquae laboriosa est, ad me curritur.*“ Nam et hic, praeter vetustissimum Bembinum, ceteri omnes codices *siqua* habent, licet versu ipso repugnante. Sic et apud Ciceronem multis locis *siquae*, nequaquam in membranis veteribus extant, ubi hodie *siqua* et *nequa* circumferuntur. Vide Franciscum Fabricium ad Cic. Offic. II, 21.

- Instituunt (sic Dis placitum) tu carminis esto
 Principium: Romae *) sponsorem me rapis: Eia,
 Ne prior officio quisquam respondeat, urgue:
 25 Sive Aquilo radit terras, seu bruma nivalem
 Interiore diem gyro trahit, ire necesse est.
 Postmodo, quod mihi obsit, clare certumque locuto,
 Luctandum in turba, et facienda iniuria tardis.
 Quid tibi vis, insane, et quam rem agis? improbus arguet
 30 Iratis precibus. tu pulses omne quod obstat.
 v. 28. Vulg. Turba, fac. 29. Quid vis, insane, et quas res agis.

28. *Luctandum in turba; facienda*] Scribe ex Bersmanni Pulmannique codicibus, nostrisque ad unum omnibus, et tribus editionibus vetustis; „*Luctandum in turba, ut facienda iniuria tardis.*“ Piget sane tam minuta memorare: sed quid facies? Iam pensi semel suscepti ratio exigit, ut vel parva menda cum magnis simili falee recidantur.

29. *Quid vis insane, et quas res agis*] In nostris omnibus membranis, (adde si vis, et aliorum, etsi ipsi taceant) versus hic sic ultra mensuram excurrit: „*Quid tibi vis insane, et quas res agis? improbus urget*“: Unde pro vario correctorum capto variis modis interpolatus est. Tres praesae editiones sic dederunt, *to agis* eiecit. „*Quid tibi vis, insane, et quas res? improbus urget.*“ At editi post Aldum retinuerunt *to agis*, et tibi potius excluserunt, „*Quid vis, insane, et quas res agis? improbus urget.*“ eaque iam lectio pro interpretum patientiam impune circumfertur. Tu vero, si me audies, sic posthac locum refinges: „*Quid tibi vis, insane, et quam rem agis? improbus urget.*“ *Quid tibi vis* passim apud Comicos occurrit: et *to tibi* nullo pacto hinc potest abesse; praesertim ubi *insane* ei adhaeret. Cicero de Oratore, II, 67. [§ 269] „*Quid tibi vis, inquit, insane? tanta est malorum multitudo circum, ut paucis annis ad maximas pecunias sis venturus.*“ Propertius, I, 5. v. 3. „*Quid tibi vis, insane? meos sentire favores?*“ Persius V, v. 143. „*quo deinde, insane, ruis? quo? Quid tibi vis?*“ Illud vero *quam rem agis*, noli dubitare, quia ab Horatii manu fuerit: quod corruerunt, credo, illi, quibus durior esse visa est syllabae elisio. Atqui eodem modo cliditur Sermone II, 7. v. 67. „*Committes rem omnem et vitam, et cum corpore famam.*“ Neque aliter Poetae Comici; ut Terentius Adelphi, III, 2. v. 45. „*Non faciam. Quid agis? Proferam.*“ Item, *mea Sostрата, vide quam rem agas.*“ Heautont. I, 1. v. 37. „*rastris interea tamen Appone; ne labora. Minime. Quam rem agis?*“ et IV, 4. v. 18. „*Eo traducenda est. Quam rem agis, scelus? Egon? arguentum eudo.*“ et V, 1. v. 69. „*Me mea omnia bona doli dixisse illi. Quam rem agis?*“ Plautus Menacech. I, 2. v. 6. „*Quo ego eam, quam rem agam, quid negotii geram.*“ Plura sunt in promptu exempla: sed haec satis: unde de tribus Torrentii codicibus iudicium ferre possis; qui sic habebant: „*Quid tibi vis? quas res agis, insane? improbus urget.*“ Profecto, si haec eorum lectio erat, et non ipsius potius hominis emendatio: multo omnium pessimi erant et contaminatissimi.

30. *Improbus urget Iratis precibus*] Daniel Heinsius, „*Omnino, ait, scribendum est, Improbus urget, Iratus, precibus*“: infeliciter sane, neque pro cetera ingenii et eruditionis fama. Nihil eius correctione deterius, nihil recepta lectione elegantius. Sic Tacitus, *proces contumaces*, Annal. II, 57. „*Responsum a Pisono precibus contumacibus; discesseruntque apertis odiis.*“ *Iratis* autem figurate dictum: ut Martialis [XI, 85, 15] *iracundis unguibus*, Iuvenalis [13, 93] *irato sistro*, Propertius [III (IV), 25, 10] *iratu manu* [IV (V), 9, 62], *iratum sitim*; et alii alia.

*) [Romae et in marg., *Vulg. Romae* et 1711; Romae reposuit Bentl. proef.]

Ad Maecenatem memori si mente recurras.
 Hoc iuvat, et melli est; non mentiar. at simul atras
 Ventum est Esquilias; aliena negotia centum
 Per caput et circa saliunt latus. Ante secundam
 35 Roscius orabat sibi adesses ad Puteal eras.
 De re communi scribae magna atque nova te
 Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti.
 Inprimat his cura Maecenas signa tabellis.
 Dixeris, Experiar: Si vis, potes, addit, et instat.
 40 Septimus octavo propior iam fugerit annus,
 Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
 In numero: dumtaxat ad hoc, quem tollere rheda
 Vellet, iter faciens; et cui concedere nugas
 Hoc genus, Hora quota est? Threx est Gallina Syro par:
 45 Matutina parum cautos iam frigora mordent:
 Et quae rimosa bene deponuntur in aure.
 Per totum hoc tempus, subiectior in diem et horam
 Invidiae noster. ludos spectaverit una:
 Luserit in campo: Fortunae filius, omnes.
 50 Frigidus a Rostris manat per compita rumor:

v. 48. Vulg. *Spectaverat*. 49. *Luserat*.

32. *Hoc iuvat, et melli est; non mentiar*] Magdalenensis, Colbertinus, Lambethanus, cum uno Bersmanni, NON MENTIOR. Sic Appuleius in Apologia [p. 322, 28 Elm. = p. 355 Oud.]: „Reliquit Rufino huic (non mentior) HS XXX decorandum.“ Plautus Menaech. V, 7. v. 37. „*Merum tuum non esse. Non tacos? Non mentior.*“ Sed codex Petrensis paullo rectius, *NE MENTIAR*. Cicero Epist. ad Famil. III. 4. [extr.] „*Quod scribis, tibi manendi causam eum fuisse, ut me convenires; id mihi, ne mentiar, gratum est.*“ Plautus Prologo Casinae [v. 38]: „*Est servus eii quidam, qui in morbo cubat; Immo hercle vero in lecto,*“ ne quid mentiar.“ Terent. Adolph. III. 3. [v. 21] „*Quid agatur? vestram nequeo mirari satis. Rationem. Est hercle inepta, ne dicam dolo.*“ Placet tamen recepta lectio, NON MENTIAR. Plautus Menaech. II, 1. [v. 3] „*Nulla est voluptas navitis, Messenio, Maior, meo animo; quam quom ex alto procul Terram conspiciunt. Maior, non dicam dolo, Si adveniens terram videas, quae fuerit tua.*“

48. *Noster ludos spectaverat una, Luserat*] Locum haecenus male acceptum sic lego et distinguo: „*Per totum hoc tempus subiectior in diem et horam Invidiae noster, ludos spectaverit una: LUSERIT in campo: Fortunae filius, omnes.*“ Ubi primo, *subiectior invidiae*, ut Iuvenalis X, 56. „*Quosdam praecipitat subiecta potentia magnae Invidiae.*“ Deinde *noster ad subiectior referendum*; alioquin ambiguum foret, utrum se an (quod ineptum est) Maecenatem dicat invidiae obnoxium. Eleganter autem *noster* cum verbo tertiae personae perinde est ac *ego*. *Ego*, inquit, *per totum hoc tempus subiectior sum invidiae: si ludos una cum Maecenate spectavero, si in Campo Martio una lusero; omnes illico qui adstant, Fortunae filius, secum aiunt taciti.*“ Plautus Rudente IV, 7. v. 19. „*Egone, ut quod ad me adlatum esse alienum sciam, Codem? minime istuc faciet noster Daemones.*“ At ibi Daemones ipse loquitur, ut hic ipse Horatius: ergo *noster faciet* est idem plane quod *ego faciam*. Idem Epidico I, 2. v. 41. „*Facile tu istuc, sine periculo et cura, corde libero, Fabulare:*

Quienique obvius est, me consulit; O bone, (nam te
 Scire, Deos quoniam propius contingis, oportet)
 Numquid de Dacis audisti? Nil equidem. Ut tu
 Semper eris derisor! At omnes Di exagitent me,
 55 Si quiequam. Quid? militibus promissa Triquetra
 Praedia Caesar, an est Itala tellure daturus?
 Iurantem me scire nihil miratur, ut unum
 Scilicet egregii mortalem atque silenti.
 Perditur haec inter misero lux; non sine votis,
 60 O rus, quando ego te aspiciam? quandoque licebit,
 Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis,
 Ducere sollicitae iocunda obliviae vitae?
 O quando faba Pythagorae cognata, simulque
 Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo?
 65 O noctes, cenaeque Deum! quibus ipse meique
 Ante Larem proprium vescor, vernasque procaecis
 Paseo libatis dapibus: cum, ut cuique libido est,
 Siccat inaequalis calices conviva, solutus

v. 57. Vulg. *Mirantur*. 67. *Prout*.

novi ego nostros; *michi dolet, cum ego vapulo.*“ ubi *nostros* recte, opinor, interpretantur *nos*: nisi potius emendandum sit, *Novi ego nostrum*, id est, *me*: ut in simili fere periculo Antipho ait apud Terent. Phorm. I, 4. [v. 39] „*Egomet me novi et peccatum meum.*“ Ceterum pro *spectaverat, luserat*, quae in vulgatis hactenus obtinuerunt, reposuimus ex Galeano nostro, Lambethano, et Collegii Trinitatis codice, *SPECTAVERIT*; et ex postremo eorum, *LUSERIT*. *Ludos spectaverit una*, hoc est, *Si spectaverit*; ut supra v. 39. „*Dixeris, experiar,*“ pro *si dixeris*: et Serm. sequente, v. 32. „*luserit ad se Maecenas,*“ pro *si luserit*. I, 3. v. 15. „*decies centena dedisses Huic parco,*“ pro *si dedisses*. Persius Sat. V. in fine [v. 189]: „*Dixeris haec inter varicosos centuriones.*“ Virgil. Aen. VI. v. 31. „*tu quoque magnam Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.*“ Omnia, opinor, iam plana sunt et extra aeam constituta. Aliorum hic explicationes in tenebris espitantium parco exagitare: tute iam facile per te videris, ut omnes in nervum denique erumpant.

57. *Mirantur ut unum Scilicet*] Praecesserat, *Quicumque obvius est, me convenit*: nunc sequitur numero mutato, *Mirantur*: quod etsi multis aliorum exemplis defendi potest, placet tamen magis Batteliani codicis lectio, *MIRATUR*. Quippe *convenit* supra dixerat: non, ut potuit, *conveniunt*. Et nescio quomodo singulari numero delectatur Horatius, ut saepe diximus, et praesertim ad Carm. I, 24. v. 8.

61. *Uncta satis pingui lardo*] *Pingue lardum* dixit Plinius [N. H. XXVIII § 174], et *pinguia larda* Ovidius [Fast. VI, 169]. Sed non satis placet illud *satis pingui*: quod ignavum hic et versusi dumtaxat sustentando natum videtur. An legendum *Focis? Faba et oluscula et lardum ponentur focis*. Iuvenalis XI, 79. „*Curius, parvo quae legerat horto, Ipse focis brevibus ponebat oluscula.*“ Alioqui *ponentur* hic de mensa accipie; ut Martial. V, 80. [v. 6] „*Ponentur digitis tenendus unctis Nigra coliculus virens patella,* — *Et pallens faba cum rubente lardo.*“ Ceterum Nostrum imitatione, ut solet, Serenus Sammonicus e. XL. [c. XXXIX: v. 741] de Faba loquens; „*Pythagorae cognata levi condita cumino Proderit, et madda fermentum polline turgens.*“

67. *Prout cuique libido est*] Illud *Prout* sententiae quidem satis

- Legibus insanis: seu quis capit acria fortis
 70 Pœcula; seu modicis uvescit lactius. ergo
 Sermo oritur, non de villis domibusve alienis,
 Nec male necne Lepos saltet: sed quod magis ad nos
 Pertinet, et nescire malum est, agitamur; utrumne
 Divitiis homines, an sint virtute beati:
 75 Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos:
 Et quae sit natura boni, summumque quid eius.
 Cervius haec inter vicinus garrit anilis
 Ex re fabellas. si quis nam laudat Arelli
 Sollicitas ignarus opes; sic incipit: Olim
 80 Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
 Acepisse cavo, veterem vetus hospes amicum;
 Asper, et attentus quaesitis; ut tamen artum
 Solveret hospitii animum. quid multa? neque ille
 Sepositi ciceris, nec longae invidit avenae:
 85 Aridum et ore ferens acinum, semesaque lardi
 Frustra dedit, cupiens varia fastidia cena

v. 78. Vulg. *Nam si quis.* 83. *Illi.*

convenit; sed durioris est soni, cum in unam syllabam coalescit; ut vel hebetes, credo, aures offendat. Certe in nullo poeta, ne in Comico quidem, hoc verbum legisse memini. Quamobrem libens hic accipio Colbertini codicis lectionem. „*Pasco libatis dapibus: cum, ut cuique libido est, siccat inaequales calices conviva.*“ Quin et in optimo Reginensi nro est a manu secunda, post manifestam rasuram: quod vero erasum nunc est, cum fuisse videtur. Continuat autem orationis filium, *O cenae deum; cum conviva, ut cuique libido est, siccat calices.*

78. *Nam si quis laudat Arelli*] Sic editiones priscae: unde dissimulata ab Interpretibus lectionis varietate, perpetuum obtinuit. At enim, quod in suis invenit Bersmannus, ego etiam reperi in Leidensi, Reginensi, Batteliano, Petrensi, Magdalenensi, Regio, Regiae Societatis, aliisque. si quis NAM LAUDAT: duo soli eique omnium recentissimi habent *Nam si quis.* Egregii scilicet correctores conjunctionem illam non nisi primo loco stare posse crediderunt. Atqui et secundum interdum locum sortita est, ut Sat. II, 3. v. 20. „*Olim nam quaerere amabam.*“ v. 41. „*Primum nam inquiram.*“ v. 302. „*Ego nam videor mihi sanus.*“ Epist. II, 1. v. 186. „*His nam plebecula gaudet.*“ et alibi. Ergo et hic in secunda sede est collocanda; sic enim lenior fuit versus: et nunquam tam rarum hoc dedissent Librarii, nisi de manu auctoris accepissent.

83. *Neque illi Sepositi ciceris*] Lectio haec Lambino debetur, quam posteriores nimis temere secuti sunt. At veteres Editiones, plures Pulmanni et Torrentii Bersmannique codices, nostri autem, quot manibus propriis versare licuit, duodecim, ILLE habent, non *illi.* Rectius sane, siquid iudicio; „*Asper et attentus quaesitis; ut tamen artum Solveret hospitii animum. quid multa? neque ille Sepositi ciceris, nec longae invidit avenae.*“ Ille rusticus scilicet, cuius ingenium iam narraverat. Sic Serm. II, 3. v. 204. „*quid enim Aiax Fecit, cum stravit ferro pecus? abstinuit vim Uore et gnato, mala malla precatus Atridis: Non ille aut Teucrum, aut ipsum violavit Uliem.*“ Et Carm. IV, 9. 51. „*qui deorum Muneribus sapienter uti, Duramque callat pauperiem pati, Peiusque leto flagitium timet: Non ille pro caris amicis Aut patria timidus perire.*“ Peculiarem haec cle-

- Vincere tangentis male singula dente superbo:
 Cum pater ipse domus palea porrectus in horna
 Esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.
 90 Tandem urbanus ad hunc, Quid te iuvat, inquit, amice,
 Praerupti memoris patientem vivere dorso?
 Vis tu homines urbemque feris praepone silvis?
 Carpe viam (mihî crede) comes: terrestria quando
 Mortalis animas vivunt sortita, neque ulla est
 95 Aut magno aut parvo leti fuga. quo, bone, circa,
 Dum licet, in rebus iocundis vive beatus:
 Vive memor, quam sis aevi brevis. Haec ubi dicta
 Agrestem pepulere; domo levis exsilit: inde
 Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
 100 Moenia nocturni subrepere. iamque tenebat
 Nox medium caeli spatium; cum ponit uterque
 In locuplete domo vestigia: rubro ubi cocco
 Tineta super lectos canderet vestis eburnos;
 Multaque de magna superessent fereula cena,
 105 Quae procul exstructis inerant hesternae canistris.
 Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
 Agrestem; veluti succinctus cursitat hospes,
 Continuatque dapes: necnon verniliter ipsis

v. 92. Vulg. *Fin' tu.* 108. *Vernaliter.*

gantiam habent; qualem tamen assequi et intelligere paucis concessum est. Ergo siquis adhuc a Lambini partibus stabit, suo iudicio per me fruatur. Frustra de saporibus disputatio est, ubi alteruter aut nullum palatum habet aut diversum.

92. *Fin' tu homines urbemque*] „*Sic habent, inquit Lambinus, ser codices, quos secutus sum: vulgati, vis tu, minus concinna.*“ Hinc adeo est, quod *vin' tu* in plerisque editionibus hodie comparet. At de codicibus ipse viderit: nos in omnibus nostris, ut et Cruquius, Pulmannus, Bersmannusque in suis, *vis tu* reperimus: neque aliter habent Venetae et Loscheriana. Ultra autem lectio *minus concinna* sit, iam poteris iudicare. Siquidem *Vis tu* elegantissimus Idiotismus est, acutissimo Gronovio patri observatus et copiose enarratus ad Senecam De Ira III, 38. et Epist. LVIII, et Praefat. ad IV. Natur. Quaest. Martialis X, 83. [v. 9] „*Raros colligis hinc et hinc capillos — Vis tu simplicius senem fateri?*“ Iuvenalis V, v. 74. „*Vis tu consuetis, audax conviva, canistris Impleri, panisque tui novisse colorem?*“ Seneca de Constantia XV. [§ 4] „*Vis tu fortius loqui, et illam Fortunam ex toto submovere?*“ De Brevitate Vitae XIX. [§ 2] „*Vis tu, relicto solo, mente ad ista caelestia respicere?*“ Vide multa plura apud Gronovium. In illis omnibus *to vis* non interrogantis modo est ut *vis*; sed orantis, hortantis, flagitantis, iubentis. *Vis tu homines urbemque feris praepone silvis?* hoc est, *an dubitas praepone? non pudet non praepone? praepone, amabo, si sapiis.* Et ad haec exempla, etiam in vitis codicibus, reperimus Serm. I, 9. v. 69. „*vis tu curtis Iudaeis oppedere?*“ hoc est, *Non tu vis oppedere? an tu metuis oppedere?* Quare valeat Lambinus, cumque suis codicibus, cumque sua concinnitate.

108. *Nec non vernaliter ipsis*] Ita quidem editiones, et maior pars codicum. Sed Blandinii quattuor apud Cruquium omnium veterrimi, et

Fungitur officiis, praelibans omne quod adfert.
 110 Ille cubans gaudet mutata sorte, bonisque
 Rebus agit laetum convivam: cum subito ingens
 Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
 Currare per totum pavidi conclave; magisque
 Exanimes trepidare, simul domus alta Molossis
 115 Personuit canibus. tum rusticus, Haud mihi vita
 Est opus hac, ait, et valeas: me silva cavusque
 Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.

v. 109. Vulg. Praelambens.

Pulmanniani tres VERNILITER: quod Nicolao Heinsio hic placet. Nonius Marcellus [p. 42, 26 Merc.], „Verniliter, adulatorio. Caccilius Venatore: Credo, nimis tandem hoc fit verniliter.“ Seneca de Beneficiis II, 11. § 3 „Felle me scio omnia illi praestare; et haec ipsa non verniliter.“ Idem alibi [Epist. 95 § 2] et Quintilianus [Inst. I, 11 § 2] vernilitatem; Tacitus [Hist. III, 32 extr.] vernile dictum et [Hist. II, 59] verniles blanditias habent. Utraque tamen lectio satis commode admitti potest. Nam et in laudato Senecae loco Manuscripti quidam Vernaliter habent, teste Grutero; quod interpolatum esse credo a Vernaliter: et Onomasticon vetus Labbaei: Vernalis, οὐρανοειδής. Vernalis, πολιτικός, οὐρανοειδής. Quin et in vetustis membranis Virgilii, Pierio testante, iuvenali in corpore semel iterumque [Aen. V. 475 et XII, 221] scribitur, non ut vulgo iuvenili: et sic habet castigatissima Nie. Heinsii editio.

109. Praelambens omne quod affert] Vide mihi locum integrum: „nec non verniliter ipsis Fungitur officiis, praelambens omne quod affert.“ Sic quidem libri; neque quidquam hic Interpretes offendit. Atqui hoc parum officiose et verniliter facit; si praelambit quodcumque affert. Quippe colapho vel scutica castigandus fuerit verna, qui id facere ausus sit. Notum illud Iuvenalis IX, 5. „Nos colaphum incutimus lambenti crustula seruo.“ Quo trahendum videtur Lucilii fragmentum apud Priscianum p. 884. „Locandasque puer qui lamberat ore placentas.“ Non igitur, quod Scholiastes voluit, praelambere perinde est ac praegustare: posterius aperte et per officium fieri solitum; prius clam et domino ignaro, ac, si resciverit, punituro. Adde quod praelambere nusquam, opinor, alibi occurrit, nisi cum de flavio dicitur alveum lambente et radente. Prudentius Hamart. v. 357. „Sed dum licentes liquor incorruptus arenas Praelambit.“ et Cathem. V. v. 120. „Spirant et folium, fonte quod abdito Praelambens fluvius portat in exitum.“ Avienus in Descript. Orbis [v. 495]: „Per quos fluentes Tybris pater explicat undas, Romanosque lares lapsu praelambit alumno.“ et mox [v. 1077]: „et glauci praelambitur aequoris unda.“ Quid ergo? quantavis sane pretii lectio est, quam subministrat codex Regius, et alter Magdalenensis, ab eodem, ut videtur, Librario scriptus: „Fungitur officiis, praelibans omne quod affert.“ Non potuit melius: siquidem praelibare id ipsum est, quod Scholiastes frustra in altero quaesivit, praegustare. Ovidius Amor. I, 4. v. 34. „Si tibi forte dabit, quos praegustaverit ipse, Reitee libatos illius ore cibos.“ Noster paullo ante v. 67. „vernasque praecoces Pasco libatis dapibus.“ Et Virgil. Aen. V, 92. „Libavitquo dapes.“ Statius Silv. III, 4. v. 60. „Care puer, superis qui praelibare verendum Nectar, et ingentem toties contingere dextram Electus.“ et figurate Aehill. II, v. 88. „Tum vero intentus cultus ac pectora Ulizes Praelibat visu.“ Ceterum facilis et proclivis erat Librarium lapsus: similis enim occurrit apud eundem Statium Silv. II, 1. v. 171. [172] „Tu modo fusus humi lucem aversaris iniquam; Nunc torvus pariter vestes et pectora rumpis; Dilectosque premis visus, et frigida lambis Oscula.“ Apage

E C L O G A VII.

Iamdudum ausculto; et cupiens tibi dicere servus
 Pauca, reformido. Davusne? Ita, Davus, amicum
 Mancipium domino, et frugi: quod sit satis, hoc est,
 Ut vitale putes. Age, libertate Decembri

illud lambis: foedum enim et inhonestum. Sine dubio legendum, „et frigida lambis Oscula.“ quod illud Virgilii Aen. I, 260. [256] „Oscula libavit natae“, vel solum satis ostendit.

1. Iamdudum ausculto] Hunc versum et sequentes mire exagitant Interpretes, quorum hic tot fore sententiae, quot capita: „Iamdudum ausculto, et cupiens tibi dicere servus Pauca reformido. Davusne? Ita Davus, amicum Mancipium domino, et frugi, quod sit satis, hoc est, Ut vitale putes.“ Abrupta, aiunt, oratio more Comicorum. Bene sane: sed quale illud principium haec, quod Davus hic dedit, Iamdudum ausculto? Quid, obsecro, auscultavit, cum herus nihil adhuc dixerit? At, inquam, intelligitur is vehementius paullo servos inclamasse; quorum unus se iamdudum auscultare dicit. At enimvero, si ita esset, non utique ausculto diceret Davus, sed audio: ut qui Latine sciunt, statim agnoscent. At, ait alius, longum sermonem habuerat Flaecus, in quo mala multa ingesserat servis: quorum Davus ceteris argutior, par pari referre, et vernilibus herum salibus defricare gestit. Atqui et hoc nihilo feliciter: nam ipsis Saturnalibus, dierum optimo, servis tantopere irasci incivile prorsus et importunum erat. Sed condonemus haec: fuerit servis locutus, quicquid hi somnare possunt: putidum tamen et ineptum esset ab illis initium sumere, quae qualiacumque fuerint nullo modo ad Sermonem sequentem pertinent. Neque vero illud huic simile est Serm. II, 5. „Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata, peccanti Responde“: illa enim narrata, quae ibi tacentur, quis ex Homero rescire possit: et duobus illis verbulis, praeter narrata, tempus, locus, et scena sequentis dramatis pulcherrime lectori indicantur. Contra, quae hic servulis suis locutus est Horatius, neque lectori possunt innotescere, neque quicquam ad rem faciunt, quae postea agitur. Quorsum igitur ausculto? Melius profecto sic sermonem inchoasset Davus: „Iamdudum hic adsto, et cupiens tibi dicere servus Pauca, reformido.“ Sensit, opinor, absurditatem ingeniosissimus Rutgersius [Venusin. Lect. c. 25]; et ut illam evitaret, non Davo, ut vulgo solet, sed Horatio haec verba tribuit; deinde autem Davi verba leviter immutat et corrigit, hunc in modum: „H. Iamdudum ausculto. D. At cupiens tibi dicere servus Pauca reformido. H. Davusne? D. Ita Davus.“ Sed quamvis haec meliora sunt fortassis, quam quae vulgo afferuntur; peccant tamen et ipsa, neque inter se cohaerent. Qui enim iamdudum auscultavit, sine dubio interpellandi sui potestatem iam antea fecerat: ut hic quinto demum post Versu narrandi dat veniam. Mitto alia brevitatis studio, quae merito hic reprehendi possent. Rem ipsam potius dicam; qua semel conspecta, caeterae omnium opiniones, quasi maiore luce obrutae, statim evanescent. Iamdudum ausculto, ait Davus: tibi nempe Sermonem superiorem tecum recitanti: si pace tua liceat, pauca habeo quae contra reponam. Id modo dixisti tibi in votis esse, ut rure procul a turbis et negotiis degas, tibi que et Musis vacans, quieto illic otio et medicis opibus suaviter fruaris. Recte quidem; si modo naviter pertendere, et in eodem voto constanter ac perpetuo manere possis. Tu vero, incertus animi et propositi, alternis quasi fluctibus huc illic agitaris. Iam cum in Urbe es, sic quotidie tuto tecum, O rus, quando ego te aspiciam? quando licebit nunc libris incumbere, nunc somno et ludo iucunde tempus fallere? quando oleribus et lardo sobriisque poculis, antiquo more, cenam instruere? His quotidie votis deorum aures obtundis: tamen „Siquis ad illa deus subito te agat,

- 5 (Quando ita maiores voluerunt) utere: narra.
 Pars hominum vitiiis gaudet constanter, et arguet
 Propositum: pars multa natat, modo recta capessens,
 Interdum pravis obnoxia. saepe notatus
 Cum tribus annellis, modo laeva Priscus inani,
 10 Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas:
 Aedibus ex magnis subito se conderet, unde
 Mundior exiret vix libertinus honeste:
 Iam moechus Romae, iam mallet doctus Athenis
 Vivere: Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.

usque recuses⁴: *Romae enim rus optas; at absentem rusticus urbem tollis ad astra levis: Si nusquam ad cenam vocatus es, tum laudas securum domi olus: at si Maecenas te vocaverit; tum, spreto domicenio, tota domus abiturientis clamore completur.* Haec et similia Davus; ex quibus iam clare, opinor, vides, Sermonem hunc ad superiorem referri debere; aut fortasse una eum eo connecti. Quicquid enim ibi de se dixerat Horatius, illud omne hic Davus refellit: adeo ut uterque Sermo Dialogi plane speciem exhibeat. Atque inde, opinor, est, quod in optimis Blandiniis et Buslidiano apud Cruquium, uti et in nostris Petrensi et Regiae Societatis, haec a superioribus indivisa sint, et unam Satiram constituent. Parvi tamen interest, unamne an binas esse velis: modo illud exploratum sit, inde Davum incipere, in quo dominus finem fecerat: atque adeo vulgatam hic lectionem, sententia iam comperta, sanam et perspicuam esse. Ceterum cave tibi a Gronovii patris explicatione, qui Observ. IV, 24. multis verbis efflicere conatur, ut illa *Hoc est, ut vitale putes*, non Davo, sed Horatio tribuantur. *Tum frugi?* subiicit Flaccus: „*ita vero frugi, ut ubi possis, vitale putes*; hoc est, *vitalia mihi amputes, sanguinem mihi esugas, arrodas et exedas viscera rei meae familiaris.*“ Dolet sane tam coactam, tam pravam interpretationem tanto ingenio excidisse. Quis enim *vitalis* numero singulari pro *vitalibus* dixit? quis autem *putare* pro *exedere, mandere, rodere*? Neque vero sententia, quam affingit, minus dura est, quam ipsa verba. Nimis profecto itacunde hoc et inclementer: neque ad hanc faciem tam tristem cetera, quae sequuntur, ullo modo respondent. Quid multa? recte fere hunc locum acceperunt Torrentius, Marcellius, Rutgersius, aliique. *Frugi mancipium, quod sit satis, hoc est, ut vitale esse existimes.* Quae enim supra modum sunt, ante diem, ut vetus querela est, plerumque moriuntur. Seneca Controv. I. [§ 22, p. 65, 30 Burs.] de Alfo Flavio*) loquens: „*Semper de illius ingenio Cestius et praedicavit et timuit: aiebat, tam immature magnum ingenium non esse vitale.*“ Martialis VI, 29. [v. 7] „*Immodicis brevis est aetas, et rara senectus: Quicquid ames, cupius non placuisse nimis.*“ Statius Silv. II, 7. [v. 89] de Lucano: „*O saevae nimium gravesque Parcae! O numquam data festa longa summis! Cur plus ardua casibus patetis? Cur saeva vice magna non senescunt?*“ Urbane igitur Davus, et facete, ut nihil supra: *In tantum, ait, sum fidelis et frugi, quantum satis sit*, pro captu et modulo servulorum: gloriari enim non est meum; neque talem me haberi postulo, cui prae immodicis virtutibus metuant homines, *ne vitalis esse non possim.* Mihi quidem per mores meos a Parcaum invidia tuto esse et licet, opinor, et libet.

13. *Iam mallet doctus Athenis Vivere*] Sic veteres editiones: ut ex eodictibus alii *doctus*, et totidem fere docton. Quorum quid vorius sit, nescire contenti erimus; cum nihil nunc aliunde de Prisco hoc discere liceat. Si *doctor* potius arridet; erit aut Grammaticae, aut Rhetoricae, aut Philosophiae praeceptor. Si *doctus*; tum sic accipies, Inconstantem

*) sup. Flavio

- 15 Scurra Volanerius, postquam illi iusta cheragra
 Contudit articulos, qui pro se tolleret atque
 Mitteret in phimum talos, mercede diurna
 Conductum pavit: quanto constantior idem
 In vitiiis, tanto levius miser, ac prior ille
 20 Qui iam contento, iam laxo fune laborat.
 Non dices hodie, quorsum haec tam putida tendant,
 Fureifer? Ad te, inquam. Quo pacto, pessime? Laudas
 Fortunam et mores antiquae plebis; et idem,
 Si quis ad illa Deus subito te agat, usque recuses:
 25 Aut quia non sentis, quod clamas, rectius esse;
 Aut quia non firmus rectum defendis, et haeres,
 Nequiequam coeno cupiens evellere plantam.
 Romae rus optas: absentem rusticus Urbem
 Tollis ad astra levis. si nusquam es forte vocatus
 30 Ad cenam, laudas securum olus; ac, velut usquam
 Vinetus eas, ita te felicem dicis amasque,
 Quod nusquam tibi sit potandum. iusserit ad se
 Maecenas serum sub lumina prima venire
 Convivam; Nemon' oleum fert ocuis? cequus

v. 34. Vulg. *Feret.*

hunc et inaequalem homuncionem nunc Romae voluptatibus et libidini, nunc Athenis doctrinae et studiis operam dedisse.

15. *Postquam illi iusta cheragra Contudit articulos*] Recte codex optimus Reginensis, CHERAGRA, χεράγρα, et sic ubique scribendum, quoties primam syllabam corripit, ut apud Persium et Martialem. Nam *cheragra*, sive χεράγρα primam producere debet. Ceterum vetustissimus Blandinius et Torrentiani aliquot contrigit habent, pro *contudit*. Quod etsi ferri fortasse possit; sequimur tamen vulgatam lectionem, quam et nostri codices praefereunt. Ita Persius, ubi hunc ipsum locum expressit, Sat. V, v. 61. [58] „*sed cum lapidosa cheragra Fregerit articulos, veteris ramalia sagi.*“ Macrobius Saturn. II, 4. [§ 16] „*Fatinius confusus podagra, volebat tamen videri discussisse iam vitium, et mille passus ambulare se gloria-batur.*“ Emenda, *CONTUSUS podagra.*

34. *Nemon' oleum feret ocuis?*] Illud *feret*, quia semel in editionibus priscais locum obtinuit, veriti sunt Interpretes ex eo deicere. At iidem in dimidia ferme codicum parte rere invenerunt, ut et nos in Leidensi, Magdalensensi, et aliis quattuor: quod efficacius et velocius quiddam prae se fert. Sic infra versu ultimo: „*Ocius hinc te Ni rapis.*“ Quin et in v. 35. „*Cum multo [sic] blatoras clamore fugisque,*“ hoc mulum quam quod alii codices praefereunt, rarisque; etsi id plerisque Interpretum placuisse video. Quorsum enim *furefer*? nemp' omnia morae impatiens magno clamore servos vocaverat. Illi vero, ut par est, illico accurrere, et quisque pro se sedulo iussa domini capessere. Certe nulla *furendi* causa erat; nisi si vocati non obtemperaverunt: quod neque per se verisimile est, neque Davus id ultro fassus esset. Ergo *fugit*, opinor, prae festinationis studio; ut alibi, ad Maecenatem memori mente *recurrebat*. Praeterea versu abhinc tertio MULVIUS repono ex codice Vigorniensis et Reginensis; pro *Milvius*, quod haecutenus editiones occupavit. Ita *Pons Mulvius* in potioribus Membris apud Ciceronem Catil. III. [2 § 5] et ad Attic. XIII, 33. [§ 4] Sallustium Cat. XLV [§ 1]; Trebellium in Gallieno XVIII; Ammianum

- 35 Audit? cum magno blateras clamore, fugisque.
 Mulvius et scurrae, tibi non referenda peccati,
 Discedunt. etenim fateor me, dixerit ille,
 Duci ventre levem: nasum nidore supinor:
 Imbecillus, iners, si quid vis; adde, popino.
- 41 Tu, cum sis quod ego, et fortassis nequior, ultro
 Insectere, velut melior? verbisque decoris
 Obvolvās vitium? quid, si me stultior ipso.
 Quingentis emto drachmis deprenderis? aufer
 Me vultu terrere: manum stomachumque teneto,
- 45 Dum, quae Crispini docuit me ianitor, edo.
 Te coniunx aliena capit, meretricula Dayum:
 Peccat uter nostrum cruce dignius? aeris ubi me
 Natura incendit; sub clara nuda lucerna
 Quaecumque excepit turgentis verbera caudae,
- 50 Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum,
 Dimittit neque famosum, neque sollicitum, ne
 Ditiior aut formae melioris meiat codem.
 Tu, cum proiectis insignibus, annulo equestri
 Romanoque habitu, prodīs ex iudice Dama
- 55 Turpis, odoratum caput obscurante lacerna;
 Non es quod simulas? metuens induceris, atque
 Altereante libidinibus tremis ossa pavore.
 Quid refert, uri virgis ferroque necari
 Auctoratus eas; an turpi clausus in arca,
- 60 Quo te demisit peccati conscia herilis,
 Contractum genibus tangas caput? estne marito
 Matronae peccantis in ambo iusta potestas?
 In corruptorem vel iustior. illa tamen se
 Non habitu, mutatae loco, peccatae superne;
- 65 Cum te formidet mulier, neque credat amanti.
 Ibis sub furcam prudens, dominoque furenti

Marcellinum XXVII, 3 [§ 9]; Lactantius De Mort. Persec. XLIV [§ 3]; Prudentium contra Symm. I, 483 [482]. Ita Cicero ad Atticum II, 15. [§ 4] *Controversia Mulviana*. Plinius XV, 10. [§ 38] *Cotoneum Mulvianum*. Val. Max. VIII, 1. [Dama. § 5] *M. Mulvius Triumvir*. Quin et apud Gruterum in Inscript. tres MULVIOS [43, 4; 128, 1; 301 col. II v. 5] et totidem MULVIAS [471, 6; 494, 4] habes; nullum *Milvium*. 989, 5. OPTATAE MULVIAE. Quinetiam illud obiter monendum, in versu 37. „Dixerit ille.“ non quemvis hominem, *τὸν θεῖον*, sed Mulvium illum, intelligi; qui expectata cena fraudatus haec secum masticare fingitur; *Cur, malum, ad Maccenatem fugis, et me domo tua famelicum eiicis? Equidem fateor me ventris causa ad te accedere: idque mihi quotidie experire soles. Quis tu me melior, qui tam Maccenatis caenas sectaris, quam ego tuas?* Illa vero, versu 42. „Quid si me stultior ipso“, Davi iam verba sunt: „Quid si, non Mureto solum, scurra quidem illo et popinone, sed me quoque servulo drachmis pauculis emto stultior deprenderis? Denique illa v. 39. „siquid vis, adde, popino;“ sic enarrare oportet;

- Committes rem omnem et vitam et cum corpore famam.
 Evāsti? metues, credo, doctusque cavebis:
 Quacres, quando iterum paveas, iterumque perire
- 70 Possis: ὀ τοτιens servus! quae belua ruptis,
 Cum semel effugit, reddit se prava catenis?
 Non sum moechus, ais. neque ego, hercule, fur, ubi vasa
 Praetereo sapiens argentea. tolle periculum,
 Iam vaga prosiliet frenis natura remotis.
- 75 Tunc mihi dominus, rerum imperiis hominumque
 Tot tantisque minor? quem ter vindicta quaterque
 Inposita haud unquam misera formidine privet?
 Adde super, dictis quod non levius valeat: nam
 Sive vicarius est, qui servo pareat, uti mos
- 80 Vester ait; seu conservus: tibi quid sum ego? nempe
 Tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser; atque
 Duceris, ut nervis alienis mobile signum.

v. 68. Vulg. *Credo, metues*. 75. *Supradictis*. 82. *Lignum*.

imbecillus sum, iners, et adde, si vis, popino. Sic Cicero ad Atticum VII, 2. [§ 3] „*Tironem Patris aegrum reliqui, adolescentem, ut nosti; et adde, siquid vis, probum: nihil vidi melius.*“ Haec, quia vulgo male accipi solent, tribus verbis explicare, non praeter rem esse videbatur.

68. *Evāsti? credo, metues*. Alio verborum ordine codex Regiae Societatis, „*Evāsti? metues credo, doctusque cavebis.*“ quod et elegantius et clarius: nam in vulgata lectione nescias prima fronte, utrum ad *evāsti* an ad *metues* referendum sit illud *credo*: et praeterea medium clausulae libentius occupat, quam initium. Cicero pro Deiotaro: cap. 9. [§ 24] „*Speravi, credo, difficiles tibi Alexandriae fore exitus.*“ Philip. V, cap. 13. [§ 37] „*Dubitaret, credo, homo amenissimum bellum inferre nobis?*“ et VIII, 9. [§ 26] „*Vaeula hoc, credo, admonuit.*“ Nat. Deor. I, 24. „*Sed ubi est veritas? in mundis, credo, innumerabilibus.*“

78. *Adde supra dictis, quod non levius valeat*. Nemo hanc lectionem mendii incusare posset, nisi aliam subministrarent codices. Quippe quattuor Fulmanni, totidemque ex nostris, Petrensis, Galeanus, Vigorniensis, et a prima manu Reginensis super habent, non *supra*. *Lego* ergo, et distinguo: „*Adde super, dictis quod non levius valeat*: hoc est, *super adde, adde insuper, quod valeat non levius iis quae dixi*. Plinius Hist. XXIII, 2. [§ 59] „*Acetum prodest, super ea quae diximus, acenscentibus cibis.*“ Virgil. Aen. II, 592. [593] „*roseoque haec insuper addidit ore.*“ XI, 107. „*et verbis haec insuper addit.*“ *Super* idem ac *insuper*. Vide Servium. Noster Epist. II, 2. v. 33. „*Accipit et bis dona super sestertia minimum.*“ Phaedrus (V, 23. [v. 13] „*Super etiam iactus, legere quod debet pudor.*“

82. *Duceris, ut nervis alienis mobile lignum*. *Lignum* et omnes omnium codices agnoscunt, et veteres Scholiastae, qui *simulachra de ligno facta* interpretantur. Primus ex coniectura signum reposuit nobilissimus Donza pater, et post illum Theodoros Marcilius. Recte, siquid iudico; etsi nemini Editorum hactenus id persuaserint. Non, quod nesciam *Aenrospusta* illa plerumque *lignea* fuisse; ut Apul. de Mundo [p. 70, 19 Elm.]: „*Etiam illi, qui in ligneolis hominum figuris gestus movent, quando filum membri, quod agitare solent (lege, volunt) traxerint; torquetur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad ministerium praesto erunt, nec invenuste totus videbitur vivere.*“ et Lucian. de Dea Syria [§ 16]: *Φαλλῶνς Ἐλληνας τῷ Διονύσιῳ ἐξείρησαι, ἐπὶ τῶν καὶ τοιούθῃ τι γέρονται, ἀνδρας μικροῦς ἐκ*

Quisnam igitur liber? Sapiens: sibi qui imperiosus;
Quem neque pauperies, neque mors, nec vincula terrent;

ΕΥΛΟΥ ΠΛΟΥΣΙΟΤΕΡΟΙΣ; ΜΕΓΑΛΑ ΕΙΔΟΙΣ ΕΧΟΝΤΑΣ; ΚΑΛΕΟΝΤΑΙ ΔΕ ΤΑΙΣ ΝΕΥΡΟΣΠΑΣΤΕΡΑ. Sed nihilominus *signum* hic magis arridet, quam *lignum*. Neque enim illi simpliciter *ligna* dixerunt; sed *lignaeolas hominum figuras, homunculos ex ligno factos*; quod perinde est ac si *signa* dixissent. Quae et ex alia materia fiebant, non ex ligno solo: Petronius in Cena Trimalchionis [c. 34]: „Potantibus ergo larvam argenteam attulit servus sic aptatam, ut articuli eius vertebrarumque laxatae in omnem partem verterentur.“ Quorsum igitur *Lignum*, cum aequo fiat ex metallo vel ebone? cui etiam ligno nisi effligem addas, pro Neurospasto accipi iure non potest; siquidem trabs quaevis aut truncus fune ductus *nervis alienis mobile lignum* est. Recte ergo cum Donza legemus, „*Duceris, ut nervis alienis mobile signum*.“ Sic et Herodotus *εγυλιωτα signa* appellavit, II, 48. *Αντι δε γαλλων, αλλα σφι εστι ελαστικα οσση τε κρυατα ΑΓΑΑΜΑΤΑ ΝΕΥΡΟΣΠΑΣΤΑ, τε περιφοριονα κατα κομης ται γυναικας*. Et Marens Antoninus VII, 3. *Συλλεγεια νευροσπαστουμενα, signa parva nervis ducta*. Glossae Philoxeni: *Sigillari, νευροσπαστοι*; quod recte emendat popularis noster, magnus Gatakerus, *Sigillaria, νευροσπαστα*. Vide plura ad hanc rem facientia apud eundem in eximio Commentario ad Antoninum. Ceterum facilis erat librariorum lapsus, *lignum* pro *signum*: ut Epist. II, 2, v. 134, „*Et signo laeso non insanire lagenae*“; codex Leidensis *ligno* habet. Sic et Ovid. Amor. III, 7, [v. 15] „*Truncus iners iacui, species et inutile signum*“; scriptus codex apud Heinsium, *lignum*. Qui locus etiam ob sententiam huic nostro valde appositus est, ut et alter Metam. II, 831, „*Oraque duruerant, signumque arsanguie sedebat*.“ Signo enim hic comparantur homines, etsi illi minime *νευροσπαστουμενα*.

83. *Sapiens, sibi que imperiosus*] Ita post Lambinum omnes, credo, editiones dederunt. At antiquiores, Venetae et Loscheriana, cum plerisque Codicibus, ex nostris certe novem, qui habent non *que*: „*Quisnam igitur liber? Sapiens: sibi qui imperiosus; Quem neque pauperies, neque mors, nec vincula terrent; Responsare cupidinibus, contemnere honores Fortis; et in se ipso totus teres atque rotundus. Externi nequid valeat per leve morari; In quem manca ruit semper fortuna*.“ Rectissime: non enim *Que* hic locum habet: quasi *imperiosus* sui alius esset a *sapiente*. Davus, a Crispini ianitore doctus, Stoicorum hic doctrinam sequitur. *Quisnam liber? Sapiens ille Stoicus*: cetera autem, quae sequuntur, descriptio est Sapientis, quantum ad libertatem illam attinet. *Sapiens*, inquit, solus est liber: quippe *qui imperiosus sibi, quem nihil terret, qui fortis responsare cupidinibus etc. Imperiosus autem sibi est*, qui sibi imperat, qui sui potestatem habet, vel qui se habet in potestate. Seneca de Beneficiis V, 7, [§ 5] „*Quem magis admiraberis, quam qui imperat sibi, quam qui se habet in potestate?*“ Idem Epist. LXXV, [§ 18] de summo Sapientiae gradu loquens, „*Quaeris quae sint ista? non homines timere, non deos; nec turpia velle, nec nimia; in se ipsum habere maximam potestatem: inaeestimabile bonum est suum fieri*.“ Epist. XC, [§ 34] „*Felicissimum esse cui felicitate opus non est; potentissimum esse, qui se habet in potestate*.“ Ep. XCIII, [§ 2] „*Cum animus sibi bonum suum reddidit, et ad se potestatem sui transtulit*.“ Ceterum dictione hac utuntur et alii, sed sententia paulum diversa: Statius Silv. II, 6, [v. 16] de Phileto Flavii Ursi puero, „*ne comprime fletus, Ne pudeat; rumpat fraenos dolor isto Adisque Si tam dura placent hominem gemis (hei mihi, subdo Ipse facer) hominem, Urse, tuum cui dulces volenti Servitium; cui triste nihil; qui sponte sibi quo Imperiosus erat*.“ Quem locum, nulli haecenus intellectum, frustra sollicitant viri doctissimi, Gevartius et Gronovius pater. Excusat nempe

85 Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis: et in seipso totus; teres atque rotundus.
Externi ne quid valeat per leve morari;
In quem manca ruit semper fortuna, potesne
Ex his, ut proprium, quid noscere? quinque talenta
90 Poscit te mulier, vexat, foribusque repulsum
Perfundit gelida: rursus vocat, eripe turpi
Colla iugo: Liber, liber sum, die age, non quis:

Ursam poeta, quod in *famuli* morte tam *averbe* lugeret: *Famulum*, inquit, *gemis, sed pium, sed mente ingenium*: „*Famulum* (quoniam rerum omnia caeca *Sic miscet fortuna manu, nec pectora vorit*) *Sed famulum gemis, Urse, pium — cui stommate maior Libertas ex mente fuit*.“ Esto igitur *famulus*: (si *deique tam dura placent*: hoc est, ut tam liberalis puer in aulis vel nascendi conditione vel captivitatis sorte foret servus) *al hominem gemis*; quid hic pudendum? quanto hoc iustius, quam quod *Persae equum fortem, Molossi canem fidem lugent extinctum*? Haec Statii sententia est; et notum est illud Senecae [Epist. XLVII § 1]: „*Servi sunt? immo homines. Servi sunt? immo contubernales. Servi sunt? immo humiles amici*.“ Illud quoque iidem infeliceiter, *Hominem, Urse, tuum*; ut *homo* hic *servum* notet, quemadmodum saepe apud Iuriconsultos: immo vero *tuum*, non ad *hominem*, sed ad *servitium* refer; ut supra interpunximus: *hominem, cui tuum, Urse, servitium erat volenti dulces*: ut paullo infra [v. 21], „*vidi ipse animosque nolavi Te tantum cupientis herum*“: quippe cui in universum *dulce servitium est*, is non modo non *pectore liber* censendus, sed Cappadocum omnium postremus. Atque haec obiter, non quaesita, sed sponte oblata elucidavimus. Ut illuc redeam, unde discessi: Seneca quoque, sed alio plane sensu, eandem phrasin usurpavit, Praef. ad IV Nat. Quaest. [§ 2] „*Tibi tecum optime convenit; nec mirum paucis id contingere*: imperiosi nobis ipsi*) *et molesti sumus*.“ Propius ad Flaeci mentem accedit Plinius Hist. XXXIV, s. [§ 62] „*Mire gratum Tiberio principi, qui non quivit temperare sibi in eo, quamquam imperiosus sui in initio principatus*.“ Porro et in versu sequente succurrendum est Horatio contra Interpretes, qui ignari et nihil mali cogitantes sententiam pulcherrimam strangulant et elidunt, „*et in se ipso totus teres atque rotundus*.“ Quid enim, amabo, est *totus rotundus*? utique qui simpliciter rotundus est, totus sit rotundus necesse est, quid autem *rotundus in seipso*? quasi aliquis *extra se* rotundus esse possit. Tu, si sapis, sic distingue, „*et in se ipso totus; teres atque rotundus, Externi nequid valeat per leve morari*“: ut ex una non bona sententia duae exoriantur longe optima. Primo enim, *Sapiens in se ipso totus est*, hoc est, in se uno sua ponit omnia; non quaerit se extra se: nihil suum, nisi se, esse existimat. Cicero Paradox. II, [§ 17] „*Non potest non beatissimus esse, qui totus aptus est ex sese, qui in se uno sua ponit omnia*.“ Idem Tuscul. V, [c. 10 § 30] „*Nec dolore neque paupertate terri, omniaque sibi in sese esse posita*.“ Et ibidem [c. 12 § 36]: „*Cui viro ex se ipso apta sunt omnia, quae ad beate vivendum ferunt*.“ Seneca Consol. ad Helviam XIII, [§ 4] „*Ignominia tu putas quemquam Sapientem moveri posse, qui omnia in se reposuit*.“ De Constantia cap. V, [§ 4] „*Sapiens autem nihil perdere potest, omnia in se reposuit*.“ Et cap. VI, [§ 3] „*Nec quiequam suum, nisi se, putet esse, ea quoque parte qua melior est*.“ De Vita beata XVI, [§ 3] „*Quid enim deesse potest extra omne desiderium posito? quid extrinsecus opus est ei, qui omnia sua in se collegit?*“ Epist. CXXIV, [§ 23] „*Animus supra humana se extollens, nihil extra se sui ponens*.“ Secundo, „*Sapiens teres est et rotundus,*

*) [v. codices]

- Urguet enim dominus mentem non lenis, et acris
Subiectat lasso stimulos, versatque negantem.
95 Vel cum Pausiaca torpes, insane, tabella;
Qui peccas minus atque ego, cum Fulvi Rutubaeque
Aut Placideiani contento poplite miror
Praelia, rubrica picta aut carbone, velut si
Re vera pugnent, feriant, vitentque moventes
100 Arma viri? nequam et cessator Davus: at ipse
Subtilis veterum iudex, et callidus audis.
Nil ego, si ducor libo fumante: tibi ingens
Virtus atque animus cenis responsat opimis?
Obsequium ventris mihi perniciosius est cur?
105 Tergo plector enim: qui tu impunitior illa,
Quae parvo sumi nequeant, obsonia captas?
Nempe inamarescunt epulae sine fine petitae;
Inlusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus. an hic peccat, sub noctem qui puer uvam

v. 106. Vulg. Cum obsonia.

nequid aeterni per leve morari valeat": alterum hoc Stoicorum effatum, Ausonius Idyll. XVI. [v. 5] „Vir bonus et sapiens, qualem vic reperit unum Millibus e multis hominum consultus Apollo, Iudex ipse sui totum se explorat ad unguem; Quid proceres vanique ferat quid opinio vulgi, Securus; mundi instar habens, teres atque rotundus, Externae nequid labis per levia sidat." Qui locus pene ad verbum ex Horatio expressus, vel solus admonere potuit Interpretes, haec a prioribus disiungenda esse. Sapiens totus in se ipso est: idem est rotundus, et teres, hoc est, levis et minima scaber, adeo ut nihil vitii aut labis adhaerere ei possit extrinsecus. Erudite autem Ausonius, mundi instar habens; quippe ex sphaerica Mundi figura haec metaphora traducta est. Quod Empedocles de Mundo dixerat, id Sapientia adaptarunt Stoici, Σφαῖραν κυκλωτοῦ, Sphaeram eum esse rotundam. Inde Marcus Antonin. VIII, 41. [extr.] Mentem nihil impedit aut attingit. ὅταν γένηται Σφαῖρος κυκλωτοῦ, ubi facta fuerit, sphaerae instar, teres et rotunda." Et XII, 3. Tranquille generoseque vitam transiges, ἴαν ποιῆσθαι ἀεικτόν, οἷος ὁ Εὐπειδοκλείος „Σφαῖρος κυκλωτοῦ, δίην περιγυῖ γάϊον": si feceris te talem, qualis mundus hic Empedocli dicitur, „Orbis habens instar, iugi vertigini gaudens." ubi δίην reposuerunt viri magni ex coniectura. Antonini exemplar κοῦη; alii citant μοῦη vel μοῦη. Omnino δίην περιγυῖ non placet: neque enim dixeris motu rotundo: quod rotundum est, aut figura erit aut corpus. Quid, quod nollet, credo, Marcus sapientem suum infortunio mactare, ut perpetua vertigine Ixionis instar rotaretur. Quare vide, annon ζώνη περιγυῖ zona rotunda, vel κόνη, trocho, rhombo, turbine, vel μοῦη figura, vel simile quid rectius substitui possit.

106. Cum obsonia captas] Elicite coniunctionem illam cum, et lege. „quī tu impunitior illa, Quae parvo sumi nequeant, obsonia captas?" Ita et veteres editiones exhibent, et codices nostri ad unum omnes; non, ut editi aliquot, Quid tu, neque Cum obsonia. Ordo autem est, Quī tu impunitior captas illa obsonia, quae nequeant parvo sumi? Utramque lectionem firmat unus Persii locus de Nostro expressus, Sat. V. v. 130. „sed si intus et in iecore aegro Nascantur domini; qui tu impunitior exis, Atque hic, quem ad strigiles scutica et metus egit herilis?"

109. Sub noctem qui puer uva Furtivam mutat strigilem] Pessimo

- 110 Furtiva mutat strigili? qui praedia vendit,
Nil servile gulae parens habet? adde, quod idem
Non horam tecum esse potes, non otia recte
Ponere; teque ipsum vitas fugitivus et erro,
Iam viſo quaerens, iam somno fallere curam:
115 Frustra: nam comes atra premit, sequiturque fugacem.
Unde mihi lapidem? Quorsum est opus? Unde sagittas?
Aut insanit homo, aut versus facit. Ocius hinc te
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

ECLOGA VIII.

Ut Nasidieni iuvit te cena beati?
Nam mihi convivam quaerenti, dictus here illic

v. 2. Vulg. Quaerenti convivam.

facinore corruptit haec, et in alias editiones propagavit Lambinus, alioqui de Horatio praeclare meritis. Nam et editiones veteres et omnes fere omnium codices sic praeferunt: „an hic peccat, sub noctem qui puer UVAM FURTIVA MUTAT STRIGILI." Quo autem consilio mutatum iverit Lambinus, nequeo conicere: ipse enim ad Carm. I, 16. [II, 16, 18] varia huius locutionis exempla profert, inque iis hunc ipsum locum, uvam mutat strigili: quod vulgo sic potius efferret quis, uva mutat strigilem. Sic Carm. III, 1, 47. „cur valle permute Sabina Divitias operosiores?" Et Epod. IX, 27. „Punico Lugubre mutavit sagum." Quod autem novem Codices mutationis huius auctores citat, de hoc ipse viderit. Certe ab alia parte stant Torrentiani, Cruquiani et omnes quos ipse versavi. Quin extra omnem dubitationis aleam ponit Priscianus p. 767. „Strigilis, ait, rationabiliter in I terminavit ablativum. Horatius in II Serm. an hic peccat, sub noctem qui puer uvam Furtiva mutat strigili?"

1. Ut Nasidieni iuvit te cena beati? Cum Nasidienus syllabam secundam corripit, ut ostendunt versus 75 et 84. „Nasidienus ad haec tibi di quaecumque preceris": „Nasidienne, redis mutatae frontis, ut arte": et illud Martialis VII, 54. [53 v. 8] „Aut vigila aut dormi, Nasidienne, tibi": et Lucani IX, 790. „Nasidium Marsi cultorem torridus agri" miras hic turbas dederunt Librarii, ut pro peritia sua versui consulere. Quidam sic interpolaverunt, „Ut te Nasidieni iuvit cena beati?" alii sic. „Nasidieni qui te iuvit cena beati?" et alii aliter: sed omnes inepte et absone prae illo, quod et praeae editiones et membranae meliores exhibent, et Priscianus p. 1055. Nimirum I litera, ut alias U, consonantis hio vice fungitur; quasi more hodie usitato sic scribas, „Ut Nasidieni iuvit te cena beati?" Sic apud Virgilium [A. II, 492], „labat arjete crebro"; [A. XI, 890] „Arjetat in portar"; [A. IX, 674] „Abjetibus iuvenes patriis; [G. IV, 297] „Parjetibusque premunt artix"; [G. I, 482] „Phujorum rex Eridanus"; [A. V, 432] „Genva tabant"; [G. I, 397] „Tenvia nec lanac": et Propertium, III [IV], 17. [19 v. 12] „Induit abjegnac cornua falsa bovis." et Silium VI, 226. „Cetera sinvatis glomerat sub pectore gyris." et ita passim apud alios.

2. Nam mihi quaerenti convivam] Ita libri, opinor, omnes, tam scripti quam editi: sed alio verborum ordine Priscianus p. 1011. „Heri,

- De medio potare die. Sic, ut mihi nunquam
In vita fuerit melius. Die (si grave non est).
5 Quae prima iratum ventrem placaverit aest.
In primis Lucanus aper: leni fuit Austro
Captus, ut aiebat cenae pater; acria circum
Rapula, lactucae, radices, qualia lassum
Pervellunt stomachum, siser, allee, faecula Coa.
10 His ubi sublatis, puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit, et alter
Sublegit quodcumque iaceret inutile, quodque
Posset cenantis offendere; ut Attica virgo
Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspes
15 Caecuba vina ferens; Alcon, Chium maris expert.
Hic herus; Albanum, Maecenas, sive Falernum
Te magis adpositis delectat; habemus utrumque.
Divitias miseris! sed quis cenantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.
20 Summus ego, et prope me Viseus Thurinus, et infra

v. 4. Vulg. *Da, si grave.*

nquit, *adverbium; dicitur tamen et Here. Horatius in II Sermonum. Nam mihi CONVIVAM QUAESENTI dictus here illic De medio potare die!* Atque ita quattuor tibi codices, quorum copia mihi obtigit. Quod qui vulgato venustius et *πολυτερον* esse non per se videt, is ne me quidem dicente credere volet.

4. *Da, si grave non est*] Omnes omnium codices sic habent, non *da*: neque aliter editiones principes, Venetae binae cum Loscheriana. At pexus nescio quis magistellus, qui Virgillii credo Bucolicae pueris praegerat, interpolare hoc ausus est ex Ecloga prima [v. 19]. „*Sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.*“ Quid ergo? an, quia semel apud Virgilium *Da* occurrit pro *die*; et saepe alias *accipe* pro *audi*, ideirone, vel invitit codicibus, illud substituere licet, ubicumque in hoc incidimus? iocularem sane audaciam. Et tamen per bina ferme saecula editiones omnes impune contaminavit. Quousque tandem ignoti homuncionis temeritatem grassari hic patiemur?

18. *Divitias miseris!*] In diversa hic abeunt Interpretes: hi Nasidieni verba esse volent, reculas suas extenuantis; quod, ut libere dicam, ineptissimum est: alii Horatio tribuunt; de sensu tamen ambigunt. At Daniel Heinsius, „*Siquid,*“ inquit, „*Horatium intelligo et eius nasum; scripsit DIVITIAS MIRAS: et hoc verum est.*“ Haud vidi magis. Certo Heinsianum hoc non convenit, sive *εἰρωκός* dixerit Horatius, sive ex animo. Neque enim cuiusvis erat *Chium, Caecubum, Albanum et Falernum* via praebere; ut hoc Horatius sana exceperit: neque tam rarum erat et inauditum, ut admirationem excitaret homini divitioribus mensis assueto. Eumvero recte habet, *Divitias miseris!* ideo scilicet miseris, quod natae fuerint dominum fatuum, et indignum qui eas possideret. Sic Martialis I, 37. [38 v. 1] „*Fentris onus misero, nec te pudet, excipis auro.*“ nempe quod ad spurcos et contumeliosos usus damnaretur. Idem Heinsius v. 25. sic corrigit, „*Nomentanus ad hoc, quo siquid forte lateret, Indice monstraret.*“ Sed recepta lectio sana est, *ad hoc, qui monstraret*, ut Serm. II, 6. v. 42. „*dantaeat ad hoc, quem tollere rheda Vellet iter faciens.*“

- (Si memini) Varius; cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Maecenas adduxerat umbras:
Nomentanus erat super ipsum; Porcius infra,
Ridiculus totas simul absorbere placentas:
25 Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret,
Indice monstraret digito. nam cetera turba,
Nos inquam, cenamus avis, conchylia, piscis,
Longe dissimilem noto celantia succum:
Et vel continuo patuit, cum passeris assi, et
30 Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi.
Post hoc me docuit melimela rubere, minorem
Ad humani delecta. quid hoc intersit, ab ipso
Audieris melius. tum Vibidius Balatrone;
Nos, nisi damnose bibimus, moriemur inulti;

v. 29. Vulg. *Passeris, Atque.* 30. *Porrexerit.*

24. *Ridiculus totas simul absorbere placentas*] Ita sane libri excusi, et maior membranarum. Sunt tamen codices qui *SEMEL* habeant, non *simul*, ut ex nostris Zulichemianus et Leidensis. At Franckeranus *simul*, prisca scribendi ratione, quae passim comparet in veterissimo Plauti codice Cameraciano; unde ansa librariis tradita nunc *semel*, nunc *simul* effingendi. Et utinam quidem hic probum est, tam *simul* quam *semel*, hoc est, *uno haustu absorbere*; nisi quod nescio qui posterius magis aridet, „*Ridiculus totas SEMEL absorbere placentas.*“ Seneca Nat. Quaest. IV. 2. [§ 25] „*Quod si e mari ferretur Atlantico Nilus, semel appleret Aegyptum: at nunc per gradus crescit.*“ Et ibidem VII. 31. [§ 2 Fickert: 30 § 6 Haase] „*Non semel quaedam sacra traduntur: Eleusina servat, quod ostendat recipientibus: rerum natura sacra sua non simul**) *tradit.*“ Idem Epist. LXXI. [§ 31] „*Quemadmodum lana quosdam colores semel ducit, quosdam, nisi saepius macerata et recocta, non perhibet.*“ Idem Consol. ad Helviam. c. 13. [§ 3] „*Non singula vitia [ratio], sed pariter omnia prosterant: in universum semel vincitur.*“ Quintil. Declam. XII. [c. 15] „*Illic ipsa vitia fontuntur, ubi populus ruit, ubi continuis funeribus omnis sexus atque aetas semel sternitur.*“ Idem CCCXLVIII. [p. 734, 12 Darm.] „*An liberi vestri coniugesque traditam a maioribus per manus in hoc usque tempus libertatem semel perderent.*“ Vopiscus Aureliano, 29. [39] „*Tabulas publicas ad privatorum securitatem evari in foro Traiano semel iussit.*“ Cicero de Officiis III, 15. [§ 62] „*Scacvola, cum postulasset, ut sibi fraudus, cuius autor erat, semel indicaretur.*“ Digest. VII. 3. 1. [pr.] „*Quamquam usus fructus ex fruendo consistat, hoc est, facto aliquo qui fruatur et utitur, tamen semel editi dies.*“ — „*Unde quaeri potest, si unis fructus cui per dies singulos legetur, vel in annos singulos, an semel cedat? Et puto non cedere simul, sed per tempora adiecta, ut plura legata sint.*“

29. et 30. *Cum passeris atque Ingustata mihi porrexerit ilia rhombi*] Plures quidem codices cum vetustis editionibus PORREXERIT: sex tamen Lambini, Cruquianus unus, et noster Magdalenensis ROMEXERAT; quod iure, opinor, Lambinus alitque aliquot in textum receperunt. Non enim tum *sapor patuit*, cum ille *porrexerit*; sed postquam *porrexerat*, atque alter acceptum gustaverat. Colorum pro *passeris atque*, quod et nostri omnes agnoscunt, Lambinus in suis quibusdam reperit, „*cum passeris ASSI, ET Ingustata mihi ROMEXERAT ilia rhombi.*“ Noli dubitare, quin ab Horatii

*) [v. codices]

- 35 Et calices poscit maiores. vertere pallor
Tum parochi faciem, nil sic metuentis ut acris
Potores: vel quod maledicunt liberius; vel
Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.
Invertunt Allifanis vinaria tota
- 30 Vibidius Balatroque, secutis omnibus: imi
Convivae lecti nihilum nocuere lagenis.
Adfertur squillas inter muraena natantis
In patina porrecta. sub hoc herus, Haec gravida, inquit,
Capta est; deterior post partum carne futura.
- 45 His mixtum ius est; oleo, quod prima Venafri
Pressit cella; garo de succis piseis Hiberi;
Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur; cocto Chium sic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud; pipere albo, non sine aceto,
- 50 Quod Methymnaeam vitio mutaverit uvam:
Erucae viridis, inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere; inlotos Curtillus echinos,
Ut melius muria, quam testa marina remittit.
Interea suspensa gravis aulaea ruinas
- 55 In patinam fecere, trahentia pulveris atri
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos maius veriti, postquam nihil esse pericli
Sensimus, erigimur. Rufus posito capite, ut si
Filius immaturus obisset, flere, quis esset
- 60 Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum
Tolleret? Heu, Fortuna, quis est crudelior in nos
Te Deus? ut semper gaudes includere rebus
Humanis! Varius mappa conpescere risum
Vix poterat. Balatro suspendens omnia naso,
- 65 HAEC est conditio vivendi, aiebat; coque
Responsura tuo numquam est par fama labori.

manu sit: unde enim indoctis Librariis tam elegantem lectionem? at illud atque facile obrepere potuit dormitantibus. Nempe passerem piscem et rhombum, non elixos, sed *assos* exhibuit Nasidienus: idque pro huius Sermonis indole minime hic tacendum erat. Quippe ex praecepto Catii, Nasidieni credo huius asseclae, Serm. II, 4. v. 38. „Non satis est cara pisces averrere mensa, Ignarum quibus est ius aptius, et quibus assis Languidus in cubitum iam se conviva reponet.“ Apuleius in Apologia [p. 299, 23 Elm. = p. 491 Oud.], „Atias etiam pisces nullis versibus decoravit Ennius; et, ubi gentium quisque eorum inveniatur, ostendit; qualiter assus aut iurulentus optime supiat.“ Plautus Asinaria I, 3. v. 28. „Quasi piscis, itidem est amator lenae, nequam est nisi recens; Is habet succum, is suavitatem; cum quovis pacto condias; Vel patinarium, vel assum verses, quo pacto lubet.“ Inde Pseudapicius de re Culinaria I. X. [c. 4] „Ius in Mullos assos“ — [c. 5] „in Pelamidem assum“ — [c. 8] „in Muraenam assam“ — [c. 11] „pro Dentico asso“ — [c. 12] „in Auratam assum.“

- Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum; ne panis adustus,
Ne male conditum ius adponatur; ut omnes
70 Praecincti recte pueri contique ministrent?
. Adde hos praeterea casus; aulaea ruant si,
Ut modo; si patinam pede labrus frangat agaso.
Sed convivatoris, uti dueis, ingenium res
Adversae nudare solent, celare secundae.
- 75 Nasidienus ad haec: Tibi Di, quaecumque preceris,
Commoda dent; ita vir bonus es, convivaque comis;
Et soleas poscit. tum in lecto quoque videres
Stridere secreta divisos aure susurros.
Nullos his mallem ludos spectasse; sed illa
- 80 Redde, age, quae deinceps risisti. Vibidius dum
Quaerit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
Quod sibi poscenti non dentur pocula; dumque
Ridetur fictis rerum, Balatrone secundo:
Nasidienne, redis mutatae frontis, ut arte
- 85 Emendaturus fortunam. deinde secuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sparsi sale multo non sine farre,
Pinguibus et ficis pastum iecur anseris albi,
Et leporum avolsos, ut multo suavius, arnos,
- 90 Quam si cum lambis quis edit. tum pectore adusto
Vidimus et merulas poni, et sine clune palumbis;
Suavis res, si non causas narraret earum, et
Naturas dominus; quem nos sic fugimus uli,

Et Platina de tuenda valetudine [X c. 35]: „Passeri pisci, elixo petroselinum, asso malaurantii succum indes.“

75. Tibi di quaecumque preceris] Editiones praesae PRECARIS, atque ita scripti ex nostris quinque, sed recentiores. Martialis VI, 87. „Di tibi dent, et tu, Caesar, quaecumque mereris: Di mihi dent, et tu, quae volo, si merui.“ et X, 34. [v. 1] „Di tibi dent quicquid, Caesar Traiano, mereris.“ Recte tamen preceris reposuerunt viri docti ex melioribus membranis. Bene quidem Martialis, mereris; non mereris; quod contumeliae loco foret: iam tum enim bona merebatur Caesar. At Balatrone optat Nasidienus, non quae nunc deos precatur (nihil enim) sed quaecumque alias precatur. Plaut. Asin. I, 1. [v. 32] „Di tibi dent quaecumque optes: redde operam mihi.“ Pseudolo IV, 1. [v. 25] „Tantum tibi boni di immortales dunt, Quantum tu tibi optes.“ Mil. Glor. IV, 2. [v. 48] „Di tibi dent, quae optes“; et saepe alibi.

88. Iecur anseris albi] Non contemnenda lectio est vetustissimi Blandinii, et alterius codicis apud Cruquium, et unius ex Fulmannianis optimi, „Pinguibus et ficis pastum iecur anseris ALBAE.“ Videtur enim hoc ineptam Nasidieni nequityllae belle exprimere, quod anser femina esset, quod colore albo; quarum rerum causas subtilis palati dominus narrabat, tanquam magni interessent ad suavem saporem. Vide nos ad Serm. II, 4. v. 44.

Ut nihil omnino gustaremus; veluti si
95 Canidia adflasset, peior serpentibus atris.

v. 94. Vulg. *Velut illis.* 95. *Afris.*

95. *Velut illis Canidia afflasset peior serpentibus Afris*] Illis summo consensu habent codices; tamen in hac sententia casus accusativus requiri videtur. Sic Naso *Metam.* V. [v. 617] „*Crimales vittas afflabat anhelitus oris.*“ et VIII [v. 819] de serpente: „*Seque viro inspirat, faucesque et petus et ora afflat.*“ Prudentius *Cathem.* VII. [v. 34] „*Ne de propinquo sordium contagio Divus propinquum*, mundus afflaret virum.*“ Aen. II, v. 649. „*ex quo me divum pater atque hominum rex Fulminis afflavit ventis, et contigit igni.*“ Ergo sic potius legendum fuerit, „*velut illas Canidia afflasset, peior serpentibus Afris.*“ Sed elegantius, ni fallor, hinc aberit pronomen: quia *eo nihil* antecedit. Scribo igitur, non magna mutatione, „*Ut nihil omnino gustaremus; vincta si Canidia adflasset.*“ ut Serm. I, G. v. 66. „*Mendosa est natura, aliqui recta; velut si Egregio inspersos reprehendas corpore narros.*“ Et II. 7. v. 98. „*velut si Hevera pugnent, feriant.*“ et Epist. II, 1. 99. „*Sub nutrice puella velut si luderet infans.*“ Virgil. Aen. XII. 67. „*Indum purpureo veluti violaverit ostro Si quis elur.*“ Tum praeterita pro *serpentibus Afris* Lambini aliquot codices et noster Vigoniensis *Afris*. Quarum lectionum utriusque proba est; sic enim alibi Carm. III, 10, 18. „*Nec Mauris avinum nullior anguibus:*“ et serpentes Libyae cum aliunde, tum ex solo Lucano satis noti sunt. Tamen nescio qui altera magis arridet, quippe quam recepit et quodammodo sacravit optimorum poetarum consuetudo. Noster ipse Carm. III, 4, 17. „*Ut tulo ab atris corpore viperis.*“ Silius Italicus III, 191. „*Ater letifera stridemat turbine serpens.*“ Virgil. Georg. I, 224. [H. 214] „*nigris evasa cheydris.*“ et ibidem [I] 129. „*Illo malum virus serpentibus addidit atris.*“ Et Aen. IV, 472. „*Armatam facibus matrem et serpentibus atris.*“ Iuvenalis Sat. V. v. 90. [91] „*Quod tulos etiam facit a serpentibus atris.*“ Prudentius in Diptycho v. 45. „*Fervebant via sacra eremi serpentibus atris.*“ Hoc autem dicit Fundanius: „*Nihil ex dapibus gustasse convivas, perinde ac si viperar, aut illis peior Canidia eas halitu suo infectisset.*“ Ergo rectius credo, *Atris*, quam *Afris*. Unde enim Mauri serpentes tanto intervallo nocere hic possent suo afflatu?

*] [scr. *quintus*]

CORRIGENDA.

p. 8 ad v. 46 lin. 4 ser.

p. 9 v. 18 ser.

p. 9 in marg. addo

p. 16 ad v. 17 l. 7 ser.

p. 28 v. 2 ser.

p. 81 l. 11 a fin. ser.

p. 93 v. 7 ser.

p. 93 in marg. addo

p. 125 not. l. 9 ser.

p. 138 ad v. 7 l. 3 ser.

IV, 10, [v. 11]

rectis*)

*) rectis pro sticis Bentl. praef. reponenda iussit

Apologia [p. 438. Ond.].

cur

Caesarem [Burm. Anth. II, 86 = Meyer n. 761]

aget*)

*) [aget pro agit Bentl. praef. reponendum iussit]

australium. inunctamque

[p. 787 ed. Ben.]

Barolini apud Weidmannos (I. Reimer).

Lipsiae typis J. B. Hirschfeld.